IOANNIS COLUMBI MANUASCENSIS E SOCIETATE IESU OPUSCULA...

Jean Columbi, Nicolas Auroux

Digitized by Google

7
13-6
21

7
2 F
17

Digitized by Google

A. 1. c. 15

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS

COLVMBI

MANVASCENSIS

E SOCIETATE IESV,

OPVSCVLA VARIA;

QVORVM

INDEX EST IN PAGINA SEQVENTE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS BAPTISTÆ DE-VILLE, in vico Mercatorio sub Signo Scientiæ. Aº

M. DC. LXVIII.

CVM APPROBAT. ET PERMISS. SVPERIORVM.

Pertinet ad Bibliothecam P. Francisci de Neve 1671

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PRÆSVLI,

D. IOANNI PEGON,

PRIORI CARTVSIÆ,

ET VNIVERSI ORDINIS CARTVSIANI Moderatori Generali.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IOANNES COLVMBI, è Societate IESV.

Si ad alium, quàm ad te, Reuerendiſsime Præſul, id qualecunque eſt Libri afferrem, eſſet profectò quòd adderem cauſas, quæ me ad ſcribendum impuliſſent. Nunc tu vnus omnium maximè, pro tui Ordinis principatu, noſti viro è Societate Ieſu tuorum Cartuſianorum res, non minùs quàm ſuas, eſſe caras debere, pro perpetuis eorum in nos meritis. Fuit non ita pridem, qui mandaret literis celeberrimum illud Pariſienſe prodigium, quod S. Brunonem, & ſocios in eremum adegit, fabulam eſſe ab hominibus otioſis poſt annum milleſimum quadringenteſimum excogitatam, quam B. Antoninus aſſeruerit in hiſtoriam; atque vniuerſos ex eo tempore Cartuſianos rem ab ipſo auidè accepiſſe, vt illuſtriora ſui Ordinis initia facerent. Aduertit animos omnium, qui pietatem amant, res inaudita; & ſapientes viri infremuere ad contumeliam in Cartuſianorum (quem, & quàm ſanctum!) Ordinem. Ego autem contendo eum falſa, vt moderatè loquar, ſcripſiſſe, prodigiumque illud, quod ſingulis, non à B. Antonino, quemadmodum illi placuit dicere, ſed à S. Brunone, ſæculis, viri ſapientia virtuteque ſummi, & voce, & ſcriptis libris tradiderunt, doceo certum ac peruulgatum fuiſſe annis (vt ſuperiora ſæcula non referam) centum, ante B. Antonini mortem. Sed inſigni illi contumeliæ, pro ſua acerbitate, & profectò grauiſſimæ eſt, contumeliam non repono; vt enim vtar verbis Nyſſeni oratione 12. aduerſus Eunomium, viro ſeni, & ad veritatem intento, non leuis ad condemnationem cauſa eſt, aduerſario maledicta ſua regerere. *Certè ea fuerunt veſtrûm omnium erga nos ab initiis noſtris merita, vt non fraternus, ſed*

Digitized by Google

(vt dicam quod ſentio) paternus amor, maiora ſanctioraque non ſuadeat. Ignoti, tum, vt in ceterarum ortu rerum fit, vulgò eramus, atque ſi quid illuſtris & præclari aliquando emicabat, quod in liberis, qui non multis antè annis ſunt nati, laudant parentes, lætaque & clara prodit indoles, illud vitio generis humani creabat fere magis aduerſarios, quàm fautores. Vos, ſi non vni, vnâ tamen vniuerſi mente, adamaſtis per illa tempora, iuuiſtis, fouiſtiſque ſincero ac certo animo. Et vt tum cœperatis, ita conſequentibus temporibus perſtitiſtis, nuncque etiam perduratis, in verâ firmáque noſtrûm omnium beneuolentiâ. Singulis quidem ac vniuerſis, ſed in primis tibi, Optime Præſulum, eam & ſinguli, & vniuerſi debemus. Scilicet à capite promanat in vniuerſa vis membra, quæ per ipſa educit quodcunque operis ab iis proficiſcitur. Atque hoc vnum ex illis eſt, quæ Societati noſtræ gratulor, & in argumentis Dei erga nos amoris non vltimum repono, placuiſſe ex quo cœpimus ad hanc vſque diem, placereque etiam nunc vobis, in illa ſolitudine, illo ſilentio, illo rerum huius vitæ vniuerſarum contemptu, illo æſtu diuini amoris, & noſtra, & nos, quibus & loco, & omni vita prorſus diuerſis, perpetuus eſt in mediis non vrbibus & pagis, ſed mortalium ſeu turbis, ſeu congreſsibus, cum idololatria, hæreſi, vitio, ignorantia, pro re & loco, conflictus & labor. Vtinam placeat tibi meus quoque hic Liber, quem Guigoni, & Baſilio, aliiſque Priorum Cartuſiæ antiquiſsimis, non imparem, commendat rerum diuinarum ſingulare ſtudium, attenta conſuetudinum & ſtatutorum per vniuerſum Ordinem cura, omnéque virtutum tanto faſtigio dignarum genus. Profectò debebam eum tuæ in nos eximiæ beneuolentiæ.

AVCTOR

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

REM ſuperioribus ſæculis inauditam noſtrum vidit, & ad illam obſtupuit. Cartuſiani, & totius Eccleſiæ, & ſingulorum de Eccleſiâ virorum communiſſimo conſenſu, ſincera, veritatis amans, & ſancta natio, ab erudito viro dicti ſunt ignoraſſe vniuerſi, ad illud vſque temporis, quo B. Antoninus ſcripſit, S. Brunonem parentem, eiuſque ſocios majores ſuos, adactos fuiſſe in Cartuſiam, feralibus hominis Lutetiæ Pariſiorum rediuiui vocibus, qui cùm ante mortem haberetur ab omnibus probus, aſſeruit ſe accuſatum, iudicatum, damnatum à Deo: & quod toto orbe de hoc viro docent voce, ſcriptis libris, penicillo, ſcalpro, id à ſancto illo Antiſtite accepiſſe. Eſt quidem quòd miremur ſapienti viro veniſſe in mentem dicere Cartuſianos ſuum hoc aliunde, quàm ſuâ domo allatum tradere: ſed quod addit omni admirabilitate ſuperius, huiuſmodi eſt, vt omnium qui pietatem, æquitatem, & omne virtutum genus amant, defigat animos. Vult prodigium iſtud Pariſienſe fabulam eſſe, ab otioſis hominibus poſt annum milleſimum quadringenteſimum excogitatam, quæ à S. Antonino, viro quidem integro vitæ, ſed plurium inaccurato rerum, aſſerta ſit in hiſtoriam; & cùm iam hiſtoriæ ſpeciem ac nomen haberet, auidè acceptam à Cartuſianis, qui in ipſam *non altiùs inquiſiuerint, veriti fortaſſe, ne ſi quæ ſcribebant, ex origine & vetuſtis ſcriptoribus cenſerent, ea fere omnia ſcribere deſiſterent. Credidiſſent non ſatis illuſtrem Brunonis hiſtoriam, quæ iam euentu illo horribili careret.* Turpis & contumelioſa calumnia! certè non potuit grauior in ſanctiſſimos viros conijci. Ipſa facit, vt doleam ea nos in tempora deueniſſe, quibus literariæ concertationes, nobiliſſimi eruditarum mentium liberi, contumeliis & maledictis fœdiſſimè conſpurcentur, quibus pro origine ſuâ omnis cultus, iſque clarus & illuſtris debebatur. Vir eruditus quod voluit egerit: mihi ad illa quæ ſcripſit reſpondenti, certum eſt abſtinere ab omni contumeliâ. Hoc te moneo, Mi Lector, Rem de qua incumbit diſputatio, ſpectare animus eſt; non virum, cum quo diſſertationem inſtituo. Chryſoſtomum ſequor, qui homiliâ vndecimâ in epiſtolam ad Coloſſenſes ita præcipit: *Ne voces Græcum*, ſeu Gentilem, *impurum & impium, neque illum vituperes: ſedſi de eorum dogmate rogatus fueris, reſponde quòd ſit impurum & impium.* Scilicet, vt idem ipſe pronuntiat homil. 11. in epiſtolam ad Hebræos. *Grauis res eſt contumelia.* Sapienter igitur Hilarius canone 4. in Matthæum ad illa Chriſti verba, *Qui fatuum dixerit, reus erit gehennæ ignis*, docet his verbis: *Piaculi magni periculum eſt, quem ſalem Deus nuncupauerit, eum contumelia infatuati ſenſus laceſſere; & ſtultorum intelligentiam ſalientem, ſtultæ intelligentiæ exaſperare maledicto.*

Digitized by Google

IOannes Launoy in dissertatione, de verâ causâ secessus S.Brunonis in eremum, auctâ & tertiùm editâ, scripsit sequentia. *Primus omnium qui non ita pridem inuectam de triplici doctoris* Parisiensis *anastasi, & huius appendice*, secessu scilicet S.Brunonis in eremum, *narrationem literis mandauit, ni fallor, Lugduni post annum* 1420. *Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius occurrit.*

Verùm

Ante Ioannem Gersonem eam hominis anastasim,& ex ipsa secessum Brunonis in eremum, tradiderant Chronologus Priorum Cartusiæ anno incerto inter 1383. & 1391. Guilelmus de Elbura seu de Yporegia libro de origine & veritate perfectæ religionis anno 1313. Cartusianus Maioreuensis chartâ de exordio Ordinis Cartusiensis anno 1298. Scriptor de narratione historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis sub annum 1150. & à morte S.Brunonis 49.aut circiter.

Demum igitur Henricus de Kalkar

In libro de Ordine Cartusiano ita optimo iure scripsit anno 1398. *De illo quatriduano mortuo, qui factis pro se vna die funeralibus, secunda die sepeliendus ad iustum se Dei iudicium vocatum, tertia iudicatum, quarta clamauit damnatum, prout hoc apud Cartusienses communiter*, à S.Brunone ad Ioannem vsque Gersonem, *videtur scriptum*, &c.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE CARTVSIANORVM INITIIS,
SEV
QVOD BRVNO ADACTVS FVERIT IN EREMVM VOCIBVS HOMINIS REDIVIVI PARISIIS,
QVI SE ACCVSATVM, IVDICATVM, damnatum, exclamabat;

Ad clariſſimum virum IOSEPHVM PIOLLAM, in Seneſcallia Forcalquerij Conſiliarium Regium.

MEI tuus à puero amor, VIR CLARISSIME, poſtulabat quidem à pluribus annis vt ad te aliquid ſcriberem, quò ceteris mortalibus, atque etiam (ſi quid me mortuo meum viueret) poſteris, teſtarer ei me reſpondiſſe: ſed alia aliis temporibus fecerunt, vt, quod maximè auebam, exequi non potuerim. Nunc quando grauis ſenecta vrget, ſextuſque ac ſeptugeſimus ætatis annus admonet mortem in propinquo eſſe, placet rem non vltrà differre. Et opus quod ſuper Cartuſianorum initiis ordior ſuadet facere. Vt enim aliàs, cùm de Manuaſca vrbe tribus agebam libris, occurrit Guilelmus Piolla, à quo repetis tuum genus; ita nunc Cartuſianorum originem cenſenti, ſeſe ſtatim obtulit Petrus Piolla: clari ambo, ambo illuſtres viri. Illum ſcientia iuris inclytum, tabulæ Manuaſcenſes anni milleſimi trecenteſimi ſexageſimi ſeptimi docent genere nobilem fuiſſe, vt aduertebam libro 1. Manuaſcæ numero ſexageſimo nono. Hunc ſapientia, & virtutis omne genus, apud Cartuſianos extulit. Vbi natus fuerit, vbi ſancto illo in Ordine iterum Chriſto, vt ita loquar, poſt baptiſmum genitus, vbi mortuus, non inuenio. Bis Prior fuit in Monaſterio Papienſi, primùm anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto & tribus ſequentibus, ſecundùm ab anno milleſimo quingenteſimo ſecundo vſque ad duodecimum eiuſdem ſæculi, quo mortuus eſt, die decima quinta menſis Octobris. Viſitator etiam fuit Lombardiæ anno tertio & quingenteſimo vſque ad mortem; quem magiſtratum cùm gereret, *præſtantem ſapientiâ & omni virtutum culmine* fuiſſe tradidit Zacharias Benedictus in vitâ S. Brunonis metro ſcripta. An, vt Guilelmus, fuerit de tua gente, non poſſum dicere. Si natus eſt in Prouinciâ noſtrâ, ſi parentes eius in Prouinciâ noſtrâ nati ſunt, potuerunt tamen (quod de pluribus aliis legimus) illam adire partem Italiæ, in quâ Cartuſianum

1

2

magnâ suâ laude professus est. Et illam, & alias, non pauci Prouinciales, ex eo maximè tempore adierunt, quo Robertus Comes noster ad Neapolitanum regnum adiunxit comitatum Pedemontij. Igitur Gerardus de Simiana etiam tum fuit *Miles Generalis, & Prior*, id est Præfectus *Ferrariæ*, vt lego in donatione castrorum à Comitibus S. Martini & Castrimontis Roberto eidem. Verùm hæc satis. Accedamus ad Cartusianorum initia.

3 Cartusia locus est asper ac deuius in præaltis Delphinatus ad Sabaudiam montibus, cis Isaram fluuium decimo aut vndecimo à Gratianopoli lapide. In ea Bruno eremitarum toto orbe Christiano illustrissimorum auctor, sibi & sociis, Hugone Gratianopolitano Episcopo ducente, sedes posuit anno quarto & octogesimo supra millesimum. Ipse Coloniæ Agrippinensium natus, cùm euasisset in virum scientiâ & virtute clarissimum, adeptus fuerat canonicatum & sacrarum literarum in Ecclesia magisterium Remis auctore Sigiberto; aut potiùs Ecclesiæ Remensis magisterium, ex Hugone Episcopo tum Diensi, & canonicatum in patria, vt tradit Manasses Remensis eo tempore Archiepiscopus. Socij erant omnino sex: è clero quatuor, Lauduinus, Stephani duo, Hugo; laici duo, Andreas, & Garinus. Istorum amborum sola nomina ad me peruenerunt. Ex illis quatuor Hugo vnus sacerdotali Ordine initiatus fuerat; à ceteris igitur sociis cognominabatur Sacerdos. Vterque Stephanus professus fuerat canonicum S. Rufi; alter Viuariensium Burgi natus, Diæ Vocontiorum alter. Lauduinus vir apprime doctus Lucam Hetruriæ habebat patriam. Omnes domum è loci, in quo posita erat, estque etiam nunc, nomine; & post ipsos vniuersi, ad nostra vsque tempora mortales, appellauerunt Cartusiam.

4 Quæ res fecit, vt viri septem & patria, & vitæ institutis vehementer diuersi, inter se cogitarent vno & eodem tempore de tesquis auiis & confragosis, maximè cùm ex illis duo censerentur in canonicorum Sanrufensium Ordine, qui ante annos quadraginta, & quod excurrit, inuentus, recentem ab Arnoldo, Odilone, Pontio, & Durando presbyteris, Auenione auctoribus, sanctitatem spirabat; & alij duo scientiâ, quæ hominum seu frequentiam, seu congressum amat, præpollerent? Grauissima profectò. Vt ab ipsis Cartusianis, Brunonis scilicet ac sociorum successoribus, accepi, ita referam. Vir doctrinæ, & integritatis nomine inclytus, cuius funus curabatur Parisiis, funestis vocibus repentè exclamauit è feretro, se accusatum, iudicatum, damnatum. Bruno ac socij exclamantem audiebant, & ad miserabile feraléque obstupuere prodigium. Cùm autem sibi redditi aliquando denique disquirerent, qua seu vi, seu arte, homo sapientia & grauitate ad speciem integrâ sanctâque, non mediocriter ornatus, à virtute ad vitium deflexisset, non aliud inuenerunt, quàm factum esse, vt qui vir ab omni virtutum genere videbatur ex se instructus, primùm à probitatis via quam diu tenuisset, sensim ex mortalium congressu & societate deflexerit; deinde arrepente illecebrosa corporearum rerum specie, totumque occupante, omnino auersus à Deo abierit in præceps. In id igitur conuenerunt, vt quando vir eâ celebritate nominis spectandus, non occulta flagitia, non à Deo iudice æternam inferis damnationem effugisset, sibi ducerent longissimè recedendum ab vniuersis mortalibus; cùm non Parisiis amplissimâ & frequentissimâ ciuitate, sed in aliis etiam siue vrbibus, siue pagis, modicis

quoque

quoque ac tenuibus, essent feminæ, essent viri, qui oculis, vultu, totóque habitu corporis, voce etiam sermonéque afflarent scelera, in aliorúmque mortalium animos altè demitterent. Neque iniuriâ in id conuenerunt, nam tristes ac horrendæ illius hominis è feretro voces; nostris quoque post sexcentos fere annos temporibus, cùm leguntur in libris, non dubio perfundunt horrore, & ab omni crimine vehementer deterrent illos etiam mortales, vt præfidentes animis ac duri sint, qui assueuerunt sceleribus. Rem quæ Brunonem & socios ad eremum adegit, hanc esse tradit celeberrimus ille de vita & rebus gestis sanctorum virorum scriptor Laurentius Surius; tradit Petrus Sutor, tradit Petrus Bloëmenuenna, tradit Petrus Dorlandus, tradit Theodorus Petræus, tradunt denique magno consensu omnes Cartusiani, qui de parentis Brunonis vitâ vniuersâ fusè scripserunt post Franciscum de Puteo, quem, quoniam fuit Prior Cartusiæ, cùm affero, videor mihi afferre ipsum Ordinem vniuersum.

Hìc ego quidem vnum satis mirari non possum. Vir abs dubio eruditus, in dissertatione de vera causa secessus S. Brunonis in eremum auctâ, & tertiùm editâ negat fidem, pluribusque cõtendit, negandam esse omnibus istis scriptoribus, quibus, cùm de re domesticâ, suíque Ordinis initiis, proloquutifuerint, inconcussam habuerant ceteri, vsque ad ipsum, mortales, neque seu prodigium hominis se accusatum, iudicatum, damnatum feraliter, vitâ corpori redditâ, exclamantis è feretro, seu ex eo prodigio secessum Brunonis in eremum, inficiari quisquam ausus fuerat, ne oblocutor quidem ille, qui apud Sutorem singula Cartusianorum conuellere susceperat. Vt autem nihil afferre non videatur, cur vnus ad hanc vsque diem inuentus fuerit, qui singulari libro fidem denegaret, multisque denegandam doceret, sapientissimis atque sanctissimis scriptoribus, asseuerat Cartusianos non semper ista sensisse. Recentiores paginâ 46. distinguit à vetustioribus. Ait hos ipsa prorsus ignorasse, scilicet inaudita, neque dum excogitata: illos non accepisse (vt ad faciendam fidem par erat) à Brunone, aut Brunonis sociis, vel eorum discipulis, sed ab Antonino, qui nono & quinquagesimo anno post millesimum quadringentesimum mortuus est. Atque cùm Antoninus vulgò & non iniuriâ, habeatur minimè accuratus plurimarum rerum, non satis idoneum testem esse gestarum annis ante ipsum pluribus supra trecentos (& sunt grauissimæ) quæ primus retulerit. Gerso quidem antiquior Antonino, & illorum quæ recitat attentus, ac omnino accuratus, eas affert, sed, vt loquitur Aduersarius, non tamen asserit pro suâ prudentiâ, docetque *dici*; & proinde tradit ex fama, *cui nomen incerti est*, quemadmodum Tertullianus monuit. Addit non Cartusianos tantùm vetustiores, verùm ceteros etiam Gersonem ante ac Antoninum scriptores, ista prorsus ignorasse. Atque, vt id confirmet, affert nouem & viginti, qui de Cartusianorum aut origine, aut institutis, aut moribus quidem olim scripsere, hæc tamen ambo tacuerunt *pertinaci silentio, quod negationi par esse* autumat. Igitur paginâ 104. acerbissimè pronuntiat in Franciscum à puteo, Petrum Sutorem, Laurentium Surium, & alios è Cartusianis, quos vocauit recentiores, *in rem ipsam non altiùs Antonino inquisiuisse, veritos fortasse, ne si quæ scribebant, ex origine & vetustis scriptoribus censerent, ea fere omnia scribere desisterent. Credidissent non satis illustrem Brunonis historiam, quæ iam euentu illo horribili careret.* Quis expectasset ista ab 6

erudito

Digitized by Google

erudito & sapiente viro in dissertatione literaria, quæ è triuio accepta videntur, & de homulis omnis scelere perditis non facilè cogitamus? Certè mihi venit in mentem mirari, quid factum sit, vt, cùm videret Aduersarius Cartusianos scriptores, non, ante annum millesimum quingentesimum, publicis mandasse literis secessum Brunonis in Cartusiam ex prodigio Parisiensi, non cogitauerit accepisse ab alio quàm ab Antonino, cuius & nimiam in credendo facilitatem ignorare, &, vt ea facilitas non esset vulgò nota, recentius pro rei antiquitate testimonium probare non poterant. Volo non legisse, quod afferebant, prodigium, in nouem & viginti à Brunone ad Gersonem vsque & Antoninum scriptoribus, anne igitur continuò debuit cogitare Cartusianos in nullo alio legisse? anne debuit asserere neminem per illos à Brunone ad Gersonem vsque trecentos annos, edidisse literis? Vniuersosne euoluit ille, qui per Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam (quid enim ceteras Europæ partes afferam?) typis editi sunt? Vt autem Cartusiani faterentur rogati, Antoninũ esse illum ex scriptoribus in publicam lucem emissis vnum, in cuius codice hunc è prodigio secessum inuenissent, ergone debuit, aut etiam potuit, eruditarum literarum gnarus, non asserere, sed suspicari illos, neque in libris manu solâ scriptis legisse, cùm ipse seu Chronologum S. Martini Turonensis, seu Robertum de Corceon, euoluerit ineditos typis? cur eò cogitatione non deuênit, Cartusianos etiam legisse vnum quem antiquissimum rei, quam afferebant, auctorem, sola scriptum manu? Vtcunque autem hæc æstimauerit, procul dubio poterat Antonini sanctitatem meritis efferre præconiis, atque asserere tot & tantos è Cartusianis scriptores, qui vitâ integerrimi ipsi erant, eò illâ adductos fuisse, vt ipsi de re totâ crederent. Sed huic viro visum est (quid enim agam conuitiis?) ita loqui. Certè videtur abstinere debuisse omni contumeliâ, quam quia & multiplicem, & grauissimam, in viros innocentissimos, non prouocatus coniecit, non vniuersorum siue scriptorum, siue regularium Ordinum, sed Ecclesiæ, depelli multùm interest. Excutiamus singulas eius partes, & videamus quàm vehementer aduersentur veritati: postea docebimus non esse quòd miremur nouem & viginti scriptores, quorum & numero, & antiquitate exultat Aduersarius & triumphat, ea non posuisse in suis libris, quæ à Cartusianis ipsis accepimus; & Franciscum à puteo, Petrum Sutorem, Laurentium Surium, ac cæteros librorum de vitâ S. Brunonis auctores, qui ab illo per contumeliam recentiores appellati sunt, rem hanc omnem accepisse, non ab Antonino, vt vnus ipse non semel exprobrat, sed ab antiquioribus Cartusianis, vt par erat, Brunone scilicet, aut Brunonis sociis, sociorũue discipulis, qui tum seu scripto, seu voce tradiderint, cùm sua nonnulli alij primùm seu scripto, seu voce tradiderunt, quibus vniuersi mortales fidem habent. Non tamen Aduersarium, vt Nazianzeni verbis vtar oratione 32. *contumeliis & conuitiis insequemur, quemadmodum ipse* Cartusianos *insecutus est, non cum re de qua dicendum erat, sed cum loquente confligens, ac rationum & argumentorum infirmitatem maledictis obtegẽs, non aliter ac sepias atramentum ante se vomere aiunt, vt piscatores effugiant.* Scilicet Nysseno teste oratione 12. in Eunomium, *Contumelia est insania, & animi sanâ ratione vitiati infortunium.*

7 Ante omnia vnum tacere non possum. Cùm Aduersarius libro suo titulum hunc præfixisset, *De verâ causâ secessûs S. Brunonis in eremum dissertatio*, adiunxit

INDEX OPVSCVLORVM, quæ in hoc volumine continentur.

DISSERTATIO de Cartusianorum initiis, seu quòd Brunō adactus fuerit in Eremum, vocibus hominis redivivi Parisiis, qui se accusatum, iudicatum, damnatum exclamabat.

Virgo Romigeria, seu Manuascensis.

Guilelmus Iunior, Comes Forcalquerij.

De rebus gestis Episcoporum Sistaricensium Libri quatuor.

De rebus gestis Episcoporum Viuariensium Libri quatuor.

De rebus gestis Episcoporum Valentinorum & Diensium Libri quatuor cum appendice, quæ habet epistolam Ioannis de Burnino Archiepiscopi Viennensis & Suffraganeorum ad Gregorium IX. Pontificem postulantium anno 1231. canonizationem Stephani è Cartusiano Episcopi Diensis mortui anno 1208. & vitam Amedei Rossilionæi ex Abbate Sapiniacensi Episcopi, Valentini, & Diensis primi.

De rebus gestis Episcoporum Vasionensium.

De Manuesca vrbe Provincia Libri tres.

Noctes Blancalandanæ. Opus varium in tres divisum partes. In prima recitantur aliqui plurium Galliæ Ecclesiarum Episcopi, quorum seu nomina, seu annos non habent, qui Gallicanarum Ecclesiarum Episcopos collegerunt, & per sua digesserunt tempora. In secunda dicitur de Canonicorum Sanrufensium initiis; & de Blancalanda ac Lucerna Præmonstratensium, atque Mansiada, & Ganagobia Benedictinorum cœnobiis. In tertia censetur gens Odonis Episcopi Valentini Capponea.

Dissertatiuncula de incorruptione corporis Philibertæ à Sabaudia Ducissæ Nemorosij, mortuæ anno 1526. & sepultæ Camberij in S. Ædicula, quæ non (vt per typorum errorem scriptum est in illius pagina 571. linea 14.) seruat, sed tum seruabat Christi, vt vulgus loquitur, sudarium.

De gente Simianea Libri quatuor.

Appendix ad Noctes Blancalandanas, vbi fusè dicitur de testamentariis vocibus, & nummis sæculorum 12. 13. & 14.

EGÒ

EGO Ioannes Platiere Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunensi, factâ mihi potestate à Patre nostro Ioanne Paulo Oliua Præposito Generali, concedo vt Liber, cui titulus est, *Ioannis Columbi Manuascensis è Societate Iesu Opuscula Varia*; à tribus nostriæ Societatis Censoribus approbatus, mandetur typis. Viennæ anno 1668. die 4. mensis Martij.

IOANNES PLATIERE.

APPROBATIONES.

EGo Doctor Sorbonæ & Ecclesiæ Lugdunensis Theologus testor me Perlegisse Librum cui titulus est *Ioannis Columbi Manuascensis Soc. Iesu opuscula Varia.* In quo nihil contra fidem nihilque bonis moribus contrarium cum repererim, existimo illum meritò imprimi posse. Lugduni die 15. Aprilis 1668.

ARROY.

OPuscula varia R. P. Columbi Manuascensis Societatis Iesv accuratè perlegi, in quibus multa lectu digna reperij, nihilque quod fidei, aut bonis moribus aduersetur; ideo prælo digna iudicaui Ego infrà Scriptus Doctor Theologus facultatis Parisiensis, die Aprilis septimâ, Lugduni in Carmelo nostro.

F. VIAL.

CONSENSVS.

VIsis supradictis Approbationibus, non impedio pro Rege, quin permittatur Ioanni Baptistæ De-Ville Bibliopolæ Lugdunensi, Prælo subjici librum, cui titulus est, *Ioannis Columbi Manuascensis Soc. Iesus Opuscula, &c.* cum prohibitionibus in huiusmodi casibus requisitis. Datum Lugduni die 16. Aprilis 1668.

VIDAVD.

PERMISSIO.

FIat juxtâ Conclusiones Procuratoris Regij. Datum 16. Aprilis 1668.

DE SEVE.

Digitized

adiunxit ſequentia, ſeu *Defenſa Romani breuiarij correctio circa hiſtoriam S. Brunonis.* Cur iſta adiunxit? Accipe ex eius epiſtola ad academiæ Pariſienſis Cancellarium. *Fabulam*, inquit, rediuiui hominis è feretro ſe accuſatum, iudicatum, damnatum exclamantis, *quæ ex incerto rumore prognata, fertur S. Brunonem in eremum pepuliſſe, Romanum breuiarium per aliquod tempus occupauit, ſed poſtea in recenſione breuiarij ſublata eſt. Ego autem quia falſitas rei certò deprehenſa eſt, rectè ſublatam eſſe contendo, duobus contrà viris grauiſſimis oppugnantibus.* Probo ego titulum, ab Aduerſario præfixum operi ſuo; additamentum tituli probare non poſſum; &, vt fatear quod eſt, cur ipſe probauerit non video. Profectò eſt, quæ dicitur, diſſertatio de verâ causâ ſeceſſûs S. Brunonis in eremum, totóque libro ea magnis animis inſtituitur: defenſio cenſorum Romani breuiarij non eſt. Multa etiam damno in illis epiſtolæ ad academiæ Pariſienſis Cancellarium verbis. Fabulam vocat & primus, & vnus, quod 8
Cartuſiani vniuerſi (quid enim ceteros catholicos non neceſſariò memorem?) habent pro vero, & ſanctè aſſeuerant. Ex incerto rumore prognatum, aſſerit, quod grauiſſimi & doctiſſimi viri tradiderunt ante incerti illius, quæ feruntur, rumoris initia. Falſi conuictum ait, & idcirco cenſoribus Romanis è breuiario ſublatum, quod ipſi cenſores negant ſe damnaſſe falſitatis; &, quoniam falſum ſit, ſe à breuiario ſuſtuliſſe. Magis putabam veritatem prodigij Pariſienſis, & ex eo ſeceſſûs Brunonis in eremum, colligi ex breuiario Romano. Nam qui vtramque hanc rem in illud intuleràt, non potuerunt non exiſtimare veram: qui autem ex ipſo amouerunt, nunquam accuſauêre falſi, & longè alias, pluréſque cur ab eo ſuſtuliſſent cauſas attulerunt: Eccleſiaſticarum longitudinem lectionum, conſuetudinem, quæ alioqui videretur, poſſe induci, incitamentorum mutationis morum à viris, qui religioſos Ordines inuenerunt, exhibitæ, in breuiarium inducendorum, aliaque id genus. Certè (etſi Aduerſarius neget, quâ fide ipſe viderit, aiens paginâ 175. *è lectionibus breuiarij Romani ſolummodo deletum, quidquid ad prodigium Pariſienſe ſpectabat*) iidem cenſores ſuſtulerunt è breuiario, celebertimam illam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia profeſſionem, à Brunone factâ ſub mortem, quam nemo ita vecors erit vt ſentiat idcirco deleuiſſe quòd falſa ſit; qui enim Turre in Calabria morienti aſtiterant, ſcripſerunt ad ſocios in Cartuſia commorantes, & alios toto orbe monachos, moriturum, in hæc verba locutum eſſe, *Credo panem & vinum, quæ conſecrantur in altari, eſſe poſt conſecrationem verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & verum ſanguinem.* Denique Aduerſarius aſſerit ſe *duobus viris grauiſſimis contrà oppugnantibus* contendere, quòd Romani cenſores rectè ſubſtulerint è breuiario illud Pariſienſe prodigium, & ex eo ſeceſſum Brunonis in eremum. Quis ad iſtas voces non obſtupeſcat? legantur vtriuſque viri opuſcula, afferatur ex ipſis vel vna vox, quâ Romani Cenſores non damnentur, ſed leuiſſimè arguantur, & confecta erit cauſa. Magna vi contendunt Brunonem & ſocios horrendo illo prodigio actos, veniſſe ad eremum Cartuſiæ. Nihil afferunt aduerſûs eos qui prodigium è breuiario ſuſtulêre Romano; ipſorum potiùs verba recitant, quibus docent ſe id ſuſtuliſſe, non quòd falſum ſit, ſed quòd præter debitum breuiarij hiſtoriis & lectionibus argumentum, ſolitámque breuitatem, inductum cuipiam videri non immeritò poſſet.

Igitur Aduerſarius, vt video, ambitioſum Defenſoris cenſorum breuiarij 9

Romani nomen sibi accepit, vt duos illos grauissimos viros, quos impetit, & refellere conatur, vocet in inuidiam facerrimi facinoris. Debuit potiùs ipso se libri titulo dicere Cartusianorum accusatorem, cùm ob id vnum duos illos viros arguat & incuset, quòd rem à Cartusianis acceptam validissimè tueantur, Cartusianósque pro sincera veracitate, & singulari innocentiâ venerandos vniuersis mortalibus, accuset multorum in vno facinore criminum, velítque prodigium Parisiense, & ex eo secessum Brunonis in eremum, quæ fabulæ sint, venditare omni arte, vt vitam *Brunonis* parentis *illustriorem* faciant. Ne verò catholici omnes in ipsum, vt sanctissimi Ordinis importunum accusatorem inclament, asseuerat se de vetustioribus Cartusianis non dicere, qui rem, nondum scilicet excogitatam, ignorabant, sed de recentioribus, qui, vt loquitur paginâ 46. *hac in parte si rectè saperent, ex antiquioribus saperent.* Eamus per singula conuitia, & ostendamus coniecta esse per summam iniuriam in viros innocentissimos.

9 Principio asserit Franciscum de Puteo, Laurentium Surium, Petrum Bloëmenuennam, Petrum Sutorem, Petrum Dorlandum *in suos libros deriuâsse scripta* ab Antonino. Si ab ipso postulemus, vnde id acceperit; non inueniet quod reponat. Certè rei tantæ nullum laudat auctorem; & illi non profitentur se ab eo accepisse. Ioannes Gerso pluribus ante Antoninum annis eadem scipserat; cur non ait ab illo sua duxisse? verùm vt Gerso sit accuratior Antonino; Gersone tamen sanctior habetur Antoninus, & de illo in sanctorum canonem referendo tum agebatur, cùm Cartusiani occipiebant sua in lucem edere: vt video, igitur voluit Aduersarius non testium accurationem, & ex accuratione integritatem in re grauissimâ, sed sanctitatis nomen, quo ad inducendam falso prodigio fidem vterentur, placuisse Laurentio Surio, Petro Sutori, Petro Dorlando, Petro Bloënmenuennæ, & Francisco à Puteo etiam Priori Cartusiæ totiúsque Ordinis Generali, scientissimis rerum domesticarum & clarissimis scriptoribus. Hoc autem quis accredat dicenti? vt conuitio fidem faceret, non debuit id afferre, quod in hominem profligatum & omni scelere perditum conjicere vix audeat Aduersarius.

10 Deinde asserit illos ipsos scriptores Cartusianos *rem hanc non altiùs libris ab Antonino* scriptis inquisiuisse, imponítque igitur socordiam diligentissimis, ac pro integritate, & in omni vita accuratione studiosissimis scriptoribus. *Infidelitas* tamen *mater est pigritiæ*, vt docuit Cæsarius homilia 30. atque, vt alios taceam, Petrus Bloëmenuenna is cùm viueret fuit, vt socordiam nemo sobrius, qui ipsum nouerit, illi tribuat. Omnem vitam sine letali crimine attentus virtutis cultor peregit, & accuratus pietatis amator sæpiùs à Deo supra se raptus fuit. Huic innocentissimæ ac fermè cœlesti vitæ, non respondet Antonino & vni, & tum recentissimo de re vetustissimâ testi fides; anno enim millesimo quadringentesimo octogesimo nono Petrus ad Cartusianos accessit, atque trigesimo proinde post mortem Antonini. Præterea lego egisse Priorem suo in Ordine nouem annos supra viginti: Cartusiam ergo non semel adiit ad suorum generalem conuentum. Putas cùm de Brunonis parentis vitâ scribere cogitabat, non egisse cum ceteris Prioribus, & de aliis sancti viri præclaris facinoribus, & de secessu in eremum Cartusiæ; non excussisse, perlegisséque vniuersas de Brunone chartas antiquissimæ domus?

Verùm

Verùm concedamus Aduersario non veniſſe in mentem Petri Bloemenuen- 12
næ ipſas perſcrutari & euoluere, profectò Franciſcus à puteo, cùm ſcribebat de ſeceſſu Brunonis & ſociorum in eremum ex ferali illo Pariſiis rediuiui hominis prodigio, non potuit non eas ſingulas, quæ de ſui Ordinis initiis, & Brunonis ac ſociorum acceſſu Cartuſiam agunt, verſare manibus, cùm res ferebat, legereque; & vniuerſas pro ſui muneris grauitate ac totius Ordinis principatu habebat in promptu. Certè non iſtas ſolùm, ſed ceteras ampliſſimi tabularij, mortalium laborioſiſſimus annotauit manu ſua; vniuerſarum fecit indicem, veróque & facili digeſſit ordine; & præcipuas, cùm exſcribi curaſſet, compegit in volumina omnino tria, quorum tertium de rebus toti Ordini communibus, igne periit anno milleſimo ſexcenteſimo vndecimo. Quantus autem hic præſul fuerit, accipe à Petro Sutore lib. 2. de vita Cartuſiana tract. 3. cap. 7. *Iuris vtriuſque doctor peritiſſimus erat*, inquit, *& tam diuinis, quàm humanis literis nobiliter doctus: ingenio ſubtilis, promptus conſilio, rebus agendis aptus atque prouidus.* Iſta animi decora non facilè potuerunt eſſe cum ſocordia, quæ illi ab Aduerſario affingitur. Pergit Sutor. *Maioris Cartuſiæ Prior domum S. Stephani, in qua noſter princeps Bruno felix migrauit ad Chriſtum, alienis manibus longiſſimo tempore occupatam recuperare ſtuduit.* Iam exiſtimo, qui domum iſtam à Ciſtercienſibus ad ſuos longo poſtliminio reuocauit, omnino debuiſſe ex veteribus chartis ſeu Cartuſianis, ſeu, annuente Aragonio Cardinali abbate, Sanſtephanenſibus, docere cùm à Brunone erecta fuiſſet, deflexiſſe aliquando ab ipſius ſucceſſoribus ad Ciſtercienſes. Hoc autem nunquam potuit liquidò expedire, quin ex illis etiam demonſtraret id olim fuiſſe temporis, cùm è Cartuſia Bruno vocatus fuerit ab Vrbano ſecundo Pontifice, & Romanam pertæſus curiam illi eodem (vt tradit Chronologus Priorum Cartuſiæ) iubente prætulerit eremum Calabriæ. Qui 13
iſta omnia è veteribus excerpſit tabulis, potuítne non ab illis edoceri cauſas, quæ fecerunt vt principio Cartuſiam in Gallia, deinde Turrem in Italia teneret, maximè cùm, vt adiungit idem Sutor, *ipſius diligentiâ Bruno quoque in ſanctorum numerum per Apoſtolicam ſedem repoſitus ſit*, ſcilicet à Leone decimo, vti docet Baronius in Martyrologio. Enimvero ita habet, vt quando agitur de ſeruis Dei in ſanctorum virorum numerum referendis, non vltima quæſtio ſit de cauſis quæ ipſos ad mutationem motum impulerunt, diuinóque addixerunt cultui. Hic ergo vir, vt maximè voluiſſet, non potuit non altiùs Antonino inquirere de Brunonis in eremum ſeceſſus vera cauſa, omnémque & perſcrutari & callere, ac certis auctoribus, qui à Brunone, aut ſociis, vel eorum diſcipulis acceptam perſcripſiſſent, tradere poſteris.

Non quæcumque tamen ſocordia eſt, quam Aduerſarius, & aliis Cartu- 14
ſianorum ſcriptoribus, & Franciſco à Puteo tribuit. Supina illa eſt, quæſita potiùs, & vehementer adamata, imò aliquid omni ſocordiâ maius & importunius. Vult *non altiùs Antonino inquiſiuiſſe, veritos fortaſſe, ne ſi quæ ſcribebant, ex origine & vetuſtis ſcriptoribus cenſerent, ea pene omnia ſcribere deſiſterent*, vtpotè ſicuti ſuperiore paginâ loquebatur, *futilitatis plena.* Igitur grauiſſimè mentitos aſſerit; atque, vt impudentiùs mentirentur, auertiſſe oculos à veritate. Piget iſta refellere, quæ mendiculorum potiùs turpiſſimam per compita contentionem ſapiunt, quàm eruditi viri grauem & moderatam de re literaria diſſertationem. Petrus Damiani in vita S. Mauri Epiſcopi Cæſenatis

Digitized by Google

scitè scripsit sequentia. *Falsus testis Dei meritò dicitur, qui indiscretè eum laudare cupiens mentitur, & aduersus Deum proculdubio perhibet testimonium, quisquis in eius laude, peruersâ molitur arte commentum.* Tantùm abest vt *ab origine & vetustis scriptoribus rem censere noluerint*, annales quoque consuluerunt, quemadmodum Sutor monet lib.1.tract.2.cap.2. Itaque pergit capite 3. ita scribere; *Fatemur ingenuè nullum doctoris nomen illius, qui vitæ redditus exclamauit* se accusatum, iudicatum, damnatum, *per nos allatum esse, quòd nullum sit literarum monimentis quod viderimus, proditum.* Istæne sunt scriptoris illius voces, qui noluerit *altiùs Antonino inquirere, & ex origine & vetustis scriptoribus censere?* Abs dubio & hic, & Surius, atque ceteri, & Franciscus de Puteo maximè, vniuersas & Cartusiæ, &, cùm se dabat occasio, aliarum domuum tabulas excussere, vt illustria quidem, sed vera tamen, de Brunone scriberent: nihilque posuerunt in libris suis, super causâ eius ad eremum secessus, aliud
15 ab eo, quod in maiorum suorum chartis inuenerant. Vt enim dicam quod censeo, sicut in aliis seu clericorum, seu monachorum Ordinibus factum legimus, non communi quidem vniuersorum, & (vti loquuntur) capitulari consilio, sed priuato singulorum sensu, vt nonnulli illustres viri suæ ab domorum suorũ initiis mandarent literis, quæ neque ipsi in lucem ediderunt, neque voluerunt edi ab aliis: ita ego quidem non dubito, etsi nullis inueniam in chartis, fuisse nonnullos in principe Cartusianorum domo, aliisque saltem aliquibus ab illa ductis, qui vt, siue suæ, siue posterorum memoriæ consulerent, & alia pietati fouendæ apta, & ipsarum initia diligenter conscripserint, & quo seu numero, seu tempore, eas constituissent sapientes viri; tum qui, & quales ij fuissent, quibus acti causis ad ipsas constituendas descendissent, quibus seu opibus seu auspiciis rem egissent. Quod de Anglia docet Reynerus libro de apostolatu Benedictinorum in ea tract. 1. sect. 1. §. 19. *nullum monasterium fere antiquum extitisse*, cuius non fuerint *historiæ manuscriptæ: Omnium natales & origines consignauerunt, quo fundatore, quâ occasione, quo rege, quo episcopo cœnobia fuerint erecta; seriem ipsorum abbatum à primo ad vltimum posuerunt:* hoc de ceteris toto orbe monasteriis abs dubio dicendum etiam est; neque video cur de Cartusianorum si non omnibus, certè præcipuis non asseramus. In illis vniuersis addit Raynerus fuisse *historiam monasterij*; seque perlegisse historias *Abindoniæ, Petroburgensis, Dunelmensis, Malmesberiensis, Augustinensis* demum *Cantuariæ.* Atque, vt ego quidem sentio, apud Cartusianos, hæc illa sunt, quæ Chronologus Priorum Cartusiæ appellauit chronica in præfatione his verbis, *licèt primi quinque Priores hic inferiùs descripti in pluribus chronicis reperiantur.* Nam quæ alia cogitabis chronica, cùm de primis Cartusiæ Prioribus sermo est? Sunt inedita, quæ alij in aliis domibus Cartusiani, ante annum millesimum trecentesimum nonagesimum fecerant in suos vsus; eo enim anno,
16 aut circiter scribebat ille Chronologus. Ex istis aut Cartusiæ, aut aliarum domuum tabulis Sutorem (quid enim alios afferam?) accepisse, & hæc de quibus nunc sermo est, & alia plurima fateamur necesse est. Lib. 1. tract.5.cap.2. Sic loquitur. *Bruno curauit literas Apostolicas ad venerabilem Siguinum abbatem Casæ Dei mittendas, quibus mandabatur, vt Cartusianum montem ipsius discipulis intra dies triginta redderet. Quod abbas libenter effecit, & per publicum instrumentum magistro Lauduino, ceterisque Brunonis alumnis, locum*

ipsum

Digitized by Google

ipſum plenè reſtituit. Capite autem tertio habet ſequentia. *Bruno, curiâ Vrbani Pontificis ſalutatâ, eremum in Calabriæ finibus ſitam adit, vbi cum ſociis, quorum alij clerici, alij laici erant, ſibi diuinitus adunctis, eremiticam vitam plantare feruenter ſtuduit.* Demum capite quarto, *Domus Calabriæ S. Stephani* inquit, *per quinquaginta annos & ſuprà, in eremiticâ vitâ per B. vnonem oſtensâ perſeuerans, quinque Priores poſt Brunonem habuit.* Scio quidem (vt hoc addam) non quinque, vt habet Sutor, ſed tredecim, in veſte Cartuſiana Priores, illi domui præfuiſſe. Verùm eam ego in toto opere video ſapientis, & ſinceri ſcriptoris diligentiam, vt exiſtimem loqui de primis poſt Brunonem quinque Prioribus (certè ipſorũ quintus, fuit celeberrimus ille *Rodulphus de Crucifixo*, qui, vt aduertit Surianus in chronotaxi ad vitam S. Brunonis anno 1128. *B. Lanuino obedientiam promiſiſſe legitur cum collegis ſuis*) ceteros in Prioribus non poſuiſſe, quia ſenſim deflectebant à S. Brunonis inſtitutis: & ab iis denique, nono poſt annum à cæpto Ordine centeſimum, agente Guilelmo Priore decimotertio, omnino defecerunt ad Ciſtercienſes Foſſæ nouæ Celeſtino tertio pontifice. Et verò in ſecundâ parte ſtatutorum antiquorum capitulo ſecundo habes quæ ſequuntur. 17
Cuncti Cartuſienſis propoſiti Priores, Portarum videlicet B. & Excubiarum So. necnon ſiluæ Oth. & Maioreui Hy. & Durbonis B. & Arueriæ Ar. & Montis riui B. & Montis Dei Ger. & Vallis claſæ Hy. & Augionis Hy. & Repauſatorij Io. & Vallis S. Petri Hy. & Vallis S. Mariæ Pon. pro tenore & ſtabili firmitate propoſiti, à domno Baſilio Cartuſiæ Priore, & eiuſdem loci fratribus petierunt, quatenus in eadem domo capitulum liceret eis habere, obtentu correctionis & emendationis totius propoſiti. Ecce nomina vniuerſarum domuum, in quibus Cartuſianæ vitæ propoſitum ſeruabatur, cùm Priores illarum expetiere à Baſilio Priore Cartuſiæ, & obtinuere, vt in ea capitulum generale Priorum totius Ordinis, annuatim in poſterum conueniret. Inter ipſas non legitur domus S. Stephani, Turre in Calabria à S. Brunone erecta, magno argumento quòd iam tum cogitabat defectionem à Cartuſienſi propoſito. An illius à maiorum inſtitutis deflexus fecit, vt ceterarum domuum Priores peterent annuum in Cartuſia capitulum, ne alia quæpiam exemplum eius ſecuta, deſciſceret aliquando à firmitate propoſiti. Igitur *ordinatio* tertia capituli primi ſic habet. *Si quis Prior, vel frater cuiuſlibet domus huius propoſiti, propriâ voluntate ſuâ domum ipſam ad alterius propoſiti religionem, quod abſit, transferre voluerit, eis, ſicut iure perpetuo huic propoſito confœderatis, nullatenus liceat.* Baſilius verò cepit præeſſe Cartuſiæ anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, deſiit tertio & ſeptuageſimo eiuſdem ſæculi, ac proinde cepit anno ſexageſimo ſeptimo Ordinis, deſiit octogeſimo nono. Igitur Chronologus Priorum Cartuſiæ ſic loquitur: *Domus S. Stephani per ſexaginta annos vel circà in propoſito Cartuſienſi remanſit*; quæ verba idem omnino ſignificant atque illa Sutoris, quæ in ſuperioribus retuli de quinquaginta annis & ſuprà. Certè cùm hæc de capitulo decernebantur in Cartuſia, qui domui S. Stephani à S. Brunone ſeptimus præerat in Calabria, ille erat Andreas, qui modico poſt tempore euaſit in abbatem S. Euphemiæ. Vnum hîc placet adiungere tredecim illi Priores Turre in Calabria, vulgò appellati ſunt magiſtri eremi: an etiam dicti fuerint Priores, & Cartuſiani, dubitatum inuenio. Sed cùm ceteri à Brunone, & & per Brunonem à Cartuſia orti, dicerentur Priores, & *Cartuſiani*, quâcunque in regione eſſent illorum domus, ſeu *propoſiti* ſeu *Ordinis* Priores, ego quidem

Digitized by Google

dem non dubito iisdem nominibus appellatos. Sicuti ergo vidimus Priores Portarum, Excubiarum, Siluæ, & alios, in secunda parte antiquorum statutorum appellari *Priores Cartusiensis propositi*, ita Falco tum Lugdunensis Archiepiscopus, eos ipsos dixit *Priores sub Cartusiano Ordine militantes.* Sed
18 ista hactenus dicta sint. Reuertamur ad Sutorem. Hæc, & non pauca alia, ipsis supparia, quæ in illo legimus, ea sunt, vt tantùm ex antiquissimis Cartusianorum tabulis, seu priuatis, seu publicis, erui potuerint. Si quis illa sub annum à millesimo quadringentesimum edidisset, atque Antoninus accepta coniecisset in suos libros, Aduersarius pro Cartusianorum odio, tribueret Antonino auctori, *futilitatisque plena, clamitaret* censeri debere *ex origine, & vetustis scriptoribus.* Nam cur ergo vult prodigium Parisiense, & ex eo secessum Brunonis in eremum, repeti ab Antonino, qui, vt Cartusianos scriptores non afferam, à Gersone (si antiquiores non legerat) potuit, & verò debuit potiùs repetere? Gerso quidem in tractatu de simplificatione cordis, ita loquitur de huius hominis rediuiui prodigio; *Exemplum illud celebre, ex quo cepisse dicitur Ordo Cartusianorum:* Antoninus autem in parte
19 secunda historiæ suæ tit. 15. cap. 22. *Habuit principium religio Cartusianorum ex hoc euentu.* Non tamen continuò quod hic asserit, existimandus est ille posuisse in dubio, & accepisse ab vnâ famâ, cui ex Aduersario paginâ 19. sit nomen *incerti.* Scriptores Latini, Cicero etiam atque Virgilius, ac Liuius, vt Gersonem ipsum taceam, vtuntur verbis *dicitur, fertur*, & aliis huiusmodi, cùm docent rem inter scriptores celebrem esse, aut apud ceteros mortales peruulgatam, cui vnus hominum est certus auctor. Vt dubia, ita etiam certa est fama aliqua, atque, sicuti loquitur Cicero, communis, vetus, illustris. *Prisca fides facto, sed fama perennis*, teste Poëta. Cur autem Aduersarius famam, interpretatus sit, cùm posset appellare sententiam; & famam inducens, dixerit dubiam & incertam, potius quàm veterem, certam, illustrem, ab vno demum Brunone ductam, non facilè dixerim. Non amo quidem ego niti coniecturis. Si quid tamen liceat suspicari, non videbitur fortassis erraturus, qui dicet accusantem Cartusianos socordiæ, & falsi, voluisse ita loqui, vt colorem veritatis ac speciem imponeret criminationi; minúsque cautis lectoribus suaderet, Gersonem alia ab Antonino sentire, séque à Gersone non discedere, negantem quòd ab incerto, negationique proinde proximo, rumore prognatum, ille dixerit. Sed qui vult Cartusianos
20 *non altiùs Antonino inquisiuisse* de hac re, ne ab ea scribenda desisterent, quid affert vt doceat noluisse ab ea scribenda desistere. *Credidissent*, addit, *non satis illustrem Brunonis historiam, quæ iam illo euentu careret.* Qui sic proloquitur, puerile quid, vt fatuum non dicam, tribuit sanctissimis viris. Si Cartusiani amabant, quæritabantque illustria & ad populi admirationem idonea, dicere de Brunone; profectò longè illustriorem fecissent vitam eius, & maximè ad vulgus admiratione suspendendum aptam, si quæ de Paulo, Antonio, aliisque seu monachis, seu anachoretis antiquioribus legimus, affinxissent Brunoni ac sociis. Enimverò quid ad eorum claritatem spectat, quòd homo rediuiuus, se coram omnibus exclamat è feretro, damnatum æternis Inferorum ignibus? Debuerunt inducere dæmonas, qui alij ab aliis, nunc in hac, nunc in illa specie & forma horribili, tetrâ, immani obsisterent cogitantibus eremum, intrantibus Cartusiam terrorem incuterent,

incuterent, perſpelæa ferarum luderent errantes. Si neſcis, ſeceſſus Brunonis in eremum Cartuſiæ, adeò per ſe illuſtris eſt, vt neque hoc euentu, neque alio magis horrendo fieri queat illuſtrior. Denique ad Brunonem vſque, ne vnus quidem mortalium inuentus fuerat, qui Cartuſiam adire, & in ea hærere colendo Deo, pro aſperitate loci auderet. Ergo qui longiſſimè ab orbe noſtro, vniuerſíſque mortalibus, animo poſiti, Deum vnum habent in votis, cœlóque adhærent, tu vis non agitare mente mortalia; ſed conari, & omnibus contendere viribus, vt à nobis falsò credatur Deus feciſſe inſolens & horribile prodigium, ad conſtituendum eorum Ordinem. Nos cœci, & omnium ignari, arbitrabamur eſſe pios, humiles, humanis ſuperiores rebus: tu verò mortalium vnus maximè perſpicax, & omnino acutus, doces animalia eſſe inanis gloriæ, & fucatæ fallacíſque ſuperbiæ ludibria. Proh tempora! nunquámne virtuti licebit eſſe quietæ? Nunquámne dabitur eo loco conſiſtere, in quo dicendis Deo laudibus intentam, angelorúmque choris immixtam, turpis & effrænata calumnia non arrodat, non allatret?

Inquiet aliquis. Non arroditur hîc, non allatratur Cartuſianus Ordo; neque etiam contemnitur, aut accuſatur. Eum potiùs laudat, qui dicitur aduerſari, magníſque præconiis effert in ſui libri præfatione paginâ decimâ tertiâ. Vnum damnat & queritur, Cartuſianos recentiores à vetuſtioribus in hac parte deſciuiſſe; & cùm iſti prodigium hominis rediuiui Pariſiis, atque ex eo prodigio ſeceſſum Brunonis in eremum, ignorauerint (neque verò ſcire poterant, quæ nunquam fuerunt) illos vtrumque tradere. Scilicet fabulam eſſe ait, quam, cùm annos aliquot incerto auctore per ora hominum volitaſſet, deniq; Antoninus aſſeruerit in hiſtoriam primus. Ab eo Cartuſianos illorum temporum auidè accepiſſe, pèrque vniuerſum orbem ſparſiſſe, inſitam libris de vita S. Brunonis parentis; & qui poſt ipſos ad hanc diem vixerunt, accredidiſſe dicentibus. Verùm quibus iſta canuntur? vt video, Aduerſarius Cartuſianos appellat recentiores, non vnum, aut alterum, ſed vniuerſos, qui à S. Antonino ad nos vſque vixerunt; vetuſtiores, qui à S. Brunone ad S. Antoninum vſque: & ita dicens, non accuſat & arrodit, ſed peſſumdat & euertit omnem Cartuſianorum Ordinem. Nemo eſt qui neſciat, & non meritò demiretur, quos recentiores appellat, vetuſtioribus pietatis æſtu, amore ſolitudinis, ſilentij cultu, ceteríſque virtutibus reſpondere, ac natiuâ (vt ita loquar) ſinceritate potiſſimùm, veracitate, in moribus demum ac inſtitutis obſeruatione antiquitatis & reuerentiâ. Ignorant Cartuſiani diſcedere à maioribus. Hoc illud eſt maximè, quod per annos ſexcentos illum vigorem, illámque viuidæ ſanctitatis formam in ipſis ſeruauit integram, quæ in Brunone ac ſociis elucebat, in Ordinis initiis. Sed quàm hîc fallatur Aduerſarius, intelligetur ex conſequentibus. Et recentiores, & vetuſtiores vnum ſemper ac idem ſenſerunt, prodigiúmque hominis rediuiui, & ex eo prodigio incunabula ſui Ordinis, fuiſſe tradiderunt, vt poſtea docebo. Fabulam vocat ille hoc ferale prodigium: ſed quo auctore? Antoninum facit è fabulâ in hiſtoriam aſſertorem illius: ſed quibus argumentis? Hoc ego non probo in erudito viro, queror etiam. Multa quidem legit, ſed non omnia. Nouem & viginti ſcriptores affert, qui cùm à Brunone vſque ad Antoninum, ſeu de eodem Brunone, ſeu de Cartuſianorum inſtitutione, moribus, omníque vitæ genere dixerint, iſta non protulerunt; & vnum

Gerſonem,

Gersonem, qui paucis antè Antoninum annis rem ex rumore, vt putat, populariqué famâ recitauerit. Atque addit *contumax* (vti vocat paginâ 82.) istud per trecentos sexaginta annos, & quod excurrit, *silentium*, certæ apertæque negationi par esse. Verùm, vt de Gersone haberet veritatem, quod Aduersarius autumat, & ego falsum esse docui numero 19. fuerunt tamen qui ante Gersonem, & quæ ab Aduersario, rumori, ac famæ præfiguntur initia, rem hanc omnem asseuerauerint: & scriptores quos ad nouem & viginti exultanter ac gloriosè recitat, non debuerunt illam pro loco seu asserere, seu referre; neque igitur eam negant, quam silent. Ista duo fusè & diligenter exequar, cùm fabulæ quam autumat, & rumoris, seu famæ originem ex Aduersario, parentésque attulero.

14 Igitur Aduersarius post recitata verba Ioannis de S. Victore *in memoriali M. S. historiarum ad annum millesimum trecentesimum vicesimum secundum, quo finem scribendi fecit*, addit quæ sequuntur pagina 81. Prodigium viri, *qui publicas inter exequias, damnatum se esse, maximâ ter voce pronuntiauit, ab hominibus otiosis postea inuentum est.* Qui hoc proloquitur, vult quam putat fabulam, excogitatam esse post annum Christi millesimum trecentesimum vicesimum secundum, qui fuit Ordinis Cartusiani ducentesimus tricesimus octauus. Vnde hoc accepit sapiens & accuratus vir? Pergit dicere: si eo, inquit, anno secundo & vigesimo; aut ante eum *contigisset reipsa id prodigij, Ioannes diligenter annotasset.* Quasi verò nihil prodigij aut toto orbe, aut in Gallia, vel certè Parisiis, vnquam ante ipsum contigerit, quod non diligenter annotauerit. His affinia subiungit pag. 89. *Post annos* (sunt illius verba) *à condito Cartusianorum Ordine ducentos quadraginta*, siue quatuor & viginti supra millesimum trecentesimum à Christo nato, *& amplius, facta est illa narratio, quæ S. Brunonem in eremum impulit.* Sed quo post illum secundum aut quartum Christi & vicesimum à millesimo trecentesimo, inuenta fuerit anno, nusquam præcisè ac definitè asserit. Sequentia tamen habet paginâ 90. *Primus omnium qui non ita pridem incertam narrationem libris mandárunt, Ioannes Gerso Parisiensis Cancellarius occurrit. Hæc igitur Lugduni, ni fallor, post annum millesimum quadringentesimum vigesimum scribit.* Cùm ergo agens de libro, quem ait scriptum post annum vigesimum à millesimo quadringentesimo, velit *non ita pridem*, id est non multò ante eum annum vigesimum inuentam esse narrationem, seu quemadmodum loquitur, fabulam prodigij Parisiensis; significat sibi videri excogitatam, non multò post annum quadringentesimum à millesimo.

15 Istis ab ipso Aduersario ita constitutis super fabulæ, quam vocat, origine, profectò certum est falli cùm vocat fabulam. Omnino appellari non potest fabula; *ab otiosis hominibus inuenta*, sed vera historia est. Asserit non multò ante annum vigesimum à millesimo quadringentesimo, seu, quod idem est, non multò post annum quadringentesimum à millesimo cepisse, quæ ab aliis ad alios primùm delata, deinde in rumorem & famam creuerit, & post aliquot annos deuenerit ad Gersonem, atque aliquo post tempore asserta fuerit in historiam ab Antonino. Atqui Henricus de Kalkar, cùm otiosi homines ferantur ab Aduersario fabulam hanc, quæ dicitur, inuenisse, mortuus, ipsam tradidit millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, in tractatu de exordio & progressu Cartusiensis Ordinis; & asseuerauit eam *communiter*

apud

apud Cartuſianos reperiri ſcriptam. Quis verò, & quàm clarus atque illuſtris fuerit Henricus, accipe à Theodoro Petræo in elucidationibus chronici Cartuſiani, à Petro Dorlando editi, ad caput octauum & vigeſimum libri ſexti. *Henricus Kalkarienſis*, inquit, *de exordio & progreſſu Cartuſienſis Ordinis conſcripſit tractatum, quem etiam manuſcriptum penes nos aſſeruamus, in cuius frontiſpicio ita ſcriptum reperi. Henricus à Kalkar fuit magiſter Pariſienſis, & antea canonicus ad S. Georgium Coloniæ. Intrauit autem ordinem Cartuſienſem ætatis anno trigeſimo ſeptimo, in quo vixit annos tres & quadraginta. Obyt verò anno milleſimo quadringenteſimo octauo, in vigilia S. Thomæ Apoſtoli, cùm eſſet octogenarius. Functus eſt prioratu in Cartuſia Colonienſi annis ſeptem, in Argentinenſi duodecim, in Ruremundenſi quinque; exercens officium Viſitatoris Prouinciæ ad annos biſdenos: adeò vt in quinque generalibus capitulis Definitor fuerit, triná-que in frequentiſſimâ conſcriptorum patrum coronâ ſermonem, ſeu orationem habuerit.* Iam quod Henricus, anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octauo tradidit, *communiter ſcriptum fuiſſe apud Cartuſianos*, hoc eſt in Cartuſia, & aliis per Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, Hiſpaniam Cartuſianorum domibus, nunquam ego quidem arbitrabor excogitatum fuiſſe ab otioſis hominibus; non poſt annum milleſimum quadringenteſimum, vt vult Aduerſarius; ſed neque per eiuſdem Henrici vitam, qui natus eſt anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo, aut poſt annum milleſimum trecenteſimum.

Cùm autem Aduerſarius, id falsò aſſeueret eſſe fabulam, incertis & otio- 26
ſis parentibus non multò poſt annum milleſimum quadringenteſimum natam, quod Henricus de Kalkar ante eum annum aſſeruit reperiri *communiter ſcriptum apud Cartuſianos*, certè non minore falſitate affirmat ſcriptores, quos ad nouem & viginti recitat, negaſſe illud idem contumaci ſilentio, ante annum ſecundum & vigeſimum à milleſimo quadringenteſimo. Fateor equidem ne vnum quidem illorum retuliſſe prodigium hominis rediuiui, & ſe accuſatum, iudicatum, damnatum exclamantis è feretro, atque ex eo receſſum Brunonis in eremum; ſed nego debuiſſe referre pro loco, & rerum de quibus agebant ſerie: aio igitur neutrum negaſſe. Prudentiæ fuit, quòd vniuerſi tacuerunt rem ab inſtituto ſermone alienam: inſcitiæ fuiſſet ipſam ſcribere, cùm oratio ſuſcepta non poſtulabat. Placet ire per ſingulos, vt veritas turbet ac deleat vniuerſa falſitatis veſtigia.

Vt ab illo incipiam, à quo Aduerſarius orſus eſt, Bruno ad Radulphum 27
Viridem, Remenſis Eccleſiæ Præpoſitum, ita ſcripſit Turre in Calabria. *Reminiſcatur dilectio tua, quòd cùm ego, & tu, & Fulcius Monoculus, quodam die ſimul fuiſſemus in hortulo, adiacenti domui Adæ, vbi tunc hoſpitabar; atque de falſis oblectationibus, & perituris huius mundi diuitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis, aliquando vt opinor, tractaremus, vnde diuino amore feruentes promiſimus, ac vouimus Spiritui ſancto, in proximo fugitiua ſæculi relinquere, ac æterna captare, necnon monachicum habitum recipere.* Hæc Bruno. Et Aduerſarius ſic interpretatur, vt votum, quod in hortulo emiſerat, tum executus fuerit, cùm in eremo Cartuſiæ monachicum habitum induit, non quem in reliqua Gallia monachi tum geſtabant, ſed ad quem non ante illam diem viſum mortalibus, plurima, eaque aſperrima adiunxit. Nec ineptè interpretatur.

Digitized by Google

Quid verò ad negandum hominis prodigium rediuiui Parisiis, & ex eo se-
28 cessum Brunonis in eremum Cartusiæ, inde possit colligere, ego quidem non video. Si Bruno statim à voto edito Cartusiam adiisset, profectò esset, quòd illius ad Cartusiam secessum, ei ipsi voto tribueret, ipsumque prodigio Parisiensis negaret: nunc verò vide quid in epistolâ subiunxerit. *Et in vicinia*, vt votum ferebat, *peractum esset*, monachicumque habitum recepissemus, *nisi tunc*, cùm vouebamus, *Fulcius Romam* debuisset adire, & verò *adiisset. Ad huius reditum peragenda* omnes magno consensu distulimus. Quantum autem posuit temporis Fulcius in Romano itinere? an sex, an nouem menses? an vnum, aut alterum annum? non liquet. Statimne post eius reditum Româ, an potiùs non expectato reditu, Bruno votum impleuit? hoc etiam ignotum est. Quid moram, vt vidimus, faciente per Romanum iter Fulcio peregit? neque id Bruno adiungit in epistola. Quoniam nihil attulit à se susceptum per illam Fulcij moram, igitume putabimus nihil tum fecisse? nequaquam, inquit Aduersarius: multa cum ceteris canonicis à Manasse archiepiscopo pati perrexit, ac denique ob *eius mores*, peruersos, ac *prorsus improbos, cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus excessit* Re-
29 mis, & *Remis Gratianopolim discessit*. Itane tum Remis Gratianopolim discessit? Omnino tum, addit. At quo auctore sic loquitur? certissimo (pergit dicere) Guiberto Nouigenti abbate. Hîc hæreo. Itane verò Guibertus auctor est huius rei? Hoc ille non scripsit, sed contrarium. Ait Brunonem excessisse primùm Remis, ob improbos Manassis Archiepiscopi mores, & posteà quàm Remis excessisset, egisse cum Radulpho & Fulcio, habitumque Monachicum vouisse, vt suo loco videbimus. Nunc age, cur non fateris tum adiisse Lutetiam, in illâque horrendas è feretro voces rediuiui hominis accepisse, quibus ad Cartusiam actus sit? Certè anno illius sæculi octogesimo excesserat Remis Bruno, eo enim Manasses Archiepiscopus, Hugoni Gregorij septimi Pontificis Legato, iubenti vt responsurus Brunoni veniret ad Episcoporum Concilium, reposuit Brunonem non esse Remis; atque vt doceret longè à Remis degere, addidit se de *illius vita & libertate ignorare*. Neque Cartusiam eo ipso anno venerat, quam, vt postea fusè docebo, adiit quarto post octogesimum. Nullus, inquit Aduersarius, Scriptorum illius temporis tradidit, seu Remis adiisse Parisios, seu Parisiis eas voces audiuisse, non ipse Bruno, non Guibertus Nouigenti abbas, non alius. Gerso, isque rei dubius, scripsit primus Parisiense prodigium. Papæ! Qui hæc loquitur, abs dubio habet in numerato omnia illius temporis scriptorum nomina, libros vniuersorum perlegit. Vtcunque hoc habeat, falsa dicere intelligetur ex sequentibus. Nunc placet ita pergere. Ais neminem illius temporis scriptorum hoc habere, ne vnum quidem, denique igitur falsum esse. An ergo nihil præteritis temporibus gestum fuisse putabimus, nisi quod scriptor coætaneus mandauerit literis? Verùm, vt ea omnia taceam, quæ habet Hercules Commodianus serie tertia, quæsito quinto, quàm multa, quàm & grauia, & necessaria, olim euenisse nemo negat, quæ solâ voce à coætaneis accepta, ad nos per traducem peruenerunt? Cur in iis non reponis hoc de Brunone ex funestis è Parisiensi feretro rediuiui hominis vocibus? Ais Gersonem istam rem primum mandasse literis. Quid ergo? Num putabimus nihil gestum ante Gersonem, quàm quod ante ipsum nonnulli scriptores posuerunt in suis libris?

Digitized by Google

Sed iſta ex ſuperfluo dicta ſint. Aio ego, & apertiùs exponam poſtea, rem iſtam omnem haberi in pluribus libris, manu ante Gerſonis illum de ſimplificatione cordis tractatum ſcriptis.

Verùm, inquies, ſi Bruno Lutetiam Remis egreſſus adiit; & inde Cartuſiam, agente hominis rediuiui prodigio, proficiſci compulſus eſt, quare id Radulpho non memorat, maximam profectò habiturum vim, ad ſuadendam viro (quod & vnum, & vehementer agit) expletionem voti? Qui hoc petit, is omnino ignorat quis Radulphus fuerit; & de quo ad Radulphum Bruno ſcribat, non attendit. Radulphus is profectò erat, qui non egeret acribus ſtimulis ad renuntiandum ſæculo, recipiendumque, ſicuti vouerat, *habitum monachicum*. Qui de illo ſcripſerunt, laudant plurimùm à pietate, quæ ſi votum Deo factum non exequaris, nulla eſt. Adiit Archiepiſcopatum Remenſem, anno poſt S. Brunonis mortem tertio, qui fuit quartus Chriſti ſupra milleſimum centeſimum, & in ipſo eruditionis, ſapientiæ, ſanctitatis grauiſſima dedit exempla. Calixto etiam ſecundo pontifici ſe probauit, in Remenſi Concilio, quemadmodum Ordericus Vitalis docet libro duodecimo. Eò igitur cogitatione deueniebam, vt exiſtimarem, ſi ante epiſtolam à Brunone acceptam, aut ab ea accepta, non fuit pro voto monachus, ægritudinem corporis, aut alias non inferiores cauſas, interceſſiſſe meditanti, & contendenti votum perſoluere. Neque dicas nihil poſſe afferri, quare Bruno funeſtas hominis rediuiui voces, ſi non inſtituto ſermoni neceſſarias, certè vtiles, non poſuit in ſuâ ad Radulphum epiſtolâ: Ego illas ſi poſuiſſet, magis quærendum putarem cur poſitas voluiſſet. Radulphus vouerat monachum, quem ad illam diem viderat, ſcilicet qui in mediis vrbibus, aut certè iis non procul, more ſuorum temporum, arctè auſteréque degeret; non Cartuſianum, qui in confragoſis & horrentibus locis longè à mortalibus vniuerſis, per omne aſperitatis & acerbitatis genus, vitam agit. Si neſcis, vna Cartuſianorum vita ea eſt, vt nondum inuenta, non facilè veniret in mentem hominis *habitum monachicum* cogitantis; & tantùm aſperitatis habet, vt ad ipſam primùm repræſentandam mortalibus, & ſuadendam, homo, ad ſpeciem olim per hanc vitam probus, debuerit ex inferis, ad quos iuſto Dei iudicio dejectus fuerat, ad hunc orbem redire, & in horribiles, funeſtáſque voces prorumpere. Denique Radulphum monet, vt votum exequatur; vt ad Cartuſiam Galliæ, aut Italiæ Turrem veniat non hortatur. 30 31

Secundo loco Aduerſarius affert fragmentum hiſtoriæ Francicæ, à Roberto rege vſque ad mortem Philippi, in hæc verba. *Hoc tempore tam in diuinâ, quàm in humanâ philoſophiâ, floruerunt Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus, Guido Longobardus, Maingardus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit eremiticam.* Et ipſis ita ſubiungit; *Hîc nulla eſt mentio prodigij, quod Brunonem in eremum compulerit.* Tu ſic repone: omnino nulla eſt mentio iſtius prodigij. Sed quis præter Aduerſarium cogitet eſſe debuiſſe, vt non exiſtimetur fabula, ex veroque euenisſe cenſeatur? Profectò, ſi quoniam dicitur de Brunone, quòd *floruit*, & quòd *vitam duxit eremiticam*, par fuit, vt prodigium etiam, quo in eremum actus eſt, diceretur, oportuit igitur quoque recitari diſputationem ipſius cum Radulpho Viridi, ac Fulcio Monoculo, de rebus cœleſtibus, perituriſque mundi diuitiis; & multa alia tanti viri; atque vniuerſam ferè ſeu in Cartuſia, ſeu in Turre vitam, quæ ſingulari prodigio 32

Digitized by Google

omnis ſuppar eſt. Quid? nonne igitur Maingaudi ſaltem nonnulla, nonnulla Guîdoni, Lanfranci plurima, exaranda fuerunt? Profectò (vt alia taceam) cùm Lanfrancus in eo fragmento feratur Cantuarienſis Epiſcopus, debuit etiam memorari arbor ſaltem Herluino viſa, cùm ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem vocabatur, quæ amplitudine ramorum, fructuum copiâ, & totâ ſpecie portendebat eius egregia per omnem in Archiepiſcopatu vitam facinora.

33 Tertius ab Aduerſario, contra prodigium Pariſienſe, & ex eo ſeceſſum Brunonis in eremum, teſtis, eſt Guigo quintus Cartuſiæ prior in vita ſancti Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, qui Brunonem & ſocios eremo Cartuſianâ excepit. *Tribus*, inquit Guigo, *necdum in epiſcopatu Gratianopolitano, poſt monaſterij Caſæ Dei reditum, completis annis ab Hugone, adeſt magiſter Bruno*, &c. Aduerſarius iſtis ex Guigone verbis ita ſubiungit. *Et hic autor Cartuſianæ religionis incunabula deſcribit, & minuta quæque diligentiſſimè perſequitur, nec verbo tamen attingit illa duo*, ſcilicet hominis prodigium in feretro rediuiui, & ex eo Brunonis ſeceſſum in eremum, *quo nullum maius eſt argumentum falſitatis.* Sed neque attingit vel vno verbo, ſeu exitum Remis à Brunone, ob peruerſos Manaſſis Archiepiſcopi mores; ſeu diſputationem Brunonis cum Radulpho, & Fulcio, *de falſis oblectationibus, & perituris huius mundi diuitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis*: quorum alterum occaſio, alterum cauſa fuit voti monachici, & conuerſionis S. Brunonis. Iam quis tamen eſt, qui arbitretur iſtud Guigonis ſilentium, eſſe non magnum, ſed modicum ac tenuë eorum falſitatis argumentum? Hugonis vitam, non Brunonis, prolixè ſcribendam Guigo ſuſcepit: igitur & alia Brunonis, & omnia de Pariſienſi prodigio tacet, quæ ad Hugonem non ſpectant. Vt autem non dubites, Brunonem de eo prodigio egiſſe cum Hugone, accipe Henricum de Kalkar, qui ante annum milleſimum quadringenteſimum, atque adeò Gerſonis & Antonini tempora, *ex libris autenticis & teſtimoniis veridicis* ita ſcripſit: *Hugo igitur audito ab eis*, id eſt Brunone & ſociis, *quod contigit Pariſiis, ſanctoque eorum propoſito, ipſos gratanter ſuſcepit.*

34 Pergit Aduerſarius agere, grauiſſimâ teſtis quarti autoritate. Profectò, inquit, Guibertus Nouigenti in pago Laudunenſi Abbas, libro de vita ſua, docet odia peruerſorum Manaſſis Archiepiſcopi morum, *cauſam* fuiſſe, *quæ Brunonem in eremum Cartuſiæ* impulerit; & rem ignorare non potuit, *quem Brunonis ſupparem* eſſe conſtat. Vt quid ergo fingitur triſte illud ac funeſtum hominis rediuiui Pariſiis prodigium, quod Brunonem & ſocios in eam adegerit? Ego autem fateor magnam in omni hac re deberi fidem Guiberto, vtpote non ſuppari, ſed prorſus pari Brunonis; ſcripſit enim geſta Dei per Francos, iam ætate maturus, anno milleſimo centeſimo nono, qui fuit octauus poſt mortem Brunonis. Verùm ſanctè aſſeuero, nuſquam docere illud perſuerſorum Manaſſis Archiepiſcopi Remenſis morum odium, fuiſſe cauſam quæ *Brunonem in eremum impulerit.* Sed neque potuit hoc docere. Bruno ad eremum adiit anno 1084. vt dicitur in fundatione Cartuſiæ, quæ ſic habet: *Terra* Cartuſiæ *à magiſtro Brunone cepit inhabitari anno ab incarnatione Domini* 1084. & Remis exceſſerat ante annum 1080. vti Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus Hugoni Legato Apoſtolico vocanti ad Lugdunenſe Concilium, vt de criminibus quorum accuſabatur ſe purgaret; tradidit, reſpondens

ſibi

ſibi conuenire cum omnibus *accuſatoribus, exceptis duobus, Brunone, & Pontio.* Addidit enim hæc verba: *Bruno nec noſter eſt clericus, nec noſter natus, nec renatus eſt; ſed S. Cuniberti Colonienſis in regno Teutonicorum poſiti canonicus eſt, cuius ſocietatem non magnopere affectamus, vtpote de cuius vita & libertate penitus ignoramus; & quia quando apud nos fuit*, &c. Igitur cùm Bruno Remis, ob peruerſos Manaſſis archiepiſcopi mores, abſceſſerit ante annum 1060. & eremum Cartuſiæ adierit anno pòſt octogeſimum quarto, non exceſſit profectò Remis vt adiret eremum, neque Guibertus vſquam aſſeruerit, aut aſſerere potuit, illam acceſſiſſe, odiis morum Manaſſis. Quæ tradit, longè alia ſunt. Ait Brunonem *conuerſionis initia nactum eſſe, ex occaſione improborum Manaſſis Archiepiſcopi morum:* quæ ſeu ad conuerſionem atque *monachicum*, vt ipſe Bruno in epiſtola ad Radulfum loquebatur, *habitum*, ſeu ad eremum Cartuſiæ commouerunt, illa non affert. Ecce viri verba: Bruno *conuerſionis initia ex ſubiecta nactus occaſione dignoſcitur.* Memorat duo de Brunone, conuerſionis initia, & conuerſionis initiorum occaſionem. Pergit, & principio hanc occaſionem exponit. *Manaſſes*, inquit, *poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum* (hic ille Geruaſius eſt qui Remos Brunonem vocauerat ad Eccleſiæ magiſterium) *Remorum regimini ſe intruſit*, &c. *huius peruerſi mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus cùm omnis horreret honeſtus, Bruno tunc in Eccleſiis Galliæ opinatiſſimus; cum aliis quibuſdam Remenſium clericorum nobilibus, infamis illius odio receſſit ab vrbe*, &c. eam, quod ſuadebat Nazianzenus oratione 43. *etiam conſuetudinem quæ per aërem eſt, cum improbiſſimo homine deteſtatus*; vtpote *qui exploratum habebat facilius eſſe vitium contrahere*, quemadmodum tradit idem beatus Doctor oratione 20. *quàm virtutem impertire.* Hactenus de occaſione initiorum conuerſionis Brunonis dixit Guibertus. Excedit Remis Bruno propter improbos Manaſſis Archiepiſcopi mores: ergone is exceſsûs Remis, aut improba Manaſſis vita, agit Brunonem ad conuerſionem morum, *ſiue monachicum habitum?* Nequaquam. improbi mores Manaſſis, faciunt vt Bruno Remis excedat, non vt aliud quid peragat. Sed Remis exceſſus hic, vt per ſe bonus eſt, vtpote qui ex odio vitij proficiſcitur, occaſionem conuerſionis morum præbet Brunoni; aut potiùs, eſt ipſa conuerſionis morum occaſio. Enimverò Deus illo adductus, maiora de Brunone cogitauit. Scilicet, vt habet Chryſoſtomus homilia octauâ in Acta; *Qui paruum quidpiam bene egit, accipit adhortationem, vt ad maius perueniat.* Sequitur in Guiberto: *Bruno vrbe deſertâ, ſæculo etiam abrenuntiare propoſuit:* Particula illa *etiam* videtur facere, vt hic ſit verborum iſtorum ſenſus. Cùm Bruno Remis exceſſiſſet, maius aliquid ſuſcepit: qui vrbe exceſſerat, decreuit etiam, vouitque è ſæculo excedere. Hîc non leuiter peccauit Aduerſarius. Vult Brunonem cogitâſſe de ſæculo deſerendo, non poſt deſertam Remorum vrbem, ſed antè Remis quàm excederet, contrà quàm docet Guibertus. *Remis*, ſunt eius verba paginâ vigeſimâ ſecundâ, *in quodam hortulo, qui cuiuſdam viri, cognomento Adæ, domui adiacebat*, vouit abrenuntiationem ſæculi, *habitâ*, vt addit paginâ 36. *cum Radulpho collatione* de perituris mundi huius diuitiis, & perennis gloriæ gaudiis, ac emiſſo *monachici habitus* voto, conſilium excedendi vrbe cœpit, & vrbem deſeruit. Verùm Guibertus tradit contraria: *vrbe deſertâ* (ſunt huius verba) *ſæculo etiam abrenuntiare propoſuit* vouitque, ſubaudi ex epiſtolâ S. Brunonis ad Radul-

phum, *in hortulo adjacenti domui Adæ, post disputationem de falsis oblectationibus, & perituris mundi huius diuitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis.* Hæc vt subaudias moneo; ea Guibertus ne quidem significat: hoc vnum affert, voluisse abrenuntiare sæculo, postquam excessisset Remis; quæ ad id propositi votique Brunonem egerunt, illa tacet omnia. Vides initia conuersionis Brunonis. Guibertus asserit eam cœpisse, ex occasione excessus Remis, ob improbos Manassis Archiepiscopi mores, in cuius ecclesia erat scholarum Magister: quæ post memoratam occasionem, ipsum ad eam commouerunt, illa non dicit. Nam quid subiungat accipe. *Qui* Bruno *suorum notitiam horrens, ad Gratianopolitanum perrexit territorium*, seu ad Cartusiam. Igitur miror ego Aduersarium, virum acutum, sequentia subiungere verbis Guiberti, *Quæso te in hac bene longâ narratione Guiberti, quo loco verbum vnum de Lutetia, &c. de doctore rediuiuo*, &c. Nam Guibertus recitat Brunonem *initia conuersionis ex subiecta nactum occasione*, & ipse aduertit eum tacuisse rediuiuum hominem, qui Parisiis ex feretro se horrenda voce exclamauit damnatum; & conuersionem ex superiùs recitatâ occasione, per pios cum Radulpho viridi & Fulcio Monoculo sermones conceptam, votoque firmatam meditanti, grande fuit, & omni oratione potentius, incitamentum ad vitam, longè
36 asperiùs agendam in Cartusia, quàm cogitauerat iam voueratque. Placet exclamanti exclamationem reponere. Quæso te in hac bene longa narratione Guiberti, quo loco verbum vnum de hortulo adiacente domui Adæ, de disputatione Brunonis cum Radulpho & Fulcio, de Romano itinere Fulcij, quod fecit, vt Bruno & Radulphus, statim ab emisso voto, non receperint *habitum monachicum?* Tu verò cur hæc igitur à Guiberto tacita non rejicis, qui asseris illa non habere veritatem, quoniam tacentur à Guiberto? Sed Guibertus, vt docui, occasionem ex qua Bruno nactus est conuersionis initia, dicendam sibi proposuit, non illas conuersionis causas: quæ igitur ab illo dici non debuerunt, & à nobis in ipsius oratione postulari non debent. Duæ fuerunt hæ, disputatio in hortulo adjacente domui Adæ extra Remos loco ignoto, *de falsis oblectationibus & perituris mundi huius diuitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis*, cum Radulpho & Fulcio; horribiles Parisiis ac funestæ hominis rediuiui voces è feretro, se accusatum, iudicatum, damnatum exclamantis. Prima illa fecit, vt Bruno vouerit cum Radulpho & Fulcio, conuersionem & *habitum monachicum:* secunda ista eum, de conuersione voto firmatâ cogitantem, compulit in Cartusiam, cum Lauduino, & quinque aliis sociis, omni sermone disputationeque potentiùs. Vt ergo primam, quæ Radulphum spectabat, sine secunda, quæ ad illum non pertinebat, posuit Bruno in sua ad ipsum epistolâ, ita Guibertus vtramque tacuit, quia de causis conuersionis Brunonis dicere non proposuerat, sed de occasione, ad quam neutra earum pertinebat.

37 Quintus sequitur scriptor vitæ Brunonis, quæ summatim scripta legitur, in codice M S. statutorum, & consuetudinum Ordinis Cartusiensis. Sic habet. *Magister Bruno*, &c. *ecclesiæ Remensis canonicus, & scholarum Magister, relicto sæculo, eremum Cartusiæ fundauit, & rexit, sex annis; qui cogente Romano Pontifice Vrbano, Romanam venit ad curiam.* Hæc, neque plura, de Brunone, ad illud vsque temporis, quo ab Vrbano pontifice vocatus Romam iuit, sunt in illo codice. Quid ergo visum est Aduersario, sequentia iis subiungere,

Hic

Digitized by Google

Hîc mentio nulla mortui, & qui ſolennes inter exequias damnatum ſe eſſe reſpon-derit; aut huiuſce portenti, quod Brunonem in eremum impulerit. Si quoniam ſcriptor vitæ Brunonis iſte, non facit mentionem ſiue mortui, ſiue prodigij de quo agimus, Aduerſario viſum eſt ponere illud in fabulis, neceſſe eſt, vt in iiſdem reponamus votum conuerſionis à Brunone, Radulpho, & Fulcio, conceptum *in hortulo adiacente domui Adæ*, & alia huiuſmodi, quæ vniuerſa tacet, facta ante receſſum Brunonis in Cartuſiam. Sed hîc vnum prætermittere non poſſum. Aduerſarius ſic loquitur in titulo iſtius teſtimonij: *Quintum teſtimonium Ordinis Cartuſianorum.* Cur autem ita loquatur ſtatim exponit. *Hîc vocamus Ordinis Cartuſianorum teſtimonium, quod ducimus ex vetere MS. codice ſtatutorum, & Conſuetudinum Ordinis, vbi vita Brunonis, & quatuor conſequentium Cartuſiæ Priorum ſummatim exaratur.* Sed nemo neſcit huiuſmodi additamenta ad ſtatuta, ſeu regulas religioſorum Ordinum, non ab ipſo Ordine conſcribi, ediue, verùm non ſine conſenſu & approbatione ipſius fieri, ſicuti cetera de quibuſcunq; aliis rebus volumina; & proprio nutu ac nomine ab illo compingi, qui ſtatuta & regulas in lucem edit. Hæc igitur vita Brunonis, breuiter atque ſummatim conſcripta, vt aliquando ſtatutis & conſuetudinibus Guigonis Cartuſiæ Prioris quinti adiuncta fuit, ita ad nouam collectionem non eſt adhibita.

Sextum teſtimonium Aduerſarius accepit, ex chronico Mauriniacenſi, libro ſecundo. Ecce chronici verba. *Fuerunt & lætitiæ, & admirationi, ad id negotium pertinentes, excellentiſſimorum eremitarum Cartuſienſium literæ, quæ per quendam venerabilem abbatem de Ordine Ciſtercienſi delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotenſem epiſcopum recitatæ ſunt. Erant autem Cartuſienſes, in iugis Alpium angelicam vitam ducentes, ſupereminentiſſimæ religionis, & incomparabilis auctoritatis.* An hoc teſtimonium pertineat ad rem, de qua nunc agimus, auctorque ipſius, ſuo teſtetur ſilentio, nunquam extitiſſe illud rediuiui prodigium hominis, viderint alij. Abs dubio ne vni quidem mortalium veniet in mentem, quòd ſeu res, de qua in concilio, chronicoue agebatur, ſeu orationis ſeries, poſtulabat, vt de illo diceretur. 38

Septimus teſtis inducitur S. Bernardus. *Ad Priorem & fratres de Monte Dei,* inquit Aduerſarius, *ſcripſit S. Bernardus epiſtolã, in qua docet apprime, non ignorare ſe, quæ & qualis eſſet Cartuſianorum religio: neque tamen in hac epiſtola, nec vſquam alibi, teſtatur ſe legiſſe, vel audiuiſſe, quæ de cauſa receſſus ſancti Brunonis in eremum dicuntur.* Hæc ille, qui debuit docere, S. Bernardum non potuiſſe aliquando pro re, de qua ſibi loquendum ſuſceperat, tacere prodigium Pariſienſe, quod compulit Brunonem in eremum; aut tanti viri ſilentium non afferre in negationis argumentum. Nam ſicuti Bernardus, prodigium hoc nuſquam retulit, ita etiam tacuit alia plurima, de aliis ſuorum temporum ſanctis viris, & conuerſionis monachíque votum à Brunone emiſſum, & Remis exceſſum ob improbos Manaſſis Archiepiſcopi mores, & vniuerſam cum Radulpho & Fulcio diſputationem, quæ Brunonis animum à rebus terrenis auulſum, ad cœleſtes, atque diuinas ſuſtulerunt. *Quot ſermones pios*, pergit Aduerſarius, *habuit Bernardus, quot tractatus ſacros edidit, quot religioſas meditationes compoſuit, in quibus laudaſſet illud prodigium, ſi contigiſſet.* Verùm hæc verba non magis docent prodigium Pariſienſe, quod legimus, nunquam extitiſſe, quàm innumera alia, quæ cùm veriſſima ſint, & à Bernardo po- 39

tuerint

tuerint inseri sermonibus piis, tractatibus sacris, religiosis meditationibus, nunquam tamen ab eo vsurpata sunt; atque illud maximè, quod Ioannes Cluniacensis Monachus, in vitâ sancti Odonis Cluniacensis abbatis, refert de Eutycio rediuiuo, & loquente è feretro, vt posteà videbimus.

40 Octauo loco Aduersarius à se affert Petrum venerabilem. *Hic vir præ ceteris* (sunt eius voces) *Cartusianorum originem declarauit, libro 2. de miraculis capite octauo & vigesimo. In primis statuit miracula, quæ suo tempore vbiuis contigerant, literis consignare. Deinde singula miracula, quæ suis vsurpauerat oculis, vel quæ ab hominibus fide dignis acceperat, duobus libris comprehendit. Tum ad secundi libri calcem, Cartusianæ religionis initium, statuta, & mores, vberiore oratione depingit. Quin etiam dolere plurimùm testatur, quòd plura non possit referre miracula, quæ suo tempore passim in Galliis facta commemorat, & inter ea, quæ de prima Cartusianorum origine, & miraculis, disserit, stupenda Parisiensis mortui narratio desideratur.* Ista, vt prolixa sint, placuit afferre verbatim ex Aduersario, vt ea me non improbare intelligas. Iam vide quid ipsis subiungat. *Sed cùm desideretur, euidenter apparet in fabulis habendam illam narrationem, & quidquid illi superstruitur.* Papæ! quàm confidenter pronuntiat. Ante ipsum Papirius Massonus libro primo Annalium in Philippo primo rege Francorum, illam in Petro desiderari notauerat, notauerat etiam Petauius in rationario temporum libro octauo parte prima capite decimo nono: Neuter tamen, quod Aduersario subiungere placuit, addiderat. Nec immeritò. Nam si ex eo silentio *euidenter apparet* narrationem illam *in fabulis habendam esse*, næ omnino cæcus ego sum, qui quod euidens est, non possum in media luce contueri ac perspicere, cæci omnes à Petro ad hanc diem Cartusiani, cæci mortales vniuersi, qui historiam esse illam contendunt, non fabulam: vnus oculatus est Aduersarius, cui datum est vni hoc euidenter contueri. Si ei liceat ex Petri venerabilis silentio ita proloqui, licebit etiam nobis, puto, ex eiusdem silentio, plurima non minùs stupenda quæ illius tempore euenerunt, ponere in fabulis. Vt alia taceam innumera, S. Bernardus & S. Norbertus eodem cum Petro viuebant tempore, ipsorum tamen instituta vniuersa, vniuersa miracula, vt Aduersarij verbis vtar, silentio pressit Petrus. Maius aliquid accipe. Quamplurima Odo, Hugo, Odilo, Maiolus, Cluniacenses abbates; quamplurima Cluniacenses monachi per Galliam, Italiam, aliasque regiones, peregerunt, quæ admirabilitatis pleniſſima mortalium meritam admirationem habent. Illorum tamen omnia Petrus tacuit. Quæ tanti, &, vt cum Aduersario de antiquorum scriptorum, super horrendis & feralibus hominis Lutetiæ rediuiui vocibus loquente, rursum dicam, *adeò contumacis silentij causæ?* Cùm illas ipse attuleris, fatebitur non dispares feciſſe, vt de prodigio Parisiensi etiam taceret. Certè iniquus erit, qui asseret hoc *euidenter* ex isto silentio habendum in fabulis, si non etiam asseueret cetera quæ, à me enumerata, reticentur à Petro, habenda in fabulis.

41 Nonus ordine testis est Aduersarij Petrus Cellensis, atque decimus Ioannes Sarisberiensis, episcopi ante annum à milleſimo ducenteſimum Carnotenses. Hi ambo nusquam referunt prodigium Parisiense quod loquimur, multa tamen non vno loco habent de Cartusianis, Petrus quidem libro primo epistolâ vigesimâ tertiâ, & libro sexto epistolâ decimâ tertia; Ioannes autem libro septimo de nugis curialium, capitibus vigesimo primo & trigesimo tertio.

tertio. Hinc Aduerſarius colligit ignotum vtrique fuiſſe, atque adeò fictum; id enim illud eſt, quod ex ceterorum ſcriptorum quos laudat, ſilentio, deduci debere contendit. Quis non mirabitur virum eruditum iſta ſentire, adeò aliena ab omni ratiocinandi genere? Nos igitur etiam vniuerſi, dicemur & hoc prodigium, & ex eo receſſum Brunonis in eremum ſeu ignoraſſe, ſeu negaſſe, ſi quid de Brunone, aut Cartuſianis ſcribamus, vtrumque tacentes; neque nobis licebit (vt hoc afferam) Brunonem certè, aut in Ordinum regularium inuentoribus, aut in ſanctis cenſere, ſine vtriuſque eiuſdem additamento. Miraris? Hiſtoricus ille, quem Aduerſarius in ſecundum teſtem attulit, dictus eſt vtrumque negare, quia Brunonem, ſine eo additamento, ſcripſit, *floruiſſe tam in diuinâ, quàm in humanâ philoſophiâ, & poſteà vitam duxiſſe eremiticam.* Proh non inſolens, ſed inauditum (nolo grauius aliquid dicere) ratiocinandi genus! Nam cur nobis liceat, quod antiquioribus non licuit? ſed ad vndecimũ Aduerſarij teſtem accedamus. Petrus Bleſenſis ille eſt. 42

Hic vir, non Cartuſianum Ordinem & eius inſtituta (vt voluit Aduerſarius) epiſtolâ tertiâ & octogeſimâ ad magiſtrum Alexandrum Monachum *deſcribit*, ſed Alexandrum grauiter increpat, quòd è Cartuſiâ in ſæculum reuerti meditetur. Ad illum ſcribit ſequentia de Cartuſianorum Ordine. *Ibi ſanè inueneras locum pœnitentiæ, ſecretum ſolitudinis, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu ſancto, munus ſalutis* &c. De Cartuſiâ verò pergit, dicens: *Domus Cartuſienſis, & locus habitationis illius, ſitus eſt in montibus & ſcopulis, & in petris; vt ſit potiùs habitatio angelorum, quàm hominũ, addandam Altiſſimo pacem confeſſionis & laudis, ſicut ſcriptum eſt, ſuper ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Sedet columba, nidificat in foraminibus petræ: & vir prudens ædificat domum ſuam ſupra petram, vbi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluuiarum inundatio, nec alluuio formidatur. Verè terribilis eſt locus iſte, nec hic aliud niſi domus Dei.* Iſta Petrus Bleſenſis piè, ſapienter, verè. Quid autem ea faciunt, vt intelligamus ſenſiſſe nunquam hominem fuiſſe Pariſiis, qui rediuiuus exclamauerit è feretro, ſe damnatum æternis ignibus; neque Brunonem triſti, fœdóque, ac ferali prodigio grauiſſimè commotum receſſiſſe in eremum? Inquies cum Aduerſario. *Hæc in epiſtolâ potuiſſet inijci ſermo de eo prodigio, ſi quæ de eo nunc temporis dicuntur, tunc dicta fuiſſent.* Potuiſſet? omnino, reſpondebis. Sed quàm multa potuiſſent præterea in illam epiſtolam inijci? Ergone ipſorum quoque ſilentium ſuadebit tibi, vt ea arbitreris nunquam fuiſſe. Dici debuit, inijciendum fuiſſe hoc prodigium à Bleſenſi in epiſtolam ſuam, non autem inijci potuiſſe.

Duodecimo loco Aduerſarius, ſententiæ ſuæ teſtem affert, Gaufredum Voſienſem Priorem, quaſi negauerit ſilentio ſuo prodigium Pariſienſe, quod tacuit capite quarto chronici. Accipe illius verba. *Ordo Cartuſienſium ſanctiſſimus incepit per Brunonem virum ſanctum, natione Alemannum, de Coloniâ Agrippinâ, magiſtrum in Theologiâ, cum ſex aliis venerabilibus viris in diœceſi Gratianopolitanenſi.* Gaufredo placet ſubiungere ſeptem alios ſcriptores, qui habent ei paria. Igitur quartodecimo loco ſequitur Ioannes Bronto, in chronico ad annum milleſimum ſeptuageſimum ſeptimum. *Circa hæc tempora*, inquit, *Ordo Cartuſienſis incepit ſub Brunone*, &c. *hic relicto ſæculo, eremum Cartuſiæ, circa feſtum beati Ioannis primò fundauit, & rexit ſeptem annis.* Decimo ſeptimo Sigibertus ad annum milleſimum octogeſimam; atque vigeſimo ſecundo, Adam in floribus MS; ac vigeſimo primo, Antiſſiodorenſis monachus 43

in chronico ad annum milleſimum octogeſimum primum ; & vigeſimo tertio, Vincentius Bellouacenſis in ſpeculo hiſtoriali, libro vigeſimo ſexto capite vigeſimo octauo ; omnes iiſdem verbis, ſcilicet à Sigiberto antiquiore, pro illorum temporum communiſſimo more, acceptis, *Bruno*, &c. inquiunt, *relicto ſeculo Eremum Cartuſiæ fundat.* Vigeſimo quarto Chronologus S. Martini Turonenſis M S. hæc habet: *Anno milleſimo octogeſimo ſexto, incipit ordo Cartuſiæ tali modo. S. Hugo Gratianopolitanus, vidit per ſomnium, in ſolitudine Cartuſiæ, D. Ieſum Chriſtum quoddam confirmantem; ſeptem etiam ſtellas, ducatum itineris ſibi præſtantes. Nec mora, ad ipſum epiſcopum veniunt ſeptem viri qui vno deſiderio locum eremiticæ vitæ quærebant, nec adhuc repererant, quorum primus fuit magiſter Bruno.* Vigeſimo ſeptimo Ioannes Fraſquetus in chronico, iiſdem ferè verbis cum Chronologo Turonenſi citato, ita ſcripſit. *Hugo vidit per ſomnium Dominum in ſolitudine Cartuſiæ, ſuæ dignationis habitaculum conſtruentem; ſtellas etiam ſeptem, ducatum ſibi præſtantes itineris: & ecce ſanctitatis odore tracti venerunt ſeptem viri, qui omnes vno deſiderio ſuccenſi, locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdùmque repererant.* Prætermitto vigeſimũ nonum Ioannem à ſancto Victore, quoniam habet omnia ferè verba eadem cum Fraſqueto, niſi quòd nonnulla de Cartuſianorum moribus adiungit ab eo tacita. Iam Aduerſarius verbis Gaufredi à me allatis ſubiungit ſequentia:

44 *Prodigium Pariſienſe Gaufredus tacuit, quia illud otioſi homines nondum inuenerant.* Ioannis autem à ſancto Victore verbis ita ſubijcit: *Ioannes Victorinus multa de Cartuſianorum primordiis & moribus ſcripſit, ſed de homine Pariſienſi, qui publicas inter exequias damnatum ſe eſſe maximâ ter voce pronuntiauit, nihil ſcribit, quia ex maiorum libris, atque ex omni traditione, de tali prodigio nihil habuit quod ſcriberet.* Quæ de duobus iſts ſcriptoribus dicit, exiſtimandus eſt ſenſiſſe de aliis ſeptem. Vt vera ſentiret pronuntiarétque, debuit omnino addere, quòd res de quibus dicere inſtituerant, poſtulabant recitationem iſtius prodigij. Verùm ſeu initia, ſeu mores Cartuſianorum memorare ſuſceperant, non cauſas, quæ Brunonem & ſocios compulerunt ad danda ſuo Ordini initia illa, conſtituendos mores illos. Nullus ergo ipſorum affert peruerſos Manaſſis Archiepiſcopi Remenſis mores, nullus Brunonis exceſſum Remis ob eos, nullus diſputationem de terrenis diuiniſque rebus eiuſdem Brunonis cum Radulpho & Fulcio, votumque conuerſionis & *habitus monachici.* Hæc verò, prima fuerunt incitamenta Brunonis ad piam in monaſterio vitam, aut ad fugiendum ſeculum occaſio, quæ tamen Aduerſarius non habet in fabulis.

45 Decimus tertius ſilentio ſuo inficiator prodigij Pariſienſis, inducitur ab Aduerſario, Petrus Cantor Pariſienſis in verbo abbreuiato capite vigeſimo octauo. *Si ſanctus Ordo Cartuſienſium in holocauſtum* (ſunt eius verba) *hic etiam oblatorum Dei, à labe mundi per abſtinentiam, & macerationem carnis purgatorum, & iam volantium ſuper pennas ventorum, non niſi in feſtis, & profeſtis ſpiritali officio intitulatis audet conficere, quomodo tu peccator ſacerdos, intrepidus audes tam ſancta irreuerenter tractare?* Hæc, neque plura Petrus Cantor. In iis, ne vna quidem vox eſt de homine Pariſiis rediuiuo, & ex illius horrendis vocibus receſſu Brunonis in Eremum? omnino. Igitur, inquies, hoc vtrumque ignorauit Petrus. Id ex illo ſilentio ſequi nego. Putaſne tu nihil aliud de Cartuſianis nouiſſe, quàm illud quod retulit? Sed hoc vtrumque Petrus ignorauerit, per me licet. Ergone quod ignotum ei erat, ceteris etiam mortalibus

Digitized by Google

talibus tum fuit ignotum, neque vnquam euênit? Pròh acutum ratiocinandi genus! Tædet pergere in re aperta, vocéſque fruſtra conſumere. Cùm autem ceteri ſcriptores, qui in Aduerſarij libro ſequuntur, non negent rem de qua diſputatio inſtituta eſt; ſed ab eo ferantur negare, quia cùm aliquid aliud de Cartuſianis referant, neutrum horum recitant; profectò neque facit ad vllos vſus, & minùs decet, vt qui plurimos parium rerum auctores hactenus retuli, ipſarum quoque verba recitem. Satis erit eorum orationis argumentum proponere.

Decimus quintus eſt ſcriptor vitæ S. Godefridi Ambianenſis Epiſcopi, qui libro tertio capite octauo meminit ſolitudinis, ſilentij, & ieiunij Cartuſianorum. Decimus ſextus non pauca adiungit de illorum moribus: is eſt Iacobus de Vitriaco capite decimo octauo hiſtoriæ Occidentalis. Decimus octauus Robertus de monte, continuator Sigiberti: adiungit ipſe nonnulla alia. Decimus nonus Malleacenſis Chronographus, poſtquam dixiſſet Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum, à Gerberto edoctum fuiſſe, & Berengarium à Fulberto, atque Brunonem à Berengario, hæc adiunxit: *Bruno quidem perfectus philoſophus, monachus, & eremita, apud Calabriam multorum monachorum pater, obijt in Chriſto.* Vigeſimus Robertus de Corceon in ſumma M S. capite 17. differit de numero Cartuſianorum in vno & eodem monaſterio. Vigeſimus quintus Hugo Cardinalis, ad caput ſextum epiſtolæ primæ ad Corinthios diſputat de Cartuſianorum in iudicio litibus. Vigeſimus ſextus Humbertus Prædicatorum Magiſter Generalis, ſermone quarto & vigeſimo plurima de variis Cartuſianorum conſuetudinibus differit. Denique octauus & vigeſimus Guilelmus de Nangiaco, in chronico M S. ad annum ſecundum & trigeſimum à milleſimo centeſimo, docet Cartuſianos *præ cæteris Ordinibus religioſis peſti auaritiæ terminos poſuiſſe*, & in cellis ſuis ferè morari. 46

Atque hactenus ſcriptores, quos Aduerſarius attulit ad nouem & viginti, vt ex ipſorum ſilentio de homine Pariſiis rediuiuo, &, cùm funus curabatur, ſe accuſatum, iudicatum, damnatum feraliter exclamante, comprobaret id prodigij ignoratum illorum temporibus, ignoratum etiam ex ipſo factum eſſe, vt Bruno ſecederet in eremum; ac proinde vtrumque in fabulis habendum. Sed quàm multùm falſus fuerit, intelligitur ex illis quæ in ſuperioribus docui. Et verò non aſſerendi ſunt negaſſe quod tacebant; id enim tacebant, de quo pro re propoſitâ, ſermoniſque ſerie non debebant ſcribere. Aliquibus fuit ſatis Brunonem de nomine appellare; aliis tradere quòd inuenerit Cartuſianorum Ordinem, aut tempus quo floruit recitare. Addiderunt ceteri conſuetudines, mores, ſtatuta nonnulla quæ vel ipſe, vel ab ipſo Priores Cartuſiæ, aut Generales Priorum conuentus, in eundem Ordinem inuexere. His profectò rebus non inſeruerunt ſapientes viri prodigium illud, quo ad eremum Bruno adactus eſt: neque ſcilicet conueniebat vt inſererent. Enimvero non omnia omnibus locis ſcribenda ſunt. Qui id ſuſceperunt, vt aut omnia Brunonis, aut ab ipſis initiis ſeceſſum à ſæculo in eremum, fusè ac prolixè ediſſererent, illi hoc vtrumque etiam debuerunt mandare literis; & omnino mandauerunt, Franciſcus à puteo, Petrus Bloëmenuenna, Petrus Sutor, Laurentius Surius, & alij à me in ſuperioribus nominati. 47

48 At, inquies, isti scriptores vniuersi, sunt pro vtriusque rei antiquitate recentes: nullus illorum scripsit statim à morte Brunonis, nullus annis ab ea centum, nullus ducentis, aut trecentis; omnes post annos ab ea quadringentos. Hoc fateor. Verùm age, quis secundum mortem Brunonis, vel sociorum, aut statim post eorum discipulos; quis post eos ducentis, aut trecentis annis id sibi accepit, vt de Brunonis vitâ moribúsque, singula copiosè & abundanter persequeretur? vnus certè afferatur, qui id susceperit: ipsè si prodigium Parisiense tacuerit, aut ex eo secessum Brunonis in eremum Cartusiæ, fatebor neutrum eueniisse. Hoc illud silentium est, è quo debuit, si poterat, Aduersarius contendere vtrumque in fabulis habendum esse. Igitur aliquando venit in mentem mirari tardiùs factum, vt scriptores fusè disputarent de omni Brunonis vitâ. Sed Cartusiani soli poterant de vniuersâ, cum ipsis scilicet actâ in eremo, scribere. Quàm verò non tardi, sed invitis suppares, descenderint ad libros edendos scribendosve, de vitâ non Brunonis parentis, sed sanctorum sui Ordinis ceterorum virorum, hinc intelligis, quòd Guigo quintus prior Cartusiæ, adigendus fuit mandato summi pontificis, ad scribendum de vitâ S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani, qui cum Cartusianis multus ab ipsorum origine, & ferè totus fuerat. Petrus Cluniacensis, libro secundo miraculorum capite vigesimo nono, sequentia quoque scripsit. *Multa quidem in illo sacro Ordine* Cartusiensium *miracula contigisse à pluribus accepi, sed ipsi humilitatis virtute, quâ semper serui Dei miranda opera sua, quanto possunt nisu occultant, vix aliquid ex his prodere* seu libris scriptis, seu voce *voluerunt*. Vide quantâ confidentiâ hoc proloquor. Tantùm abest, vt antiquissimis illis temporibus Cartusiani cogitauerint scribere prolixè de vita Brunonis, eiusque mores & gesta in vulgus edere, cùm Deus plurima per ipsum supra omnem naturæ vim prodigia perpetrare pergeret, vix aliquando denique, post annos ab eius morte quadringentos, cogitauerunt de curanda ipsius veneratione publicâ Leone decimo pontifice; & proinde etiam edendis libris de vniuersâ eius vitâ, quam à maioribus sparsim variis in chartis positam accepissent. Quem enim Deus, per innumera toto orbe miracula, omnium ferè hominum linguis prædicabat, de illo tacere non ampliùs potuerunt: docueruntque mortales, quis Bruno ille esset, cuius munificentissimam manum ope quotidianâ sentiebant, quam egisset olim vitam, quo prodigio, cum sociis sex, in deuiam, & solis notam animantibus feris eremum adactus fuisset. Abiectio quippe sui ipsius, &, quam in superioribus
49 laudabat Petrus Cluniacensis, demissio non fecerat, quin antiquissimis illis temporibus illa de Brunone, Brunonisque sociis & discipulis, atque sociorum & discipulorum sequacibus, clari sapientia & virtute viri scriberent, suisque legenda & scribenda concederent, quæ nolebant in vulgus edere. Ea scilicet, quæ seu maiores sapienter sanctéque gesserunt, seu Deus ad ipsorum illustrandam memoriam magno prodigio perfecit, habent pondus ingens ad corroborandum, obfirmandúmque, posterorum animum in susceptâ ex illorum æmulatione vitâ. Guilelmus igitur de Elbura (de Yporegia etiam vocant) docens quos in vsus scripti essent Cartusianorum libri, quos non edebant in lucem, sic de illorum vno loquitur, *non negligat ipsum ad ædificationem scribere, vel legere, vel audire.* Quoniam autem huc dicendo deuêni, non omnino nullus erit operæ fructus, si vnum aliquid afferam de istiusmodi

modi libris. Aduerto pluribus datum eſſe nomen chronici. In præfatione chronici Priorum Cartuſiæ, quod deſinit in Eliſiario ſeu Elzeario Grimoaldi ante annos trecentos ſcripta ſic legitur : *Primi quinque priores, Bruno, Lauduinus, Petrus Francus, Ioannes, Guigo, in pluribus chronicis inueniuntur.* Quæ feruntur hîc chronica, nunquam peruenerunt ad lucem publicam; in quo enim editorum legitur Petrus Francus Priorum tertius, aut Ioannes quartus? à Cartuſianis verò ipſis ſcripta fuiſſe ego quidem non dubito. Et verò qui alij de ipſis ſcribere voluerint, &, vt maximè voluiſſent, potuerint, degentibus, longè ab omni ceterorum mortalium congreſſu, in auiis & aſperis locis? Vocabant autem chronica, quoniam vt in editis factum videmus chronicis, res in illis digeſtæ erant per ſua tempora. Nonnullis verò ita placuit nomen hoc, vt chronicum etiam dixerint librum, cui ipſe autor longè aliud impoſuerat nomen. Legi ego codicem ſcriptum manu, mole exiguum, rebus quas complectitur oppidò magnum & illuſtrem. Autor ignotus eſt. Quicumque fuerit, videtur ſcripſiſſe Baſilio Cartuſiæ octauo Priore, qui cæpit ſedere anno primo & quinquageſimo poſt milleſimum centeſimum. Principio vocauere *tractatum*, ſeu *narrationem hiſtoriæ inchoationis, & promotionis Ordinis Cartuſienſis.* Neque iniuria vocauere, duas enim diuiditur in partes, quarum prima habet inchoationem Ordinis, ſecunda Brunonem,& à Brunone Priores quatuor, qui Ordinem promouerunt. Quia poſterior hæc pars, iſtos Priores habet ſuo poſitos ordine, nonnulli deinde totum ipſum tractatum appellauerunt chronica; ſed iſta dicta ſint hactenus.

Iam vt redeam ad ſcriptores de Brunonis vita, Franciſcus de Puteo, Petrus Sutor, Petrus Bloëmenuenna,& alij quos Aduerſarius per contemptum recentiores appellat, acceperunt vniuerſam dicendorum de Brunone ſegetem, ex antiquiſſimis illis ſeu chronicis, ſeu tractatibus, chartiſque, ac libris, ad magnos ſociorum vſus conſcriptis à viris fide, ſapientiáque claris & illuſtribus. In illis ego quidem repono numerum annorum in Cartuſia Galliæ, & in Turre Italiæ ductorum, ſeceſſum in eremum Cartuſiæ ex prodigio rediuiui Lutetiæ hominis, & non pauca alia, quæ in voluminibus ante ipſos editis non leguntur. Vt autem de hoc vno ſeceſſu nunc agam, de quo vno à me inſtituta eſt diſputatio, inuenio Cartuſianos omnino quinque (alius quis accuratior fortaſſis plures inueniet) de ipſo ſcripſiſſe ante Gerſonem Antonino ſuperiorem. Illorum recentiſſimus ſcribebat anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octauo: huic ætate ſuppar, anno inter octogeſimum tertium & nonageſimum primum incerto poſt milleſimum trecenteſimum: vtroque antiquior, anno milleſimo trecenteſimo decimo tertio: ante iſtum alius milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo: antiquiſſimus demum non bene certo quidem tempore, ſed, vt videtur, Priore magno illo Baſilio, qui cæpit ſedere anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, & poſt S.Brunonis mortem quinquageſimo, prioratuique immortuus eſt milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio. Itaque non falletur, qui dicet noſtris etiam temporibus, poſt multa quæ Cartuſiam euerterunt incendia, póſtque multas, ſiue ab hæreticorum turbis, ſiue à militum per bella rapinis, tota Europa clades, ſupereſſe libros ineditos, ſupereſſe chartas, plurimis, ac centum etiam, ducentiſque, & trecentis, aut circiter, ante Gerſonem Antonino vetuſtiorem, annis ſcriptas à Cartuſianis, qui ſeceſſum S. Brunonis in ere-

50

mum, repetant ex feralibus hominis Lutetiæ rediuiui è feretro vocibus. Placet singulos à recentissimo afferre, per inuersum seu retrogradum ordinem annorum, quibus scripserunt.

51 Henricus de Kalkar recentissimus illorum est. Hic vir natus anno millesimo trecentesimo vigesimo octauo, mortuus millesimo quadringentesimo octauo, scripsit trecentesimo nonagesimo octauo post millesimum, de Ordine Cartusiano librum, seu *de ortu & progressu Ordinis Cartusiensis.* In eo libro paginâ mihi secundâ sic legitur. *De illo quadriduano mortuo, qui factis pro se vnâ die funeralibus, secundâ die sepeliendus ad iustum se Dei iudicium vocatum, tertiâ iudicatum, quartâ clamauit damnatum, provt hoc apud Cartusienses cõmuniter videtur scriptum,* &c. Antè vltrà quàm pergo, placet vnum aduertere. Vt Henricus asserat prodigium hoc haberi scriptum communiter apud Cartusianos, possitque adeò dici quòd illud recitauerit ex communissimo apud Cartusianos per vniuersum orbem scripto, tamen in consequentibus affert & antiquissima, & ab illo, quod apud Cartusianos communiter legebatur, scripto diuersa, è quibus ipsum etiam accepisse dicendus est. Primùm ita pergit paginâ octauâ. *Bruno data sibi benedictione per Papam* Vrbanum *adiit Calabriam, vbi & euangelizans illis partibus sententiam damnationis, quam audiuit Parisiis, Dei dono multos conuertit; ex quibus tandem congregationem sanctam, sicut in Cartusiâ, in eremo cui nomen Turris, instituit: fecit & aduentantibus, verbis & factis, sæpe monita salubria, & signa solatiosa satis, provt ibidem habetur in scriptis.* Cùm Henricus ita loquatur, potest quoque asseri ea quæ modò recitaui de prodigio Parisiensi, accepisse ex scriptis quæ Cartusiani antè ad Cistercienses Turre in Calabria quàm deficerent, scripserant de Bru-

52 nonis in Calabriam aduentu, mora, morte, factis denique & moribus. Secundùm pagina quadragesima octaua Henricus concludit opus suum istis verbis. *Hæc paucula inter, & post multa, quæ adhuc Cartusienses habent de Ordine suo scripta, & ego scripsi pro caritate fraternâ ex libris autenticis, testimoniis veridicis, & experientiis propriis, quippe qui Prior fui, licèt indignus, diu, & in diuersis domibus.* Loquitur de vniuersis, quæ toto libro super Cartusianorum ortu & progressu docuit; hæc enim duo sunt de quibus dicendum sibi accepit. Et quidem illius progressum potuit, & ex libris autenticis, & ex testimoniis veridicis, & ex ipsa experientia ducere pro rebus, earumque varietate; alias enim ex testimoniis, alias ex libris, non paucas ab experientia accepisse nihil vetat. Ortum autem, ac proinde prodigium Parisiense, & ex eo Brunonis accessum ad eremum, cùm non potuerit experientiâ consequi trecentis annis & quod excurrit ab eo natus, dicendus est hausisse ex libris autenticis, aut ex testimoniis veridicis, nisi velimus ab his & illis sumpsisse.

53 Sed quos libros appellauit autenticos, quæ testimonia veridica? Existimo ego locutum libros à testimoniis diuersos, & autenticum à veridico distinxisse. Certè qui experientiam, vt tertium quid videtur ab vtroque separasse, cur negabimus duorum aliorum alterum, cum altero non confudisse? Testimonia cùm appellet veridica, abs dubio possunt dici quæ testes voce ferunt, & certè multa de progressu Ordinis Cartusiani, quæ in superioribus retulit, ad Henricum voce testium peruenerant: nihil tamen vetat addere, hîc nomine testimoniorum comprehendi, quæ testium scripto feruntur; scriptores enim, vt manu suam mentem sensaque ponant in chartis, vulgò tamen asserimus

Digitized by Google

aſſerimus dicere & loqui. Atque hæc teſtimonia, ego quidem putabam pro re fuiſſe, alia publica, priuata alia. Illa Henrici temporibus appellabantur etiam teſtamenta, & in Pandectis libro 43. tit. 1. vocantur teſtationes. Vtroque dicebant nomine à teſtibus obſignatis; chartæque ſunt ſeu tabulæ, teſtium obſignatione firmatæ. Iam libros dixit, quos etiam ſermone vulgari vocamus libros, ſuntque longiores, & pluribus tenduntur paginis. Autentici ſunt, quorum autor facit fidem per ſe, ſuáque auctoritate ac dignitate. Cùm hæc ita habeant, Henricúſque aſſerat, ea, quæ in ſuperioribus de Ordine ſuo protulit, ſe accepiſſe *ex libris autenticis & teſtimoniis veriditis*, negari non poteſt, quòd aſſeueret prodigium hominis rediuiui Pariſiis, ſe accepiſſe ex veris certíſque ſeu libris, ſeu chartis, aut etiam ex vtriſque. Hæc omnia idcirco attuli, vt non dubites, cùm Henricum refero teſtem rei quam ediſſero, me non tam ipſum laudare, qui anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octauo ſcripſit, quàm aut Brunonem ſocióſve, qui interfuerunt illi; aut ſeu Brunonis ſeu Sociorum diſcipulos, ab ipſis qui interfuerant, vniuerſam edoctos, ſeu Turre ſcripſerint, ſeu Cartuſiæ, alióve in loco: hi enim vni, fidem facere per ſe poſſunt, rei coram Brunone, & à Brunone, ac ſociis geſtæ.

Henrico de Kalkar fuit ætate ſuppar, aut etiam fortaſſe par, Chronologus Priorum Cartuſiæ. Scribebat is poſt mortem Amedei Viridis Comitis Sabaudiæ, ex paginâ mihi quinquageſimâ ſextâ, *Amedeus Comes Sabaudiæ mortuus fuit in tranſitu Ducis Andegauenſis in Apuliam*; & ante mortem Amedei quem Viridis genuerat, ex paginâ ſequente, vbi hæc ſcripta ſunt: *In breui exaudita eſt oratio Ioannis Birelli Prioris Cartuſiæ, & conuentus; atque Amedeus Viridis Comes Sabaudiæ, filium de vxore, quæ ſterilis putabatur, ſuſcepit, qui etiam Amedeus Vocatus, nunc Comes Sabaudiæ eſt effectus.* De morte autem vtriuſque Comitis Amedei, ſcholium marginale mei codicis ita habet: *Viridis obiit anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio pridie Martij, ait charta eiuſdem anni: Eius filius obiit ſecundâ Nouembris anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo, ex charta capitulari anni ſequentis.* Igitur hic Chronologus ſcribebat poſt annum milleſimum trecenteſimum, inter octogeſimum tertium, & nonageſimum primum. Is cùm docet *quâ occaſione cæpit Ordo Cartuſienſium* ſic loquitur. *Qui mortuus videbatur & erat, eleuato capite reſedit in feretro, ac omnibus audientibus altâ & terribili voce clamauit, Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum: & hoc dicto caput depoſuit, & decubuit mortuus ſicut priùs*, &c. *Defunctus, ſicut priùs, eleuato capite, dolorosâ ac terribili voce intonuit, Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum*, &c. *Iam tertiò altiſſimo & mœſtiſſimo clamore perſonuit, Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum*, &c. *Erat ibi magiſter Bruno.* 54

Guilelmus de Elbura, ſiue de Yporegia (his enim duobus nominibus appellatum inuenio) ſcripſit decimo tertio poſt milleſimum trecenteſimum, *de origine & veritate perfectæ*, id eſt, Cartuſianæ *religionis* librum doctum, & elegantem. Vt doceret originem, & initia religionis huius, nihil quidem de ſuo compoſuit, ſed librum orſus eſt ab libello, ſeu tractatu, aut *narratione hiſtoriæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartuſienſis*, ad cuius lectionem, auditionem, ſcriptionem, poſtea lectorem ſui operis hortatur. Iam in iſto tractatu habetur omnis hiſtoria prodigij Pariſienſis, de quo diſputamus. Quoniam puto ſcriptum Baſilio Priore Cartuſiæ, qui cæpit ſedere anno quinquageſimo primo poſt milleſimum centeſimum, ſeu quinquageſimo poſt 55

mortem

mortem Brunonis, de hac re dicam postea. Nunc placuit ista afferre, vt videas tractatum istum Guilelmo probatum fuisse, & prodigium proinde etiam Parisiense, de quo nunc sermo est.

56 Cartusianus Maioreuensis tractatum breuissimum scripsit cum hoc titulo, *Quomodo Ordo Cartusiensis sumpsit exordium.* In eo sequentia verbatim continentur. *Ventum est ad hoc, vt defuncti corpus poni deberet in sepulchro. Circumstantibus igitur clericis, qui defunctus erat clamauit, dicens: Iusto Dei iudicio accusatus sum*, &c. *Sequenti igitur die*, &c. *iterum clamauit mortuus, & ait, Iusto Dei iudicio iudicatus sum*, &c. *Sequenti die*, &c. *iterum clamauit, Iusto Dei iudicio condemnatus sum*, &c. *Erat autem tunc temporis quidam magister in Theologia, nomine Bruno, magnæ sanctitatis*, &c. *Ipso sancto viro* Hugone episcopo Gratianopolitano *iuuante ceperunt ædificare primam domum Cartusiensis Ordinis, quæ domus Cartusia vero nomine nuncupatur, & cepit construi anno Domini millesimo octuagesimo quarto.* Ipse tractatus ab auctore suo dicitur scriptus *anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo.* Ab eo autem ad millesimum quadringentesimum quinquagesimum nonum, quo Antoninus est mortuus, fluxerunt anni centum sexaginta & vnus; atque ad millesimum quadringentesimum vigesimum, *post quem* Aduersarius vult Gersonem scripsisse primùm de hoc prodigio, fluxerunt centum viginti & duo. Istud affero, vt videas, quâ veritate asserantur ab eodem Aduersario Cartusiani, accepisse istud prodigium ab Antonino; & Gerso primus omnium de eo, etiam veluti dubio, scripsisse. Cartusianis hic de eo scripsit centum & viginti duobus annis ante Gersonem, & centum sexaginta & vno ante mortem Antonini. Verùm ad vlteriora pergamus. Habeo ego præterea denique alium Cartusianum, qui anno scriptis quidem in codicibus, qui ad meas manus peruenerunt, non annotato, sed, vt verba ipsius præ se ferunt, primo & quinquagesimo post mortem Brunonis aut circiter, rem hanc omnem tradidit.

57 Hîc ille est, autor *tractatus de narratione historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis*, à me non semel laudatus in superioribus. Verba quibus significat scribere se anno post mortem S. Brunonis quinquagesimo, aut circiter, sunt ista. *De antiquis sapientibus, & sanctis fundatoribus, ac promotoribus Ordinis Cartusiensis, aliqua ad æternam memoriam narraturi, exordium assumemus.* Enimvero quinque tantùm in illis reponit Brunonem, Luduuinum, Petrum, Ioannem, Guigonem. Ergone hos solos, in antiquis fundatoribus & promotoribus Ordinis Cartusiani, censere potuit? omnino. Quid autem est, cur S. Antelmum Priorem Cartusiæ septimum, postea Bellicensem episcopum; cur Basilium octauum, numerare illi non licuit? certè isti ambo illi sunt, qui sinceram atque certam firmitatem, siue (vt quod est loquar) veram si quæ vnquam in rebus humanis erit, æternitatem Ordini suo concesserunt, vt statim fusè docebo. Dicamus igitur necesse est, potuisse quidem ipsum ac meritò potuisse, eos in fundatoribus & promotoribus Ordinis sui collocare, sed antiqui, cùm scribebat, abs dubio non erant, & Basilius sui prioratus initia ponebat, primo scilicet & quinquagesimo Christi anno post millesimum centesimum, aut circiter. Quàm verò clari & illustres fuerint Antelmus & Basilius, quantáque, & quàm multa, beneficia in Ordinem suum contulerint, nulla satis exequatur oratio. Vt in fundatoribus ac promotoribus eius Basilium (ab eo placet incipere) reponas, duo maximè faciunt.

Primum

Primum ante antiqua ſtatuta Cartuſianorum legimus in has voces: *Domnus Baſilius ſtatutis Guigonis nonnulla vtilia ad Ordinem adiecit.* In hoc igitur ſuppar Guigoni fuit, parem enim ei non dixerim, qui omnia redegit primus in ſua capita, ordinéque poſuit, ac in vnum compegit corpus. Secundum habes in ſecunda parte eorumdem ſtatutorum capitulo ſecundo, his verbis. *Cuncti Cartuſienſis propoſiti Priores, Portarum videlicet B. & Excubiarum So. necnon Siluæ Oth, & Maioreui Hy. & Durbonis B. & Arueriæ Ar. & Montiſriui B. & Montis Dei Ger. & Valliſcluſæ Hy, & Augionis Hy. & Repauſatorij Io. & Vallis S. Petri Hy. & Vallis S. Mariæ Pon. pro tenore & ſtabili firmitate propoſiti, à domno Baſilio Cartuſiæ Priore, & eiuſdem loci fratribus, petierunt, quatenus in eâdem domo Capitulum liceret eis obtentu correctionis & emendationis totius propoſiti. Hac igitur precum inſtantia, domnus Baſilius Prior Cartuſiæ cum fratribus ſuis, eorum precibus tandem conſenſit.* Hîc vocula *tandem* expendenda eſt. Eâ ſignificatur, non ſemel, aut iterum, at ſæpius egiſſe Priores apud Baſilium, atque, vt intelligetur ex ſtatim dicendis, Antelmum de habendo in Cartuſiâ Capitulo generali Priorum *obtentu correctionis & emendationis totius propoſiti*; pluresque adeò annos in excutienda re omnino grauiſſima poſitos fuiſſe. Et verò cogitatam Antelmo Priore, ceptam potiùs, aut affectam, ferme fuiſſe ex eo intelligitur, quòd Falco, qui Lugduni Archiepiſcopus ſedere deſiit ante annum quintum & quadrageſimum à milleſimo centeſimo, conſenſit in hoc Capitulum eo Priore. Conſenſus enim epiſcoporum in quorum diœceſi erant cœnobia, tum ad illud conſtituendum poſtulabatur, cùm in illorum poteſtate erant, à ſummo Pontifice nondum exempta: igitur capite illo ſecundo ſecundæ partis ſtatutorum ita ſequitur: *Ad confirmationem prædicti Capituli, domus Cartuſiæ à domino Gaufredo Gratianopolitano Epiſcopo literas accepit, &c. & ceteræ domus Ordinis noſtri, ab Epiſcopis & Archiepiſcopis, in quorum diœceſi ſitæ ſunt, acceperunt, & domni Cartuſiæ ſeruandas tradiderunt.* Chartam à Falcone Lugdunenſi Archiepiſcopo ſcriptam, legi ego in Portarum domo, ſic habet. *Falco Lugdunenſis Eccleſiæ miniſter dilecto filio Antelmo Cartuſiæ Priori, cunctiſque Prioribus ſub Cartuſienſi Ordine Domino militantibus, & qui cum eis ſunt fratribus, paupertatis præmium à Domino obtinere. Domum Portarum, & domum Maioreui veſtræ religionis æmulas, pro voto & pietate ſua, ad tenorem & confirmationem Ordinis veſtri, ſicut communi conſilio Capituli viſum fuerit, concedimus & tradimus vobis, & ſucceſſoribus, in perpetuum corrigendas.* Quam Gaufredus Gratianopolitanus Epiſcopus ex capite ſecundo ſecundæ partis ſtatutorum ſcripſit, recitat Surianus in chronotaxi ad vitam S. Brunonis. Ea ſic habet: *Ego G. Dei gratiâ Gratianopolitanus Epiſcopus, rogatu Baſilij Cartuſiæ Prioris, & ceterorum fratrum ibidem Deo famulantium, præfatam domum communi Capitulo, ſicut generali conſilio totius Ordinis decretum eſt, Epiſcopali autoritate corrigendam, & in propoſito Cartuſienſi in perpetuũ conſeruandam concedo. Decernimus etiam quòd ſi prædicta domus à ſuo propoſito ad aliud propoſitum (quod Deus auertat) aliquando ſe transferre tentauerit; vel Prior, vel perſona quælibet ipſius, vel etiam tota domus obedire prædicto Capitulo noluerit, ſententiæ excommunicationis tam noſtræ, quàm totius Capituli ſubiaceat.* Igitur cùm hæc ſancta, & in omnem partem vniuerſo Ordini vtiliſſima conſtitutio Capituli cepta fuerit cogitari ac poſtulari, vrgerique Antelmo Priore Cartuſiæ, eum quoque in fundatoribus & promotoribus Ordinis ſui cum Baſilio reponit. Certè ſi Guigo in illis, neque iniu- 58

riâ, censetur, quòd sicuti legitur ante antiqua illa statuta, *Cartusiensis Ordinis constitutiones seu statuta succinctè in formam redegit*, non omnino minori, vt moderatè loquar, iure, & Antelmus qui cepit de annuo Cartusiæ generali capitulo cogitare, & Basilius qui de illo habendo *tandem* constituit, sunt in
59 ipsis reponendi. Adde quod Capitulo, & quæ ex Capitulo sequitur visitatione, ab Antelmo & Basilio sapienter & sanctè excogitatis, & ad Cartusiæ Prioris auctoritatem adiunctis, monasteria Cartusianorum vniuersa quocumque, & quamcunque magno numero sint (& ad nouem & sexaginta supra centum, cùm hæc scribo numeramus) surgunt tamen in vnum corpus, stantque, vt doctè asseruit Guilelmus de Elbura in egregio illo de veritate perfectæ religionis tractatu in hæc verba. *Idcirco Ordinem sanctum Cartusiæ diuina misericordia adinuênit, in quo & per quem, & sub quo, vtraque vita tam cœnobitica, quam eremitica, reducta est ad suæ primariæ originis puritatem, & ad antiquam institutionis monasticæ sanctitatem. In ordine enim Cartusiensi, est communis & cœnobiticæ vitæ ordinata societas, quia omnia monasteria, totius ordinis dicti, simul connexa sunt & vnita sub vno Priore Cartusiæ, & sub vno Capitulo Generali, quod indesinenter annis singulis in principali domo Cartusiæ celebratur; quorum prouidentiâ, & sanctis consiliis, monitionibus, ordinationibus, visitationibus, & salutaribus institutis, totus ordo, totiusque ordinis domus reguntur, corriguntur, & diriguntur, & in sanctæ religionis obseruantiâ conseruantur. Ab eisdem Priore Cartusiæ, & Capitulo Generali, ad omnes & singulas prouincias, in quibus sunt mona-*
60 *steria Ordinis supradicti, mittuntur visitatores.* Antelmus ergo & Basilius Capituli, atque adeò visitatorum, qui à Priore & Generali Capitulo Cartusiæ constituuntur, inuentores, censendi sunt in fundatoribus, ac promotoribus Ordinis Cartusiani proculdubio, non aliter quàm Guigo, consuetudinum & statutorum primus scriptor. Cur autem *narrator historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis*, in illis eos non reposuerit, non aliud afferri posse videtur, quàm antiquos non fuisse, cùm de antiquis scribebat; & Antelmo Cartusiæ præfecturam abiiciente Basilium sedere cepisse, qui pro sua modestia voluerit, vt qui de vniuersis fundatoribus & promotoribus Ordinis sui scribere poterat, scriberet de solis antiquis. Id autem factum censeo à Basilio, ineunte prioratu, potiùs quàm adulto, aut exeunte, ne Hugonem qui post Guigonem per duos tantùm annos sedit, iniuriâ ab antiquis excluisse, qui de eo tacuit, existimetur: nam Basilius & Anselmus sederunt annos sex & triginta, quot neque plures à Brunonis morte ad Hugonis prioratum fluxerant. Cùm ita habeat tempus, quo *Narrator suam inchoationis Ordinis Cartusiensis historiam* scripsit, vide quàm vetustum testem prodigij Parisiensis habeamus. Basilius sedere cepit anno à morte S. Brunonis quinquagesimo, eo igitur aut circiter, ille ipsum fusè ac splendidè recitauit. Nonnulla verborum eius retuli, cùm afferebam Chronologum Priorum Cartusiæ numero 54. quæ sibi quoque accepisse Guillelmum de Elbura tum aduerti, cùm de ipso agebam numero 55. nam illi ambo fecerunt magno consilio, vt de re & perantiquâ, & prorsus aliàs inauditâ, ac in omnem partem horrendâ & ferali, dicerent verbis toto Ordine pervulgatis, quæ antiquissimus auctor annis circiter quinquaginta post mortem Brunonis scripsisset, acceptâ fortassis ab eodem sancto Brunone aut sociis. Illis igitur nunc supersedeo.

61 Dices Guillelmum de Elbura auctorem huius narrationis esse, vtpote qui

qui eam præfixit tractatui suo de Origine & veritate perfectæ religionis: iniquè igitur facere me, qui contendam anno millesimo centesimo quinquagesimo scriptam esse, cùm debeat dici scripta anno trecentesimo decimo tertio post millesimum centesimum, quo Guilelmus tractatum illum alterum *de origine* composuit. Hìc fateor ego Guilelmum narrationem eam præfixisse suo *de origine* tractatui, sed multa sunt quæ doceant ipsius auctorem non esse. Principio ille ipse hoc non incuidenter asserit; sic enim loquitur in fine libri ex ista *narratione*, & tractatu *de origine* conflati. *Explicit tractatus de origine, & veritate perfectæ religionis, quem quicunque legerit, orare dignetur pro illo peccatore, qui ad honorem Dei, & ad defensionem Ordinis Cartusiensis compilauit: Tractatum verò præcedentem, de narratione historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis non negligat ad ædificationem scribere, vel legere, vel audire.* Qui peccatorem dicit auctorem tractatus *de origine*, is profectò de se loquitur. Scilicet quis adeò vecors fuerit, vt alium à se dicat peccatorem? Cùm verò idem nihil eiusmodi adiungat de autore tractatus *de narratione*, apertissimo est argumento negare se illius auctorem. Deinde narratio hæc ita tractatui *de origine* præfixa est, vt nullam tamen cum eo connexionem habeat: igitur scriptor ipsius illam sic orditur; *Laudemus viros gloriosos parentes nostros in generationibus suis*, scilicet S.Brunonem, & Priores post ipsum deinceps quatuor, quos solos toto opusculo docet cepisse ac promouisse Cartusianum Ordinem; pergitque, *Verba ista sunt hic scripta loco præfationis, & proœmij opusculi subsequentis.* Profectò si Guilelmus eam scripsisset, quod *præfationis, & proœmij* fecit; non soli *de narratione* opusculo, sed subsequenti etiam *de origine*, totíque adeò volumini, conflato ex vtroque opusculo, conuenire voluisset. Ad hæc accedit, quod *narratio* ista seorsim à tractatu *de origine* scripta legitur; atque vt à Guilelmo de Elbura est præfixa tractatui *de origine*, ita legitur præfixa chronico Priorum Cartusiæ, ab huius scriptore: igitur sicuti non idcirco tribuibuitur Chronologo illi, ita neque Guilelmo tribuenda est, sed suum habet auctorem ab vtroque distinctum. Denique sicuti Guilelmus narrationem hanc præposuit suo *de origine* tractatui, ita post Guilelmum inuenti sunt qui eam illi tractatui postponerent; cum hoc tamen discrimine, quòd in amborum fine Guilelmus quidem petit vt lector oret pro *peccatore, qui tractatum de origine compilauit*, sed inducitur tamen petere vt *sequentem de narratione non negligat ad ædificationem scribere, vel legere, vel audire.* Igitur cùm ea suam sedem non habeat certam fixamque, neque dicenda est ab ipso composita. Eà fecit Guilelmus, vt libro Petri Damiani de vitâ solitariâ, & carmine incerti Cartusiani de laude cellæ. Vtrumque istud opusculum inseruit tractatui *de origine*, non continuò tamen se scriptorem illorum præbuit. Neque igitur vt præfixerit tractatum *de narratione* tractatui *de origine*, existimandus est auctor illius.

Quis autem ille sit, qui istum de narratione tractatum scripsit, non inuenio. Quicumque is fuerit, ex ipsius verbis intelligis prodigium Parisiense, & ex eo secessum S. Brunonis in eremum, non esse fabulam, ab otiosis hominibus excogitatam, quæ à Gersone primùm ex dubio rumore collecta fuerit, & in lucem edita, deinde ab Antonino in historiam asserta, fidem inuenerit apud omnes. Hic historiæ inchoationis, & promotionis Cartusiano-

rum Ordinis narrator, rem omnem fortassis acceperat à S. Brunone. Eo certè tempore illam scripsit, ex quo, vt vitæ mortalium communissima fert longitudo, dicas licet potuisse accipere à S. Brunone, aut certè à sociis beatissimi viri. Vtcumque autem hoc habeat, ipsius scriptoris tractatus ita probatus est posteris, adeóque certam apud omnes fidem consecutus est, vt primùm Guilelmus de Elbura anno millesimo trecentesimo decimo tertio, deinde Chronologus Priorum Cartusiæ anno millesimo trecentesimo octogesimo aut circiter, eius verbis vsi sint ad recitandum illud prodigium, etsi nonnihil in ceteris ambo mutauerint, & hic etiam non pauca
63 addiderit. Mihi autem ex ipsis placet aduertere, hominem, qui Parisiis rediuiuus horrendis vocibus è feretro exclamauit se damnatum esse, non exclamasse in sacra æde, sed domi suæ; neque veluti responsum daret illis ex Iobo vocibus interroganti, *responde mihi*: sic enim loquitur narrator historiæ, & ex eo Chronologus Priorum Cartusiæ, ac Guilelmus de Elbura; *cùm reuerendi viri feretrum, in quo funus iacebat, eleuare vellent ad Ecclesiam deferendum, subitò, cunctis stupentibus, qui mortuus iacebat, & erat, terribili voce clamauit, &c.* Fateor fuisse scriptores, qui hoc vtrumque posuerint in suis de S. Brunonis vitâ libris: sed quod fere fit à cæteris de illustrium virorum vitâ scriptoribus, ita mandauerunt literis, vt ad suorum temporum populi sensum sese accommodarent; & attulerunt illa quæ pronum erat vulgo, cùm scribebant, cogitare; primúmque occurrebant audienti prodigium hominis rediuiui Lutetiæ. Historici etiam & sacri, & profani, cùm aliquid clarum & illustre recitant, circumstantias eius veteres nouis sæpenumero mutant, vt à lectoribus intelligantur faciliùs, ipsisque placeant: orationes quoque suo magis, quàm illorum quos inducunt, stylo scriptas tribuunt sapientibus viris, in foro, in senatu, in bello. Igitur nonnulli de Brunonis vita scriptores, doctorem etiam vocare non dubitauerunt, qui suo tempore appellabatur magister; & in vniuersitate, quod nomen nondum vsurpabatur, Parisiensi, & fuisse, & docuisse, asseruerunt, qui domi suæ res Theologicas tradiderat, quemadmodum ceteri tum magistri, vt dicam postea. Sed qui hominem hunc Parisiis rediuiuum, seu fecere Parisiensem canonicum, seu Raimundum Diocrem appellauerunt, neque seu antiquum,
64 seu eruditum, pro re auctorem secuti sunt, & prorsus errauerunt. Cæsarius Cistercienſis dicitur ab aliquibus auctor illis fuisse ad errorem, qui canonicum fecere, &, vt verbo dicam, iis omnibus qui prodigium istud Parisiense probant; quasi acceperit pro canonico clericum, quem recitat libro vndecimo, qui totus est de morientibus, capite quadragesimo nono. *Fuit in regno Francorum clericus quidam nobilis, & diues*, &c. *qui cùm mortuus fuisset, & in feretro positus*, &c. *se erexit cunctis audientibus in hæc verba prorumpens, Iustus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum.* Istud enim prodigium nonnulli faciunt idem Parisiensi, de quo nunc agimus; alij verò negant: ego neque idem illi, neque ab eo diuersum, asserere nunc velim. Certè non additur à Cæsario compulisse Brunonem, & socios ad eremum; id autem vnum illud est, quod fecit vt de Parisiensi nunc agerem. Malim asserere, & omnino istius loci res est, Aduersarium non debuisse scribere sequentia paginâ 145. *Cæsarius Cistercienſis narrat duo, quæ Cartusianorum initium tale, quale nunc excutimus,*

fingendi

fingendi cauſam, otioſis hominibus præbuerunt. Cùm enim duorum alterum ſit illud ipſum, quod modo retuli, hominis in regno Francorum rediuiui, ſeque Dei iudicio damnatum exclamantis, non video, cur otioſi homines ad Pariſienſe fingendum debuerint adiungere alterum Canonici Pariſienſis, qui poſt paucos à morte dies ſe ſine corpore videndum homini valde familiari præbuit. Scilicet Canonicus hic nihil habuit commune, ſeu cum rediuiuo Pariſienſi, de quo nunc ſermo eſt; ſeu cum alio, qui cùm parabatur conditorio, redditus fuit vitæ in regno Francorum. Sed tanti eſt proponere tibi virum, quem in omnibus ſequaris, cui vni adhæreas, cuius *in publicum illa educas, quæ ipſe ſuo nomine euulgare non amat.* Vnum aliquem virum Aduerſarius toto hoc de causâ ſeceſſus S.Brunonis in eremum libro ſequitur. Is cenſuit hoc, de quo dicimus, Pariſienſe prodigium, ex Cæſarij duobus conflatum eſſe: igitur illi hac in parte, vt in ceteris adhæret. Non poteram ego aliàs habere fidem Theophilo Raynaudo, aienti in Hercule Commodiano ſerie tertiâ quæſito ſecundo *tibias* Aduerſarij *à Marſya quopiam inflari, & Aloyſium Robinum accepiſſe epiſtolium ab inflatore illius fiſtulæ, quo omnia, planè omnia continebantur, reſectis tantùm locis auctorum, quæ ibi duntaxat notabantur, ab Aduerſario autem ſunt ad longum expaſſa.* Nunc non poſſum non eadem cum ipſo ſentire. Nam cùm hæc ſcribo, venit in manus meas altera ipſius Marſyæ epiſtola anno antè ſecundo ſcripta, quàm Aduerſárius huius ſæculi quadrageſimo ſexto, de re quam nunc ago primùm ſcriberet; atque diſſertationem ederet de verâ causâ ſeceſſus S.Brunonis in eremum. Hæc *prima ſcriptio*, addidit Theophilus, *non eſt niſi paraphraſis longior breuis illius epiſtolæ:* aio etiam ego, hæc tertia ſcriptio eſt paraphraſis longior alterius epiſtolæ, quam ille ipſe Marſyas ſcripſit. Ergone, inquies, Marſyas ille ad alium etiam ab Aloyſio Robino ſcripſit iſta? omnino, &, quod magis mirere, ad Cartuſianum clariſſimum & grauiſſimum virum ſcripſit. At vniuerſi Cartuſiani (addes) prodigium Pariſienſe, & ex eo ſeceſſum Brunonis in eremum habent pro veris, & à Brunone traditis? profectò. Quid facias huic viro? Iſta ad Cartuſianum, non clariſſimum modò & grauiſſimum, ſed etiam amiciſſimum virum ſcripſit, pro prudentiâ ſuâ. Parum eſt hoc. Omnem prorſus admirabilitatem ſuperat quod adiungo. Accipe vltima verba epiſtolæ. *Exiſtimo cauſam ſeceſſus S.Brunonis hanc* (ſcilicet ſermonem cum Radulpho & Fulcio, quem in ſuperioribus attulit) *non tantùm certiorem eſſe illâ* ex prodigio hominis Lutetiæ rediuiui, *ſed etiam illuſtriorem. Si veſtra reuerentia velit, plura ſcriptis adiungam. Adeò enim multis beneficiis Ordini Cartuſianorum deuinctus ſum, vt nihil iis dignum poſſim rependere.* Ridet Marſyas hic, an ſeriò loquitur? Totâ epiſtolâ contendit ſanctum Brunonem & ſocios, non fuiſſe compulſos in eremum à Pariſienſi prodigio, aduerſus Cartuſianos, qui ab ipſo Brunone, & ſociis, tradunt contraria libris ſcriptis ac voce, & pictis imaginibus toto orbe proponunt cunctis mortalibus: atque Marſyas aiens illos imponere toti Eccleſiæ Catholicæ, addit ſe rependere ipſis beneficium, quod varium & multiplex fatetur ſe ab illis accepiſſe. Ecce viri epiſtolam è Gallico idiomate redditam Latino.

65

66

Nullus ante Ioannem Gerſonem occurrit, qui de iſto prodigio Pariſienſi ſcripſerit: Ipſe autem de illo, veluti de re incertâ, locutus eſt in hæc verba, parte tertiâ de 67

simplificatione cordis, notatione vigesimâ tertiâ de timore Domini. Constituamus ante meditationis nostræ oculos exemplum illud celebre, à quo cepisse dicitur Ordo Cartusianorum. Mortuus est quidam magnæ reputationis magister, apud scholasticos: parantur exequiæ in templo : venit vox, Iusto Dei iudicio accusatus sum. Dilata est sepultura in diem alterum; tunc audita est vox, Iusto Dei iudicio iudicatus sum. Tertia die, in quam dilatio sepulturæ facta extitit, insonuit vox, Iusto Dei iudicio condemnatus sum. Ecce in his est positum coram meditantis oculis, iudicij tremendi, accusationis, iudicationis, & condemnationis spectaculum. Post Gersonem Antoninus, parte secundâ, titulo decimo quinto: Religio Cartusiensium habuit principium ex hoc stupendo euentu. Cùm in ciuitate Parisiis floreret studium abundans, tam multitudine scholarium ex variis regionibus, quàm copiosâ cateruâ doctorum solennium in omni facultate; inter ceteros erat vnus singularis, qui in eminentia scientiæ, & probitate vitæ, & maxima fama pollebat. Huic autem vitâ functo solemnes exequiæ paratæ sunt, &c. cùm ergo cadauer in feretro in Ecclesiâ secundum morem esset delatum, & officium celebraretur, surrexit qui iacebat mortuus, & in loculo residens, voce magnâ audientibus cunctis exclamauit, Iusto Dei iudicio accusatus sum, &c. Aderat huic spectaculo Bruno, &c. qui his visis ait, &c. Itaque compuncti, vt dictum est, sæculum dimiserunt. Historiam

68 *hanc faciunt dubiam duo. Primum est. Quòd ante Ioannem Gersonem, & S. Antoninum, nullus scriptorum eius meminit, ne Guibertus quidem Abbas Nouigenti, coæuus Brunoni; qui cùm de ipsius conuersione diceret, videtur eam non debuisse prætermittere. Vincentius quoque Bellouacensis huiusmodi rerum non incuriosus inuestigator, non recitat hoc prodigium, cùm agit de Cartusianorum origine, libro vigesimoquinto speculi historialis, capite octogesimo secundo. Bruno natione Teutonicus, ex vrbe Colonâ, literis optimè eruditus, Remensis ecclesiæ canonicus, & scholarum magister, relicto sæculo, eremum Cartusiæ fundat, propositumque monasticæ conuersationis satis arduum instituit. Huius sancti propositi cooperator existens, &c. Secundum est. Quòd hæc historia videtur conflata ex duabus, quas annis post Brunonem centum, aut circiter, euenisse tradit Cæsarius Cistercienſis. Altera Canonici Parisiensis est. Eam recitat libro secundo, capite decimo quinto istis verbis. Parisiis in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, Canonicus obiit nuper, &c. timore mortis confessionem fecit, &c. sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Altera historia clerici est in Francia loco innominato, libro vndecimo, capite quadragesimo nono. Fuit in regno Francorum clericus quidam nobilis & diues, quæ duo semper hominem extollunt, multisque vitiis subijciunt : Qui cùm mortuus fuisset, & in feretro positus, multitudine circumsedente tam ex clericis, quàm ex laicis, ipse erexit se cunctis audientibus in hæc verba prorumpens, Iustus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum. Quibus dictis, se reclinans non obdormiuit, sed de requie transiuit ad laborem, de deliciis ad miseriam. Istæ ambæ historiæ aliquando coïerunt in vnam sensim, & S. Brunoni, ac eius conuersioni attributæ sunt, etsi conuenire nequeant illi, cùm sint de rebus longissimè post ipsum gestis; præsertim cùm facile sit docere non prælectam fuisse Parisiis viuente Brunone Theologiam, & Bruno Remis, non Parisiis eam prælegerit, pro suo scholarum magisterio, vbi Vrbanus secundus domo Castilionæus eum audiuit, ex opportunitate patriæ, ad Matronam fluuium positæ; quatuor leucis à Remis.*

69 *Vt autem narratio secessus Brunonis ad eremum concinnata videatur ex duabus*

Digitized by Google

à Cæſario relatis, inualuit tamen apud omnes, & per vniuerſum orbem ſparſa eſt, maximè poſtquam in librum de vitâ S. Brunonis coniecta fuit. Etſi verò non poſſum afferre tempus, quo attribui cepit Cartuſianis, conijcio tamen id euenisſe trecenteſimum inter & quadringenteſimum annum à milleſimo. Videtur enim picta in libro precum Ioannis Biturigum Ducis, quem Ioannes Francorum rex genuerat, ſcriptarum non multis ante milleſimum quadringenteſimum annis.

Vtcumque ſentiamus de rei tempore, certum eſt ex dictis falsò attributam eſſe 70
Brunoni, cùm ex ipſomet, qui res ſuas omnium optimè callebat, intelligamus conſtituiſſe ſæculum deſerere Remis, non Pariſiis; & ad eam cogitationem veniſſe, non huius, aut aliûs prodigij vi, ſed attentâ vanitatis rerum humanarum & cæterorum, quæ ad Rodulphum Remenſem Præpoſitum ſcripſit, cogitatione, his verbis: Reminiſcatur dilectio tua, quòd cùm ego, & tu, & Fuluius Monoculus quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adiacenti domui Adæ, vbi tunc hoſpitabar, de falſis oblectationibus, & perituris mundi huius diuitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, vt opinor, tractaremus; vnde diuino amore feruentes, promiſimus ac vouimus Spiritui Sancto, in proximo fugitiua ſæculi relinquere, & æterna captare; necnon etiam monachicum habitum recipere. Quod & in vicinia peractum eſſet, niſi tunc Fuluius Romam abiiſſet, ad cuius reditum peragenda diſtulimus: quo moram faciente, aliiſque interuenientibus cauſis, diuinus amor elanguit, refriguit animus, feruorque euanuit. Hæc Marſyas.

Qui eius ſingula contulerit cum ſingulis diſſertationis, quam Aduerſarius 71
tertiùm edidit, is profectò non diffitebitur tibias huius ab illo eſſe inflatas. Huius certè prima editio nihil habet ſupra illius epiſtolam, niſi reſponſionem ad nonnulla librorum capita, quos Sauſſeius & Theophilus Raynaudus ſcripſerunt de ſeceſſu Brunonis in eremum, & *paraphraſis eſt expreſſa* epiſtolæ ſui Marſyæ, vt Theophilus loquebatur. *Quæ autem editio tertia auctior & correctior* in lucem emiſſa eſt decimo octauo poſt primam anno, plurimas in Cartuſianos & acerbiſſimas contumelias inſuper conijcit. Ceterùm epiſtola quam ex Gallico reddidi, ſcripta fuit ad Domnum Chriſtophorum Puteanum Cartuſiæ Romanæ Priorem. Quoniam verò Marſyas in illam fere ſingula congeſſit, aduerſus Pariſienſe prodigium, & ab eo ſeceſſum Brunonis in eremum, quæ Aduerſarius prolixè libro ſuo ſecutus eſt; operæ aliquod erit pretium, ſi refellam illa ſtrictim, qui libro Aduerſarij fusè reſpõdi.

Marſyas igitur primò ſic locutus eſt. *Nullus ante Gerſonem occurrit qui de* 72
iſto Pariſienſi prodigio ſcripſerit. Reſpondeo. Fateor neminem, quòd ſciam, illorum qui opera ſua ediderunt in lucem publicam, ſcripſiſſe de iſto prodigio Pariſienſi, neminem aſſeruiſſe ex eo factum eſſe, vt Bruno cum ſociis ſecederet in eremum, ante Ioannem Gerſonem. Cartuſiani quinque vetuſtiores Gerſone, illud vtrumque literis commiſerunt ineditis; Henricus de Kalkar anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octauo, Chronologus Priorum Cartuſiæ anno poſt milleſimum incerto inter octogeſimum tertium & nonageſimum primum, Guillelmus de Elbura ſeu de Yporegia anno tertio decimo poſt milleſimum centeſimum, Cartuſianus Majoreuenſis anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo, Narrator demum hiſtoriæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartuſienſis anno poſt milleſimum centeſimum primo & quinquageſimo, aut circiter. Marſyas addit, Ioannes Gerſo locutus eſt quidem de hoc prodigio, & de ſeceſſu Bru-

nonis

nonis in eremum ex eo; sed veluti de re dubia; *ab eo*, inquit, *cepisse dicitur ordo Cartusianorum*; quasi diceret, fama est ordinem Cartusianorum, ab eo cepisse. Respondeo falli Marsyam. Verbis *dicitur, fertur*, atque similibus non semper significatur res dubia, vt intelligitur ex aliis & ex Liuio lib. 30. num. 14. Docuerat libro 29. num. 23. Asdrubalem Sophonisbæ filiæ *blanditiis*, auertisse Syphacem Numidarum regem generum à Romanis, & Scipione Romanorum in Africa imperatore; & lib. 30. num. 7. Syphacem reparasse bellum in Romanos & Scipionem, cùm Sophonisba vxor filia Asdrubalis, *non iam vt antè blanditiis satis potentibus ad animum amantis, sed precibus & misericordiâ valuisset*: addidit tamen num. 14. Scipionem voluisse, *vt Senatus populique Romani de ea captiua iudicium atque arbitrium esset, quæ* Syphacem *Regem Romanis Socium alienasse, atque in arma præcipitem egisse diceretur*. Hìc verbum *dicitur* non est de re dubiâ, sed de certâ, vt vides.

73 Secundò Marsyas hæc habet. *Guibertus Brunoni coæuus rerum harum non meminit, qui cùm de eius conuersione diceret, videtur non debuisse prætermittere.* Respondeo. Guibertus, fateor, Brunoni coæuus fuit, sed solam initiorum conuersionis eius occasionem, vt proposuerat, dixit; quæ ab excessu Remorum, ob Manassis Archiepiscopi vitam improbam, vt ex occasione fuerunt, causas illorum non dixit, neque verò dicere proposuerat, in quibus fuit Parisiense prodigium, quod igitur debuit prætermittere. Marsyas addit Vincentium Bellouacensem tacuisse hoc prodigium, qui *prodigiorum huiusmodi est non incuriosus inuestigator*. Respondeo Vincentium multa huiusmodi prodigia tacuisse, neque vnus potuit vniuersa seu legere, seu colligere: quid ergo magnum est quòd istud tacuit? sed quid est cur asseramus non ignorasse hoc prodigium, quod nullus ad illam diem ediderat in lucem, & apud solos Cartusianos latebat in libris & chartis ineditis?

74 Tertiò vrget Marsyas. *Historia prodigij Parisiensis videtur conflata ex duobus à Cæsario Cistercienſi relatis, quæ annis post Brunonem centum aut circiter euenerunt.* Respondeo. Hoc antè Marsyam ab Antonini & Gersonis temporibus nemini visum est, atque post Marsyam vni Aduersario, si tamen ipsi, cùm non ipse suas, sed Marsyas eius tibias inflauerit. Vt existimaretur ex illis duobus conflata, certè debuit à Marsya priùs doceri falsa. Sed vide egregium ratiocinandi genus. Marsyas primùm sic loquitur, *Historiam hanc faciunt dubiam duo.* Deinde alterum eorum, quæ illam faciunt dubiam affert, exponitque istis verbis, Hæc *historia videtur conflata ex duabus, quas Cæsarius Cistercienſis recitat*, neque addit cur quæ à Cartusianis asseritur, centum annis ante ambas illas à Cæsario allatas, videatur & sit ex ipsis conflata. Hoc paruum est, videamus historias duas, quæ apud Cæsarium leguntur. Altera est canonici Parisiensis, qui post mortem visus est ab amico, cui se damnatum Inferis asseruit: altera Clerici in Francia, qui è feretro rediuiuus, se dixit iudicio Dei addictum iisdem Inferis. Si Marsyas asseueraſſet hanc vnam posteriorem fecisse, vt par prodigium cogitetur egisse Brunonem ad eremum, aliquid attulisse videretur; nunc quid ad rem de qua est contentio, affertur illa Canonici, quæ non est hominis rediuiui, nihilque habet de prodigio Parisiensi? Afferri tamen profectò debuit à Marsya, vt quod excogitauerat ipse, diceretur Parisiense prodigium conflatum

conflatum è duobus, altero Clerici *in Francia*, altero Pariſienſis Canonici.

Quartò Marſyas vult Theologiam non fuiſſe prælectam Pariſiis tempore Brunonis, eumque ipſum illam prælegiſſe Remis, vbi Vrbanus ſecundus ante Pontificatum audiuerit prælegentem, Caſtilionæus domo. Audio eleganter ac venuſtè dictum, ſed ad damnandam falsi hiſtoriam, de qua diſputatio inſtituta eſt, parum aptè. Volo Brunonem non prælegiſſe Theologiam Pariſiis, & Theologiam temporibus Brunonis nondum prælectam fuiſſe Pariſiis. Volo Brunonem docuiſſe Theologiam Remis, & Othonem Caſtilionæum, qui poſtea fuit Pontifex Vrbanus ſecundus, audiuiſſe illam Remis, quando habitabat, vt acutè monet Marſyas, leucis à Remis tantùm quatuor, potuit enim ſcilicet iuuenem opibus ac ætate florentem loci proximitas deterrere à ludo literario Pariſiorum vrbis ampliſſimæ longiùs domo poſitæ, & adducere ad ludum Remorum vrbis propinquæ. Quid inde? igitur ne, vt id factum fuerit, continuò negandum eſt Pariſienſe prodigium, negandus eſt Brunonis ex eo prodigio ſeceſſus in eremum? Neque Guilelmus de Elbura, neque antiquiſſimi ſcriptores alij quidquam de Pariſienſi Theologia Brunonis tradidere: Henricus de Kalkar nihil etiam profitetur ſe de illa legiſſe *in libris autenticis*. Hoc igitur erit fortaſſe qui reponat in illis quæ (vt annotaui numero 63.) ſeu mutamus in hiſtoriis, ſeu ad illas addimus, ex tempore quo ſcribimus. Vtcunque alij ſentiant, potuit tamen doceri tum Pariſiis Theologia, qua in vrbe tum docebantur ceteræ ſcientiæ, vt intelligere eſt ex Abailardo epiſtolâ primâ ad amicum; potuit etiam igitur doceri Pariſiis à Brunone. Qui ex vicinitate domus Caſtilionææ, colligis Othonem, poſtea Vrbanum ſecundum Pontificem, audiuiſſe Remis Theologiam à Brunone; hoc mihi concede, vt ex ceterarum prælectione ſcientiarum, putem Theologiam quoque tum Pariſiis fuiſſe prælectam; & à Brunone prælectam, tanto diſcipulorum fauore, vt nomen illud collegerit, quo adductus eſt Geruaſius Remenſis Archiepiſcopus, ad eligendum in ſacrarum literarum Magiſtrum in Eccleſia ſua. 75

Quintò Marſyas poſt multa concludit omnem ſuam diſputationem, aduerſus Brunonis ex prodigio Pariſienſi ſeceſſum in eremum, his verbis, *Ex dictis certum eſt falsò attributam eſſe Brunoni hanc hiſtoriam.* Reſpondeo. Itane ex dictis certum eſt? At quæ tandem dicta ſunt? Duo tantùm, vt vidimus. Ex illiſne duobus igitur certum eſt hanc, de qua dicimus, hiſtoriam falsò attributam eſſe Brunoni? Hìc ego quidem, quid enim afferam aliquid grauius? vix oculis meis habeo fidem. Antè Marſyas quàm proponeret illa duo, ita ſcripſerat: *Hiſtoriam hanc faciunt dubiam duo.* Itane duo? abs dubio. Itane duo faciunt dubiam? omnino. Non igitur illa ipſa duo falſam eſſe euincunt? Verùm illa duo fortaſſe ſunt eiuſmodi, vt cùm viderentur initio poſſe tantùm dubiam facere hanc rem, poſtea cùm referebantur, & vim ſuam explicabant, ea viſa ſunt eſſe, quæ hiſtoriam, non iam dubiam, ſed falſam eſſe docerent. O te bonum virum qui affers iſta! Nam quæ illa duo, & quarum virium? *Hiſtoriam hanc faciunt dubiam duo. Primum eſt, quòd ante Ioannem Gerſonem & S. Antoninum, nullus ſcriptorum eius meminit, ne Guibertus quidem Abbas Nouigenti. Secundum eſt, quòd hæc hiſtoria videtur conflata* 76

flata ex duobus, quæ annis centum aut circiter post Brunonem, euenisse tradit Cæsarius Cistercienſis. Hæcne duo tantarum ſunt virium, vt quæ principio dubia videbantur, demonſtrent nunc eſſe falſa? profectò illius ſunt imbecillitatis, vt ne dubia quidem facere queant.

77 Sextò Marſyas rem falſam eſſe ſibi videtur colligere, non iam ex dictis à ſe, verùm ex ſcriptis ab ipſo Brunone. *Ex ipſo Brunone*, inquit, *qui res ſuas omnium optimè callebat intelligimus, conſtituiſſe ſæculum relinquere Remis, non Pariſiis; & ad eam cogitationem veniſſe, non huius aut alius, prodigij vi, ſed attentâ vanitatis rerum humanarum, & aliorum, quæ ad Radulphum Remenſem Præpoſitum ſcripſit, cogitatione.* Reſpondeo. Bruno ad Radulphum ſcribens, non ait ſe *Remis*, *non* autem *Pariſiis*, cum eo conſtituiſſe deſerere ſæculum: ait ſe, id cum Radulpho & Fuluio conſtituiſſe, *in Hortulo adiacenti domui Adæ*; vbi autem locorum fuerit, ſiue hic hortulus, ſiue hæc domus, nuſquam addit. Guibertus tamen de Nouigento negat fuiſſe Remis: *Bruno vrbe* (Remenſi, vt addit ipſe etiam Aduerſarius, cuius tibias inflabat Marſyas, paginâ quadrageſimâ) *deſertâ, ſæculo etiam abrenuntiare propoſuit.* Iam vbicumque extra Remos id propoſuerit, cùm poſtea, vt cum ipſo conuenerat, expectaret Româ Fulcium; aut certè Fulcius, iam Româ redux, alia omnia cogitaret, (hoc enim obſcurum eſt) Pariſiis à Deo compulſus eſt ad eremum, horrendis vocibus hominis, qui rediuiuus ſe accuſatum, iudicatum, condemnatum exclamabat è feretro. An ergo ille hortulus, illa domus Adæ erant Pariſiis, quam vrbem Bruno Remis excedens adierit cum
78 Radulpho, Fulcio, & aliis? Atque ego quidem non video, cur Marſyas hunc ex eo prodigio ſeceſſum fuiſſe negauerit Cartuſianis (& ipſum illi plurimùm vti vltro fatetur, deuinxerant ſibi) per vniuerſum terrarum orbem aſſerentibus linguâ, calamo, penicillo, ſcalpro. Quid adeò non abſurdi, ſed noui, inſolentis, mortalibus inauditi, in illo viderat vnus mortalium, vt illum pernegaret, quem ceteri per vniuerſam Eccleſiam homines vltro & fatebantur tum, & ſuſpiciebant. Nam quòd affert ſe non legiſſe ſcriptorem, qui ante Gerſonem ipſius meminerit, quid tandem eſt? Non omnia quondam ſcripta peruenerunt ad ipſius manus, nihilque eorum non etiam nunc latet in ſacrarum ædium, Monaſteriorum, doctorumque apud Hæreticos quoque virorum armariis, quod omnes reliqui mortales ignorant. Quàm multa, tabularum ipſe Marſyas veterum curioſus, eduxit è tenebris, & ſeu in ſuos antiquorum Galliæ Conciliorum tomos, ſeu in ſuas aut ineditorum, aut inemendatorum ſcriptorum notas contulit, nobis ad ipſum vſque non viſa? Poterat igitur profectò, poterat cogitare, ſeceſſum Brunonis ex eo prodigio in eremum, latere in veteribus chartis, quæ nondum ad typographos dimanarunt: & apud Cartuſianos latêre ſuadebat, perpetua, & per ſæculorum ab ipſo Brunone vniuerſorum memoriam ſtabilis, & inconcuſſa in illius aſſeueratione conſtantia virorum, quos ſupra integritatem in omni vita commendant ſinceritas, modeſtia, veracitas, nulli
79 hominum non notæ. Et verò ſcriptores inediti, eum ſingulis à Brunonis morte vſque ad Gerſonem ſæculis, tradiderunt: primo, & eo quo vir ſanctus extremam diem obiit, Narrator *Hiſtoriæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartuſienſis*, qui ſcripſit ſub annum à milleſimo centeſimo primum & quinquageſimum, aut circiter; ſecundo Anonymus Maioreuenſis,

sis, qui scripsit millesimo ducentesimo nonagesimo octauo; tertio ineunte Guilelmus de Elbura, siue Yporegia; ad exeuntem accedente Chronologus Priorum Cartusiæ; exeunte Henricus de Kalkar; scripserunt enim hi tres post annum millesimum trecentesimum, decimotertio Guilelmus, inter octogesimum & nonagesimum incerto Chronologus, Henricus exeunte. Taceo autores, seu chartarum ante quinquagesimum à morte Brunonis annum scriptarum Turri in Calabria, seu librorum autenticorum, & testimoniorum veridicorum, quos Henricus de Kalkar legit, quoniam ad manus meas non peruenerunt. Scriptores illorum, aut ipso quo sanctus Bruno mortuus est sæculo floruerunt, aut etiam fortasse vnus aliquis ante Brunonis mortem.

Iam vt scriptores prodigij Parisiensis, & ex eo secessus Brunonis in ere- 80
mum non haberemus, cur negabis hoc vtrumque, nullis literis consignatum, peruenisse ad nos per traducem? Non omnia, vt gesta sunt, vt committuntur literis: multa post mortem illorum qui gessere, multa post centum ab ipsâ annos, neque pauca post ducentos, quibus, cùm iam commissa fuere literis, nemo negat fidem, nemo silentium vniuersorum retrò scriptorum opponit. Illustre est, quid enim plura referam? atque ad rem quam nunc ago maximè facit, quod Ioannes Cluniacensis Monachus scripsit Ticini, de sancto Eutycio, libro primo de vitâ Sancti Odonis Cluniacensis Abbatis, in hæc verba. *Eutycius fuit temporibus Ludouici magni Imperatoris* (Ludouicum Pius loquitur, qui cepit imperare anno Christi octingentesimo decimo quarto, desiit octingentesimo quadragesimo) *carus videlicet regi, omnibusque amabilis: nam cùm esset laicus, & peregrinis studiis eruditus, deserens ea vnde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit Beatorum Patrum regulis & institutionibus, ex quibus nempè autoritatibus diuersas consuetudines sumpsit, vnoque volumine colligauit. Deinde non multò pòst Monachus est effectus, & in tanto amore apud Regem habitus, vt intra Palatium suum illi construeret Monasterium. Decurso enim vitæ præsentis stadio, circumstantibus vndique fratribus, subitò emisit spiritum. Contigit interea dum à discipulis pij patris pararentur obsequia, ecce rediuiuus qui fuerat mortuus. Illis verò attonitis, & mirantibus, dixit pater Eutycius: Deo gratias; scitis quia ex his vnam tantùm diem non memini me cibum sumpsisse, nisi prius fleuissem. Hodie namque sublato mœrore consolatus est me Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. Dicens hæc quieuit perpetuè. Ipse enim Pater Eutycius, institutor fuit consuetudinum, quæ hactenus in nostris monasteriis habentur.* Hactenus Ioannes Monachus Cluniacensis. Hic vir, anno non- 81
gentesimo trigesimo nono, se iuuenis adiunxit Cluniacensibus, post mortem sancti Eutycij annis centum, & quod excurrit. Nemo ante ipsum ediderat illud Eutycij rediuiui prodigium, non discipuli, non Berno, qui consuetudines ab eo è Patribus collectas induxit in suorum Cluniacensium Ordinem, non Odo, non alij Cluniacenses Abbates: nemo post ipsum ex iisdem Cluniacensibus seu Monachis, seu Abbatibus ad nostra vsque tempora. Ea quæ primus tanto post Eutycij mortem tempore, mandauit literis Italus Papiæ, acceperat à maioribus per traducem, vnâ voce, sine omni scripto prodita; illique tum, & postea vsque ad nos accrediderunt vniuersi: neque ad hanc diem inuentus est, qui fidem scribenti negaret,

atque cum Aduersario (vt ad illum aliquando reuertar) exagitante prodigium Parisiense à Cæsario Cistercienſi traditum, exclamaret: *Hoc* Eutycij *miraculum si contigit, in Gallia contigit*, domoque Ludouici Pij: *Et certè tunc mirum esset, è tot tantisque scriptoribus, quibus abundabat Gallia, neminem illud notasse, quod homo* Papiæ *degens* in Italiâ notasset. Malum! Aduersarius vt Marsyam sequatur suum, obseruet, tueatur, negat fidem vniuersis nostrorum, & omnium à sancto Antonino temporum, Cartusianis, qui & voce, & imaginibus colore, cera, ligno, lapide, metallo factis asseruerunt Brunonem ac socios, funestis vocibus hominis rediuiui, seque è feretro accusatum, iudicatum, damnatum exclamantis actos adiisse Cartusianam eremum: neque illis tantùm, sed etiam clarissimis & antiquissimis scriptoribus, Henrico de Kalkar, qui anno millesimo trecentesimo nonagesimo octauo testatus est hoc prodigium *apud Cartusienses communiter videri scriptum*, idque se legisse in *libris autenticis* ac *testimoniis veridicis*; Chronologo Priorum Cartusiæ, & Guillelmo de Elbura, qui illud idem scripsere post annum trecentesimum, hic decimo tertio, ille inter octogesimum tertium & nonagesimum primum incerto; Maioreuensi Cartusiano qui scripsit anno octauo & nonagesimo post millesimum ducentesimum; Narratori demum historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis, qui scripsit anno post Brunonem quinquagesimo aut circiter. Ergone fides, quæ Ioanni Cluniacensi scriptori prorsus ignoto conceditur, neganda est Cartusianis, qui singulis à Brunone ad nos vsque sæculis asseuerauerunt Brunonem parentem, ferali illo Parisiensi prodigio adactum fuisse
82 ad Cartusianam eremum, quam incolunt? Denique vt taceam ætatem scriptoris librorum autenticorum, quos Guillelmus de Elbura legit, & Narratorem historiæ inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis, qui videtur scripsisse ipsis initiis prioratus Basilij, & par ætate fuit discipulis Brunonis, ipsumque Brunonem videre potuit, ac è Brunonis ore ipsum audire prodigium, Ioannes sua de Eutycio edidit sub annum centesimum quinquagesimum ab eius morte, Cartusianus autem Maioreuensis secessum Brunonis in eremum quem tradit, accepisse, quod potuerat, cur non dicetur puerulus ab iis qui in prima iuuentute audiuerant illius sociorum discipulos, & in vltima senectute scripsisse centesimo, & nonagesimo octauo post millesimum anno? Addam hoc etiam, adeò ne profligatæ vitæ putabitur fuisse vel Maioreuensis Cartusianus, vel Guillelmus de Elbura, vt hanc vtramque rem finxerit ipse, aut ab alio confictam tradiderit ipse pro vera? Iam si ab antiquioribus Cartusianis ambos accepisse fateberis (& *à patribus narrantibus* se audiuisse ait Maioreuensis) profectò non diffiteberis habitam ab illis pro certâ centesimo post Brunonis mortem anno. Quo igitur tempore arbitrabimur fictam? Patieturne Aduersarius vt ad ipsa sanctissimi Cartusianorum Ordinis, viuente ac vigente ipso Brunone, incunabula, sensim deueniamus, & contendamus fabulam in iis delitescere non potuisse? Quantò æquius erat, sapientius, & ad omnem aptius veritatem, habere fidem Cartusianis de re domesticâ? Vno verbo dicam, veri est similius Gersonem & Antoninum accepisse initia Ordinis Cartusiani à Cartusianis; quàm Cartusianos ab Antonino. Certè Antoninus mortuus est nono & quinquagesimo anno post millesimum quadringentesimum, &

Henricus

Digitized by Google

Henricus de Kalkar annis vno & sexaginta ante mortem Antonini, suo anno octauo & nonagesimo ante millesimum quadringentesimum scripsit prodigium Parisiense, quo ad eremum compulsus est Bruno, *apud Cartusianos* suo tempore *communiter scriptum* fuisse.

Atque hæc sunt, *vir clarissime*, quæ super Cartusianorum initiis, Brunonisque & sociorum secessu in eremum, mihi scribere visum est. Ferme perpetua, vt vides, mihi fuit contentio cum erudito viro. Vtinam vt postulabat res, fuisset omnis literaria. Disiicienda mihi fuerunt etiam, quæ in Cartusianos coniecerat conuitia. Sed conuitium referre nolui, sentiens me pro viris piis, & verè sanctis dicere, qui cum Ambrosio in Psalmum centesimum decimum octauum octonario decimo sexto censent aiente, *Quàm bonum est ferre conuitium, & non referre! is Deum præsulem acquirit, qui conuitianti nescit irasci.* Abs dubio miraberis eruditum virum voluisse probris aduersus eos agere, nullâ prouocatum iniuriâ. Ego magis miror, quòd primus eruditorum virorum aduersus eos dixerit super ipsorum initiis. *In aliena republica minimè curiosum esse, officium est peregrini*, inquiebat olim Cicero. Quantò magis officium est eius, minimè contentiosum esse. Igitur nemo vnus ante Gersonem, & Antoninum, quando apud Cartusianos vulgò legebatur portentum Parisiense, & ex ferali portento secessus Brunonis in eremum; nemo post Gersonem & Antoninum, ausus fuerat contraria dicere, officij sui memor. Inuentus tamen est denique Aduersarius, aut Aduersarij tibiarum inflator potiùs Marsyas, qui vtrumque illud inficiari voluerit, atque pro beneficiis acceptis, beneficium rependens scilicet Cartusianis, voluerit. Tu eruditissime in tuâ curiâ Togatorum, vide an æquo id conueniat. Profectò quod ceteri mortales ad ipsum vsque fecerunt, vt Cartusianis de re sua crederent, tu pro tuâ prudentiâ pronuntiabis factum iure, & Marsyam audiendum non esse, qui rem suam Cartusianis negauerit; & ex eo negauerit, quòd illorum maiores, quorum etiam nomina ignorabat, ante trecentos annos aut etiam quadringentos, vel quingentos, de ea dicentes nunquam legisset. Sed negasse parum fuerit, cur Aduersarius integerrimos viros præterea increpuit, à maioribus accepta referentes de suis rebus? Si audiam abstinere posthac velle omni conuitio, alius fortassis erit ipsum conueniendi locus. Is enim ille est, si nescis, qui semel, iterum, tertióque scripsit Mariam Magdalenam non venisse in Prouinciam, in eâ non egisse vltimam ætatem, in eâ mortuam non fuisse; in eâ denique corpus illius nunc non esse, neque vnquam fortassis fuisse. Vult Ephesi, & extremam ætatem duxisse, & occubuisse; & corpus ipsius, quod Epheso Constantinopolim transtulisset Leo Philosophus, à Gerardo Rossilionæo Vizeliacum, aut Constantinopoli, aut aliunde delatum fuisse curâ & labore Badilonis, qui postea euasit in Abbatem Lutosensem. Certè miror, cùm rem grauissimam aduersus Prouinciales vniuersos ageret, attulisse pro se Modestum præsertim Ierosolymorum Antistitem, & Vvilibaldum Aichstadianum Episcopum. Atque si rem ipsi traderent, aliquid tamen esset: verùm neuter eam tradidit, quam Aduersarius affert. Modestus ait *dici quòd historiæ docent Magdalenam virginem* Ephesi passam esse ac sepultam: ὅτι, φασὶν, αἱ ἱστορίαι διδάσκουσι. Igitur hîc opportunè reponas Aduersario, quod scripsit paginâ nonagesimâ primâ; *Hic* Modestus *auctorem non habet alium præter famam; quæ*

84

85

86

Tertulliano nomen incerti est: Sic enim scribit, *Dicunt, quòd historiæ docent.* Vt autem historiæ hoc docerent, non tamen continuò Modestus ipsum idem asseruisse dicendus est. Sed quæ non iam historiæ, at fabulæ dixerint Magdalenam Ephesi Martyrium subiisse? Vvillibaldus quoque nusquam scripsit *Magdalenam Ephesi requiescere.* Anonymus, & omnino inaccuratus scriptor, hæc ex eo se recitare ait, cùm de illius peregrinatione scribit, apud Henricum Canisium in antiquis lectionibus tomo quarto parte secunda. Verùm consanguinea Vvillibaldi, sanctimonialis Heidnheimensis, siue, vt alij scribunt, Hildishemiensis, quam nonnulli faciunt Sanctam Vvalpurgem, eam quidem peregrinationem apud ipsummet Canisium edidit, sed Magdalenam non dixit Ephesi requiescere. Afferre plura non placet, neque res quam ago postulat. Vnum tamen addo. Aduersarius vtitur etiam argumento abnutiuo in disputatione de S. Magdalena; asseritque neminem antiquorum scriptorum dicere venisse in Prouinciam, in eâ extremam diem obiisse, in eâ demum sepultam. Age, abnutiuo quoque aduersus ipsum vtamur argumento. Asserit Magdalenam occubuisse Ephesi. Quid autem magnus ille Polycrates Ephesinorum antistes? Hic in celeberrima illa ad Victorem Romanum Pontificem Epistola, recenset *præclara*, vt eius verbis vtar, *illa Ecclesiæ seminaria, quæ Ephesi obdormierunt.* Memorat *Philippi vnius ex septem Diaconis filiam, quæ Spiritus sancti afflatu inspirata, vitam piè traduxit, Ephesique obiit in Domino.* Memorat *Ioannem qui super pectus Domini recubuit, qui Martyr & Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit.* Magdalenam omnino tacet.

87 Sed ista hactenus dicta sint Vir Clarissime, ad alia, si tamen alia, veniendum est mihi. Finieram, vt vides, omnem de Brunonis in eremum, ex funestis rediuiui hominis vocibus, secessu disputationem, & de ipsa edenda cogitabam, cùm ecce insperati nuntij, nouarum semina querelarum. Venerant non ita pridem in Cartusianorum Lugdunensium manus, Annales ab orbe condito ad nostra vsque tempora, ab homine Societatis nostræ conscripti; & ex partis secundæ tomo secundo occurrerunt de S. Brunone quærentibus verba sequentia, *Quòd credebatur olim, S. Brunonem conuersum esse portento in morte, & Anastasi Raimundi Diocres Canonici Parisiensis, qui tribus diebus se accusatum, iudicatum, damnatum asseruit, ad hanc vocem Officij defunctorum, Responde mihi, iam pridem ab eruditis explosum est. Et quemadmodum ex Romano breuiario, iussu Vrbani octaui Pontificis expunctum est, debuerat ex eorumdem Cartusianorum claustris obliterari. Sed quid agas? Viri boni, cum maioribus suis errare volunt: & placet eis error, quoniam antiquus est, atque in pariete, & oleo depictus insulsè ac parum eruditè!* Ad hæc verba hæserunt attoniti, neque satis credebant oculis suis. Stupuimus etiam de Lugdunensi Societate vniuersi, ad quos ab homine, qui rem fortè acceperat, derepente deuenerunt voces, ad illam diem ignotæ, quas aliquando, certè ab æmulis, exprobratum iri sentiebamus, vtpotè plurimùm alienas ab ea veneratione, quam singuli præcipuam Cartusianis debemus, pro sincero, & ab incunabulis nostris perpetuo, in nostram Societatem vniuersam amore: atque post vnum mensem, aut alterum, ego vnus omnium maximè, cùm
88 Romà accepi mandatum respondendi huic scriptori. Scilicet Ioannes Paulus Oliua, Societati nostræ Præpositus, triste illud elogium sanctissimi, nostroque

ſtroque coniunctiſſimi Ordinis, ægerrimè vniuerſorum tulit. Igitur vt rem audiuit, vt ad Ioannem Pegon Priorem Cartuſiæ, ac moderatorem vniuerſi Ordinis, ſcripſit in hæc verba; *Iſta res adeò me vehementer mouit, vt quemadmodum ſentio nullis literis aſſequi valeam meis.* Neque tu, ſapientiſſime vir, non vides æquum poſtulare, vt vnus quis noſtrum, bona veracique deleat manu, quod alter minùs veraci, minùſque bonâ ſcripſit. Sed ſcilicet cùm Societati noſtræ Præpoſitus accepiſſet, me de Brunonis ex Pariſienſi prodigio in eremum receſſu ſcribere, exiſtimauit hanc veluti appendicem operi meo deberi. Vtcumque autem hoc habeat, quæ hactenus de illo receſſu ſcripſi, id quidem omnino conficiunt quod incumbit nunc mihi, prorſuſque docent S. Brunonem conuerſum eſſe portento hominis Lutetiæ rediuiui, & ſe æternis inferorum cruciatibus à Deo damnatum exclamantis; neque quòd falſum ſit, verùm alias longè ob cauſas expunctum eſſe è Romano Breuiario: conuerſionem igitur eamdem, quæ magno vniuerſorum mortalium ad omne virtutis genus compendio, & in Cartuſianorum clauſtris, & in aliis locis vulgò pingitur, *obliterandam* non eſſe. Ne ſe tamen hîc Annalium ſcriptor contemptum arbitretur, ſi de ipſo prorſus taceam, atque vt Romano videar paruiſſe mandato, etſi cauſa omnino iam in ſuperioribus confecta omnis eſt, nonnihil pro loco nunc adiungam; & quod in Epiſtola Marſyæ ad Romanorum Priorem Cartuſianorum feci numero 74. & ſequentibus, excutiam paucis ſingulas elogij Aduerſus Cartuſianos ab illo editi partes. Quoniam verò ſuam quoque, ipſamque falſam, ſcripſit de anno ſententiam, quo Cartuſiam venit Bruno, etiam de illo vera afferam, neque diu, Clariſſime vir, tenebo te.

Quod credebatur olim, inquit Annalium ſcriptor, *S. Brunonem conuerſum* 89
eſſe portento in morte & anaſtaſi Raimundi Diocres, Canonici Pariſienſis, qui tribus diebus ſe accuſatum, iudicatum, damnatum aſſeruit ad hanc vocem Officij defunctorum, Reſponde mihi, iam pridem exploſum eſt ab eruditis. Raimundi Diocres nomen apud Cartuſianos hactenus auditum non eſt. Aiunt Brunonem conuersùm eſſe in morte & anaſtaſi hominis; ſed huius hominis nomen à maioribus non acceperunt. Sutor ergo paginâ mihi ſecundâ ſic loquitur: *Fatemur ingenuè nullum Doctoris rediuiui illius nomen per nos adductum fuiſſe, quòd nullum ſit literarum monumentis, quod viderimus, proditum.* Eum fuiſſe Canonicum Pariſienſem non aſſerunt Henricus de Kalkar, Guillelmus de Elbura, Chronologus Priorum Cartuſiæ, Anonymus Maioreuenſis, Narrator inchoationis & promotionis Ordinis Cartuſienſis, antiquiſſimi ante Gerſonem & Antoninum ſcriptores de receſſu S. Brunonis in eremum ex Pariſienſi prodigio; neque aiunt ſe damnatum exclamaſſe ad hanc vocem Officij defunctorum, *Reſponde mihi.* Qui recentiores iſta duo, aut eorum alterum attulerunt, locuti ſunt pro communiſſimo eorum hominum more qui ad populum dicunt; &, vti monebam numero 65. *Se ad ſuorum temporum popularem ſenſum accommodauerunt, & ad afferenda illa facilè deuenerunt, quæ vulgò pronum erat cùm ſcribebant pro loco cogitare, primùmque occurrebant audientibus Pariſienſe prodigium.* Hominis denique huius anaſtaſim *iam pridem ab hominibus eruditis exploſam eſſe* falſum eſt. Aduerſarius quidem, aut Marſyas potiùs Aduerſarij tibiarum inflator, eruditorum primus ſcriptorum eam negauit; &, ſeu agente, quod non facilè pro viri perpetua humanitate

tate crediderim, seu insscio, Aduersarius explosit. Annalium autem scriptor, quòd is solus rem accuratiùs edisserentium fecit ad hanc diem, asserit factum ab eruditis. Nam si qui alij Marsyam pro nominis celebritate secuti, rem aut voce, aut scripto negant, non continuò dicendi sunt explodere. Eruditi viri, modestiæ quæ ipsos decet memores, agunt argumentis ex rei natura, aut sapientium virorum testimonio acceptis, non iniurioſis, quod ex-
90 plodentium est, atque contumelioſis vocibus. Verùm vt disputatio non sit de voce, scriptor Annalium fruatur suæ huius vsu, ego certè, vt hinc incipiam de te dicere, vehementer miror Catholicos Sacerdotes seu explodere, seu negare vniuersis toto orbe Cartusianis contrà nitentibus magnâ vi, & suorum maiorum sententiam voce, scriptoque singulis ab ipso Brunone sæculis firmatam opponentibus, quod centuriatores Magdeburgenses acerrimi ceterà & impudentissimi Monachorum & aduersarij & osores, neque explodere, neque negare, pro sui ad omnes toto orbe populos vulgatissimâ celebritate ausi sunt, admiseruntque etiam non sine laude centuriâ vndecimâ columnâ mihi trecentesimâ decimâ tertiâ verbis sequentibus. *Omnibus* portento hominis, se accusatum, iudicatum, damnatum *tristi querelâ exclamantis, cum metu examinatis, Bruno rei tam stupendæ spectator, cum quatuor eruditis, & duobus idiotis, petiit eremum, cui hodie Cartusiæ nomen est*, &c.
91 *Eò igitur Bruno ad res diuinas intentus primum cœnobium fundat.* Deinde si Annalium scriptor amabat non Cartusianos, vt par erat, sed eruditos alios aut sequi, aut afferre viros qui de re sapienter & accuratè dixerint, cur Aduersarium ex eruditis vnum consuluit, autoremque sibi ad scribendum accepit, aut Marsyam potiùs, qui Aduersarij tibias inflauit? Eruditus, fateor, fuit Marsyas: Theophilus autem Rainaudus quis? Ille abnutiuo nescio quo argumento prodigium hoc negauit Cartusianis, per sibi notorum ex antiquis scriptorum illustre sapiensque silentium, magnis erroribus & inani labore vagatus: Iste Cartusianorum, Catholicorum potiùs vniuersorum, communissimum sensum veneratus, hoc idem ipsum asseruit. Nolo alterius eruditionem cum alterius eruditione conferre; & inuidiæ profectò plena res est. Hoc vnum aio: Theophilus ea fuit indole, eo à natura ingenio, vt & prodigia, & alia, quæ ad animos populorum commouendos faciunt difficilè sine magnis auctoribus admitteret, sicutî affirmant Heteroclyta spiritualia, & alia non pauca hominis opuscula. Sed sapientiæ suæ, ac bonæ menti dedit, vt Parisiense hoc admitteret prodigium. Nam si de eruditione certandum sit, qui illam ipsi negauerit, se probabit ineruditum, obruendumque præbebit nouendecim magnis, neque non spissis, ab eo scriptis voluminibus. Cùm igitur duo tantùm virî dissertationem accuratam magnis; &, vt ita loquar, totis animis, dicendique etiam aduersus contraria sentientes viribus instituerint, de hominis Lutetiæ rediuiui prodigio, & ex eo conuersione Brunonis ac secessu in eremum, Marsyas Aduersarij manu, & Theophilus Raynaudus suâ, eruditi ambo, ambo scriptis libris nobiles, ego quidem non video, cur Annalium scriptor noluerit Theophilum sequi aientem, plurimisque rationibus comprobantem, quod Cartusiani allatum domo suaserunt vniuersis toto orbe Catholicis, malueritque stare à Marsya negante id, quod quia solos apud Cartusianos, vtpote domesticum, inuenirî potest, apud alios deuius quæsitor non legerat. Queror

etiam

etiam quòd affirmet ab eruditis explodi, quod à sui Marsyæ (vt magis putabam) lenitate suauitateque omnibus notissima aberrans, Aduersarius explosit vnus, laudante è contrà, verissimisque argumentis asserente veritati Theophilo. Præterea in annalibus istis hæc lego, *S. Brunonem conuersum esse portento iam pridem ab eruditis explosum est.* Itane *iam pridem* explosum est? omninò, inquies: sed quod, & quantum temporis est illud, quod vocibus *iam pridem* significatur? Quingentos forsitan, aut quadringentos cogitabit nonnemo hìc annos, aut certè trecentos? Nequaquam. Non triginta, aut verò quadraginta sunt anni, cùm Marsyæ venit in mentem prodigium istud negare, quia nullis ipsum in libris, seu manu seu typo scriptis legebat. Magna viri confidentia! Quasi datum esset hoc tibiis Aduersarij quas inflabat, vt vniuersos manu etiam scriptos traherent ad se libros, quod Orphei Lyræ concesserunt Poëtæ, vt animantes quoque brutas, arboresque ad se cogeret. Cùm agatur de re ab annis ferè sexcentis & gesta & credita, Annalium hesternus autor vult *iam pridem* explosam, ex eo quòd Marsyas à paucis annis, triginta scilicet aut quadraginta, eam negauit, & Aduersario fuit autor negandi; & Aduersarius pro animis à Marsya factis explosit vnus. Ego potiùs non *iam pridem*, sed nouiter & explosam & negatam aio; atque ex eo, vt aliud non esset, abiiciendam non explosionem sed negationem puto. Viguerat ipso duodecimo, quo ineunte Bruno mortuus est, sæculo illa de secessu Brunonis in eremum ex isto prodigio sententia, vt eo adulto scribebat Narrator inchoationis Cartusianorum: viguerat decimo tertio ex Maioreui Anonymo, qui se testatur ipso exeunte scripsisse: viguerat decimo quarto, vt ineunte Guillelmus de Elbura, adulto Chronologus Priorum Cartusiæ, exeunte Henricus de Kalkar, doctissimi & sanctissimi viri, illis ipsis tradidere temporibus: Viguisse quinto & sexto post decimum, ac demum vigere nostro hoc sæculo, nemo nescit: & quæ nuperrime, atque, vt ita pro longitudine temporis quo viguit loquar, nudius tertius facta est illius explosio ab Aduersario, eoque vno, per animos à Marsya acceptos, dicetur *iam pridem facta?* Malum! ab Annalium etiam scriptore, qui per sæcula singula, singulosque etiam ferè annos attentus temporum æstimator it, dicetur facta? Placet hìc manum sustinere, & hanc orationis meæ pro Cartusianis partem illis ipsis verbis concludere, quibus suam aduersus ipsos occepit Annalium scriptor. *Credebatur olim*, inquit ipse, *S. Brunonem conuersum esse in morte & anastasi Raimundi Diocres Canonici Parisiensis.* Omnino, inquam ego, credebatur olim ab anno Christi millesimo octogesimo quarto, & ad nostra vsque tempora credebatur, Brunonem conuersum esse Parisiis, in morte & anastasi hominis. Ex vero autem addo sequentia: sicuti olim credebatur, & ad nostra vsque tempora credebatur, ita nunc etiam creditur. Quæ Aduersarius tertiùm quoque scripsit, & per Lutetiam sparsit, non ea sunt, vt fidem illam quæ per sæcula ferè sex steterat inconcussa, potuerit seu extinguere, seu deiicere. Nunquam ille, aut potiùs per illum Marsyas, eam diruet, aut etiam excutiet, vel imminuet vno abnutiuo illo argumento, si tamen argumentum est, quam innumeri Cartusiani, & sanctitate vitæ, & sinceritate præstantes, toto orbe per ducenta circiter monasteria

sparsi, & suorum ab ipso S. Brunone parente maiorum traditione perpetuâ, & fidelissimis per singula ab eodem Brunone sæcula scriptorum monumentis firmant & sustinent. Eam ille, & nescio qui pauculi, Marsyæ eruditione commoti, nuper polluerint Lutetiæ: reliquâ omni Galliâ, totâ Italiâ, Lusitaniâ totâ, totâ Hispaniâ, Germaniâ totâ, toto demum orbe Christiano quantus est viuit ipsa & viget.

94 *Et quemadmodum*, pergit Annalium scriptor, *ex Romano Breuiario iussu Vrbani octaui Pontificis expunctum est, debuerat ex eorumdem Cartusianorum claustris obliterari.* Hìc fateor Romanos censores, Vrbano octauo Pontifice probante, sustulisse prodigium Parisiense ex Breuiario: sed quòd idcirco debuerit etiam ipsum è Cartusianorum claustris obliterari pernegò. Si ex Breuiarij *lectionibus solummodo deletum fuisset, quidquid ad illud spectabat*, vt falsò asseruit Aduersarius paginâ 175. Annalium scriptor fortassis haberet aliquid, cur *obliteratum* quoque vellet *è Cartusianorum claustris*: nunc cùm ij ipsi censores, illo ipso eodem Pontifice probante, expunxerint è Breuiario celeberrimam quoque illam, Brunonisque, ac nostris etiam temporibus vtilissimam in omnem partem, & Ecclesiæ perhonorificam professionem fidei, Berengarianæ hæresi nondum omninò tum extinctæ, & Caluinianæ nunc viginti prorsus oppositam, ego quidem non video cur velit obliterari illud prodigium è Cartusianorum claustris, quoniam è Breuiario expunctum est. Vt illorum claustra ob alios fines surrexerunt, quàm Breuiarium est conditum, ita etiam illorum in claustris pingi possunt longè alia ab illis quæ in Breuiario conscripta legimus. Aduersarius voluit *solam falsitatem* historiæ à censoribus expunctam fuisse. At solamne falsitatem? omnino solam, inquit. Quibus testibus, quibus argumentis hoc euincit? *Alia nulla potior causa* (sunt eius verba) *ecclesiasticis præscribitur regulis, præterquam deprehensa falsitas, qualis in lectionibus vigiliarum S. Brunonis deprehendi potuit ab Romanis correctoribus, qui sacris Ecclesiæ ritibus præsunt.* Vah turpe argumentandi genus? Volo nullam potiorem causam expungendi aliquid è lectionibus Breuiarij esse, præterquam falsitatem: volo falsitatem potuisse deprehendi à Romanis correctoribus in lectionibus vigiliarum S. Brunonis. Quid ergo? Qui fateris illam esse potiorem causam delendi aliquid, profectò negas solam esse, & ais alias etiam afferri posse, non potiores quidem, sed veras tamen. Vnde igitur habes censores Romanos, cùm aliqua sustulerunt è lectionibus vigiliarum S. Brunonis, spectasse illam potiorem, non aliam? Deinde cur ais falsitatem potuisse deprehendi in illis lectionibus? deprehensam debuisti dicere; antè scilicet quàm *ob falsitatem deprehensam* corrigerentur, debuit falsitas in illis deprehendi. Verùm ex ipsa earum correctione certum est censores noluisse falsitatem expungere, quam scilicet nullam inuenerant, cùm egregiam illam professionem fidei expunxerint, quâ moriturus Bruno in hæc verba, iis ipsis testibus qui tum intererant, locutus est: *Credo panem & vinum quæ consecrantur in altari, esse post consecrationem verum corpus Domini nostri Iesu Christi & verum sanguinem.*

95 Petes. Si censores Romani habuerunt prodigium Parisiense pro vero, cur illud è Breuiario sustulerunt? Respondeo. Modesta, & non abiicienda postulatio. Eam debuit Aduersarius, Annalium scriptor debuit afferre,

afferre, non autem visâ feralis illius prodigij è Breuiario expunctione continuò pronuntiare, ex eo *ob falſitatem deprehenſam* deletum eſſe. Bartholdus Nihuſius epiſtolâ ad Andream Sauſſayum aſſerit ſe Romæ per Ioannem Nicium Erythræum poſtulaſſe hoc ipſum à Romanis cenſoribus, & id reſponſi accepiſſe; *Nequaquam iſtud è Breuiario ſummotum eſt, quòd iudicaretur eſſe fabuloſum, ſed alia de cauſa.* Antè affero quàm hoc aliud cauſæ, vide quid Nihuſij verbis ſubiungat Aduerſarius: *Parum veriſimile eſt, quod in iſta epiſtola tradit Nihuſius.* Proh ſcribendi licentiam! nolo aliud addere. Veriſimillimum, verum potiùs eſſe, ea docent quæ Annalium ſcriptor poterat legere in Stylita myſtico, ſi maluiſſet, vti par erat, rem ex vero cognoſcere, & hac in parte ſequi Theophilum Raynaudum, neque nimiùm indulgere ſuo Marſyæ. *Puteanus* Romæ Cartuſiani Ordinis vniuerſi Procurator *mandante Generali*, inquit Theophilus puncto 3. numero vigeſimo tertio *libellum ſupplicem obtulit Congregationi rituum, & reſponſum tulit mentem ſanctæ Congregationis nunquam fuiſſe improbare, aut in dubium vocare narrationis huius veritatem, ſed conſultius viſum eſſe eam expungere, quòd mos Eccleſiæ ferat in ſacris Officiis Sanctorum qui religioſas familias inſtituerunt, recenſere eorum vitas, non cauſas ex quibus ad inſtituendum Ordinem ſuum fuerint impulſi. In Vaticana Bibliotheca eſt liber, Maiorum authoritate ad poſterorum informationem conſcriptus, de rebus in nupera Romani Breuiarij recognitione mutatis. In eo autentico opere, cùm ad mutationem factam in lectionibus Officij S. Brunonis deuenitur, diſertè ac liquidò proditur, expunctam eſſe eam de Doctore damnato narrationem, quòd lectionibus, quarum breuiatio captabatur, prolixitatem iuſto maiorem inferret, nec ſupereſſet locus propriis S. Brunonis ornamentis atque virtutibus, quas potiùs intererat in ſacris lectionibus percenſeri.* Hactenus habet Raynaudus in Stylita myſtico. Ex illo intelligis Pariſienſe prodigium è Romano Breuiario ſublatum eſſe, non quòd falſum ſit, ſed quòd non multùm faciat ad S. Brunonis virtutes, quas in eius Officij lectionibus conſcribi par eſt; atque ſi iis inſeratur, faciat iuſto longiores: neque ſoleat Eccleſia in illis ſcribere cauſas, quæ ſanctos viros impulerunt ad inſtituendos Ordines regulares, quibus ſua fecerunt initia. Cùm autem hæc ita habeant, certè ex eo quòd iſtud prodigium è Breuiario à Romanis cenſoribus, Vrbano octauo comprobante, expunctum eſt, non debuit Annalium ſcriptor dicere, quòd debuerit etiam à Cartuſianorum clauſtris obliterari.

Addit tamen exultabundus, & veluti proſtratum increpitans hoſtem, *ſed quid agas? viri boni, cum maioribus ſuis errare volunt.* Errare? Cum maioribus ſuis errare volunt Cartuſiani? Vah acerbas & aſperas voces! Cur non addit errare cum Romanis cenſoribus, errare cum Gregorio decimoquinto Pontifice? aut etiam, cur non aſſeuerat errare non cum Maioribus ſuis, ſed cum eo vno Pontifice; cui, ſi hoc placet, Romanos addere poteſt cenſores? Profectò enim ſi in Sancti Brunonis Officij lectionibus erat error, Gregorius Pontifex vnus ille eſt, qui eum in ipſas intulerat, ſuadentibus Romanis cenſoribus. At quis audeat hoc aſſerere? Neque igitur debuit Annalium ſcriptor errorem Cartuſianis affingere. Alius quis ipſum potiùs, quàm 96

seu Gregorium Pontificem, seu Cartusianos errare asseruerit, eique reposuerit illud suum *sed quid agas? vir bonus* cum Aduersario errare voluit: aut potiùs maluit errare cum Aduersarij Marsya quàm cum Theophilo Raynaudo vera sentire. Sed propositi ego mei memor, abstineo ab hac, & aliâ omni contumeliâ. Vnum tamen dico cùm Annalium scriptor conuitia hæc voluebat animo, scribereque parabat, cur non sustinuit momento certè calamum, cogitauitque quis ipse sit, & qui tandem ij quos & viros bonos appellare meditabatur, & erroris arcessere, adeóque improbæ in errore pertinaciæ ac impudentiæ, vt ipsum efflictim adament, & perdurare in eo velint. Quid? quòd subiungit etiam sequentia, quæ de homulis per omnem profligatæ vitæ licentiam perditis nemo facilè sentiat. *Et placet eis error quia antiquus.* Nam vt taceam, & eius cogitationi relinquam quis ipse sit si cum Cartusianis componatur, qui tandem Cartusiani? Principio in vniuersi præ-
97 sulibus Ordinis inuenio duos eo sapientiæ, sanctitatis, scientiæ claros nomine, vt Cardinalium non pauci contenderint ipsis suis suffragiis in summum Pontificatum euehere, Ioannem Burellum, qui anno sexagesimo supra millesimum trecentesimum mortuus est, atque Guillelmum Raynaldum, qui secundo post millesimum quadringentesimum. Hos quis audeat vocare viros bonos, & dicere quòd errarunt, & in maiorum errore voluerunt hærere? Deinde quod in nullis ceterorum Ordinum Generalibus Præpositis fortasse inuenies, in ipsis iisdem Cartusiæ Prioribus lego fuisse omnino quatuordecim, qui scripserint libros sapientiæ, pietatis, scientiæ suæ testes. Eorum vnus Bonifacius Ferrerius, sancti Vincentij illius Dominicani toto orbe celeberrimi frater, fuerat vnus de septem regentibus regni Valentiæ in Hispania, antè adiret quàm Cartusianum Ordinem. Bonine viri dicendi sunt, aut seu erasse, seu errorem maiorum adamasse adeò illustres sapientiâ & scientiâ viri? sed ad alios à Cartusiæ Prioribus accedamus? In illis
98 ego quidem censeo è Cartusianis Episcopos, vt enim ad Episcopatum euecti fuerint, inuenio tamen vniuersos ab Ordine inuitos recessisse, & in illo potiùs quàm in Episcopali fastigio mortem obire optasse. Nicolaus Albergatus & pietate & doctrinâ insignis, Bononiensium antistes fuit, & ex antistite Cardinalis. Antonius Surianus Venetiarum Patriarchatum gessit cum laude. Guigo, & Bonifacius Sabaudiæ Ducum filij, è Cartusianis ille Augustensis antistes, Valentinus hic, Ecclesiam magnis facinoribus illustrarunt. Desiderius è Forcalquerienſium gente Regulorum Episcopus, Diæ Vocontiorum sedit. Quid ceteros enumerem? Binas triades accipe, alteram claritudine generis illustrissimam, sanctitate etiam vitæ præfulgentem alteram. In priore censentur Bertrandus, Bermundus, & Petrus Sabranius, Sistaricenses Episcopi; in posteriore Bernardus, Stephanus, Odolricus Dienses. Profectò fuit è Sabraniis quondam vir, qui haberet in matrimonio filiam vnicam Forcalquerienſis principis, cuius Comitatus suppar erat Comitatui Prouinciæ: fuit è Bermundis qui duceret filiam Comitis Tolosani. Stephanus verò Diensis præsul, & totâ vitâ claruit magna ingentium vi miraculorum, & intra viginti à morte annos reddidit vitæ mortuos vndecim. Ab Episcopis populorum rectoribus veniamus ad scriptores, Ecclesiarum
99 lumina quas editis erudierunt libris. Tulit Anglia & alios, & Thomam Spenserum, Mauritium Chancæum, Ioannem Balmanſonum, Galterum Hyltonum,

Digitized by Google

Hyltonum, Guillelmum Lidtinchtonem; Tulit Italia Ioannem à Deo, Porchetum, Seluaticum. Infinitus ero, si contendam ire per singulas orbis Christiani Prouincias. Quis Hebraicè, Græcè, Latinè doctior Godefrido Tilmano? Ægyptium denique Chalcenterum superauit scriptorum librorum multitudine Dionysius Rickelius, superauit Ioannes de Indagine. Hosne tu bonos viros appellites, errasse asseras, asseueres perstitisse volentes in maiorum errore? Sed qui tandem sunt illi maiores, quos in errore duces sequuntur Cartusiani? vidimus fuisse singulis ab ipsius Brunonis morte sæculis magnos & illustres viros, qui & prodigium Parisiense mandarent literis, & ex eo prodigio secessum Brunonis ac sociorum in eremum; vidimus in illis esse qui rem à discipulis, sociisve Brunonis, ab ipso etiam Brunone potuit accipere: An igitur Annalium scriptor aut Brunonem, aut Brunonis seu socios seu discipulos, vt maiores Cartusianorum omnium qui ab ipsis fuerunt, suntque etiam nostris temporibus dicimus, ita etiam errasse vult? Hic placet sistere, & cetera lectori cogitanda relinquere, quæ si cum scriptore Annalium iuuaret certare conuitiis, plenâ neque iniquâ manu regereret alius quis. Igitur id ego vnum repono. Petrus Sutor, Petrus Bloëmenuenna, Laurentius Surius, Franciscus de puteo, non errauerunt; non errauerunt ceteri Cartusiani, cùm seu literis, seu scalpris, seu coloribus mandauerunt, quæ de prodigio Parisiensi, & ex eo de Brunonis ac sociorum secessu in eremum acceperant à maioribus seu voce, seu scriptis libris per traducem, singulis ab eodem Brunone ad nos vsque sæculis, vt in superioribus fusè docui.

Tædet persequi & excutere cetera scriptoris Annalium. Nam quod vltimum affert verbis sequentibus, *Placet eis error, quoniam in pariete & oleo depictus est insulsè ac parum erudutè*, id profectò est huiusmodi, vt de pueris malè sanè lasciuientibus dici forsitan à non iniquo conuitiatore possit, de grauissimis & sanctissimis totoque orbe per sexcentos fere annos illustribus ac venerandis viris (vt graue quid non afferam) nec dici, nec cogitari debuit. Igitur Ioannes Paulus Oliua societati nostræ Præpositus adeò molestè tulit ipsum, & vniuersum hoc iniuriosum Cartusianorum ab homine Societatis eiusdem nostræ elogium, vt epistolam ad Ioannem Pegon Generalem eorum Ordinis moderatorem super illo concludens, sanctè asserat *paratum se quamlibet abolendæ huius notæ viam exhibere.* 100

Quod reliquum iam est, acedamus ad dicendum de anno, quo scriptor Annalium existimat S. Brunonem adiisse Cartusiam. Asserit illam ingressum anno sexto & octogesimo post millesimum, & fallitur. Multos opinationis suæ habet auctores; neque igitur grauiter aut turpiter, sed non inerudite fallitur. Inter illustres viros ad illud sentiendum auctores, habet Baronium sapientiâ, pietate, eruditione, non minùs quàm honoris gradu eminentissimum virum. Ecclesiasticorum is temporum omnino accuratus, sensit S. Brunonem anno millesimo octogesimo sexto venisse cum sociis ad S. Hugonem Gratianopolitanum Episcopum, & eo duce posuisse suas in Cartusia sedes. Sic loquitur eo anno. *Cum superiùs dictum sit ex sancti Hugonis vitæ actis, ipsum anno millesimo octogesimo creatum fuisse Episcopum Gratianopolitanum, post duos verò annos adiisse Cluniacenses, ibique moratum annum vnum, inde ad Episcopatum reuersum, in eo transegisse tres annos, planum inue-* 101

nies sexto anno à sua ordinatione cum sociis, hoc nempe anno petiisse Cartusiam, Hæc Baronius. Longè alia Henricus de Kalkar, Anonymus Maioreuensis. Narrator inchoationis & promotionis Ordinis Cartusiensis,& alij antiquissimi Cartusiani. Hi magno consensu asseuerant S. Brunonem parentem adiisse Cartusiam, & in ea dedisse initia suo Ordini anno millesimo octogesimo quarto, quibus vtpote domestica referentibus quis negauerit fidem?

102 Inquies.Baronius ea quæ attulerât vniuersa,desumpsisse asseruit se,à Guigone illis antiquiore Cartusianis omnibus allatis, maioreque igitur ad faciendam fidem auctore, vtpote qui anno millesimo centesimo tertio Cartusianis se adiunxit, & millesimo centesimo decimo euasit in Priorem Cartusiæ, coniunctissimus S. Hugoni Gratianopolis Episcopo per annos viginti nouem, quibus fere totis cum eo vixit. Hìc hæreo. Certè Guigo, scriptor actorum vitæ S. Hugonis, is est antiquitate, sapientiâ, eruditione, vt illi debeamus omnes assentiri, præsertim dicenti de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano, & amicitiâ, & vitæ genere, & contubernij (vt ita loquar) necessitudine coniunctissimo, ad Pontificem Romanum, qui vt de ipso diceret iusserat. Cartusiani verò illi antiquissimi, neque à Guigone Priore olim suæ Cartusiæ,& post Brunonem ac Lauduinum longè maximo suorum Priorum ac illustrissimo, discessisse existimandi sunt; & cur falsa seu à maioribus acceperint, seu posteris scripserint, de Hugone Episcopo amantissimo, ego quidem non video. An ergo (inquies iterum) Baronius putandus est, ea veluti ex actis vitæ S. Hugonis à Guigone scriptis attulis-
103 se, quæ in ipsis non habentur? nequaquam. Quid ergo? perges. Profectò si quid in re prorsus obscurâ & impeditâ asserendum est,aio ego Baronium ea dicere, dicere Cartusianos antiquissimos ea, quæ,vt ab inuicem diuersa sint, conueniunt tamen verbis Guigonis. Ista scilicet duplicem habere possunt sententiam, quarum altera traditur à Baronio, à Cartusianis perueteribus altera: sed vna hæc, quam Cartusiani afferunt, habet veritatem, falsitatem illa, quæ à Baronio prolata est. Vt hæc aperta sint, age,componamus vtramque cum verbis Guigonis. Ita loquitur: *Hugo duobus post consecrationem* (hæc Romæ facta fuerat) *expletis annis, contemptis omnibus, Casæ Dei Ordinis Clunianensis factus est Monachus, ibi nouitius annum vixit. Post hoc* seu post hunc nouitiatus annum, atque adeò tertium à consecratione Romana, *cogente Gregorio septimo, è monasterio, quò feruens intrauerat, feruentior est reuersus; pro claustro circumspectionem habens peruigilem,* &c. *pro Abbate iustitiam,* &c. *pro congregatione aut religiosos, quibus carere nunquam voluit socios, aut vniuersalem Ecclesiam,* &c. *In his agebat,* seu ita claustrum, Abbatem, congregationem habere sibi videbatur, *& ecce tribus necdum in Episcopatu post monasterij reditum completis annis, adest magister Bruno.* Hactenus Guigo. Baronius sic interpretatur eius verba, vt Hugo primùm annos duos solidos post consecrationem Romanam exegerit, & in Casæ Dei monasterio tertium; deinde è Casa Dei Gratianopolim reuersus, alios fere tres in Episcopatu posuerit, ante aduentum Brunonis; vult igitur Brunonem ad eum venisse, cùm non longè erat à fine anni sexti Episcopatus. Neque immeritò ita sentit, Guigonisque voces interpretatur. Omnino enim si tres *in Episcopatu* anni, qui *necdum completi* feruntur, censeantur fluxisse post

reditum

Digitized by Google

reditum è monaſterio Caſæ Dei, quem tres anni *poſt conſecrationem* Romanam præceſſerant, vt primâ ſpecie videtur poſtulare Guigonis oratio, ſex Hugo circiter, non pauciores à conſecratione ſua, vſque ad Brunonis aduentum, duxiſſe annos exiſtimandus eſt. Verùm nihil cogit ita Guigonem 104
interpretari, &, quod dicitur *poſt monaſterij reditum*, ſic poſſumus exponere, vt ſit idem atque *ſecundum monaſterij reditum*, ſeu ſtatim, neque multò poſt monaſterij reditum; & loco non ſuo poſitum fuerit ante voces *completis annis*. Igitur erit hæc ſententia. *Ecce tribus necdum in Epiſcopatu completis annis, adeſt modico poſt monaſterij reditum tempore, magiſter Bruno.* Sed vide qui *necdum* completi feruntur, annos eſſe *in Epiſcopatu* poſt conſecrationem, & Româ reditum poſitos, inque curâ Epiſcopali collocatos. Nam ſi ab Hugonis conſecratione Romana cenſeas annos, iam tres expleti erant, & quartus fluebat, cùm Bruno ad ipſum venit: ſcilicet, vt dixerat Guigo, *duobus poſt conſecrationem expletis annis*, Hugo fuit in monaſterio Caſæ Dei nouitius per annum vnum. Quantum verò temporis fluxerit ab expletis poſt conſecrationem Romanam annis tribus, vſque ad diem, quâ Bruno venit Gratianopolim, non poſſum dicere. Et vetò quis diei conſecrationis ignarus hoc aſſerat? An id S. Hugone factum eſt, quod Hugone Epiſcopo Dienſi, cuius erat diſcipulus, factum tradit Hugo Flauiniacenſis, vt ex eo retuli libro 2. de Epiſcopis Dienſibus numero 27. *& poſt ipſam ſuam electionem* in antiſtitem Gratianopolis, *factum menſe Octobris, ad ſuſcipiendos Ordines menſe Decembris venit Romam, & in eo vſque ad Presbyteratus gradum promotus fuit; in quadrageſimâ verò ſabbato in presbyterum, & ſequenti Dominicâ ad Miſſam in Epiſcopum conſecratus eſt; atque ſic poſt octonos conſecrationis dies, affatim imbutus diuinis dogmatibus, & vbertim roboratus Eccleſiaſticis ſanctionibus, benedictione perceptâ dimiſſus eſt ad regendos filios* die 7. Martij? Certè Bruno videtur ad Hugonem veniſſe ſub initium Iunij, qui Cartuſiam adiit circa natalem Ioannis Baptiſtæ: igitur ſi, vt ſuſpicabar, Hugo Romæ in Epiſcopum vnctus eſt die aut ſeptimâ, aut ſi magis placet, vigeſimâ octaua Martij, quæ illo anno milleſimo octogeſimo præcedebat Dominicam de paſſione, quartus à conſecratione Hugonis agebatur iam per duos menſes & aliquot dies, cùm Bruno ad illum venit.

Dices. Iſta verborum Guigonis expoſitio, de tribus necdum in Epiſco- 105
patu completis annis; & quarto ab Hugonis conſecratione, per duos menſes & quod excurrit iam cepto, cùm Bruno ad Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum venit, coacta eſt; ideoque videtur excogitata, vt illi Cartuſiani quos attulimus, antiquiſſimi quidem, ſed Guigone minùs vetuſti, negentur ei contraria, & proinde falſa, ſcripſiſſe de anno, quo Cartuſiam venit Bruno. Reſpondeo. Iſta expoſitio neceſſaria omnino eſt, vt ipſe Guigo non aſſeratur falſa dixiſſe. Enimvero, vt alia taceam, & hoc denique dicam, ex ipſâ fundationis Cartuſiæ chartâ certum eſt S. Brunonem, & ſocios, adiiſſe Cartuſiam *anno ab incarnatione Domini* 1084. (ſunt illius verba) *Epiſcopatus verò Domini Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi quarto.* Certè cùm ea charta ſic habeat, neque illius verba ignorare potuit Guigo, Cartuſiæ annos ſeptem & viginti Prior; & ipſis contraria ſcripſiſſe, cenſeri non debet vir & ſapientiâ, & vitæ ſanctitate clariſſimus. Nam expoſitio coacta dicenda non eſt quæ reſpondet ſcriptoris menti. Impedita potiùs non iniuriâ dicatur

oratio,

oratio,quæ cùm Guigo scribebat,videbatur non inelegans. Natus erat,omnemque vitam is egerat in Valentina regione, iuxtaque ipsam scribebat in Cartusiâ,cùm post Longobardorum, Saracenorum, aliarumque gentium barbararum sæuissimam, & illis,& proximis regionibus vastitatem,impeditus plurimùm erat Latinus sermo, neque dum omnis, aut etiam multus emersérat in suam perspicuitatem, elegantiam,puritatem. Locus iste non postulat quidem, vt chartam recitem, in quâ continetur donatio Cartusiæ Brunoni & sociis, placet tamen eam afferre, vt tota hæc res illustrior sit. Ea sic habet.

106 *Gratiâ sanctæ & individuæ Trinitatis misericorditer nostræ salutis admoniti, recordati sumus humanæ statum conditionis,& vitæ fragilis lapsus ineuitabiles, quam sine termino ducimus in peccatis. Itaque iudicauimus nos peccati seruos de manu mortis redimere,temporalia pro cœlestibus mutare,æternam hæreditatem pretio perituræ possessionis comparare, ne duplici contritione conteramur,& præsentis vitæ miserias laborum & dolorum initium sumamus. Itaque magistro Brunoni, & his qui cum eo venerunt fratribus, vt Deo vacarent,ad inhabitandum solitudinem quærentibus, ipsis, eorumque successoribus in æternam possessionem, spatiosam eremum concessimus,ego Humbertus de Miribel,vnâ cum Odone fratre meo, & ceteris qui iuris aliquid habebant in prædicto loco; hi verò scilicet,Hugo de Tolnone, Anselmus Garcinus; deinde Lucia, & filij eius Rostanus, Guigo, Anselmus,Pontius,atque Boso,precibus & interuentu prædictæ matris eorum; Bernardus quoque Longobardus cum filiis suis; similiter & domnus Abbas Siguinus de Casa Dei, cum suorum fratrum conuentu,quidquid ibi iuris habere videbantur, supradictis concesserunt fratribus,*

Ipsa verò, quam eis dedimus, eremus hos habet terminos, scilicet infrà locum qui vocatur Clusa, & rupem claudentem vallem, & pertingentem vsque ad molarem claudentem & diuidentem Combam-caldam, & peruenientem vsque ad rupem mediam quæ est super Borghesos; deinde molarem alium, qui descendendo perducitur per vsque ad rupem à Bonuiant. Exinde molarem alium, qui descendendo perducitur per crepidinem plataneti à Bonuiant vsque ad rupem quæ est supra furnum de la follia. Similiter ab illo monte, qui de eadem rupe porrigitur vsque ad montem Aillinart & à monte Aillinart descendendo, extenditur iuxta Mortam, contra occidentem vsque ad rupem quæ est super carreriam, & ab hac rupe porrigitur vsque ad rupem de Pertuso. Inde postremò protenditur descendendo vsque ad flumen quod vocatur Guerus-mortuus. Inde quoque ab eodem clauditur vsque ad Clusam. Si qua verò persona potens, aut impotens, hanc donationem infregerit, tanquam sacrilegij rea ab Omnipotentis Dei gratiâ, & fidelium consortio separata, anathemate Maranatha feriatur æterni ignis incendio, nisi dignè satisfecerit, cum Dathan & Abiron, & Iuda proditore concremanda.

Præfata quidem terra his terminationibus concluſa, à magistro Brunone, & ab his qui cum eo erant fratribus cepit inhabitari & construi anno ab incarnatione Domini 1084. *Episcopatus verò Domini Hugonis Gratianopolitani Episcopi quarto, qui videlicet laudat & corroborat hoc donum, quod fecerunt supraſcriptæ personæ, cum omni conuentu clericorum suorum; & quantum ad se pertinet,quidquid sui iuris esse videtur, omnino concedit. Testes Hugo decanus, Ioannes de Podio, & Rostagnus Guigo de Lanz, & Galterus Bueta, Petrus & Gilbertus, Agelbertus*

Digitized by Google

bertus & Aldelemus, Petrus & Ricardus. Lecta est autem hæc charta Gratianopoli in Ecclesia beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, quartâ feriâ secundæ hebdomadæ Dominici Aduentus, in præsentiâ prædicti Domini Hugonis Gratianopolis Episcopi, atque Canonicorum suorum, aliorumque multorum tam Sacerdotum, quàm ceterorum Ordinum Clericorum, celebrantium Sanctam Synodum quinto idus Decembris.

Quarta ea feria anno millesimo octogesimo sexto incidit in diem quintum idus, seu diem nonum Decembris: illo igitur anno lecta est hæc charta. Ecce laterculum, ex quo intelligis primam dominicam Aduentus incidisse in diem vigesimam nonam Nouembris, & proinde secundam in diem sextam Decembris, atque ab ea feriam quartam in nonam Decembris eiusdem.

Annus.	*Aur. numerus.*	*litera Dominicalis.*	*Pascha.*	*Dominica 1. Aduentus.*	*Indictio.*
1081.	18.	C	4. Aprilis.	28. Nouembris.	4.
1082.	19.	B	24. Aprilis.	27. Nouembris.	5.
1083.	1.	A	9. Aprilis.	3. Decembris.	6.
1084.	2.	G F	31. Martij.	1. Decembris.	7.
1085.	3.	E	20. Aprilis.	30. Nouembris.	8.
1086.	4.	D	5. Aprilis.	29. Nouembris.	9.
1087.	5.	C	28. Martij.	28. Nouembris.	10.
1088.	6.	B A	16. Aprilis.	3. Decembris.	11.
1089.	7.	G	1. Aprilis.	2. Decembris.	12.
1090.	8.	F	21. Aprilis.	1. Decembris.	13.

At demum inquies, quid Baronio fiet? An vir eruditione, sapientia, ingenio eminentissimus errauit in Guigone? Abs dubio aliena ab eo secutus est, cùm tamen pro solitâ, suâque, vt ita loquar, modestiâ arbitraretur sequi se illum quem in hac re ducem vnicum habere poterat: antiquissimorum enim Cartusianorum, quos memoraui, lucubrationes, & Cartusiæ donationem Brunoni ac sociis, veras Guigonis interpretes, ne quidem de nomine acceperat; & ineditæ sunt etiam nunc, manu que scriptæ latent in armariis Cartusiæ. Igitur videns vni Guigoni credendum esse in re domesticâ, id in ipso accepit quod obuium est, ac omnibus vltro se offert; nihilque cogitauit de oppositâ verborum ipsius sententiâ, quæ vt sit vera, minùs tamen occurrit legentibus Guigonem. Neque hoc miraberis, si cogites eam ipsam modestiam feciſſe, vt aliud vnum quid adderet, quod admittere non possum. Acceperat à Cartusianis, Brunonem ab Vrbano secundo Pontifice vocatum fuisse Romam, anno commorationis in Cartusiâ sexto: eô igitur cogitatione deuênit, vt sentiret Romam è Cartusia profectum anno illius sæculi secundo & nonagesimo, vtpote quem non dubitabat adiisse Cartusiam sexto & octogesimo, Guigonem (vt sibi videbatur) secutus. Tamen Bruno iam erat Romæ anno nonagesimo. Ecce chartam huius rei testem à siguino Abbate Casæ Dei scriptam, quâ illo anno Cartusiam restituit Lauduino & sociis, concessam sibi à Brunone Romam eunte. 107

108 *Ego frater Siguinus Abbas Casæ Dei, notum fieri volo præsentibus & futuris, quòd frater Bruno à D. Papa Vrbano Romam euocatus, videns loci destitutionem, fratribus recedentibus propter absentiam eius, dedit locum Cartusiæ nobis, & Congregationi nobis commissæ. Postmodum verò rogatu patris nostri Papæ Vrbani; & precibus præmemorati fratris Brunonis, & eisdem fratribus, vt ibidem remanerent, a Priore eorum Brunone plurimùm confortatis, fratri Lauduino quem magister Bruno discedens ceteris fratribus præposuit, ipsi, & ceteris fratribus sub eo degentibus, & eorum successoribus donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat, coram Congregatione nobis commissâ, in capitulo nostro, sub præsentiâ Gratianopolitani Episcopi Hugonis, ego ipse frater Siguinus prædictæ Casæ Dei Abbas, cum consensu fratrum nostrorum reliqui, & eis, & successoribus eorum, locum prædictæ Cartusiæ, pro voluntate eorum omnino liberum feci, & iuri eorum omnino tradidi. Sed charta, quam prædictus Bruno nobis fecerat, ideo non est reddita, quoniam à fratribus nostris, in capitulo sub interdicto requisita, non potuit inueniri: & si vnquam inuenta fuerit, eorum ipsa charta sit iuris. Factum est anno ab incarnatione Domini* 1090. 15. *Kal. Octobris. Ego Siguinus Abbas subscripsi, & in præsentia Archiepiscopi Hugonis* (Hugonem loquitur Lugdunensem Archiepiscopum, ex Episcopo Diensi) *hanc chartam ex integro confirmaui.*

109 Cùm Siguinus ista scripserit, & Cartusiam Lauduino atque sociis anno millesimo nonagesimo restituerit, ad preces Brunonis cum Vrbano secundo Romæ commorantis, Bruno è Cartusia Romam non abiit anno millesimo nonagesimo secundo, vt sentiebat Baronius: & cùm vir sanctus annos sex autore ipso eodem Baronio, antè in Cartusiâ commoratus fuerit, quàm ex illâ Romam abscederet, dicendus omnino est ipsam adiisse anno millesimo octogesimo quarto, inter quem & nonagesimum numerantur sex; non autem millesimo octogesimo sexto, à quo ad nonagesimum vsque sunt tantùm quatuor.

EGo Ioannes Platiere Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, facta mihi potestate ab admodum reuerendo Patre nostro Generali facultatem concedo vt Liber cui titulus est *quòd Bruno adactus fuerit in eremum vocibus hominis rediuiui Parisiis, qui se accusatum, iudicatum, condemnatum exclamabat* à Patre Ioanne Columbi eiusdem Societatis, Professore Theologiæ; compositus & à tribus Societatis eiusdem censoribus approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas sigillo nostro munitus, & manu meâ subscriptas dedi Lugduni, die 20. mensis Maij. 1667.

IOANNES PLATIERE.

VIRGO

Digitized by Google

VIRGO ROMIGERIA, SEV MANVASCENSIS.

Reuerendo admodum & clariſſimo D.

D. IACOBO REBVTI I. V. D.

HOSPITALARIO S. VICTORIS AD Maſsiliam, & priori S. Mariæ Manuaſc.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

QVÆ duæ res olim fecerunt, vt ſcriberem & ad te deferrem ſcripta de Virgine Romigeria, patriæ meique adeò antiqua tutela quam ea gerit, & templum ipſius cui tu accurata pietate præes, illæ duæ res nunc etiam faciunt vt lucubratiunculam, cuius nulla ampliùs exemplaria proſtant, emittam in lucem iterum tuo ſub nomine. Scilicet ab vltima memoria noſtram vrbem Maria peruigil cuſtos habet: tecta, familias, corpora ſingulorum ſollicita ſuſtentat. Quam ciuitatem tota Prouincia, quem locum tam citò amauit poſt religionem Chriſti publicitus acceptam, vt ante mille annos teneret ſanctiſſimo ſigno? quem tanta fide dilexit, vt ex quo per inſigne ſimulacrum inſedit, muniret vi ſua, & ad noſtra vſque tempora perpetuis ſupra naturæ vires operibus augeret? Parum ei ſemper fuit corporibus morbos depellere: mœrore animos & ægritudine liberare conſueuit, etiam mortuis infantibus vitam reddere, dum aquâ luſtrarentur. Quando aliud non poſſum, vt pro mea virili gratiam habeam, dico quæ illa ſit, quàm præſentem & bonam ſe præbeat noſtris

gentilibus, quibus prodigiis maiores noſtros adegerit ad ſpem opis ab ea. Cui verò deferam potiùs hoc opuſculum, Virgini munus, quàm tibi, qui ſeruas ædem Mariæ, curas imaginem, cultum diſpenſas? Per illum virum ei repræſentari debuit, cuius labore ſtudioque fit, vt ſuam vim & benignitatem repræſentare nobis perennet. Neque ingratum puto erit tibi, quod ab viro amico & populari proficiſcitur. Libellum etiam exiguum mole, materia ſacrum amabis pro tua modeſtia & pietate, aliiſque virtutibus non Manuaſca ſolùm vrbe notiſſimis; ſed Sanctorino quoque ad Maſſiliam monaſterio venerandis. Ita quippe agis Hoſpitalarium in antiquiſſimis vniuersâ Galliâ & celeberrimis monachorum ædibus vt nihil debeas priſcis illis de Caſſiani veſtri inſtitutione cœnobitis, & verum Iſarni diſcipulum repræſentes.

AVTHOR

Digitized by Google

AVTHOR LECTORI SVO.

TNVISAM literis omnibus, notiſsimam ciuibus meis, Virginem Romigeriam educo primus in lucem, proponoque ſpectandam. Quid miraris, mi Lector? Ante mille annos per prodigiorum ingentem vim amore ſui populum Manuaſcenſem, & fauore detinuit: viſum eſt mihi non vltrà ferendum, vt ad exteros non dimanet tanta ſeu bonitas, ſeu maieſtas. Neque verò tamen idcircò popularibus meis ego magis, aut in MARIAM *gratus, aut in alios æquus. Quòd cæteri hactenus tacuerunt, fuit magnæ pietatis: quòd non poſſum ipſe non dicere, ſummi eſt officij. Mei gentiles, qui Manuaſcam vrbem habent, magnis religionibus, & quotidiana veneratione reſpondent beneficiis optimæ parentis: ego, quem aliò meæ vitæ rationes à puero abduxerunt, vt aliquam habeam gratiam, ſtylo ſequar abſens neceſſe eſt, cùm oculis, manu, totoque corpore nequeam præſens colere. Et putabam eſſe diuini, ſeu moris, ſeu conſilij, quòd de tantis prodigiis primùm ſcribitur poſt multa ſæcula. Quæ vbique gentium, & locorum vulgatiſsima nunc vides, olim diu fuerunt ignota, & primùm aliquando denique prodierunt. Quàm multos centenos annos latuerat* MARIA *Lauretana, quàm multos Anicienſis? Quid mage patet in vulgus Iacobo Compoſtellano? Eum plurima ſæcula neſcierunt. Magdalenam vnus aliquis totâ Prouinciâ noſtrâ vulgauit, & Annam, poſt innumeros latebrarum annos, atque ſilentij. Sic etiam natura, naturæque ars æmula plurimùm condit, quod educere amat, & in altum euehere. Quæ de ſemine ſurgunt immenſæ arbores, radices alta humo longùm fixêre; fundamenta priùs tellure iacent ſepulta, quàm ſeſe aperiat, efferátque domus: vrbes etiam ampliſsimæ, & clariſsimi populi tacitis promanarunt initiis. Vtcunque tamen hæc habeant, certè id aſſeuero, nihil, ſi qua mortalium eſt fides, ſanctum magis hac mea Virgine, verúmque edi poſſe. Quæ de ſigno* MARIÆ *prodigiíſque refero, accepi ex publicis tabulis, quas Toſſanctius Glandeueſius Siſtaricenſis Epiſcopus confici iuſſit, auditis ab Officiali poſt ſacramentum viris grauibus & probis. Non pauca addidi ſuper Manuaſca vrbe: quid enim abs me taceatur, quam* MARIA *tot linguis loquitur, quot miraculis auget? Ea ipſe collegi ex eius chartis fidelibus & ſinceris. Chartularium publicum (inſtructum illud eſt ac nobile)*

aperuerunt Conſules non ſemel aliis annis alij. Denique Sanuictorini ad Maſsiliam ciuitatem monaſterij decora nonnulla attuli, eius cœnobita habent, curantque templum Virginis Manuaſcenſis: omnia de tabulario, ſeu Sanmariano Manuaſcæ, ſeu Sanuictorino ad Maſsiliam retulit Iacobus Rebuti, Hoſpitalarius S. Victoris, & Prior S. Mariæ.

VIRGO

VIRGO ROMIGERIA, SEV MANVASCENSIS.

MANVASCA eſt vrbs Prouinciæ non procul Druentia fluuio, ſedes olim hyberna Comitum ab Rhodano per Aptam Iuliam, & Siſtaricum ciuitates ad Vapincenſes, & Ebredunenſes, quos ditione tenebant, latiſſimè dominantium: ſexto lapide ab Forcalquerio eorundem Principum æſtiua domo, fontéque gentilitij nominis. Amœnis montibus cingitur omni parte, ſi meridiem excipias: nam quæ planities ex eorum radicibus ſurgit in hemicyclum, aperit ſeſe, ac longè funditur versùs meridianam plagam. Ipſa de tumulo molliter erecto media ſurgit, aut circà montibus ſe viſendam præbens, aut campos latè ſubiectos viſura. Vrbs non omnino modica numerat familias ſupra mille, fontibus, plateis, regionum ſitu commoda, & non inelegans. Minor olim erat, & minùs concinna: ſuam amplitudinem & ſpeciem accepit ab centenis aliquot annis, cùm pagani, quibus vicatim per agrum habitantibus dominabatur, in ipſam immigrarunt. Ventorum omnium pagus erat ad Occidentem in cognomine monte, Fanum Martini ad Orientem in monte Aureo, Fanum Petri ad meridiem in planitie. Sunt qui addant, ſed incerto authore, caſtrum Montis acuti, quà colles ad Septentrionem ferunt ab Oriente. Inuenio pagum de omnibus ventis ſtetiſſe vltra annum quinquageſimum ſupra milleſimum ducenteſimum: duo alij vigebant anno tertio & nonageſimo illius ſæculi, quo patritij cum plebe conuenerunt Rainaudi, Fontiani, Gaufridi, Monlaurij, Trimondi, Aicardi, Ricaui, Portales, Hoſpitalarij, Falcones: quibus (ſcilicet incerta cùm forent, neque fida ſatis pacta) ſeſe nono pòſt & vigeſimo anno addiderunt Selonij, Monbrunij, Barralij, Roſtagnij. Fuerintne tum vel in vrbe, vel per agrum in pagis, neque ad cæteros ſeſe adiunxerint Crucij, Simiani, Saffalini, Guaſquij, Iuſtacij, Piollæ, Redorterij, Rainerij, Textores, Clementes, Boneti, quos fideles chartæ ſequentibus ſæculis floruiſſe teſtantur, quis aſſerat? De tam multis procerum familiis paucæ nunc ſeruant ſuum nomen; cæteræ vel omninò perierunt, vel degeneri ſobole ad plebeium ordinem redactæ ſunt. Quid enim non mutat ætas inuida? Ciuitatibus, populis, regnis quoque & imperiis finem inuenit. Quæ cauſæ paganos coëgerint in vrbem, me latet. Ea in pyri figuram collecta ſpectat quatuor mundi plagas totidem portis. Quæ ab aurora dicitur, ducit ad montem miræ fœcunditatis,

ditatis, aureúmque adeò vocant: nullum enim fermè eſt arborum, fruticúmve, aut herbarum tota Prouincia genus, quod abundè non ferat. Eadem res fecit vt Aurelianenſes valli dederint nomen Aureæ. Audi Paupirium Maſſonum in Ligeri: *Appellatur Floriacus Vallis aurea ab Aimoino, inſcriptione quæ in templo monaſterij ſculpta eſt,* HÆC EST VALLIS AVREA, *opinor ob omnium rerum affluentem copiam.* Suppares cauſæ adduxerunt Aquitanos ad Aureoli nomen dandum monti. Accipe ſcriptorem de S. Theodardi vita *Monaſterium* (ad id nunc adiacet Sanctalbanus nobilis vrbs) *eſt in Caturcenſi territorio, in monte,* qui Aureolus nuncupabatur, *ad cuius montis radices fluuius quidam decurrit, quem indigenæ regionis ipſius Teſconem* (Tarnem nunc dicimus) *vocant.* Innominatus autor de vitâ S. Anatolij numero 5. habet ſequentia: In regione Scodinga vallis eſt, *quæ Salinis dicitur. Supra vallem mons eminet amœniſſimus, à ſui ſitus pulchritudine nomen habens, Aureus.* Montem frumento, vitibus, oleis paſſim conſitum videas. Et porrò vnum habet ad laudem præcipuam ſingulare. Cùm per vniuerſum orbem montes vetuſtate ſuccum amittant adipemque, iuueneſcit ipſe in dies, & ab torrentibus aquis pluuiis renouatur, quæ ſterilitatem cæteroqui ſolent inducere, aliò deportata pinguedine. Scilicet quò fodis altius, eò ſpectabilis mage, ac diues humus occurrit inexhauſta bonitate, fontis ad inſtar, cuius aquæ nuſquam ſunt puriores, quàm in terræ imis viſceribus. Quà ab Oriente decliuis reſupinatur in Septentrionem, habet ſiluam roboream. Cæteros colles fere tenent vineta & oliueta: vnus eſt ille quidem incultior, & ab vrbe longiùs pudore recеſſit; ſed vſu & opportunitate non inferior cæteris: dat ciuibus lapidem, gypſum, carbonem, lignum; gregibus quoque, & armentis paſcua. Planities tota nitet frumento, & amygdalo; niſi quòd ad vrbis muros hortis diſtinguitur, & paſſim deinceps magnam partem pratis vireſcit per centenos aliquot paſſus. Igitur non plurima tantùm nobilitas amœnitate locorum adducta colere Manuaſcam amauit ante quadringentos etiam annos, vt ſuprà retuli; ſed per luem, belláque Senatus Aqueuſis ſæpiſſime habuit; & nondum conſtituto Senatu regium, quod vocabatur, Concilium, vt docent veræ tabulæ ſupra cc. annos conſcriptæ. Ipsáque vrbs contrà tanti honoris conſcia, regi, curiæque fida ſemper fuit vltra omnem ſæculorum memoriam, cùm infida quoque fœdera Prouinciam totam diuiſére in duas partes: nullóque vnquam tumultu, turbis nullis adduci potuit, vt aduerſaretur ſuis principibus.

4

5 Neque in Deum minùs piam certo cultu ſe præbuit: omnino tam frequentes poſuit Cœlitibus ſedes, vt vnum tota ipſa fanum ab omni memoria fuiſſe videatur. Sunt intra muros vrbis duæ parœciæ, altera ab Saluatore, ab Virgine altera nomen habet; atque præterea Franciſcanorum, qui vocantur Obſeruantes, & Carmelitarum cœnobia. Non procul parœcia Virginis, templum erat Apoſtolo Ioanni ſacrum: cecidit diuturnitate temporis exeſum; neque affirmatè dicas, qua parte ſteterit in omni circum regione domibus præaltis & firmis plena: ita rerum faciem mutauit ætas. Ad muros intra vrbem, Meridiem inter & Occidentem viſendum eſt palatium: quatuor latera angulóſque plurima turris munit; foſſa lata, profundáque cingebat, & foſſam inter muróſque turritos firmabat terra congeſta, humili pariete coërcita. Forcalquerienſes Comites ſibi ſedem hybernam exædificauerunt:

Digitized by Google

cauerunt: Hoſpitalarij equites habent ab anno milleſimo ducenteſimo octauo, Guillelmi comitis donum. Hi etiam nunc in ſacello ſeruant cor- 6
pus B. Gerardi. Primus is fuit magiſter hoſpitalis Hieroſolymitani, vir gente, animis, ſanctitate clariſſimus. In agro fuêre quondam plures ſacræ ædes: perpetuo in circulum ordine ducebantur, vt nulla regio præſenti numine, ſanctóque præſtite careret. Ad Orientem mon aureus habebat templum S. Martini: & quà reſupinato monte itur ad Druentiam fluuium, delubrum erat Monlorguium eidem Martino dicatum. Meridiana planities, vna penè linea ſurgebat tribus per ordinem ædibus, ſacris Lazaro quem IESVS amauit, Chriſto ſepulto, Petro Apoſtolorum principi. Ad Occidentem, in collibus dictis ab omnibus ventis ob eorum liberos ex omni parte, fortéſque ſpiritus, colebantur diſtinctis logis Virgo, & Iacobus frater Domini. Denique in Septentrione ſuas regiones habebant, alius aliam, Albanus martyr, Michaël archangelus, Stephanus Protomartyr, Maximus Regienſium epiſcopus, & Roſtania virgo. Prætermitto, quòd ad omnes pene vias euntibus occurrunt vel ædiculę, vel in columna ſacræ imagines. Annon tibi viden- 7
tur maiores noſtri, prædiis colonos è cœlo petiiſſe, aut non rura magis ſua quàm Cœlitum ſedes coluiſſe? Nunc vel ſine nomine ſunt loca, vel hiant, pendéntve pauci parietes ſemiruti. Nocuêre bella poſitis opportuno loco, nocuit tempus rerum omnium edax. Hoſpitalarij reſtituerunt Petro templum ſuum nobile ſepulchris Forcalquerienſium comitum: ciues Virgini de omnibus ventis ſuum ex voto reponunt, rei ſeruatæ per vltimam luem valetudinis. Antè annos trecentos, virgines Franciſcanæ, ſub vrbem ad meridiem, excitauerant ſibi domum. Feruntur intra muros commigraſſe per ſeditionem Raimundi de Belloforti, vicecomitem Turenium vulgò dicunt. Habitabant ad portam, quæ ab aurora nominatur. c. & l. ſunt anni, cùm vel omninò deſiêre, vel aliò receſſerunt: res enim obſcura eſt. Domus earum anno MD. ceſſit in ſcholas vrbanas; & cùm monaſterij in agro ſedes ad plures dominos diuiſa peruenisſet, ciues in coëmpta parte exędificauerunt Capucinis non inuenuſtas ædes. Virgines de eodem Ordine iam poſtliminio redierunt in vrbem; & poſt ipſas Bernardinæ non ita pridem venerunt Auenione euocatæ; poſtque Bernardinas Vrſulanæ: venient etiam propediem quę à viſitatione B. Virginis nomen habent. 8

Parœciam Virginis curant monachi S. Victoris ad Maſſiliam. Fuerintne ad templum olim ædificatum vocati, an ſubſtruxerint ipſi, quis dicat? Habent ante omnem tabularum publicarum & priuatarum memoriam. Neque id magnum eſt. Maximam Italiæ partem, & Hiſpaniæ, Sardiniam penè totam tenuere quondam clariſſimi cœnobitę: nunc etiam nulla eſt in Gallia Narbonenſi diœceſis, quam non aliqua domo colant. Olim dominabantur quoque Caſtro Albienſium, & Vabrinco Ruthenorum: dedit Epiſcopis Ioannes XXII. cùm eos ciuitatibus impoſuit. Vvilelmus Prouinciæ Comes anno milleſimo decimo tertio Marianam ædem habentibus addidit Martinianam in agri regione Monlorguia ad Druentiam flumen cum adiacente villa, quæ potens eſt diuite gleba, & felicibus agris latè fuſa. Geriberga Vvilelmi coniux anno pòſt ſexto dedit manſos duos *quos excolunt homines* inquiebat, *vnus nomine Vdole-*

nus Montanarius, *& alius nomine Stephanus Generdechal.* Manſus verò, vt hoc non taceam, ſi aptè & propriè loquamur, capit Bunnuaria ſiue iugera duodecim, quemadmodum docui libro 1. de Epiſcopis Viuarienſibus numero 54. & ſequentibus. Sed in neſcio quo *compromiſſo* Abbatis Manſiadæ & Prioris Tanſani ante annos trecentos facto ſic habes, quemdam *manſum ſeu territorium.* Demum (quid enim vniuerſa à principibus dona ſigillatim perſequar?) Vvilelmus Comes Toloſanus & Emma vxor anno eiuſdem ſæculi quarto & viceſimo tradiderunt vnum quoque manſum. Ante Vvilelmum verò memoratum Prouinciæ Comitem imperabant non modicæ parti vrbis: vt non ineptè dixeris Manuaſcam veniſſe feliciſſima illa ætate, cùm vel Caſſianus, vel Caſſiano ſuppares diſcipuli pietate florebant, & vigente regulari diſciplina implebant nomine ſuo totam regionem, atque pro ſanctitatis fama, venerationi
9 erant ſeu patritiis, reguliſue, ſeu regibus ipſis Prouinciæ. Rapiebantur ad pontificias paſſim infulas, educebantur ad populos per agrum, ciuitatéſque docendos. Supra pietatem ex Caſſiano acceptam faciebat tum etiam ſpectandos ipſa domus Maſſilienſis: nam erat impoſita littori ſinus marini, qui præbet facilem nauigantibus portum quàm longè ad meridiem tenditur; & recentem ab Chriſti confeſſoribus, neque ita antiquam ab Magdalena ſanctitatem ſpirabat. Scilicet, egreſſa naui dedicauit hæc ſedes in antro ſaxeo, & ea mortua diſcipuli confeſſione fidei nobiles, metu tyranni clam ſub humo tenuerunt. Vterque locus hoc tempore ſacer habetur: iſtum in ædiculam conformarunt, feminis pro religione inacceſſam; dicarunt Virgini de Confeſſione, ſic autem appellauerunt ab ſanctis iis Confeſſoribus fidei. Igitur arbitrabar quempiam de Prouinciæ ſeu patritiis, ſeu Regulis, aut etiam ante Burgundos principibus, pietate virorum commotum, è religioſiſſima domo cœnobitas deduxiſſe Manuaſcam, nonnullis regionibus
10 vrbis & agri donatos. Iuuat, quòd ita iubentibus Petro Abbate, & Sanuictorino Collegio, corpus S. Tulliæ in B. Virginis ſepultum diſquiſiuerunt ante multa ſæcula & diu veſtigatum inuenere: Tullia verò fuit filia Eucherij Lugdunenſis Archiepiſcopi, ante ſacerdotium patris ex matrimonio poſt annum quadringenteſimum nata. In ſuo fundo, nunc modicus eſt pagus de ipſius nomine, ætatem exegit ex paterna diſciplina in cultu pietatis, & voluit mortuæ corpus in B. Virginis Manuaſcenſis tertio procul lapide mandari terræ. Magnam quippe veri habet ſimilitudinem, accepiſſe eò loci ſepultam ex domeſticis commentariis, libríſve funeralibus, cùm ipſa obiit per monachos ſacram ædem curantes ſcriptis. Vt id habeat, certè vides iam quinto poſt Chriſtum natum ſæculo ſtetiſſe Manuaſcenſem Virginem, & in honore magno fuiſſe, quando anima beatiſſimæ puellæ in cœlum euolans, ſanctiorem locum non habuit, cui corpus integerrimum & incorruptum commiſſum vellet.

11 Virgo autem Manuaſcenſis, vnde templo nomen, ſtatua eſt Virginis Matris, Chriſtum in ſinu ferentis. Simulacrum duos, aut tres palmos altitudine colligit. De ligno leucophæo conſtat: genus arboris, è quo formauerunt, ignoratur; ita diſcedit ab omnibus vulgò notis. Vultum, colla, manus ſaturato nigrore pinxerunt. Quis lignum figurauerit in Virginem: ſitne ſtatua Manuaſcæ ficta, an aliunde in vrbem deportata: qua ætate, quo

ſæculi,

ſæculi anno ad populorum pietatem inclareſcere cœperit, tacitum reliquere maiores. Mira tantùm quædam poſteris narrauere ab parentibus accepta, qui ad proauos, atauóſque referebant; portentis non diſſimilia, inuenere tamen fidem ab inſuetis, & prodigij plenis operibus, quæ noſtra ætate contigiſſe ſcimus, & noſtris ipſi oculis non pauca ſuſpeximus. Viſa res eſt non vltrà diſſimulanda, neque poſteris inuidenda: vt ab iuratis coram iudice teſtibus ad me peruenit, ita literis publicam facio. Toſſanctius Glandeueſius, Siſtaricenſis Epiſcopus, gente, ingenio, eloquentia, retum gerendarum peritia ſummus, pro ſua pietate, populorúmque cura noluit laborare diuturnitate temporum: iuſſit frequentiſſimos & probatiſſimos ciues ad aperiendam & ſacramento ſanciendam vocari.

Saraceni occupata poſt annum ſeptingenteſimum Hiſpaniâ vniuersâ, & Galliâ Narbone Nemauſum vſque victoriis peragratâ Prouinciam per annos ferè trecentos ſeu bello, ſeu latrocinio ſæpiſſime tentauerunt. Trigeſimo octaui illius ſæculi primùm eam intrauere ſuperato Rhodano: ſub tertium & octogeſimum noni vltimò deprædidati ſunt. Ciſdruentianæ illa pars, quæ Forcalquerienſis Comitatus poſtea nomen ad nos vſque ſeruauit, maximè vna experta eſt furentium hominum vim. Et alias vrbes, & Manuaſcam vaſtaſſe dixerunt ataui, qui à maioribus acceperant, aientibus ſe per traducem à ciuibus cladem paſſis accepiſſe. Quo tamen ſeu ſæculo, ſeu ſæculi anno euerſa hæc fuerit, nemo vnus eſt qui memoret ſibi traditum. Duo ſunt tempora, quibus peſſum alias vrbes dedere. Trigeſimo anno ſupra ſeptingenteſimum & Auenionem ſibi ceperunt, & vniuerſam circùm regionem corrupere rapinis ac cœdibus. ſub nongenteſimum incerto flammis dedere Foroiulium, & alias vrbes. Putabam ſub hunc eumdem, potiùs quàm ſub illum Manuaſcam excidiſſe. Sacrarum ædium reſtitutio cepta poſt ipſum centeſimo id ſuadet. Libro 3. Manuaſcæ numero 30. docui cogitaſſe ciues de ſua Saluatori hominum inſtauranda anno quinto & ſeptuageſimo poſt milleſimum. Excitata ne fuerit ante ipſam Sammariana non quæro. Vtcumque hoc habeat, certè cùm ſit ei & portarum, arcum, feneſtrarum, concamerationum, ceterarumque partium omni arte, ſtructuráque prorſus ſimilis, lapidumque etiam ſingulorum non magnitudine formáque, ſed pro loco ornatu, non multis profectò ante eumdem milleſimum annis ſtetit. Scilicet vt aliorum ferme omnium, quæ hominum manibus fiunt, operum ſuus eſt ſingulis ſæculis modus, ac veluti ſua facies, ita etiam ædium, maximè ſacrarum per ſuas partes conſtitutionis. Et verò quis animum inducat Manuaſcenſes vrbem poſt annum ſeptingenteſimum, ſine ſuis per trecentos templis reſtituiſſe. Sicuti ergo ſacræ ædes non omnino pluribus ante milleſimum inſtaurari ceperunt, ita non multis ante illum euerſæ ſunt cum profanis, ipsáque adeò vrbe, ac (vti putabam) ſub nongenteſimum. Quia Saraceni non parcebant ſacris, neque eò deferre licebat, quò furor impune graſſantium non pertineret, ſancta pignora caueis tumulíſve lapideis condita ſunt intra humum tota regione, locis ferè ignotis, vt proditoribus caueretur. Qui Deum non verentur, neque ex iure arma inferunt, vt potentiſſimi ſint, & terrorem latè ſpargant, diu non ſæuiunt ad ſimilitudinem torrentium aquarum: tenent hæ ægros, & perdunt ſata læta, poſt aliquot autem horas deficiunt: guttam aquæ deſideras, vbi paulò antè fluuij ampli

I 2 inſtar,

inſtar, aut maris fuit. Igitur data ab Saracenis pace. cùm iam agris coloni, vrbibus, pagíſque ciues redditi eſſent, quas ab parentibus per bella mortuis didicerant, liberi ſuſpirauere ſacras exuuias; neque tuta omnia putauere, ſi præſtites ſancti ſua ſpolia non aperirent. S. Annæ corpus demon-
13 ſtrauit Deus Aptæ Iuliæ per Ioannem filium Baronis Caſanouij: muto, claudo, cæco iuueni nobiliſſimo redditi ſunt ſui ſenſus, motúſque. Maria Magdalena ſe videndam præbuit Carolo II. Comiti, & vbi ſua laterent oſſa indicauit. Archiepiſcopus Arelatenſis, iubente Romano Pontifice, è Sanuictorinis ad Maſſiliam ruderibus eduxit plurimas beatorum virorum reliquias: antiquiſſimum quippe tota Gallia monaſterium; ſub Antonino Pio cœptum ab viris ſanctitate magis, quàm nomine notis; ſub Valentiniano III. in ſuam claritatem eductum ab Caſſiano; Leonis I. Pontificis, quando templum vrgebat, hoſpitio auguſtum, homines profani per ſummam impietatem euerterant. Repoſuere primùm Vicecomites Maſſilienſes, cùm Ædem ſacram dedicauit Benedictus IX. Tum pontificia maieſtate dignum opus, quale ſuſpicimus, inſtaurauit Vrbanus V. olim abbas, integritate vitæ clariſſimus, & infinitis poſt mortem prodigiis. Virginem Manuaſcenſem Deus oſtendit nouo, & ſingulari portento.

14 Incluſerant arcæ marmoreæ. Viſitur ea etiam nunc venerandæ antiquitatis egregium monumentum, alta tres pedes, longa ſeptem, lata duos. Operculo, quàm longum eſt, extremo ſuperpoſitam habet tabulam de eodem marmore, latam ſemipede, altámque, vt altare fuiſſe non dubites, ex veteri more cauum, accipiendis ſanctorum virorum corporibus cæſis propter verbum Dei. Arcam materia inſignem, arte ornatiorem fecerunt. In anteriore tabula ſapiens anaglyptes poſuit mediam Crucem, & ad Crucis vtrumque latus militem; altera lanceam ille gerit, ſcutum altera: tum addidit xij. Apoſtolos, ſenos ab vtraque parte, ſed ſuperiores militibus. Petrum agnoſcas ex capillitio denſo, criſpóque, & toto vultu, qualem antiquæ tabulæ pictæ referunt. Pauli faciem, barbam longiorem ac denſam, caluitium, oríſque ac totius corporis habitum nullus habet: vt mirere trinos ta-
15 men vtrimque manu tenere antiquum volumen. An Paulum, mortuo Chriſto, ad fidem vocatum, noluerunt addere morientis imagini; Barnabam autem viuentis olim diſcipulum, & Antiochiæ ab Spiritu ſancto Apoſtolis annumeratum adiunxere? Circa annum cccc. ferebatur eius eſſe illa epiſtola, quæ vtilis Eccleſiæ dicitur ab Hieronymo, & in Scripturis Canonicis ab eodem reponitur *in libro de nominibus Hobraïcis*, poſt Origenem *lib. 1. contra Celſum*. Ad Chriſti læuam ſtat Petrus, priſco more, locóque honeſtiſſimo: ſic enim eidem ſiniſtram Virginem ponebant per Orientem, Ioanne Baptiſta dextero, vt grauis eſt author Sophronius; & Paulo Petrum Romani, ex peruetuſtis omnibus ſignis. Atque cœlo probata ſedes eſt: nam Petrus, & Paulus Apoſtoli, ac Dionyſius Areopagita ſe videndos Stephano Pontifici præbuerunt: læuus Petro Paulus erat, Dionyſius dexter. Denique multo auro totas impleuere figuras: nunc quoque radiat in flexibus & rugis veſtium. Neque latera arcæ rudia voluerunt & illaborata: dexterum ſurgit Adamo, & Eua; ſiniſtrum tribus pueris in fornace ignem ridentibus. Andocuerunt ſuis anaglyphis vim in ignes, atque adeò in cætera corpora; & totam primorum parentum innocentiam redditam ephœbis regiis per

ſingularem

ſingularem ciborum abſtinentiam, victúmque de contempto legumine, vtî ſapienter dixêre Baſilius, ac Bernardus: quamque ex cibo vetito diuini Numinis ſpeciem ducere maleſano auſu illi tentauerunt, ab Chriſti ſanguine, & meliore in crucem arbore collatam in Apoſtolos, diuini mandati & auditores & præcones? Aduerto Chriſti de labaro nomen impoſuiſſe Cruci, idque laureatum; & ſuperiorem lineam, cui medium eſt, illuminaſſe ſtellis ad Lunam, & Solem additis. Fuere, qui putarent, Conſtantini Magni filiorum temporibus factum opus: ex labaro, ſtellíſque colligere ſe putabant; & ſi pro Paulo Barnabas in Apoſtolis poſitus volumen manu tenet, profectò non diu poſt eam ætatem ab non paucis habitus eſt author epiſtolæ canonicæ. Arcæ ſic incluſam Virginem in media terra, loco cæteris ignoto, poſuerunt ſacerdotes: neque enim Mariana vi ſimulacrum inſigne, ducebant inferius ſanctorum virorum exuuiis. Prædas intereà rerum agebant Saraceni, & domos ſacras, profanáſque vertebant; atque anno ſæculi trigeſimo Auenione munitiſſima, & tum, vt loquitur Fredegarius, montuoſa ciuitate capta, ſtragem latè dabant tota cis Druentiam fluuium regione. Vbi Manuaſcam venere, vt eſt amœna cultáque ſedes, ita populabundi corrupere totam cædibus, ac ruinis. Igitur multos annos fuit ſeges, vbi ſteterat magna pars vrbis. 16 *Ex Annalibus Francorũ Fuldẽſibus*

Fortè boues agebat arator per campum, quâ horrentes increuerant dumi; & repentè conſtiterunt brutæ animantes, neque ſtimulis, aut verberibus adigi potuerunt, vt producerent ſulcum. Interpretatus agricola timorem ab frequentibus ſpinis, miſit in dumeta ignem: tum perrexêre quidem, ſed gradu ſuſpenſo boues, vt venerabundos intelligeres. Atque poſt aliquantum viæ, flexo poplite, capite demiſſo, palearibus verrêre terram, mugitúque moderato cœlum impleuere. Diceres in ſtabulo Bethlehemitico ad cunas Domini cognoſcere poſſeſſorem ſuum. Admiratio primùm tenuit aratorem, tum ſtupor; atque vbi obſtinata hęrere iumenta videt, prodigium inclamat. Toto corpore perhorreſcebat homo paganus, & quid faceret in re inſolita non habebat. Quod potuit, è propinquo raptim vocauit colonos; mirantur & ipſi inſueta viſa. Ab aliis ad alios, vt fit, ſubitò dimanat rumor; agricolæ totis mapalibus, ciues vrbe concurrunt, pueri etiam puellęque factis agminibus ruunt. Perſtabant inter hæc boues immoti, & mugientes, veluti referrent arcam de Accaronitis ad Iſraëlitas. Quis populo tum ſenſus fuit? hi occlamare miraculum, illi ſingultu frangente verba pulſare manibus pectora, alij oculis in cœlum elatis Dei potentiam venerari, nonnulli incuſare moratalium ſocordiam: Vult (aiunt) profectò Deus honorem ab beſtiis, quem non defert humanum genus: omnibus lacrymæ per genas fluere. Vir fuit ſapientia præſtans: Quid agimus, (inquit,) ciues, quid agimus? non ceſpitem venerantur boues: latet magnum quid & cœleſte ſub terra, ad quam proſtrati iacent: non caſus eos afflixit, non labor: mugitu docent aperiri debere ſolum. Vix finierat; illicet manu, baculo, & ſi quid aliud occurrit, fodiunt terram. Neque in altum magnopere deſcenderant, cùm incurrerunt in arcam marmoream. Educitur ea è latebris non minore ſpectantium plauſu, quàm ſi arca Dei per Ieremiam occluſa referretur ab Hebræis in templum. Sacerdos intereà rerum vocatus adeſt, arcam aperit, videt Virginem Manuaſcenſem in media repoſitam cum pre- 17 18

tioſa veſte, multóque auro. Exultare populus, feſtam agere diem, templum Virgini excitandum vna voce occinere. Ab ſpinis, ſub quibus latuerat, nomen accepit: dicta eſt de Romigerio; vulgus appellat romos, quos Latini dumos dixere. Non pudendum Virgini nomen, quando ſentibus inſidere viſus eſt Moyſi Deus, ipsáque de ſpinis oriri lilium amauit. Igitur eadem voce MARIAM colunt Eborenſes in Luſitania, & Herbipolenſes in Germania ſuppare prodigio repertam in dumis.

19 Auxit honorem & cultum, quod templo exædificato euenit. Putauerunt ædi nouæ nouum ſignum deberi: atque vt parietes ſurgebant de quadro lapide, altaria radiabant auro, argentóque, ſacerdotes orabant in veſte ſerica, Phrygiáque, ita MARIÆ ponendam elegantem ſtatuam & pretio grauem; ligneam illam, neque formoſam, & annoſam eſſe ac vilem. Tanta erat hominum iis temporibus ſimplicitas: quæ, vt inerudita ſit, ab ſumma tamen pietate deſcendebat, & magna ſanctarum rerum veneratione. Igitur ſuam venuſtam ſuperponunt altari, antiquam aliam proponunt exteriùs ad

20 ſummas templi fores. Probauit equidem Virgo ſuorum cultorum ingenium; ſed errorem durare non eſt paſſa. Noluit æſtimarent ſacra, *auro, aut argento, aut lapide, ſculptura artis, aut cogitationis hominis*; ſentiréntve pauperum munera Deum abiicere & in virum modò intendere, qui indutus eſt veſte purpureâ, gazáſque porrigit ad altare. Ligneum, penetráſque ſignum per ſe ad aram de nocte regreſſum eſt clauſis foribus. Ædituus rem tacitus manè miratur, ſentítque vim MARIÆ præſentis: vt populo ſuaderet, reponit ſuper templi porta ſemel, & iterum, ac ſæpiùs, defixis omnibus, & ad inauditum ſingularéque prodigium obſtupeſcentibus, per noctem id ſemper ad altare ſe retulit. Sunt qui dicant, è Fano Martini quò delatum fuerat ſe retuliſſe in agrum, vbi defoſſum inuenerant, quæ cauſa fuerit ædificandi templi. Vtrumque fortaſſis euenit, vt maiore, vel ſcelere, vel ſocordia in ſacrarium noſtra ætate detulerit inhonorum ſacerdos, vt poſteà referam, quod non in fano Martini, non pro foribus templi, ſed ad odæi altare ſtupendis portentis fuerat conſtitutum.

21 Iam tum oſtendebat Virgo placere ſibi ad hanc imaginem preces: velle ſe ad eam Manuaſcæ orantibus bonam eſſe ac facilem. Cogitationes ipſius & conſilia quis aſſequatur? Ita etiam Deus ſolet: nullo abs loco abeſt vi ſua; ſpecie tamen hominis per nubem inſidens tabernaculo fœderis, voluit Hieroſolymis adorari & omni genere prodigiorum potentiam ſuam explicare. Nónne Chriſtus ipſe, pontificium os habitúmque gerens, Ioanni ſe colendum propoſuit in medio ſeptem candelabrorum aureorum? Nónne ſimulacrum de vultu ſuo poſuit in parte veſtis Abgaro Regi munus, prodigiis Edeſſa ciuitate clariſſimum? Atque igitur MARIA ad exemplum Dei, Filiíque, habet vrbes, habet ædes, habet imagines, ad quas iubeat fundi preces, deiici corpora, deferri ſibi honorem & cultum: habet per quos prodat vim ſuam, & dominam vniuerſi ac mortalium parentem benigna manu demonſtret. Neque Manuaſcenſe ſignum vel tot ſæcula ſyncerum cuſtodiſſet, vel tot ſupra naturæ vires operibus honeſtaſſet, ſi non in eo vellet coli, amaríque, ſi non ex eo vellet amatores ſuos, & cultores ſperare remedium.

22 Et verò, ex quò poſitum eſt ſuper altari, diceres abs Deo propoſitam ad omnes

omnes animæ corporíſque morbos ſingularem medicinam. Redeunte ad ſuam aram Virgine potuit vſurpari, quod de ſuo in terram aduentu pronuntiauit Chriſtus: *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Atque ad noſtra vſque tempora perdurauit cœpta virtus. Oculos, pedéſque cereos, ac ſubalares furcillas, aliáque id genus anathemata, è toto muro circùm pendentia vidimus pueri ipſi, ad certiſſimum argumentum de Virgine opis acceptæ. Sed duo ſunt, in quibus maximè ſe præſentem ſemper oſtendit, ægritudo mentis, naſcentium mors infantium. Solebant hos ad MARIÆ imaginem deferre; & fere ad vitam 23
redibant, dum aqua luſtrarentur: miſſo autem per naſum ſanguine, fuſis lacrymis, apertis oculis, voce non rarò etiam elata teſtabantur ſe iteratò viuere. Atque vt non dubitares de vi Dei præſentis ad preces Virginis, fuit cùm ad redditam infanti vitam æra campana de ſe, nulloque mortalium agente perſonarent. Quis verò ad MARIÆ ſignum adiit æger animi, angoreque preſſus, ac dolore, aut acerbitate mentis, qui non ex ea retulerit quietem, ſolatia, gaudium. Igitur ab vtroque hoc beneficiorum genere nomen quoque inuenit, dicta eſt B. MARIA, nunc de vita, nunc de conſolatione. Sed rem totam pene corruperat ante xxx. annos neſcio cuius ſacerdotis maleſana prudentia: ſuſtulerat ſignum de ara, vt ab longæua vetuſtate minùs decorum, & longè ab oculis populi poſuerat in ſacrario: nunc ad dexteram altaris retulêre. Cum ſigno ſuo receſſiſſe videbatur Virgo, adeò non reſpondebat votis ſuorum ne quidquam vim eius implorantium; quòd ſe in ædem cum eo reuocauerit, docent quæ in ſupplices confert quotidiana beneficia.

Vt alia taceam, ánno ſæculi huius xxxvi. die viii. Maij, de ſuperiore do- 24
mus tabulato in officinam quadro lapide ſtratam decidit puella nondum biennis. Mater (Margaritæ Amaronnæ eſt nomen) toto corpore inhorreſcit ad lamentabilem caſum: Deo ſobolem vouet, ſíque ſalua ſit repræſentaturam in ſudario Virgini Romigeriæ pollicetur. Rem miram! multis ſpectantibus infans ſine vulnere, ſine dolore intacta, atque vtî ab parente leniter, blandéque repoſita ſolo affunditur. Sed ſingulare prodigium eſt, quod euenit anno xxxiv. ſupra MDC. menſe Maio, Magdalena Morella nata annos circiter xl. grauiter laborauit ex paronychia in læuæ manus pollice. Totum digitum amburebat cæcus ignis, & per incrementa latentia ſenſim depaſcebatur vegrandis flamma. Venenum rubore principiò, tum candore ſe prodens carnem exuſſerat maius omni remedio, vngueque circum arroſo veluti victor ſe fuderat per totam manum; iam brachium occupabat, quàm longum eſt. Tres chirurgi medico præſide vocati ad conſilium, digito 25
manuique remedium eſſe negant; ferro gerendam citiſſimè rem, ac brachio conſulendum pronuntiant, ne cancer edax ad illud ab ea pertineat, in totius corporis certam perniciem. Sed enim verò carnificinam execrata mulier, animóque penè defecta, mortem ex tabe potiorem ducebat; & omnibus domo excedentibus iam ſola Romigeriæ Virginis opem implorat cum lacrymis, ſingultúque multo, ac gemitu: ceream manum vouet ſi redeat in priſtinam firmitatem pulſa lue. En morior, ait, animi corporíſque cruciamentis laniata: non tam manus crudeli ferro quàm anima reſcindetur è corpore. Si mentem afflictam recomponere diceris ad quietem, ô Virgo; ſi

corpus

corpus ad vitam animare demortuum; oſtende vim nomini reſpondere, & non appellari te nequidquam à tuis. Non finierat, cùm ſtetit primùm repente virus, tum manu quoque ac digito ceſſit; & ſenſim poſtea redditæ ſunt corpori, animoque ſuę vires, ſtupentibus chirurgis ac medico, & MARIÆ potentiam inclamantibus. Rem, vt retuli, dicto ſacramento ſanctè affirmarunt illi. Rea voti mulier ceream manum repoſuit ad ſignum Virginis, & ſcilicet tota vicinia publicum fecit prodigium, atque nunc etiam gra-
26 to animo recitare amat. Quid antiquiora referam? Margarita Barterona vidua grandi natu (jii. & lx. annum agit) frequens memorat, ſe olim vidiſſe, & alios, & infantem ex vxore Laurentij Camporlij cognati ſine motu, ſine ſenſu natum rediiſſe ad vitam. Supra annos lxxx. (& multi adhuc recitant) Arbareſterio (non ignotę gentis eſt nomen) oritur puer mortuus. Ciuis erat in paucis pius. Ergo & ſuam, & ſuę familiæ ſortem queritur, non ſine lamentis & eiulatu, quod & ſibi, & Deo mortuam prolem coniux enixa eſſet. Sæpenumero ab maioribus audierat ſolitam Virginem Romigeriam dare vitam ita nato fœtui, quantum ſatis eſſet accipiendo Baptiſmo, ſi pater ſupplex ad eam acceſſiſſet. Domo exit populo proſequente, cum bonis precibus, flexoque pro more genu, ad induſium nudus, manu cereum gerens Virgini aduoluitur. Et ecce tibi anima pueri redit ad corpus, vniuerſo templi ære campano per inſolens & grande portentum de ſe inſonante.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

EGo CLAVDIVS BONIELLVS, Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, Opus, quod inſcribitur: *Virgo Romigeria, ſeu Manuaſcenſis, Authore R. P.* IOANNE COLVMBI, *Manuaſcenſi, è Societate* IESV, *S. Theologiæ Profeſſore*, Societatis eiuſdem Theologorum iudicio probatum; iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtrę Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione excudant: Permitto Hęredi IONÆ GAVTHERIN, Typographo Lugdunenſi, vt ad ſex proximos annos illud excudere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni, 1. Decemb. 1637.

CLAVDIVS BONIELLVS.

GVILLEL

GVILLELMVS IVNIOR
COMES FORCALQVERII.

HONORATO
D'AIMINY
Viro Nobiliſſimo
CLAVDIO ROVX,
ET IO. IACOBO GVINTRAN,
CONSVLIBVS MANVASCÆ.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

ANTE annos quatuor ſcripſi de Manuaſca. Id patriæ debebam. Igitur ad illius tum Conſules opus detuli. Volebam de Guillelmo iuniore, Forcalquerij Comite, ſimul ſcribere: Et locus poſtulare videbatur; is anno ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum nobiles illas & apprime vtiles prærogatiuas contulit Manuaſcæ, de quibus non inaccuratè diſſerebam. Fecerunt alia, quæ ab aliis etiam nolenti occurrebant, negotia, vt ad hoc vſque tempus non potuerim de optimo principe ſcribere, nunc mihi gratulor, quòd id per otium licet, cùm vos, ſapientiſſimi viri, geritis Conſulatum: & tu potiſſimùm Honorate, cuius familiæ ab ipſa fere infantia vehementer addictus ſum. Eâ ſcilicet familiâ natus es, è qua (vt de Andrea patre taceam, qui ad vrbem Montalbanum fortiter egit) Antonius Lucas avus tuus, manu potens, belloque natus, & cùm fœderati omnia per Prouinciam fœdiſſimè conturbabant, Lurio, munitiſſimo arte ac ſitu caſtro, pro Rege præfectus, me ad mortem vſque dilexit obitam in exercitu, cùm ad Genuam, aliquot co-

hortium dux, magnis animis depugnaret. Dilexit & Annibal, aui frater, abbas Luræ, perque omnem ætatem familiariter mecum egit, atque, vt hoc addam, Petro Cotono, ac Raimundo de ſtrictis illuſtribus è noſtra Societate viris amiciſſimus fuit per vitam Margaretæ Reginæ, cui erat ab eleemoſynis. Iam ſi pro ſingulari ſummorum illorum de tua familia virorum amore, velim antiqua nobiliſſimæ gentis ornamenta ſcribendo ſequi, excedam modum epiſtolæ. Illa & aliis locis, & Taraſcone in plures partes ſciſſa ſuſtinet antiquum nomen, maiorumque claritati reſpondet. Vnum, & alterum de tuis maioribus ſupra Bertrandum an. 1300. Auenionenſem Epiſcopum, afferre ſatis erit. Petrus ante annos trecentos & aliis pagis dominatus eſt, & Eruaco, Auribello, Farfaco; Giraudus autem Petri filius, æquis pręterea cum Caſtellanęo dynaſta iuribus, Saniurſio. Vtroque nobis propior fuit Ioãnes proaui tui frater, Abbas Lurę. Hic vir ingenio clarus, morumque ſuauitate ſupra pręcipuam pietatem inſignis, elegantiſſimè dicebat ad populum & concionem oratione omnibus Rhetorum Chriſtianorum floribus inſtructa detinebat. Fruere vir nobiliſſime, fruatur Petrus frater Archidiaconus Regienſis, Maiorum gloria, & eorum veſtigia, quibus ambo inſiſtitis, ampliora facite illuſtriſſimorum facinorum magnitudine. Ego verò vehementer gaudeo, quòd librum hunc, pro antiqua cum patre, auoque, & aui fratre, amicitia edere mihi datur ſub tuo Conſulis nomine; petoque à Deo, vt tibi, Claudioque Roux, & Ioanni Iacobo Guintran, optimis ciuibus, quibus etiam illum inſcripſi, concedat magiſtratum feliciter exequi, atque illas maximè prærogatiuas fortiter tueri, quas Guillelmus Comes, de quo vobis ſcribo, Manuaſcæ dedit, atque ceteri Conſules per annos quingentos quinquaginta, & quod excurrit, illibatas ad nos vſque omni opum vi ſeruauerunt.

AVCTOR LECTORI.

COMITES Forcalquerij, vt longè latèque dominati fuerint, adeò tamen obſcuri ſunt, Vt ante Hieronymum Suritam, qui patrum noſtrorum memoriâ ſcripſit, nemo vnus eorum qui hiſtorias latinè ediderunt, illorum meminerit. Quod ipſe neceſſariò fecit, vt de vtroque Guillelmo, ſeu ſeniore, ſeu iuniore fratribus, nonnulla in primum ſuorum, Aragonia Indicum librum conniceret, non ineuidenter ſignificat, potuiſſe alios hiſtoricos, & de illis iiſdem Comitibus, & de ipſorum maioribus dicere. Nam quis

quis animum inducat, vnius aut alterius Aragonum Regis res postulare, vt de Comitibus Forcalquerij *sermo habeatur, ceteros Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ Reges nihil egisse, quod ad illos pertineret. Obscuritatem illorum non parum auget, quòd Guillelmus Iunior, quem maximè memorat Surita, tam malè notus viro fuit, vt Garcendis, cuius per filiam auus erat, patruum existimauerit, dixeritque præterea Garcendis eiusdem, non Guillelmi, Sistaricum fuisse, quæ, vt ex connubialibus tabulis intelligitur, neq; Sistaricum, neque aliud quid ex Forcalquerienſi Comitatu, niſi poſt aui mortem poſſedit. An ſcriptorum, an temporum vitio inducta eſt adeo caca & turpis tantorum Principum obſcuritas? Vndecunque offuſa fuerit, non videtur ferenda diutiùs. Omnium virorum, qui literas, præſertim amœniores, amant, coluntque, intereſt huic etiam parti lumen afferre. Ego quidem, cùm de Manuaſca vrbe tractatio ſuadebat, vt de Guillelmo Iuniore dicerem, in id vehementer incubui, vt Reguli parentes, ortum, fratres, geſta, mortem cognoſcerem. Alij, quibus veterum tabularum (quæ vnæ illos principes memorant) maior ad manum eſt copia, & cetera ipſius quæ meam omnia accuratè perſcrutantis diligentiam effugerunt, & reliquorum ante ipſum ſingula, è tenebris aliquando eruent. Interea tu, mi Lector, bonus accipies, quæ de optimo Principe affero, vbi Comitatus, quem à maioribus accepit, initia, finem, & amplitudinem dixero. Principatus Forcalquerij videtur cepiſſe Conrado Pacifico, Rege Prouinciæ, Burgundiæ, & Alemanniæ, anno incerto. vt docui libro 2. de rebus geſtis Epiſcoporum Sistaricenſium numero 2. Deſiit in Delphinatum, & Prouinciam immiſſus anno milleſimo ducenteſimo octauo. Ab extremis ad Pedemontanos Ebredunenſium Diœceſeos finibus, per Vapincum, Sistaricum, & Aptam Iuliam ciuitates, Auenionem vſque, dum ſtetit, protendebatur. Scilicet cùm Prouinciæ Comitatus ex ruina Prouinciæ Narbonenſis ſurrexiſſet, diuiſus eſt aliquando in duos: & alter quidem Alpibus, mari, Rhodano, Druentia concluſus ceſsit Vuilelmo, qui totâ regione, Fraxinetoque* Comitatus Foroiulienſis (*vt veteres chartæ ferunt*) Caſtro *pepulerat Saracenos; alter, quem Forcalquerij appellabant, attributus eſt Rothboldo fratri. Iſte etiam poſtea à Guillelmo Iuniore ſciſſus eſt in partes duas, quot ex Garcende filia neptes habebat. Maiori, quæ matri cognominis nubebat Alphonſo Prouinciæ Comiti, id omne dedit, quod à Sistarico ad Auenionem pertinet; Beatrici, quæ Andream Delphinum ducebat, reliquum omne verſus Alpes. Ab eo igitur illa pars cenſetur nomine Prouinciæ, Delphinatus nomine iſta: & vtraque in regnum Francorum, cum Prouincia & Delphinatu, denique veluti quodam poſtliminio rediit.*

GVILLELMVS IVNIOR
COMES FORCALQVERII.

EA fuerunt Guillelmi Iunioris, Comitis Forcalquerij, erga Ma-
1 nuaſcam beneficia, vt qui de illa tribus libris ſcripſi, vno certè videar mihi debere de ipſo ſcribere. Præfatione quidem ad lectorem, & libro ſecundo, vt ſuis Manuaſcenſibus non omnino ignotus eſſet, neceſſariò docui natum anno milleſimo centeſimo quinquageſimo, mortuum milleſimo ducenteſimo nono. Addidi Bertrandum & Laucerandam parentes, atque Guillelmum & Bertrandum, qui ante ipſum deinceps regnauerunt, fratres habuiſſe. Sed fueritne alius ei præterea frater, aliquoſne genuerit liberos, non addidi; & illa omnia tacui, quæ per vitam egiſſe legimus in veteribus chartis. Igitur & ea quæ tum attuli, nunc iuuat ediſſerere fuſiùs, & cetera optimi Principis, quæ neque obſcura, & oppidò multa in aduerſariis habeo, colligere in vnum corpus, atque in lucem edere.

Guillelmus Iunior Bertrando patre, & Lauceranda matre (Laucerannam
2 aliquæ tabulæ vocant; & ſcribarum errore pro Lauceranna Veterannam, & Laugerandam pro Lauceranda) Comitibus Forcalquerij natus eſt, vt ipſe tradit omnibus fere tabulis, quæ ab eo ſcriptæ peruenerunt ad meas manus. *Ego Guillelmus*, inquit in illis duabus, quas Manuaſcenſes appellant ſua priuilegia, & quas verbatim retuli libro ſecundo Manuaſcæ, *Dei gratiâ Comes Forcalquerij, filius Domini Comitis Bertrandi, & Dominæ Comitiſſæ Laucerandæ.* Et Lauceranda quidem à pluribus exiſtimatur Soror Arnaudi Flottæ, neque immeritò, eum enim ipſe Guillelmus plures è dynaſtis clientibus enumerans, vnum vocat auunculum in literis, quibus iubet, vt filiæ, cùm dotem à parentibus acceperint, nihil de illorum hereditate præterea ſibi capiant, aut ſperent. *Ego Guillelmus*, ſunt Reguli verba, *conſilio omnium virorum Comitatus, & nominatim Guirandi de Simiana, & Roſtandi de Agouto fratris ſui, & Guillelmi de Sabrano, Giraudi Amici fratris ſui, Buſonis de Ceſariſta, Guillelmi Raimundi de Gadalacha, Hugonis de Railana, Hugonis de la Roche, & Arnaudi Flotte auunculi mei, Petri Rainerij, Petri de Miſone, & Leonor de Miſone fratris ſui, & auiæ meæ Garcendis, &c.* Bertrandus verò patrem Guillel-
3 mum habuit, matrem Gareendem, & fratrem natu minorem Guigonem, qui primus anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono dedit Hoſpitali Ieroſolymitano Manuaſcam vallem cum ſua villa, caſtris & pagis omnibus, ſiue *Comitatus caſtri, villæ, & ſuburbij Manuaſcæ*, quemadmodum loquebatur Deodatus de Goſono Magiſter Hoſpitalis Rhodi anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo. Hic ille Gugo eſt, qui & alia, & hoc ſapienter ac ſanctè fecit, vt Guillelmum filium officio ſuo & Eccleſiæ redderet. Occupauerat illuſtriſſimus iuuenis, aut fouente, aut agente etiam

matre

matre Pertuſium, à Rotholdo, qui Forcalquerienſibus imperauit primus Comes, datum Monachis Montis maioris: *& Abbas iuſtitiam* (vt ferunt tabulæ de vniuerſa re tum ſcriptæ) *à Calixto ſecundo Pontifice expetens, obtinuit ab eo ſententiam excommunicationis in Comitem, eiuſque fautores, & interdictum in comitatum illius, donec monaſterio ſatisfaceret. Sed Abbas, & monachi precibus Guigonis patris illius promittentis eum de cetero ſuper hac re monaſterium ampliùs non inquietaturum, cõdonauerunt ei.* Cùm legis comitatum fuiſſe Guillelmo aliquem Guigonis filio, ne cogita Forcalquerienſem illum ampliſſimum, qui & alias regiones & Ebredunenſem, Vapincenſem, Siſtaricenſem, atque Aptenſem complectitur. Illis continebatur locis, quæ Guigo pater ei poſſidenda conceſſerat. Forcalquerienſis quidem dicebatur ipſe Comes, dicebatur & Guigo pater: ſed ſub Bertrando Guigonis primogenito fratre ſupremo Comite. Sic enim habebat illis temporibus, vt Forcalquerienſi de gente vniuerſi Principes, appellarentur Forcalquerij Comites, etſi clientelæ profeſſionem Comiti ſummo faciebant, ſuæ gentis capiti. Nobile huius rei exemplum habes in repertorio chartarum Regij Aquis ſextiis, vt loquuntur, *theſauri*. In eo legitur *Comes Forcalquerij* Adelaidis, quam Bertrandus Guigonis frater genuerat, ex filio nepos, *feciſſe homagium R. Comiti Prouinciæ, de tota terra ſua* (modica certè, & non multos complexa pagos, Adelaidi auiæ quondam ex paterna hereditate conceſſos) *Comitatus Forcalquerij*, quem Raimundus ex dote Garcendis auiæ poſſidebat. Honorarium erat hoc nomen Comitis; & quæ regionis de Comitatu portio fratribus & cognatis hereditario iure obuenerat, donabatur etiam honorario nomine Comitatus. Atque hæc de Guigone Guillelmi Iunioris patruo ſatis fuerint. Non prorſus alieno loco poſita eſſe fateberis, cùm peruueneris ad numerum 25. Ad ipſum Guillelmum Iuniorem redeamus. 4

Annum, menſem, diem, quibus natus eſt, nullæ memorant tabulæ. Annus, quem à quinta & viceſima die Martij tum ordiebantur, videtur fuiſſe quinquageſimus à milleſimo centeſimo: menſis ante Nouembrem nullus. An ipſe Nouember, & qua ſui parte fuerit, poſtea videbimus. Dies omnino ignotus eſt. Chartæ duæ faciunt, vt de anno, & menſe ita ſentiam. Altera anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo ſcripta eſt. Ipſe in ea aſſerit ſe anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo Nouembri menſe *factum annorum quadraginta* fuiſſe. Altera ipſe idem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto tradit ſe puerum fuiſſe, cùm Templarij Lebrignanam pagum eccleſiâ Olonij cum Epiſcopo Siſtaricenſi permutauerunt, quod eius ſæculi quinquageſimo feciſſe docent permutationis tabulæ in libro Siſtaricenſis epiſcopij, quem Viridem vocant, ante annos centum & quinquaginta exſcriptæ: neque pro pueritia illam permutationem obſignaſſe. Enimvero qui ait ſe anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo Nouembri menſe *factum annorum quadraginta*, certè aſſerit ſe tum perfeciſſe quadrageſimum ætatis integrum, non aliter quàm vnius anni puer is vocatur, qui ipſum omnem peregit. Qui autem addit ſe anno milleſimo centeſimo quinquagemo fuiſſe puerum, omnino docet ſe illius anni aliquo menſe, nullo tamen ante Nouembrem, fuiſſe natum; vnius & quadraginta annorum futurus, ſi ante ipſum aliquo ortus fuiſſet. Quoniam hæc res ad omnem Guillelmi Iunioris ætatem conſtituendam prorſus neceſſaria eſt, manifeſtéque 5

euincit natum esse post Guillelmum & Bertrandum fratres, pueritiam quinquagesimo sæculi anno exutos, vt postea videbimus, placet referre verbatim vtramque chartam. Prior sic habet. *Ego Guillelmus Dei gratia Comes Forcalquerij, filius quondam bonæ memoriæ domini Comitis Bertrandi, & dominæ Comitissæ Iaugerandæ* (Iausserandam vulgò dicimus) *confiteor tibi patri & domino Rostagno Lurensis monasterij Abbati, & recognosco quòd in tempore adolescentiæ meæ, cùm essem cum Comitissa Garcenda auia, domina, & tutrice mea, post factam à dominis de Alsingues & Montistauri donationem, eorum voluntate donaui postea Deo, & S. Mariæ de Lura, ad ædificandum ibidem ecclesiam in honorem Domini nostri Iesu Christi & gloriosæ Virginis Mariæ, & ad instituendam ibidem abbatiam secundum Ordinem Calisiensium à S. Hugone Gratianopolitano Episcopo quondam institutum, Hanc autem donationem factam in præsentia multorum testium, quorum nomina inferiùs scripta sunt, postea factus iuuenis & annorum quadraginta, iterum volui confirmare in manu domini Hugonis abbatis Calisiensis monasterij, in cuius manu primam donationem fecerã, cùm esset Abbas tunc Boscaudonensis monasterij, quod priùs ipse construxerat. Postea verò ipse ædificauit monasteriũ de Lura, & fuit primus Abbas vtriusque monasterij,* &c. *Sanctas itaque preces illius libenter exaudiens,* &c. *donaui Deo,* &c. *& recognosco iam dicto Abbati Rostagno, quòd primæ donationis meæ in burgo Manuascæ in claustro B. Mariæ factæ testes fuerunt Guillelmus Archidiaconus Sistaricensis,* &c. *Secundæ autem confirmationis testes G. Forcalquerienſis Præpositus, qui nunc hanc Chartam dictauit, & alij. Facta fuit confirmatio ista anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo primo mense Nouembri* &c. *Petrus ego notarius, domini mei Comitis mandato, hanc chartam scripsi apud Forcalquerium mensis Maij die prima, incarnationis millesimo ducentesimo septimo.* Hactenus chattarum, quas memorauí, prior. Illa, vt vides, docet Guillelmum Iuniorem, anno millesimo centesimo nonagesimo primo Nouembri mense, fuisse *factum annorum quadraginta*. ac proinde eos perfeciſſe. Posterior sequitur his verbis. *Transactio, seu concordia, quæ inter Stephanum canonicum Templi Domini, administratorem domuum Prouincialium ad idem Templum pertinentium, & dominum Bermundum Sistaricensem electum, mediante domino Petro Aptensi Episcopo facta fuit, talis est. Controuersia siquidem erat inter eos de quodam cambio seu permutatione, quam antecessores eorum fecerant inter se. Dominus namque bonæ memoriæ Petrus Sistaricensis Ecclesiæ Episcopus donauerat in hac permutatione fratribus Templi ecclesiam S. Mariæ de Olonio, & omnes possessiones, & res ad ecclesiam pertinentes pro castro de Lebrignana, quod Adelais Comitissa Templo donauerat. Hanc verò permutationem Comes Vvilelmus dicebat non valere, quia facta erat sine sua laude, & voluntate, qui dominus tunc puer erat, quando fuit facta inter eos permutatio ista. Et hac ratione abstulit castrum Episcopo, nolens Episcopum, sed canonicos Templi istud habere. Tandem prædicto Episcopo mediante, & eos concordante, placuit,* &c. *Factum est hoc, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo quarto,* &c. Hæc posterior charta tradit Guillelmum Iuniorem fuisse puerũ, quando Templarij Lebrignanam mutauerunt ecclesia Olonij: id autem feciſſe anno millesimo centesimo quinquagesimo ferunt ipsius permutationis tabulæ. Igitur qui anno primo & nonagesimo supra millesimum centesimum mense Nouembri perfecerat annos quadraginta, non est natus millesimo centesimo quinquagesimo

7

8

primo

primo Nouembri menſe, è quo illi quadraginta ducebant initium, neque vllo eiuſdem anni menſe, at milleſimo centeſimo quinquageſimo, quo ex illa permutatione Lebrignanæ Olonij eccleſia puer erat. Quo autem menſe, qua die iſtius quinquageſimi natus fuerit, non licet ex memoratis tabulis intelligere: hoc vnum ex illis conficitur non ortum fuiſſe ante Nouembrem, qui anno primo & nonageſimo ſupra milleſimum centeſimum, *annorum quadraginta*, non autem *vnius & quadraginta factus erat*. An ex aliis colligere liceat menſem, quo natus fuit; ſitne is Nouember, an poſt Nouembrem aliquis, videamus. Principio dicamus de ipſius fratribus, qui, & quo numero fuerint, & quando nati. Ex eorum ortus tempore fortaſſis venire nobis dabitur ad menſem, quo Guillelmus Iunior in lucem prodiit. Dauid Blondellus, in pleniore aſſertione genealogiæ Franciæ, tractatu de Carolini ſanguinis in Capetinam familiam per annos octingentos continuo influxu tabula quarta, videtur dicere vnicum parentibus fuiſſe filium. Honoratus Bouche in ichnographia libri ſeptimi hiſtoriæ Prouinciæ & in epiſtolis typo non editis vnum ei fratrem concedit Bertrandum. Sed Guillelmus de Beneuento ab anno milleſimo centeſimo trigeſimo quinto per nouemdecim annos Archiepiſcopus Ebredunenſis, Eugenij tertij per Prouinciam & Forcalquerij Comitatum legatus, pacta eidem Pontifici referens, in quæ, Guillelmo Iuniore puero, Comes Forcalquerij conuenerat cum Hoſpitalariis Ieroſolymitanis de Manuaſca, vtrumque refellit, docetque plures ipſi fratres fuiſſe. Hunc Guillelmum Ebredunenſem Archiepiſcopum (vt id non taceam) Marcellinus Fomerius in hiſtoria Ebreduni M S. nominauit de Campoſauro, illumque Sammarthani ſequuntur in Gallia Chriſtiana: ſed neque chartam attulit, quæ id habeat, & paucis, neque firmis ad hoc aſſerendum adductus eſt coniecturis. Guillelmus Iunior, anno octogeſimo ſupra milleſimum centeſimum, ſcripſit illorum pactorum conuentorum autorem eſſe *Guillelmum de Beneuento Ebredunenſem Archiepiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum*. Fornerium fefellit, quòd nullum iſtius Guillelmi nomen in ſuis chartis legerat, & Guillelmum de Beneuento legerat ſediſſe Ebreduni, ab anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto vſque ad milleſimum ducenteſimum decimum. Sed, vt vides, non vnus Guillemus de Beneuento ſedit Ebreduni. Prior eſt is, de quo nunc loquor: poſterior anno poſt prioris mortem trigeſimo ſedere cepit. Ille ergo ſequentia Eugenio tertio ſcripſit. *Talem inter eos*, ideſt Comitem Forcalquerij & Hoſpitalarios, *tranſactionem vtriuſque partis conſenſu dictauimus, vt caſtrum Manuaſcæ cum aliis poſſeſſionibus ad illud pertinentibus, & caſtrum quod dicitur Totas-auras cum territorio ſuo æqualiter inter ſe diuiderent, vt medietatem Hoſpitalarij pleno iure haberent & liberè poſſiderent, & aliam medietatem haberet & poſſideret Comes eodem modo, ita quòd nec Comes, cum ſuis fratribus & auia, quidquam penitus ab Hoſpitalariis ibi haberet, nec Hoſpitalarij à Comite, vel eius fratribus.* Hæc Guillelmus Ebredunenſis Archiepiſcopus. Vides concedere Comiti Forcalquerij plures vno fratres. Qua ergo veritate nullum Blondellus, Boucheus vnicum fratrem ei fuiſſe autumant? Sed præterea placet aduertere ſic loqui, vt aſſerat vnicum Regulum Comitatui Forcalquerij dominatum fuiſſe, negetque fratres eius præfuiſſe illi Comites. Si Boucheus vera dixit in ichnographia libri ſeptimi de hiſtoria Prouinciæ iſtis verbis: *Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo*

9

10

Guillelmus

Guilelmus ſextus & Bertrandus quartus fratres, & filij Bertrandi tertij, ambo Comites Forcalquerij, cur Guillelmus Archiepiſcopus Comitem Forcalquerio vnicum tribuebat, non duos, aut etiam plures duobus, atque ita loquebatur, *Comes cum ſuis fratribus?* quid, quòd vt non putes calami lapſum hunc eſſe, pergit in iſtas voces; *Si verò Comes, & fratres eius*; & poſtea, *in argumentum huius rei Comes & fratres eius*; ac deinde, *Comes & fratres ſui reſtituerent*; atque demum, *Comiti, & fratribus eius.*

11 Nunc quoniam plures Guillelmo Iuniori fratres fuiſſe vidimus, age dicamus quo ij fuerint numero. Mihi quidem antiquiſſima illa tempora animo relegenti videntur fuiſſe omnino tres. Primus, & omnium maximus natu dicebatur Guillelmus: ſecundus Bertrandi nomen tulit, & tertius quoque. Iuniorem ego hunc vltimum appellabam, vt à fratre cognomine, qui ætate maior erat, diſtinguerem. Guillelmus noſter inter vtrumque Bertrandum medius, ante Iuniorem, & poſt Seniorem natus eſt. Noli autem mirari duobus Bertrandi & Iaucerandæ regulorum filiis prænomen Guillelmi fuiſſe, Bertrandi prænomen duobus. Comitum Forcalquerij gens amabat hæc duo prænomina, vt ex eorum ſerie intelligitur. Per annos ergo ducentos, & quod excurrit, à Rothboldo, quem libro ſecundo de Siſtaricenſibus Epiſcopis numero ſecundo docui fuiſſe primum Comitem Forcalquerij, vſque ad Guilelmum Iuniorem vltimum, occurrunt vnus tantùm & alter, quibus prænomen aliud fuerit. Par aliquid inuenies & in aliis gentibus, & (vt taceam Carolo Vindocinenſium ex Borboniis Duci fuiſſe filios præmine Ludouicos omnino tres) in Alenſonia regiæ Francorum gentis familia, Petrus Mariæ Chamailardæ coniux amabat in filiis prænomen Ioannis, & in filiabus prænomen Mariæ; illis ergo duobus, Ioannis, & iſtis duabus, Mariæ prænomen impoſuit; atque vtrumque natu minorem, vt à maiore diſtingueret, cognominauit Iuniorem, quemadmodum aduertunt Sanmarthani. Iam tres illos Guilelmi Iunioris fratres eruamus è veteribus chartis.

12 Vt id certiùs ac euidentiùs fiat, vnum antè conſtituamus neceſſe eſt, ſcilicet cùm Guilelmus & Bertrandus fratres pluribus in tabulis ab anno milleſimo centeſimo quinquageſimo vſque ad annum ducenteſimum ſeptimum ſcripti ſimul legantur, Bertrandum tamen nunquam ante Guilelmum inueniri poſitum, veriſſimo argumento iuniorem eo fuiſſe. Sic enim habet in fratribus, vt niſi res de qua agitur aliud poſtulet, qui primus è matris vero vtenit in lucem mandetur etiam literis primus, ne in illorum ortu natura peccaſſe videatur, peruertaturque ac damnetur ordo, quem inter ipſos ea præfixit. Igitur qui Bertrandus anno milleſimo ducenteſimo ſexto poſt Guilelmum ſcriptus legitur, nonnulla cum eo Auenionenſibus conceſſiſſe, ipſo minor ætate fuit: & qui anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeu Leporianum à Bertrando patre conceſſum confirmauit Templariis, ſeu Lebrignanæ à Templariis cum Siſtaricenſi Epiſcopo, Olonij eccleſia permutationem comprobauit, vt poſt Guilelmum ſcriptus eſt, ita etiam fuit eo minor natu. Iam ego quidem ita ſentio, vt qui Guilelmus & Bertrandus anno illo ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum Auenionenſibus nonnulla conceſſere, ſint ambo diuerſi ab illis, ætateque inferiores ipſis, quos iſto quinquageſimo poſt milleſimum centeſimum legimus ſeu Leporianum confirmaſſe Templariis, ſeu probaſſe permutationem Lebri-

gnanæ

gnanæ ab iisdem Olonij ecclesiâ. Neque res hæc difficultatem habere vi debitur, si ad antiquissimas tabulas attendamus. Guilelmus Iunior anno millesimo centesimo septuagesimoquarto asseruit se non *laudasse*, suoque assensu firmasse illam mutationem Lebrignanæ ecclesiâ Olonij, quia *puer* 13
erat, vt referebam numero septimo: eam tamen Guilelmus Comes, & Bertrandus frater probauere cùm fiebat, vt ipsi affirmant in tabulis quas de illa scripserunt, atque tradit Adrianus quartus Pontifex in literis, quibus Petro Sabranio Sistaricensi Episcopo bona confirmat omnia. *In quibus bonis*, inquit, *hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: castrum de Lurio cum pertinentiis suis: castrum de Lebrignana, quod canonicis Templi Domini, voluntate & assensu Guilelmi & Bertrandi Forcalquerienſium Comitum permutasti.* Hi autem duo Guilelmus & Bertrandus Guilelmi Iunioris fratres erant, vtpote Bertrandi & Iaucerandæ Comitum filij, quos Guilelmi Iunioris parentes fuisse vidimus numero secundo. Et Bertrandi quidem filios ipsi se dicunt in illa, quam modò memorabam, Leporiani confirmatione Templariis. *Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ego Guilelmus Forcalquerienſis Comes, & ego Bertrandus frater, & ego Garcennis predictorum auia, castrum Leporianum, quod Bertrandus pater noſter, & Guigo auunculus Comites, pro remedio animarum ſuarum, Templo Domini, eiuſque ſeruitoribus abſque vlla repetitione liberè poſſidendum, donauerunt, laudamus.* Iaucerennæ verò etiam filios fuisse hoc significat, quòd Bertrandus pater habebat vxorem, cùm illud ipsum Leporianum Templariis concedebat, neque aliam ei fuisse coniugem legimus, antè ipsi quàm nuberet. Dona- 14
tionis tabulas accipe. *Notum ſit omnibus, quòd ego Comitiſſa Adelais, & ego Comitiſſa Garcennis, & ego Bertrandus, & vxor mea nomine Iauceranna, & ego Guigo Comites Forcalquerienſes damus, & in perpetuum concedimus Templo Domini quod eſt in Ieruſalem, pro amore Dei, & pro remedio animarum noſtrarum, omniumque parentum noſtrorum tam viuorum, quàm defunctorum, quoddam caſtrum ſcilicet Leporianum, cum omnibus ſuis pertinentiis, ſine omni retinemento, & abſque vlla repetitione, vel inquietatione, liberè & quietè poſſidendum*, &c. *Facta eſt præſentis ſcripti pagina anno ab incarnatione Verbi Dei milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto indictione octaua, regnante Imperatore Colraſo.* Cùm hæc ita habeant, fuerunt igitur anno quinquagesimo post millesimum centesimum fratres omnino tres, Guilelmus, Bertrandus, & Guilelmus alter: atque Guilelmus & Bertrandus, qui permutationem Leporiani à Templariis Ecclesiâ Olonij suo comprobauerunt assensu, ætate superabant Guilelmum alterum, qui illam ipsam pro pueritia comprobare non poterat.

Tribus istis fratribus profecto addendus est quartus, Bertrandus altero 15
seu Iuniore minor natu. Vt ita sentiam faciunt celebertimæ illæ tabulæ, anno sexto supra millesimum ducentesimum scriptæ, quibus Guilelmus Comes Forcalquerij, & Bertrandus frater *quitant* (sunt earum verba) Auenionensibus *dominium, iurisdictionem, & caualuatas.* Eas non recito. Retulerunt Antonius de Ruffi libro de Comitibus Prouinciæ, & Franciscus Noguier libro de Auenionensibus Archiepiscopis & Episcopis. Habentur in regio apud Aquenses archiuo. Cùm enim, vt aduertebam numero 12. ille fratrum sequatur ætate alterum, qui post ipsum scriptus legitur, certè Bertrandus iste Guilelmo iunior dicendus est, cum quo eas tabulas posterior scripsit,

maximè quoniam Guilelmus quidem dicitur in illis Comes, ipſe verò Comitis frater, non quòd non etiam ipſe appellaretur Comes, ſed quia id nominis & honorarium erat, & ei ſic tribuebatur, vt Guilelmo tamen ſubeſſet, qui vnus toto Comitatu regnabat.

16 Hîc vehementer diſplicent aliqui. Fatentur Bertrandum Guilelmo iuniorem eſſe cum quo tabulas pro Auenionenſibus ſcripſit, ſed negant Guilelmum & Bertrandum qui eas ſcripſerunt, alios eſſe à Guilelmo & Bertrando quos ambas illas de Leporiano & Lebrignana pro Templariis ſcripſiſſe in ſuperioribus vidimus. Ego autem non video quid homines ad id cogitationis adduxerit. Primùm veræ tabulæ, vt ſuo loco docui, tradunt duos Guilelmi prænomine filios annô quinquageſimo poſt milleſimum centeſimum fuiſſe Bertrando & Iaucerandæ Comitibus, & eorum alterum qui pro pueritia probare non potuit mutationem Lebrignanæ eccleſia Olonij; ſcilicet puerum eo ipſo anno natum, puero maiorem alterum qui eam permutationem ſuo firmauit aſſenſu: atque eos vt abinuicem diſtinguamus, dicimus hunc ſeniorem iuniorem illum. Addunt ſeniorem regnaſſe anno eo quinquageſimo, vtpote quo iam Comes probauit illam Olonij eccleſiâ permutationem Lebrignanæ, & iuniorem nonageſimo; cùm factus eo annorum quadraginta, non potuit nondum anniculus illam permutationem probare. Quid ergo afferri poteſt, cur ſenior veluti mortuo aut abdicato iuniore, ſeu excitatus à mortuis ſeu principatui reſtitutus, feratur poſtliminio quodam rediiſſe ad regendum Comitatum anno ſexto poſt milleſimum ducenteſimum? Deinde qui, Guilelmo ſeniore Comite, Bertrandus puero maior erat & tabulis ſuo aſſenſu pro ætate firmandis aptus anno milleſimo centeſimo quinquageſimo, ætateque ſuperior Guilelmo Iuniore puero & nondum anniculo, is certè dicendus eſt alius ab illo Bertrando, qui anno milleſimo ducenteſimo ſexto minor ætate erat Guilelmo Iuniore. Sed iſta hactenus. Piget afferre plura. Ad alia tranſeamus, & quando certum eſt tres Guilelmo Iuniori fratres fuiſſe, videamus an ex eorum ortus tempore poſſimus ad menſem peruenire, quo ipſe natus eſt, illum enim vt aſſequamur, vniuerſa de fratribus diſputatio inſtituta eſt. Quia verò nullæ

17 tabulæ ad meas manus peruenerunt, quæ vllius eorum ortum ſuo anno, menſi, diei aſſignent, illæ à nobis penitus ſcrutandæ ſunt, ex quibus aliquid de ipſo elici poſſe videtur. Ordiamur à Guilelmo ſeniore fratrum primo. Vnum eſt è quo ſuſpicari venit aliquando in mentem ei vxorem annô illo quinquageſimo, quem ſæpenumero memoraui, fuiſſe; ipſumque, vt minimum dicam, proinde pubertatem ingreſſum. Is & Bertrandus frater Leporianum anno quarto & quadrageſimo ſupra milleſimum centeſimum Templariis à Bertrando patre conceſſum confirmabant anno pòſt ſexto, vt docui numero 13. ſubſcripſerunt tabulis qui ſequuntur. *Teſtes*, inquit ſcriba, *huius conceſſionis ſunt ipſa Comitiſſa, Raimundus de Bolbone, Guilelmus frater eius, Iordanus de Auenione, Iſnardus de Delphino, Ricardus de Saignone, & Lambertus de Cucurono, Bertrandus de Forcalquerio, & alij.* Iam peto quæ Comitiſſa teſtis huic conceſſioni interfuit? non alia profectò videtur, quàm Guilelmi Leporianum à Bertrando patre Templariis datum confirmantis vxor. Certè tabularum quibus ea conceſſio continetur hoc initium eſt. *Ego Guilelmus Forcalquerienſis Comes, & ego Bertrandus frater.*

Vnus

Vnus Guilelmus totis tabulis dicitur Comes,& tu cùm legis vnam iisdem dici Comitissam, cogitas aliam,quàm Guillelmi vxorem ea voce significari? Pubes saltem ergo tunc fuerit. De Bertrando Seniore fratrum secundo nihil aliud inuenio, quàm quod in superioribus non semel attuli,pueritiam eo anno quinquagesimo post millesimum centesimum excessisse. 18
Bertrandus Iunior sine dubio natus erat, cùm Guilelmus Ebredunensis Archiepiscopus, ab Eugenio Pontifice legatus, componebat dissidium, quod Hospitalariis Ierosolymitanis erat de Manuasca cum Comite Forcalquerij. Scilicet ex eius ad Pontificem literis non obscurè intelligitur Bertrandum patrem & laucerandam matrem Comites, tum obiisse extremam diem, cùm rem agebat. *Talem inter eos transactionem*, inquit, *vtriusque partis consensu dictauimus, vt Hospitalarij iure perpetuo haberent & quietè possiderent quidquid ibi*, id est Manuascæ,*habebant pridie antequam Guigo Comes hanc donationem fecisset. Cetera verò videlicet prædictum castrum cum aliis possessionibus ad illud pertinentibus, & castrum quod dicitur Totas-auras cum territorio suo equaliter inter se diuiderent, vt medietatem Hospitalarij pleno iure haberent,& liberè possiderent, & aliam medietatem haberet & possideret Comes eodem modo, ita quòd neque Comes cum fratribus & auia quidquam penitus ab Hospitalariis ibi haberent*, &c. *Si verò Comes & fratres eius, & soror decederent sine legitimis liberis, pars illorum quæ ex transactione ista eis obuenerat, Hospitalariis liberè & pleno cederet.* Nam si Bertrandus pater, si lauceranda mater viuebant, cùm Guilelmus Archiepiscopus componebat illud dissidium, cur cum iis non egit, sed cum ipsorum liberis & liberorum auia? rem verò gessisse videtur secundo & quinquagesimo anno post millesimum centesimum, quandoquidem illius literis respondit Eugenius, qui sequente anno mortuus est octauo idus Iunij. An eo igitur natus etiam est Bertrandus Iunior, quem 19
Guilelmus Iunior anno quinquagesimo natus præcedebat ætate? nequaquam. Omnino dicendus est natus anno millesimo centesimo quinquagesimo primo. Hoc sentire prorsus cogit mors Bertrandi patris, quam ego quidem arbitrabar euenisse anno quinquagesimo, Nouembri exeunte. Igitur de Nouembri mense anni quinquagesimi post millesimum centesimum videntur asseri posse duo ex vetustissimis tabulis. Alterum est, Guillelmum Iuniorem neque ante Nouembrem, neque prima Nouembris die natum esse: alterum est, Bertrandum Guilelmi Iunioris patrem sub Nouembris finem è vita decessisse. Primum illud conficit ea charta, in qua Guilelmus Iunior anno millesimo centesimo nonagesimo primo, Nouembri mense, asserit se *factum* esse *annorum quadraginta*: secundum ea, qua *Guilelmus Comes Forcalquerij, & Bertrandus frater* anno millesimo centesimo quinquagesimo, mense Nouembri confirmant Templariis Leporianum. Nam vt ab hac incipiam, vt illa veritatem habeat, dici debet scripta Bertrando Guilelmi Comitis & Bertrandi fratris patre mortuo. Nam quis sobrius arbitretur Guilelmum patre Comite viuo dici ipsum Comitem, atq; Bertrandum Comitis fratrem. Poterant ambo fratres patre viuo genteque appellari Comites, vt aliàs factum legimus in tabulis, quæ Comites seu Prouinciæ, seu Forcalquerij memorant cum filiis! filios certè sic appellari tacito patre qui viueret, vt alter dicatur Comes, alter Comitis frater, ego nunquam crediderim. Bertrandus ergo pater Nouembri eo mense mortuus erat. Ante ip-

ſum verò aut etiam ipſo ſeu ineunte, ſeu adulto extremum diem obiiſſe non aſſeret, qui cogitauerit & Guilelmum Iuniorem illo eodem menſe natum eſſe, & Bertrandum Iuniorem à lauceranda matre priſtinæ valetudini poſt puerperium reſtituta conceptum extremo eo ipſo, aut Decembri ineunte. Debuit ſcilicet Guilelmus Iunior poſt primum ſaltem Nouembris diem naſci, vt anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo diceretur factus annorum quadraginta Nouembri menſe, non autem vnius & quadraginta: debuit Bertrandus Iunior ſub initia ſaltem Decembris concipi, vt Guilelmus diceretur Nouembri menſe Comes, & Bertrandi patris eo ipſo menſe
20 mortui in Comitatu ſucceſſor. Sed vt vna voce rem expediam, quæ contentionis pleniſſima eſt, quid vetuit Guilelmum Iuniorem naſci ſecunda aut tertia die Nouembris? Quid Bertrandum patrem mori ſexta aut ſeptima & vigeſima die Nouembris eiuſdem ex repentini morbi vi? quid Guilelmum ſeniorem, patre mortuo iam Comitem Forcalquerij, & Bertrandum fratrem, vltima illius ipſius Nouembris die comprobare & donationem Leporiani Templariis à patre, & Lebrignanæ permutationem Olonij Eccleſia? quid Bertrandum Iuniorem mortuo patre conformari in Iaucerandæ matris vtero ſub initia Decembris, & nono pòſt naſci? Hæc omnia quæ fieri nihil prohibuit, locus profectò poſtulat, vt aſſeramus facta eſſe. Neque mirabitur dici peracta, qui meminerit longè grauiora, vulgarique & fide & expectatione, maiora, quondam facta eſſe, & nunc etiam legi in omnium ferè gentium hiſtoriis. Bertrandus itaque Iunior dicatur natus anno primo poſt milleſimum centeſimum quinquageſimum ſub initia Septembris menſis, & Guilelmus Iunior præcedente anno Nouembri ineunte. Si cui non placet Bertrandum Iuniorem veniſſe poſthumum in lucem, aſſerat is per me licet veniſſe geminum poſt Guilelmum Iuniorem. Vtcumque hoc habeat, charta in qua poſt Guilelmum hunc ſcribitur, ſignificat natum eſſe poſt illum. In repertorio regiarum apud Aquenſes chartarum habes ſequentia verba. *Guillelmus Forcalquerij Comes anno milleſimo ducenteſimo ſexto, quarto calendas Iunij ſcribit libertatem, immunitatem, ac donationem Epiſcopo & capitulo Eccleſiæ, & vniuerſitati ciuitatis Auenionis, de dominio & iuriſdictione ipſius ciuitatis, excepta caualcata. Et quarto nonas Iunij quitat Auenionenſes de caualcatis: & Bertrandus frater ipſius Comitis confirmat donationem eius.*

21 His de anno, & menſe, quibus Guilelmus Iunior natus eſt, conſtitutis, accedamus ad ea quæ per vitam geſſit egitve. Omnia quæ ante initum Forcalquerienſem comitatum fecerat ſepeliuit obliuio. Annum etiam quo regnare cepit, meæ chartæ non habent. Vnum aſſeuerare poſſe mihi videor, Guilelmo & Bertrando maioribus natu fratribus, deinceps poſt patrem Comitibus Forcalquerij, mortuis, Forcalquerienſem Comitatum ex Bertrandi ſenioris teſtamento adeptum eſſe. Anno quidem octauo & ſexageſimo poſt milleſimum centeſimum, frater ſcripſit heredem; ſed quam chartarum ab ipſo iam regulo exaratarum antiquiſſimam lego, ea anno ſecundo & ſeptuageſimo poſt milleſimum centeſimum ſcripta eſt. Igitur non poſſum ex vero afferre annum, quo poſt fratris mortem iniit Comitatum. Potuit Bertrandus ſcripto teſtamento redire ad ſanitatem, potuit vno & altero poſt eam reſtitutam anno viuere. Incerto inter vtriuſque illius chartæ ſcriptionem tempore regnare cepiſſe Guilelmus dicatur. Quia verò nonnulli qui

vnicum

Digitized by Google

vnicum Guillelmum, Bertrandum vnicum Bertrando & Iaucerandæ Comitibus fuiſſe autumant, addunt vtrumque à morte patris ſimul regnaſſe, antè vltrà quàm progredior, placet (atque nullum operæ non erit omnino pretium) referre duo, alterum de Guillelmo, de Bertrando alterum ſenioribus, ante Guillelmum Iuniorem genitis, ex quibus intelligitur ipſos fuiſſe non ſimul, ſed deinceps, ſine omni alterius in Comitatus conſortio, Regulos.

Fridericus Imperator Roboretum in Italia obſidebat anno milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto, & Guilelmus ſenior ad illum venit, reſtituendis ſi quæ amiſſæ fuiſſent, Comitatus Forcalquerij partibus, eiuſque *inueſtituræ*, vt loquuntur, capiendæ. Chartam vetuſtate nobilem accipe, qua res omnis continetur. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Fridericus diuina fauente gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Imperialis excellentiæ benignitas iuſtis honeſtorum petitionibus inclinari conſueuit, & eas perſonas beneficiorum gratia obligare, quas ob fidei ſuæ claritatem, & nobilitatis prærogatiuam dignas cenſuit honorari. Notum ſit igitur vniuerſis imperij noſtri fidelibus, tam futuris, quàm præſentibus, quòd Guilelmus Forcalquerij Comes præſentiam noſtræ maieſtatis adiit, poſtulans à nobis, vt eum Comitatu Forcalquerienſi inueſtire dignaremur. Cuius perſonam, ſicut noſtram decuit clementiam, honorificè ſuſcipientes, & petitionis ſuæ affectum diligenter attendentes, habito cum principibus noſtris conſilio, prædicti Comitatus inueſtituram cum omnibus pertinentiis eius in omni plenitudine honoris, ſicut anteceſſores ſui tenuere; in feudum & ſolemniter dedimus & conceſſimus. Ipſe verò fecit nobis hominium, & fidelitatem iurauit, ſicut quòd collatum beneficium ad omne mandatum noſtrum ſtare propoſuit, & honorem imperij, & coronæ noſtræ gloriam, vſquequaque promouere firmiſſimè compromiſit. His itaque pactis Comes petit ſibi dare ſententiam, ſi de iure in irritum deberet renouari, quidquid ab anteceſſoribus de iuriſdictione, & de iure hoſpitiorum, & dignitate Comitatus alienatum eſſe conſtaret, ſiue per venditionem, donationem, ſeu per quamlibet ſubtractionem ſpontaneam vel violentam. Prolata eſt igitur ſententia in medium à fideli noſtro Henrico Marchione Vvercio de Vaſto, & ab omnibus æquanimiter approbata, quòd nequaquam firmum ac ſtabile deberet vel poſſet permanere, ſi quid de Comitatus iuriſdictione & dignitate ab aliquo ſupradictorum modorum fuiſſet abalienatum vel diminutum, nulla in præſentibus aut futuris litibus defenſione, præſcriptione temporis huic reſtitutioni ſeu priuilegio opponenda. Nos itaque eamdem ſententiam iuſtam & ratam eſſe decernentes, iam dicto fideli noſtro Guilelmo Comiti Comitatus dignitatem, iuriſdictionem, & regalia cum omni plenitudine honoris & vtilitatis noſtra imperiali autoritate reſtituimus, & in perpetuum ſalua imperiali iuſtitia confirmamus, ſtatuentes, & ſub pœna banni noſtri firmiter & diſtrictè præcipientes, ne qua perſona parua vel magna, ſæcularis vel eccleſiaſtica prænominata, fideli noſtro vim in his vel iniuriam aliquam inferre præſumat: & ſi fortè attentauerit, quinquaginta libras auri pro ſatisfactione componat, dimidium coronæ noſtræ, & dimidium Comiti, cui iniuria cognoſcitur eſſe illata. Vt huius autem donationis gratuita collatio rata ſemper & inconcuſſa permaneat, præſentem inde chartam conſcribi, & ſigillo noſtræ maieſtatis iuſſimus roborari. Huius rei teſtes ſunt Philippus Colonienſis Epiſcopus, &c. Conradus Palatinus Comes Rheni, &c. Arnaudus Flottæ, Guilelmus Dulbone, Petrus Groſſus Forcalquerienſis Præpoſitus, Petrus Pelican eiuſdem eccleſiæ canonicus;*

22

23

Bertrandus de S. Maximo, Guilelmus de Fontana, &c. *Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, indictione ſeptima, regnante domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius vigeſimo tertio, imperij verò vigeſimo primo. Datum in epiſcopatu Papienſi, in*
24 *obſidione Roboreti duodecimo calendas Iunij Feliciter.* Hanc Friderici chartam referre placuit, in qua & *inueſtitura, vt dicunt.* Comitatus Forcalquerij recitatur ab eo conceſſa Guilelmo Regulo, & ipſe Comitatus priſtinæ integritati reſtituitur, vt Guilelmus intelligatur eo anno quarto & ſexageſimo, ac proinde à morte Bertrandi patris, & præfuiſſe Comitatui Forcalquerienſi, & vnus ei præfuiſſe, non Bertrandus frater cum ipſo. Nonnulli regnaſſe quidem à morte patris fatentur, ſed contendunt Bertrandum fratrem cum eo regnaſſe. Quid autem ſequantur, ego quidem non video. Guillelmus ſibi, non Bertrando fratri, petiit accepitque *inueſtituram,* quæ dicitur Comitatus Forcalquerij, *cum omnibus pertinentiis eius in omni plenitudine honoris:* ſibi, non Bertrando fratri petiit accepitque *ſententiam,* qua iubetur *renouari quidquid ab anteceſſoribus de iuriſdictione & de iure hoſpitiorum, ex dignitate Comitatus alienatum eſſe conſtaret, ſiue per venditionem, donationem, ſeu per quamlibet ſubtractionem ſpontaneam vel violentam.* Quid tale Bertrandus legitur ſibi aliquando aut petiiſſe, aut accepiſſe ab Imperatore, cùm Guilelmus dominabatur Comitatui Forcalquerienſi? ſed potuitne Guilelmus aut ſolus, aut tacito Bertrandi fratris in dominatu conſortio poſtulare ſibi Comitatum *cum omnibus pertinentiis ſuis in omni plenitudine honoris,* ſi cum eo ipſum Bertrandus frater regebat! Quid afferam plura? vnum tamen tacere non poſſum. Guilelmus & *inueſtituram & plenitudinem honoris Comitatus* poſtulauit à Friderico, quia cùm neſcio quas ob cauſas in eius offenſionem veniſ-
25 ſet, Comiti Prouinciæ ſubiectus ab eo fuerat. *Forcalquerij Comitatus,* inquit Surita lib. 1. *Prouinciæ Comitatui ſubiicitur, & qui eius ditioni dominatur, quòd Imperatori non paruiſſet,* &c. *Pro ſummis in Richam,* ſeu Richildem, *reginam conſanguineam* Comitis Prouinciæ *meritis.* Quid Bertrandus, ſi cum Guilelmo regnabat, peccauerat, vt eius Comitatus honore ſuo deiiceretur? vnus Guilelmus & Imperatori non paruerat & inueſtituram à placato accepit. Fefellit aduerſarios, quòd Bertrandus ſe in ſuis tabulis appellat Comitem Forcalquerij. Si cum fratre non regnabat, inquiet aliquis, qua veritate hoc dignitatis & dominatus nomen ſibi aſſumpſit? Ego autem fateor Bertrandum id feciſſe viuo & regnante Guilelmo. Hoc illi commune fuit cum omnibus fratribus, ſororibus, vxore, & fratrum vxoribus, atque vt vniuersè loquar, ſolenne fuit hoc vniuerſis ante ipſum liberis Regulorum Forcalquerij quemadmodum aduertebam numero 4. vt ipſi etiam ſe dicerint Comites Forcalquerij. Neque ſoli ita conſueuerunt: Liberi Comitum Prouinciæ, ſe ipſi quoque dicebant Comites Prouinciæ, vt ex pluribus tabulis intelligitur. An eos ergo putabis ſingulos Prouinciæ tum imperaſſe? Fratres Comitis qui dominabatur Comitatui ſeu Prouinciæ, ſeu Forcalquerij, vocabantur quidem Comites, ſed honorarium nomen hoc erat: ipſique, vt ceteri proceres, ſuberant fratri ſupremo Comiti. Igitur legimus iſtis, non aliter quàm ceteris, eum imperaſſe ſubditis. Bertrandus Alayridis filius, Forcalquerij Comes, anno ſeptimo & vigeſimo ſupra milleſimum, poſtquam erexiſſet monaſterium Culcæ, & eius monachis tum aliâ, tum multa do-

naſſe

Digitized by Google

naſſet prædia ruſtica, addidit voces quæ ſequuntur. *Inhibemus fratribus noſtris, & Baronibus, & Officialibus noſtris qui modò ſunt, & pro tempore erunt, ſub pœna quinquaginta librarum auri fini, de cetero in dictis locis, vel in eorum mandamentis, vllam offenſionem faciant.* Grauiorem facere difficultatem vi- 26
debitur alicui, quòd Bertrandus anno octauo & ſexageſimo poſt milleſimum centeſimum, ſe dixit in teſtamento Comitem Forcalquerij, & Guilelmo fratri tradidit Comitatum à Rhodano per Siſtaricum verſus Alpes longè protenſum, quæ Forcalquerienſis Comitatus longitudo eſt. Nam, inquies, & hic ille Comitatus omninò eſt, cui Guilelmus fratrum maximus natu dominatus eſt à morte Bertrandi patris. Quid ergo afferri poteſt, cur negemus ambos fratres illum ſimul ditione tenuiſſe? Hîc ego quidem mirari ſatis non poſſum nonnullorum hominum ingenium. Vt aliquid mente perceperunt, vt ad illud vehementiſſimè adhæreſcunt, neque vllâ rationum ſeu firmitate, ſeu euidentiâ, ſe ab eo dimoueri patiuntur. Illa etiam te quæ veritatem repræſentat, abvtuntur ad comprobationem falſi. Ecce Bertrandus ſe in teſtamenti tabulis dicit Comitem, & ſuo Comitatui non aliam dat longitudinem, quàm quæ Comitatus Forcalquerij eſt. Cùm hæc duo certa ſint, vide quid falſi ex iis colligant. Qui debebant hinc conficere, Bertrandum igitur Guilelmo fratre, qui maior natu erat, mortuo, ſolum Comitatui præfuiſſe Regulum, cùm teſtamenti tabulas ſcribebat, deducunt Guilelmo fratri ſocium in Comitatus dominatione à morte patris ſemper
fuiſſe. Et verò Bertrandus teſtamento Guilelmum fratrem dicit heredem. 27
At cuius rei heredem? ſuæ, an alienæ? ſuæ, vt puto, ſuique adeò Comitatus. Quis verò is Comitatus eſt? qui à Rhodano per Siſtaricum longè latéque verſus Alpes protenditur. At eum Guilelmus, quem vnicum Bertrando fratrem fuiſſe vis, iam à patris morte dominatione tenuit, & illius vniuerſi *inueſtituram*, quæ dicitur, ab Imperatore accepit. Sed age, qui Bertrandus fertur à patris morte Guilelmo fratri conſors Comitatus fuiſſe, an ita ſocius ei fuit, vt cum ipſo toti dominaretur? an aliam illius partem habebat, partem aliam Guilelmus frater? Bertrandus non potuit habere partem eius, quem vniuerſum Guilelmus Imperatoris & conſenſu, & donatione poſſidebat. Totum ergo cùm hic teneret Comitatum, ille etiam totum tenebat. Ita ne verò? omnino, inquies. Verùm ſi Guilelmus ante Bertrandi teſtamentum dominabatur toti Comitatui, quid ei Bertrandus frater donabat, cùm poſt conceſſa Hoſpitalariis Ieroſolymitanis nonnulla caſtra diceret; *De reliquo Comitatu meo ſic vltimam voluntatem meam diſpono, vt frater meus Guilelmus Comes mihi heres exiſtat in reliquo?* Quem verò Guilelmum hunc fratrem à Bertrando dici putabimus? Numero 11. & ſequentibus docui duos fratres illi fuiſſe qui dicerentur Guilelmi prænomine, ſed qui ſic loquitur, *frater meus Guilelmus*, vnum ſibi iam, non duos vt antè, tradit eſſe eo prænomine in fratribus. Senioremne igitur, an iuniorem ſcribit heredem? profectò qui illius teſtamento ſuperfuit, & ad annum vſque octauum à milleſimo ducenteſimo vixit, is Guilelmus Iunior erat, vt intelligitur ex his quæ non ſemel hactenus dixi. Ipſum ergo, non ſeniorem ipſo, Bertrandus voluit heredem, à ſenioris morte iam Comitatus vniuerſi dominus.
Nam vt in re ex ſuperioribus facili & perſpicua diutiùs non hæream, Gui- 28
lelmo ſeniore mortuo Bertrandus ſenior anno poſt Friderici Imperatoris li-

teras

teras quas numero 22. & 23. retuli, incerto adiit Comitatum Forcalquerij; atque octauo & sexagesimo illius sæculi testamento donauit eum Guilelmo Iuniori fratri, ipsumque, vt hoc iam ex superfluo addam, vniuersum. Nam post Manuascæ & plurium castrorum Hospitalariis Ierosolymitanis donationem sic locutus est. *De reliquo meo Comitatu sic vltimam voluntatem meam dispono, vt frater meus Guilelmus Comes mihi heres existat in reliquo. Tali tamen lege, vt liberalitatem, quàm in domum Hospitalem contuli, perpetuò ratam & firmam habeat, & ab omni interpellatione & inquietudine defendat & protegat, & partem suam quam in prædictis castris habet, & in eorum territoriis, donet, & liberè habendam & possidendam in perpetuum concedat. Si verò voluntatem meam infregerit, omnia quæ iure institutionis sibi reliqui aufero, & totum quod habeo à Sistarico versus Alpes, relinquo Comiti Tolosano; quod autem habeo à Sistarico vsque ad Rhodanum, consanguineis meis Vvilelmo de Sabrano, & fratri eius*, &c. *relinquo.* Qui hæc in testamento scripsit, is profectò diuisit Comitatum Forcalquerij in partes duas. Prima à Sistarico versus Alpes protenditur, secunda à Sistarico ad Rhodanum vsque pertinet. Quem verò diuisit, illo potiebatur vnus absque omni alterius in dominatu consortio. Sed qua seu confidentiâ, seu stultitiâ ipsum in alios omnem partitus est, si non omnem solus tenebat ditione?

29 An verò Bertrandus senior extremam diem illo anno octauo & sexagesimo obierit quo testamentum confecit, & Guilelmus Iunior in Comitatu successit, non possum dicere. Ab eo vsque ad secundum & septuagesimum nihil de ipsis inuenio. Isto iam anno tabulæ meæ Guilelmum Comitem memorant. Ab eo igitur incipiam de rebus ab ipso gestis dicere. Quia verò seriem vitæ, per tabularum in quas incurrere datum est paucitatem, non possum totam texere, & annuatim, & breuiter eorum quæ legi summa capita tangam potiùs, quàm recitabo. Mearum, antiquissima cartharum, quas Guilelmus Iunior, iam Comes Forcalquerij scripsit, anno secundo post septuagesimum illius sæculi exarata est. Cogitabat piissimus vir Compostellanam ad S. Iacobi corpus peregrinationem, principibus viris tum non insolitam, & à Ludouico etiam iuniore Francorum rege susceptam; & cùm se itineri accingeret, Cartusianos Durbonenses soluit omni portorio, voluitque vt eorum greges atque armenta toto Comitatu Forcalquerienſi liberè pascerentur: petiit vt rependerent preces, ducens, quod veritatem habet, orationes sanctorum virorum futuras, seu duces, seu socias peregrinaturo certissimas. Rem gessit Aptæ Iuliæ testibus Gregorio Episcopo, & Arnaudo Flotta milite. Pium munus confirmauit Manuascæ altero pòst anno.

30 Grauissima contentio fuit Guilelmo cum Alphonso Comite Prouinciæ de clientela anno septimo & septuagesimo post millesimum centesimum, cuius professionem Alphonsus à Guilelmo expetebat. Eò demum acerbitatis deuênit, vt consequente anno exercitum ille deportauerit trans Druentiam, & Pertusio, quod primum occurrebat, capto, latè stragem tota regione Forcalquerium vsque dederit, vastatis Monte Furonis, Monte Iustini, Villa muris, Relania, Laduncello. Cùm denique Forcalquerium obsidione cinxisset, Guilelmus clientelam se professurum dixit, paceque constitutâ stetit promissis. Inuitum descendisse ad eam professionem hinc intelligitur,

gitur, quòd audita morte Alphonſi, quæ nono & ſeptuageſimo anno accidit, de iniuria coram omni populo queſtus eſt Forcalquerij, ad fores baſilicæ S. Mariæ, ſeque vnius Romanorum Imperatoris clientem eſſe aſſeuerauit.

Tertio pòſt anno nobiliſſimas ſcripſit tabulas pro Hoſpitalariis Ieroſo- 31
lymitanis. Guigo patruus Manuaſcam vallem cum ſuis caſtris & pagis vniuerſam illis conceſſerat nono & quadrageſimo. Guigonis ex Bertrando fratre nepotes quatuor eo mortuo vehementer interceſſerunt ipſius donationi; atque, vt ſinguli ſuam Manuaſcæ partem hereditario iure ſibi aſſerebant, Guilelmus Iunior & tota valle, & aliis per Forcalquerienſem Comitatum locis plurima damna intulit immerentibus. Hoc denique anno Henricus Albanenſis Epiſcopus à Pontifice *in partibus Prouinciarum* legatus litem compoſuit, fecitque vt optimus princeps ad eos animum admoueret ſuum, pluribuſque etiam bonis augeret. Quia res illuſtriſſimi exempli eſt, iuuat referre tabulas quas de ipſa confecit. *Anno ab incarnatione Domini milleſimo* 32
centeſimo octuageſimo. Ego in Dei nomine Guilelmus Forcalquerienſis Comes, ſciens & recognoſcens multa & varia damna, quæ venerabili & ſanctæ domui pauperum Hoſpitalis Ieroſolymitani, peccatis exigentibus irrogaui, ad inſtantiam exhortationis pij & venerabilis domini Henrici Albanenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati, qui vices domini Papæ in partibus Prouinciarum agit, eidem ſacræ domui & pauperibus Hoſpitalis, pro redemptione peccatorum propriorum & parentum meorum, ſpontanea voluntate ac conſiſtens ætatis, has facio conceſſiones cum hac ſcilicet charta. Donationem, quam in teſtamento patruus meus Guigo de Caſtro Manuaſcæ, & eiuſdem Burgo, & caſtro de Totas auras, eorumque territoriis, adiacentiis, & pertinentiis, fecit, ſecundum quod in inſtrumento authentico compoſitionis Vv. de Beneuento quondam Ebredunenſis Archiepiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati continetur, & à Romanis Pontificibus noſcitur confirmatum, & quidquid intra fines mei Comitatus, ſiue à meis feudalibus de meis feudis, vel aliis quibuſlibet bonis, ſeu poſſeſſionibus, præter chartam capitis caſtri de Ceſariſta, quam Vrſa nobilis mulier abſque meo aſſenſu fecit, hactenus eadem domus acquiſiuit, ſeu in antea largitione procerum vel hominum meorum, vel alio iuſto quolibet modo acquiſierit, vel adipiſci poterit, exceptis capitibus & dominiis caſtrorum, & exceptis poſſeſſionibus, de quibus annuum cenſum vel reditum accipio, niſi fortè de meo aſſenſu ea obtineret in perpetuum ſibi habenda, & inconcuſsè poſſidenda, concedo, laudo, & confirmo. Præterea concedo eidem domui in perpetuum paſcua omnibus animalibus & nutrimentis ſuis, vt liberè, & abſque omni exactione ſeu conſuetudine ipſa animalia ſeu nutrimenta in toto meo Comitatu 33
paſcantur & nutriantur. Necnon de grauiſſimis damnis & iniuriis, quas ſæpe dictæ domui Hoſpitalis in præfato caſtro de Manuaſca, & aliis pluribus locis mei Comitatus me confiteor & recognoſco irrogaſſe, firmiter & ſine dolo & fraude promitto vt ad mandatum Odini Prioris Hoſpitalis S. Ægidij, quo mediante, atque in cuius manu præſentes feci conceſſiones, ſiue ſuorum ſucceſſorum qui pro tempore fuerint, commonitus emendabo. Item duo millia & octingentos ſolidos, quos à præfata Hoſpitali domo repetebam, ideo quia eos cuidã fratri eiuſdem domus commendaueram, & ſibi ablati fuerũt, ipſi domui & fratribus dimitto, & finio, & abſque dolo per ſtipulationem promittens, ne deinceps ego vel mei eos quoquo modo repetemus. Chartas etiam omnes, quas ſuper quibuſcumqs donationibus ſeu contractibus

de rebus, vel poſſeſſionibus infra terminos iuriſdictionis meæ contentis à quibuſcumque perſonis factas præterquam de illis, quæ exceptata ſunt ſuperiùs, hactenus fratres memoratæ domus acceperunt, præſenti ſcripto eidem domui laudo atque confirmo, volens & concedens vt perpetuis temporibus ſine mea, meorumque contradictione plenum obtineant robur & firmitatem. Hanc autem donationem & conceſſionem in Aquenſi ciuitate in manu tui Odini Prioris Hoſpitalis S. Ægidij feci, aſſiſtentibus tibi fratribus Hoſpitalis Petro Gauterio Commendatore Hoſpitalis, Vvilermo de Aluernegue Priore Hoſpitalis S. Thomæ de Trencatailla, Vvilermo Hoſpitalis Commendatore Manuaſcæ, Petro de Rognonas Commendatore Hoſpitalis ciuitatis Niciæ, Feraldo de Barras, Raimundo de Fontiana, & pluribus aliis fratribus. Factum etiam fuit in præſentia prædicti domini & venerabilis Henrici Albanenſis Epiſcopi, & Apoſtolicæ ſedis Legati, Bertrandi Vaiſonenſis Epiſcopi, Fulconis Maſſilienſis Epiſcopi, &c. *Petri Groſſi Forcalquerienſis Præpoſiti*, &c.

34 Anno primo & nonageſimo eiuſdem ſęculi confirmauit Luram Hugoni Abbati Boſcaudonenſi, quam olim eidem dederat ad erigendum monaſterium, cùm eſſet abbas Caliſienſis. Scilicet qui anno trigeſimo poſt milleſimum centeſimum *fratres* ſeu monachi, ſeu eremitæ (hoc enim obſcurum eſt, atque vno *fratrum* nomine appellatos lego) Boſcaudoni habitabant, cùm accepiſſent à Pontio d'Arbert, Guilelmo & Petro de Monmira, Adamo & fratribus, Petri filiis, ipſum Boſcaudonum, agentibus iiſdem Petro & Guillelmo, atque Tranſguerio de Sauina Guilelmi genero & herede, tranſierunt in Caliſienſium inſtituta anno quadrageſimo decimo calẽdas Aprilis. Caliſienſis autem abbatia ceperat in deſertis ſupra Vorepam pagum locis, S. Hugone Gratianopolitano Epiſcopo, & ab eo religioſos mores edocta fuerat. Iam ante multos annos eſt Cartuſianorum iuris.

35 Eodem anno fœdus init cum Raimundo Conſtantiæ filio Toloſæ Comite. Placet afferre capita fœderis duo. Eoſdem ſocios, aduerſarios eoſdem ſibi futuros iurant. Hoc primum eſt. Alterum longè grauius, atque ad quietem veręque pacis perpetuitatem omnino neceſſarium. Ius omne abdicant, quod alter in alterius Comitatum habere ſe iam ferebant diu. Vnde Toloſano in Forcalquerienſem Comitatum ius fuerit non lego. Raimundus eius pater ius Guilelmo in ſuum conceſſerat. Igitur Guilelmus anno quarto & ſeptuageſimo huius ſæculi inſcripſit clypeo crucem Toloſanam, vt videre eſt in ſigillo tabulis appenſo, quibus confirmabat Cartuſianis Durbonenſibus exemptionem ab omni per Forcalquerienſem Comitatum portorio. Fœdus ſcriptum eſt coram Raimundo de Agouto Caullicenſi Epiſcopo, & Girardo Amico teſtibus.

36 Altero pòſt anno promittit ſe daturum nuptui Garcendem, ex Garcende filia neptem, Alphonſo Comiti Prouincię filio Alphonſi Aragonum regis *cum tota terra ſua*, vt lego in repertorio chartarum regij apud Aquenſes archiui. Hìc primùm occurrit mentio Garcendis filiæ Guilelmi Iunioris. Ex qua vxore illam regulus ſuſtulerit non inuenio. Sed neque hactenus legi chartam quæ doceat fuerintne Guilelmo alij liberi. Enupſerat è principibus eius filia. Ex Raine Sabranio Caſtellardi domino coniuge genuit liberos tres, Garcendem Alphonſo Comiti Prouinciæ, & Beatricem Andreæ Delphino nuptas, atque Rainem patri cognominem, Caſtellardi dominum.

dominum. Hic vnum non tacebo, neque enim mirari satis possum. Volunt Raiuem filium peruenisse ad annum vigesimum à millesimo ducentesimo. Cur ergo vtrique sorori posthabitus, ne modica quidem Comitatus parte donatus est ab auo? An seu corporis, seu animi vitio minimè aptus videbatur gerendo regno?

Anno septimo & nonagesimo post millesimum ducentesimum mense Decembri dat Limansium castrum, & alia Exameno de Vilena: nono & nonagesimo spondet patrocinium prioratui Ferigoleti. 37

Anno millesimo ducentesimo secundo mense Iunio, Beatrix ex Garcende filia neptis iunior Guilelmi, nubit Andreæ Delphino Ducis Burgundiæ filio. Accipit à patre in dotem id omne Comitatus Forcalquerij, quod *à ponte Bochij de Sistarico sursum sicut extenditur per episcopatum Vapincensem, & Ebredunensem* post aui mortem possidendum, vt habetur in tabulis connubialibus. Vnum eæ addunt, quod prætermittere mihi nefas est. Delphinus promittit *se cum Comite Prouinciæ nullum amorem, nullum pactum, nullam confœderationem, sine consilio & sine voluntate Domini Guilelmi Comitis habiturum.* Cur hoc pollicetur Delphinus? sine dubio vt Guilelmo placeat. Sed quid Guilelmum offenderat Comes Prouinciæ? Tacent omnes chartæ, quæ peruenerunt ad meas manus. Vide quibus verbis concludantur tabulæ nuptiales. *Hoc autem totum factum est, cùm Guilelmus Comes esset apud S. Euphemiam supra flumen Bochij, & cum magno exercitu deuastaret ex omni parte totum Sistarici territorium.* An quod Sistarienses offenderant, à Prouinciæ Comite descendebat? Vtcumque hoc habeat, Guilelmus Nouembri mense ei placatus fuit. 38

Eodem anno mense Nouēbri scripsit sequentia pro fratribus Pontis Auenionensis. *Cupiens bonorum domus eorum esse particeps, & in redemptionem peccatorum meorum, si aliqua iura, seu vsatica in transitum Auenionensis Pontis habeo, vel habere debeo qualicumque modo, totum Deo, & sanctæ domui & in augmentum beati operis Pontis quod beatus Benedictus, Dei admonitu & voluntate incepit bono animo bonaque mente dono & remitto, in præsenti & futuro. Insuper verò eodem modo concedo quòd si per..... nostra, seu per terram nostram, ligna, vel blada, aut aliqua res ad sanctum opus prædicti pontis transierint, quidquid in iis rebus propriis sæpe dicti pontis transierit, quidquid in iis per pedagium vel aliquid vsaticum quærere potero vt debita mea obliuioni tradantur, sanctæ domui prænominatæ per æterna tempora remitto*, &c. *Idem Comes Guilelmus recognouit*, vt in tabulis habes, *anno* 1207. 8. *Cal. Septembris.* 39

Eo ipso anno Rostagnus de Sabrano *Constabularius Raimundi Comitis Tolosæ voluntate partium amicabiliter composuit & controuersias definiuit, quæ erant inter Vvilelmum Comitem Forcalquerij, & ex alia parte Raimbaudum Guirannum, & filios Raimbaudi de Agouto & dominæ Sanctiæ, scilicet Guirannum, Rostagnum, & Raimbandum & Raimbaudum de Auraſia filium Vvilelmi de Auraſia & dominæ Sanctiæ, & dominos de Railana, & fratres suos & filios Raimundi Roſe.* Hactenus tabulæ de illa re tum scriptæ. Quia Rostagnus iussit, vt Guilelmus Iunior restitueret Orgueriam Agoutiis, & Raibaudus sociique Buxetum Comiti, certum est venisse ad arma. Sed tantarum irarum causæ me latent. Conuenerant in Raimundum Comitem Tolosæ arbitrarium iudicem. *Cùm is vellet redire versus Tolosam, & moram facere in* 40

Prouincia non posset, causam illam definiendam consilio Vvilelmi de Baucio, & Giraudi Amici Vvilelmi Laugerij de Insula, plenariè Rostagno commiserat, vt ferunt tabulæ, quibus vniuersa compositio continetur. Res acta est Manuascæ Nouembri mense. In tabulis illis vnum adiungitur, ex quo intelligere est Ildephonsum Comitem Prouinciæ placatum fuisse Guilelmo. Cùm hæc gerebantur, *dominus Comes concessit eis & laudauit terras & feuda eorum ad suam fidelitatem & seruitium, & Ildephonsi Comitis Prouinciæ post obitum eius: & ipsi fecerunt hominia, & iurauerunt fidelitatem domino Vvilelmo Comiti Forcalquerij, & ibidem de mandato domini Vvilelmi Comitis fecerunt hominia Ildephonso Comiti Prouinciæ, & fidelitates iurauerunt.*

41 Anno tertio post millesimum ducentesimum Guilelmus comprobat concessionem nescio cuius rei ab Odone & Bermundo consanguineis monasterio B. Mariæ de Podio rotundo. Anno quinto dat Torneminum pagum monachis Pertusiensibus. Eodem anno habet in carcere Ildephonsum Comitem Prouinciæ. Surita putat habuisse anno quarto; & fallitur, regiæ enim apud Aquenses chartæ asserunt quod attuli; & addunt Raimundum Comitem Tolosæ promisisse Ildephonso auxilium anno sexto ad sumendam de iniuria vindictam.

42 Anno eiusdem sæculi sexto scribit *libertatem, immunitatem, & donationem Episcopo atque capitulo Ecclesiæ, & vniuersitati Auenionis de dominio, & iurisdictione ciuitatis ipsius*, vt habent tabulæ ab eo scriptæ, quarum meminit repertorium regiarum apud Aquenses chartarum. Et die 15. ante festum S. Ioannis Baptistæ donat nescio quæ Monasterio *B. Mariæ de Podio Ganegobie* ex Cartulario Cluniacensi, vt refert Guichenonus in Bibliotheca Sebusiana centuria 2. pag. 440.

43 Eodem anno (septimus nunc diceretur, cùm incipit à prima die Ianuarij) scribit nobiles prærogatiuas Manuascensibus. Priuilegia sua illi appellant. Duabus tabulis continentur. Priores nonis Februarij datæ sunt, posteriores pridie idus eiusdem mensis. Illas ego retuli verbatim libro secundo Manuascæ num. 33. & sequentibus.

44 Eo ipso anno, 16. Calendas Aprilis confirmat donationem Manuascæ Hospitalariis Ierosolymitanis à Guigone patruo: datque ipsis nobile illud palatium quod in ea sibi erexit & nunc etiam stat.

45 Anno millesimo ducentesimo septimo scribit pro monachis Lurensibus die prima Maij chartam illam insignem à me relatam numero 6. in qua ipse docet se anno Christi primo & nonagesimo post millesimum centesimum egisse annum ætatis quadragesimum.

46 Consequente anno pridie nonas Februarij *in redemptionem peccatorum suorum & parentum, & in compensatione damni domui & fratribus Hospitalis Ierosolymitani, donat inter viuos in perpetuum Manuascam* vallem vniuersam, cum villa seu burgo, castris, & pagis omnibus, & facit vt Manuascæ ciues dicto sacramento polliceantur habituros se pro dominis Hospitalarios. Annus tum incipiebat à die quinta & vigesima Martij, qui ergo dicebatur octauus, nunc esset nonus, cùm à calendis Ianuarij ducit initium.

47 Guilelmus Iunior videtur obiisse paucis pòst diebus. Certè cùm illæ pro Hospitalariis tabulæ conficiebantur, *sedebat in lecto, & corpus suum vouebat & offerebat pro sepultura in cemeterio domus Hospitalis* Manuascæ, quemadmodum

Digitized by Google

modum in ipsis legitur. Garcendis autem ex filia neptis, decimo pòst mense asseruit *quondam* mortuum esse. Scilicet vltima die Nouembris dedit Raimundo Berengario filio Comiti Prouinciæ Comitatum Forcalquerij *ex donatione Comiti olim coniugi facta à Guilelmo quondam Comite Forcalquerij.*

Appendix ad Guillelmum Iuniorem, scripta an. 1664. mense Ianuario.

CVM operæ typographicæ peruenissent ad extremam libelli de Guilelmo Iuniore paginam, accepi Honoratum Boucheum S. Iacobi Præpositum, cui vehementer displicebant illa omnia, quæ de optimo Manuascensibus regulo scripseram libro de Manuasca, edere suos de Prouinciæ historia libros, & in iis ipsa refellere. Igitur cogitaui non committendum mihi, vt antè publicarem meaista de clarissimo principe, quàm vidissem historiam Bouchei. Accuratum scilicet ac laboriosum scriptorem esse; amicis & fautoribus abundare; Aquis sextiis maximè agere, regio instructa tabulario vrbe, & eruditissimis plena viris. Abs dubio, itaque allaturum recondita, mihique ignota, & omnino certa de vltimis Comitibus Forcalquerij, quorum famina è Prouinciæ Comitibus orta, ad ipsos denique rediisset, cùm ego à puero excesserim Prouinciâ, & Societati IESV me addixerim, sic alia omnia toto vitæ tempore cogitaturus, vt in Forcalquerij Comitum rebus hospes videri etiam vltima ætate possem, atque ex illis fortasse futurum, vt veritate victus vniuersa reuocarem, quæ de Guillelmo Iuniore hactenus scripsi. Vt ea prælo commissa sunt, quæ de Comitibus Forcalquerij scripserat Iacobæus præpositus, vt ad me missa sunt. Addiderunt etiam quæ de Manuasca typis ediderat, quoniam in illis meminisset mei. Sed spes attonitum fefellit. Vno verbo dicam. Vniuersa aduersus me istius viri sunt eiusmodi, vt mirari satis non possim, quòd illa seu calamo, seu typis scribere voluerit. Paucis expediam. Ipsius tria mihi contraria referam de Manuasca & reiiciam; tum rationibus respondebo, quas attulit vt Guilelmum Iuniorem non fuisse ostenderet.

1. Boucheus ita loquitur libro 4. Chorographiæ Prouinciæ §. 4. fol. 235. *Fuerunt olim, & nunc etiam sunt in agro Manuascensi sacræ ædiculæ plures. Illarum vna habet statuam B. Virginis Romigeriæ claram miraculis.* Ego autem in Virgine Romigeria numero 5. & libro 3. Manuascæ numero 85. duxi nullam nunc esse, nullam olim in agro fuisse ædiculam cum statua B. Virginis Romigeriæ. Quæ ædes hanc habet, illa & ingens, & curialis est, vt nemo Manuascensium nescit.

2. Boucheus ibidem asserit me scripsisse de Manuasca vrbe *in historia ecclesiastica Valentiæ Diæ.* Ego autem neque ecclesiasticam Valentiæ ac Diæ historiam scripsi, & in libello de Virgine Romigeria paucis dixi de Manuasca vrbe. Quoniam aliqui hunc libellum (vt omnino modicus est) compegere cum meis de rebus gestis Episcoporum, & Valentinorum & Diensium libris, placuit Boucheo ita loqui.

3. Cùm Boucheus asseruisset me bis scripsisse de Manuasca, hæc addidit: *ab eo*, scilicet Columbo, *dictis licet adiungere tantam esse multitudinem florum amygdalæ per agrum Manuascensem, vt Ioanna Prouinciæ Comes Manuascam*

appellauerit Floridam. Ego autem libro 1. Manuaſcæ numero 1. ſcripſeram ſequentia. *Amygdalæ tam frequentes in planitie ſunt, tamque multis brachiatæ ramis, vt Ioanna Prouinciæ Comes earum florem emirata, Manuaſcæ addiderit cognomen Florentis.*

Hæc tria de Manuaſca, ſolis contuentium oculis refellenda, ſcripſiſſe Boucheum quis non mirabitur? Certè veritati aduerſa eſſe nemo non videt. Vniuerſi Manuaſcenſes venerantur Virginem Romigeriam in mediæ vrbis ingenti æde, eaque curiali, non in ædicula extra vrbem & in agro poſita. Qui legerunt meos de Valentinis & Dienſibus Epiſcopis libros, ſciunt me in illis de Manuaſca non dicere. Qui denique numerum 1. Libri 1. de Manuaſca viderunt, viderunt etiam me in eo referre Ioannam Prouinciæ Comitem impoſuiſſe Manuaſcæ cognomen Florentis. Neque minùs admirabilitatis habet Boucheum illa aduerſus Guilelmum Iuniorem attuliſſe, quę ſcripſit tomo 1. hiſtorię Prouincię libro 8. ſectione 2. de Comitatu Forcalquerij *Tres* (ſunt eius voces) *rationes* attulit. Singulas recito reiicioque.

Prima ſic habet, *Antiquarum nullibi chartarum*, inquit Boucheus, *legitur Guilelmum Bertrandi*, qui Guigonem habuit fratrem, *primogenitum obiiſſe diem extremum ante annum* 1168. *Hoc enim ipſo quòd Bertrandus Guilelmi frater ita in teſtamento ſcripſit, ego in Dei nomine Bertrandus Comes Forcalquerij dono pauperibus Ieroſolymitani Xenodochij quidquid habeo in Manuaſca, non eſt quòd cogites ſe pro Guilelmo fratre mortuo Comitem dicere: Guigo enim regnante Bertrando fratre ſcripſerat ſequentia in teſtamento, Ego in Dei nomine Guigo Forcalquerienſis Comes dono Hoſpitali Ieroſolymitano Manuaſcam.* Hactenus *prima* (vt loquitur) *ratio*, quâ Boucheus aſſerit ſe probare Bertrando Guigonis fratri non fuiſſe filium ordine tertium, Guilelmi nomine, quem vt à Guilelmo fratrum primogenito diſtinguam conſueui cognominare Iuniorem. Sed quid ea probat? tradit hoc vnum; Bertrando per Guilelmi fratris ante ipſum geniti vitam conueniſſe Comitis nomen. Quis hoc negauit? Idne illud eſt quod ſibi confirmandum Boucheus ſuſceperat? Ego certè libro 2. Manuaſcæ numero 1. dixi liberos omnes Comitum Forcalquerij ſeſe vocaſſe Comites Forcalquerij *pro illorum temporum conſuetudine* in principum familiis, *quæ nunc etiam viget apud Germanos.* Ex eo quidem quòd Bertrandus Guigonis ex fratre nepos vniuerſum Forcalquerij Comitatum teſtamento donat, docui prefuiſſe illi cùm hoc ſcribebat; & Guilelmum illum proinde fratrem qui plures à patris morte annos regnauerat, obiiſſe tum extremam diem. Sed id reiicere non ſuſcepit. Iacobęus prępoſitus. Addit tamen potuiſſe Bertrandum hunc diutiùs viuere poſt ſcriptum teſtamentum. Neque vllę tabulæ, inquit, ferunt ſtatim ab eo condito mortuum eſſe: quid ergo Guilelmus Iunior, eo minor ætate inducitur, qui ipſi poſt conditum teſtamentum mortuo ſucceſſerit? Hæc etiam miror à Boucheo iactari. Verbo concludam. Poſt Bertrandum hunc, ſeu ſtatim à ſcripto teſtamento mortuus fuerit, ſeu diutiùs ab illo vixerit, Guilelmus, non ille qui mortuo patri primogenitus ſucceſſit in Comitatu, ſed eo Iunior, fratrumque tertius, à me dicitur regnaſſe, quia cùm Bertrandus poſt Guilelmum vniuerſo principatui dominatus intelligatur ex teſtamẽto, quo illum omnem anno 1169. donat Guilelmo fratri, chartæ quę ad manus meas peruenerunt docent Guilelmum, non primogenitum proinde ſed à primogenito diuerſum, toto

poſt

poſt illius teſtamentum,& ipſum proinde etiam mortuum tempore regnaſſe. Sed hoc euidentius erit ex ſequentibus.

Secunda ratio, qua Boucheus conatur oſtendere Bertrando Guigonis fratri filios tantùm duos fuiſſe, Guillelmum & Bertrandum, nullum tertium Guilelmum Iuniorem, ex eo ducitur, quòd anno 1206. Guilelmus & Bertrandus fratres *quitant* (ſunt tabularum verba) *Auenionenſibus dominium, iuriſdictionem, caualcatas.* Enim vero (inquit) *cùm Guilelmus primogenitus & Bertrandus vixerint* anno 1206. *euidentiſſimum eſt nullum fuiſſe Guilelmum Iuniorem* ipſorum fratrem. Qui hæc eloquitur, næ ille cogitat Guilelmum & Bertrandum fratres, qui illa Auenionenſibus *quitant* fuiſſe primò & ſecundò genitos à Bertrando Guigonis fratre. At vnde hoc accepit? profectò non ex tabulis de re quam recitat ſcriptis. Guilelmus hic, Guilelmus Iunior eſt fratrum ordine tertius: Bertrandus hic,Bertrandus Iunior eſt ordine fratrum quartus, vt fusè oſtendi Libello de Guillelmo Iuniore. Certè Boucheus etiam ipſe fatetur Bertrandum iſtum Guilelmo iſto minorem eſſe; & ſcriptionis poſt Guilelmum ordo id docet. Guilelmum verò eſſe fratrum tertiò genitum qui à me dicitur Iunior, hinc intelligis, quòd (vt ſuo loco tradidi) anno 1150. & natus eſt, & pro ætatis imbecillitate non comprobauit Lebrignanæ permutationem eccleſia Olonij, cùm Guilelmus fratrum primogenitus eo ipſo anno hanc confirmauerit, & ſequente anno egerit cùm Apoſtolico Legato de Manuaſca Hoſpitalariis à Guigone patruo conceſſa. Hæc ſuper ſecunda Bouchei ratione dixiſſe ſatis fuerit. Nam quæ ad tabularum anni 1206. ſinceritatem multa congerit, non eſt opus excutere. Illas ante ipſum attulit Noguerius libro de præſulibus Auenionis, & ante Noguerium laudatiſſimus ille ac nobiliſſimus ſcriptor de Comitibus Prouinciæ Antonius de Ruffi.

Tertia ratio quâ Boucheus vult conficere, non fuiſſe Bertrando Guigonis fratri filium tertiogenitum, Guilelmum cognomine Iuniorem, qui poſt duos fratres ante ipſum natos regnauerit, eſt iſta. Si Bertrando Guigonis fratri fuit hic filius, iſque ortus anno 1151. ipſe anno ætatis primo & quinquageſimo, non filiam, aut ex filia neptem, ſed ex nepte pronepotem habuit, quod vt fieri potuerit, tamen pro hominum in liberis generandis conſuetudine, ſimilitudinem veri non habet. Scilicet Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes natus eſt anno 1201. ex Garſende, quam de Garſende cognomine, Guilelmi quem Bertrandus Guigonis frater genuerat,filiâ ſuſtulit Raines Sabranius Caſtellarij dynaſtâ. Antè huic rationi quàm reſpondeo, placet attendere Iacobæi Præpoſiti ingenium. Fatetur eâ rem non confici, ipſam tamen affert. Quis hoc non miretur? Verùm non eſt quòd ſummo iure agam cum eo. Hominum in generandis liberis ætatem ſolitam conſulamus. Tibine videtur, Bouchet, inaſſuetum viris anno ætatis vigeſimo, & feminis decimoquinto ſuſcipere liberos? Hoc ſi aſſerueris, pugnabit aduerſus te vniuerſa mortalium gens, qui vulgò rem ita habere contuentur. Iam Guilelmus Iunior ſuſtulerit Garſendem filiam anno ætatis vigeſimo. Ea de Raine coniuge dederit Guilelmo patri Garſendem cognominem neptem, & iſta anno decimoſexto Raimundum Berengarium pronepotem ex Ildephonſo Prouinciæ Comite. Hæc ſi facta ſunt, vt pro mortalium conſuetudine fieri potuerunt,

Guilelmus

Guilelmus Iunior natus anno Christi 1150. pronepotem ex nepte habuit anno ætatis suæ 51. Certè mares pubescunt anno ætatis decimoquarto, & fœminæ duodecimo, quid ergo magnum est si hæ quinto & decimo, vigesimo illi generent liberos; quos & mares decimoquinto, & feminæ decimotertio possunt procudere? Potuit Raimundus Berengarius nasci anno primo & quadragesimo Guilelmi proaui, & dubitabimus potuisse fieri vt nasceretur quinquagesimo primo? Sed ista hactenus. Tædet ea fusiùs persequi.

EGo Guilelmus de Lange Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, facta mihi potestate ab admodum R. P. nostro Generali, facultatem concedo, vt Liber cui titulus *Guilelmus Iunior, &c.* à Patre IOANNE COLVMBI eiusdem Societatis Professore Theologiæ compositus, & à tribus Societatis eiusdem censoribus approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras sigillo nostro munitas, & manu mea subscriptas dedi Lugduni, die 25. mensis Nouembris anno 1663.

GVILELMVS DE LANGE.

EGo Ioannes Platiere Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, facta mihi potestate ab admodum R. P. nostro Generali, facultatem concedo, vt *Libri quatuor de rebus gestis Sistaricensium Episcoporum*, à Patre IOANNE COLVMBI Societatis nostræ compositi & à tribus Societatis eiusdem censoribus approbati, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas sigillo nostro munitas, & manu mea subscriptas dedi Lugduni, die 24. mensis Nouembris anno 1667.

IOANNES PLATIERE.

DE

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM SISTARICENSIVM LIBRI QVATVOR.

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino,

D. MICHAELI PONCET, EPISCOPO SISTARICENSI, REGI AB INTIMIS CONSILIIS,

AD EPISCOPATVM ADEVNTI,

IOANNES COLVMBI, è Societate IESV.

NON miraberis, Illuſtriſſime antiſtes, quòd homo ignotus ad te affero volumen de rebus geſtis Epiſcoporum Siſtaricenſium. Tua non parum intereſt eas non ignorare, meique officij omnino eſt repræſentare tibi caput ignotum. Adis ad regendam diœceſim Siſtaricenſis Eccleſiæ. Quænam igitur illa ſit, & qui ipſam hactenus rexerint, noſſe te par eſt. Polles tu quidem magnâ mentis vi; neque non (vt alia taceam) eum te cùm Promotorem agebas, præſtitiſti in Eccleſiæ Gallicanæ comitiis, quem dubitare nefas ſit ſcientiſſimum Eccleſiaſticarum rerum, & regendorum ex ſacris legibus populorum: Sed tamen ſi intraueris illam diœceſim, ipſius omnino ignarus, aliam ab ea fortaſſe cogitabis quàm eſt. Sic enim habet res, vt vniuerſorum ſicuti mortalium, ita populorum, non ſit vnus animus, non ſit vnum ingenium, non vna ſit mens. Si autem aliam cogitaueris quàm eſt, reges aliter quàm poſtulabit. Vos enim gentium rectores, & alia ſapienter, & hoc ſummo conſilio facitis, vt pro illa, quam noſtis, indole ſingulas dirigatis & moderemini. Igitur ipſa etiam te alium arbitrabitur, quàm es; neque tuæ culturæ, vt accurata fuerit, ſuus reſpondebit fructus. Eam nemo te docebit certiùs, quàm qui ante te Eccleſiam nunc tuam, olim ſuam, rexerunt Epiſcopi: neque erit vnquam qui apriùs doceat verbis, quàm illi facinoribus egregiis,

Res ſcilicet à te ſunt in ea gerendæ, quæ ab ipſis in ea ſunt geſtæ. Multas illarum (fateor) ſepeliuit obliuio. Quidni? nonnullorum etiam epiſcoporum nomina ſepeliuit. Et has quæ pro deperditis habentur, indagandas, ac veluti è conditorio excitandas; & illas, quæ reliquæ neglectis ſparſim iacent in tabulis, colligendas mihi ego putaui, atque in ipſo diœceſeos limine offerendas tibi. Neque me ab officio deterret, quod ignotus ſum tibi. Enimvero nunquam res Epiſcoporum Siſtaricenſium à me alienas duxi. Manuaſca patria, non ignobilis, neque omnino modica pars diœceſeos illorum eſt. Anni ſunt ſexaginta, cùm ab ea ad Societatem Ieſu ſeceſſi: ſed vt oculos, manus, atque adeò corpus à parentibus acceptum is ſeceſſus non abſtulit perfecit potiùs indolis habitum, cultum mentis, ingenij vim, ita etiam Epiſcopi venerationem non detriuit, ſed pro inſtitutione à S. Ignatio acceptâ vehementer auxit, facitq; etiam nunc, vt eâ te proſequar obſeruantiâ, quâ ſingulari per totam vitam colui, quos ante te in patria contueri datũ eſt Epiſcopos.

AVCTOR LECTORI.

RES à Siſtaricenſibus Epiſcopis geſtas accipe, mi Lector. Non omnes Epiſcopos, neque illorum, quos exhibeo, omnia tibi repræſento. Quis ſe id aliquando poſſe cogitauerit, poſt multiplicem florentiſsimæ quondam eccleſiæ depræda tionem? Vt enim taceam vaſtationes à Saracenis, aliiſque feritate barbaris gentibus, quæ multa Siſtaricenſi cum cæteris vniuerſâ Prouinciâ eccleſiis communes ſemper fuerunt, ea bis directa & omnino ſpoliata eſt. Principio Ragobaldus, vir gente illuſtris, atque opibus potens, anno 1045. Epiſcopatus filio puero empti, domum expilatam euertit. Deinde cùm Geraldus Caprerius anno 1061. Epiſcopus, & ceteri ab eo anno ad 1561. antiſtes, rem Epiſcopalem reſtituiſſent auxiſſentque, Hugonotti capto Siſtarico, & reliqua fere omnia, & vniuerſas epiſcopij chartas, ingentem in pyram congeſtas, dederunt ignibus. Nonnulla, fateor, Ragobaldi, nonnulla Hugonotorũ furori erepta ſunt. Scilicet decumani etiam fluctus aliquas merces è nauibus quas vorauere, diſpellunt in littus; & medio in buſto cineres ipſi operiunt, ſeruantque aliquas torriũ partes. Sed neque illas etiam omnes mihi legere datum eſt. Antonius d' Achaud epiſcopus gente, ingenio, ſcientiâque clariſſimus, nihil non tentauit, vt vniuerſas mihi daret in manus: ſed vnũ potuit, quem Lurij habebat legendum præbere librum. Is e membrana ingens eſt. Viridem vocant. Laurentius Burellus anno milleſimo

quingen

quingenteſimo antiſtes in ipſum compingi voluit, quas à maioribus acceptas exſcribi iuſſerat chartas. Aureum profectò opus in illa veterum tabularum penuria. Addidit Arbaudus antiſtes, vt concederet mihi literas ab Antonio Pagy Minorita Conuentuali de pauculis ex Aptenſi Cortaſij tabellionis officina capitibus, quæ ad Siſtaricenſes Epiſcopos ſpectant. Cetera quæ in hoc opere videbis, mi Lector, accurato pertinacique labore, aliis ex locis alia, corrogaui ipſe. Vt non omnino multa ſint quæ ad te affero, neque tamen prorſus pauca ſunt, & antiquam præſtantiſſimæ eccleſiæ maieſtatem redolent, oſtenduntque. Epiſcopos videbis plurimos gente, ſcientia, ſanctitate perilluſtres. Vt enim taceam de Ioanne primo & ſecundo, Michaële Sabaudo, Bermundo Anduſiano, Antonio Narbonenſi, & Rainulpho Cardinali Innocentij ſexti Pontificis maximi conſanguineo, videbis de Prouincia noſtra Forcalquerienſes, Sabranios, Alamannonios, vetuſtiſſimarum gentium proceres. Iam quantum, & quàm inſigne nomen à ſcientia & olim habuit, & nunc etiam habet, Henricus à Secuſia (quem Oſtienſem Cardinalem vulgò dicunt) *Canonici iuris conſultiſſimus vir? Profectò Laurentius Burellus dicendi vi ſapientiâque nobiliſſimus, tantam apud Ludouicum eo nomine duodecimum Francorum Regem gratiam promeruit, vt ad ſumma & ipſius, & regni cum Romano Pontifice, adhiberetur negotia. Denique Radulphus & per vitam, & à morte pluribus ſupra omnem naturæ vim miraculis inclaruit: Nitardus autem (nam quid cæteros enumerem?) etiam dæmonem e Druentia fluuio pepulit, cui ad Siſtaricenſem pontem in certam ratium & nauium frequentemque perniciem incubabat.*

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM SISTARICENSIVM

LIBER PRIMVS.

1 IOANNEM Episcopum Gundebaldo Burgundionum rege sedisse Sistarici grauis autor est Dynamius Romanorum, vt Vsuardus, & Ado tradiderunt, patritius. In libro de S. Marij Abbatis vita scripsit sequentia: *Marius Gundebaldi Burgundionum principis consensu à fratribus Bondanensis monasterij eligitur, cuius electio Ioannis, qui tum Sistaricensi ecclesiæ præerat, auctoritate roboratur.* Quo autem anno sedere ceperit, aut desierit, neque apud Dynamium, neque apud alium scriptorem inuenio. Vnus ipse eum memorat, & ceteri ante annum à Christi ortu millesimum historici, omnino tacent de Sistaricensibus Episcopis. Gundebaldus regnauit ab anno tertio & septuagesimo supra quadringentesimum, vsque ad annum sequentis sæculi nonum. Ioannes ergo potuit Episcopatum gerere per illos sex & triginta annos: potuit ad sextum & decimum post quingentesimum peruenire, quem consequente Valerius Sistaricensis & ipse antistes interfuit concilio Epaunensi. Certè scimus aliis vrbibus multis, & postea videbimus plurimos Sistaricensi præfuisse aliquot annis supra quinquaginta. Valerius in illa Synodo dicitur Episcopus *ciuitatis Segestericæ.* Segusteronicam principio vocatam fuisse arbitrabar. Quod enim postea appellauere Sistaricum, Segusteronem scripserat Antoninus in Itinerario. Sed, vt solet, vsus sensim molliuit vocem, atque contraxit primùm in Segestericam, deinde, sicuti modò referam, in Sigestaricam; ac demum in Sistaricam: atque tum maluit, quemadmodum alias istiusmodi voces, ita hanc dilatare, & quidem Dynamij temporibus, in Sistaricensem; e qua Sistaricum, Segusterone antiquato, videtur surrexisse.

Ioannes 1.

Valerius

2

3 Ante Ioannem Gundebaldo rege episcopum, non lego qui sederit Sistarici. Audio tamen Polycarpum Lariuierium vidisse apud Sauaronem, in codice scripto manu, literas illas Rauennij Arelatensis, & aliorum episcoporum ad S. Leonem, quibus ipse respondet epistola 52. Herculano consule, idest anno Christi 452. & in eo Sistaricensem dici episcopum, qui Chrysaphius appellatur. Vtcumque hoc habeat, post Valerium Auolus anno quingentesimo quadragesimo primo fuit in concilio Aurelianensi quarto; & octauo post anno per Agennium presbyterum in quinto. Post Auolum Genesius anno illius sæculi tertio & septuagesimo sententiam dixit in Parisiensi quarto; ac demum Pologronius nono & octogesimo, non, vt

Chrysaphius.
Auolus
Genesius.
Pologronius

alij

alij quos memorauí, Segestericæ, verùm iam *Sigestaricæ ecclesiæ episcopus*, interfuit Valentino secundo.

Qui Pologronio successerit non possum ex libris typo editis asseuerare in magno conciliorum supra historicos silentio. Ab eo episcopi per annos ducentos conueniebant quidem totis Gallicanis Prouinciis annuatim ad agendum de moribus, & ritibus Christianis, aut etiam de fide, sed sua, sine sedis voce, nomina ferme scribebant: & per illa obscura, Prouinciæque scriptoribus defecta tempora, solæ synodi recitant episcopos; quæ etiam perpaucæ, & aliarum de Ecclesia rerum, & historiæ magno damno, ad nos peruenerunt. Nam in conciliis mores, qui per populos vigent, boni laudantur, vituperantur mali; sacrorum ritus abrogantur minùs idonei, vtiles aptique inducuntur; errores, si qui in Ecclesiam irrepere contendunt, depelluntur. Non rarò etiam magni antistites non dubia doctrinæ sanctitatisque argumenta in illis præbent: aliquando demum (quid hoc non addam?) seu bellorum, seu tumultuum & causas tradunt, & damna. Iam quod historici, quod concilia, quod ceteri de rebus ecclesiasticis scriptores hactenus in publicam lucem editi tacent, an (& id vnum est reliquum) e libris, tabulisque manu sola scriptis erui possit successor Pologronij videamus. Dicendi verò sit hoc initium. 4

Carolus Magnus anno septingentesimo septuagesimo octauo regnum Francorum iniit. Qui eo regnante, Ioannes episcopus Sistarici sedebat, illi & summa vitæ integritas, & magna per vitam, atque à morte, miraculorum vis, sancti cognomen ante annos octingentos addidit. Ego Ioannem secundum appellabo, vt à ceteris eiusdem nominis, & non inferioris fortasse sanctitatis præsulibus distinguam. Laurentij Burelli anno millesimo quingentesimo antistitis iussu, episcopales quæ tum extabant chartæ, & exscriptæ sunt, & in membraneum volumen ingens ac spissum digestæ, quod vnum de toto tabulario reliquum fecit vesanus Caluinistarum furor. Innominatus scriptor ei præfixit epitomen rerum ab episcopis gestarum, facto initio ab hoc Ioanne, Caroli Magni temporibus episcopo, de quo habet sequentia. 5

Hæc sunt nomina Sistaricensium episcoporum à tempore Caroli regis, & filij eius Clotarij Sistaricensem ecclesiam pontificaliter regentium. Primus Ioannes vir sanctissimus, & valde nobilissimus, & opibus, & rebus.....nissimus, Sistaricensem ecclesiam cum omni honore succedente in episcopali ordine & dignitate rexit annis quadraginta septem. Iste enim Clotarius fuit filius Caroli Magni. Hic verò Carolus Magnus, rex & imperator piissimus, iustus, & catholicus, à Domino Deo coronatus, & semper Augustus, dedit & concessit ac imperiali priuilegio tradidit Deo, & B. Mariæ, & glorioso martyri Thyrso, sanctæ sedi sistaricensi, castrum de Lurio, omni honore, & appenditiis suiis, vt episcopus S. Mariæ Sistaricensis habeat, & quietè possideat autoritate imperiali seu regali in perpetuum. Si quis autem regum, comitum, aut baronum, contra hanc donationem venire tentauerit, iram omnipotentis Dei se nouerit incursurum. Prædictus namque præsul Ioannes, ex senatoria stirpe progenitus, quampluribus rebus & prædiis ecclesiam Sistaricensem nobilitauit & ditauit. Construxerat namque duodecim ecclesias, & duo regularia monasteria. Ipse verò S. Marium, & S. Donatum, viros religiosos, ab Aureliana vrbe ad se vocauit, & B. Mario prædium suum ad con- 6 7

ſtruendum cœnobium regulare monachorum in valle Bodanenſi conceſſit. Ipſe verò ſanctiſſimus præſul Ioannes dictum B. Marium in abbatem conſecrauit, & de proprio honore locum, & monaſterium nobiliter dotauit. Et donauit eidem monaſterio omnem decimationem de Lambricis, & eccleſiam S. Albani cum omni decimatione & territorio ſuo, & eccleſiam S. Gallæ, & eccleſiam S. Luciæ cum omnibus ibidem pertinentibus. Hæc omnia dedit monaſterio S. Marij, vt abſque vlla diminutione, vel inquietudine, poſſideant fratres ibidem habitantes in æternum. Facta eſt hæc donatio ſeptimo calendas Apriles, anno vndecimo regnante Clotario Caroli Magni filio. In honore Domini noſtri Ieſu Chriſti, hic eſt locus ædificatus, quem fieri procurauit Campanus præſul tempore.....nomine Ioannis epiſcopi Siſtaricenſis, anno duodecimo Clotarij regis Caroli filij. Hoc in petra inuentum eſt ſcriptum in eccleſia ante altare S. Ioannis. Hæc eſt charta, & breuis memorationis de ſynodali cenſura eccleſiarum Vallebonenſium pertinentium ad ſedem Siſtaricam. Monaſterium S. Marij libras duas de incenſo optimo &c. *Et ita ordinauit prædictus Ioannes ſanctiſſimus præſul. Ipſe namque Ioannes dedit Deo, & S. Petro Cluniacenſi Podium Conoguorienſe de patrimonio ſuo: & ibi extruxit eccleſias, vnam in honore B. Mariæ, & aliam in honore S. Ioannis Baptiſtæ, in qua idem epiſcopus ſepultus eſſe videtur. Et alia multa fecit ibi.* Hactenus de Ioanne ſecundo Burellanus exſcriptor.

8 Hic vir abs dubio cetera quæ in epiſcopij chartis legerat, retulit ex vero, nonnulla etiam verbatim exſcripſit: ſed profectò in rebus, quas ex iiſdem chartis collegiſſe ſibi videbatur, proponendis, tria peccat. Ioannem epiſcopum qui Carolo magno imperatore ſedebat Siſtarici, aſſerit vocaſſe Marium Aurelia, quem Dynamius ſcripſit vixiſſe Gundebaldo Burgundionum rege, ſub annum proinde quingenteſimum, & annis ante Carolum Magnum ſupra ducentos. Addit Clotarium fuiſſe Caroli Magni filium, contra omnium hiſtoriarum fidem, quæ tradunt Lotarium (eſt idem cum Clotario) eius ex Ludouico filio nepotem fuiſſe. Denique ait Ioannem, qui Caroli Magni temporibus Siſtaricenſis erat epiſcopus, cœnobium Conoguorienſe (Ganagobienſe ipſi etiam monachi nunc vocant) S. Petro Cluniacenſi conceſſiſſe, cùm nemo neſciat Cluniacenſe quidem monaſterium anno nongenteſimo decimo erectum eſſe, Carolum Magnum verò extremam diem obiiſſe octingenteſimo decimo quarto.

9 Vnde factum eſt vt turpiſſimè laberetur? accipe. Homo in hiſtoria, & chronologia omnino peregrinus, qui in epiſcopalibus chartis legebat Marium Ioanne epiſcopo Bodanum veniſſe, & Carolum Magnum imperatorem, atque Lotarium Regem Ioanni epiſcopo plurima conceſſiſſe, ac denique cœnobium Conoguerienſe conceſſum fuiſſe Cluniacenſibus à Ioanne epiſcopo, exiſtimauit vnum & eumdem fuiſſe antiſtitem, cui ea tria longiſſimis temporibus à ſeipſis diſiuncta conueniant; & Clotarium proinde, ſeu Lotarium, Carolo Magno, cuius eſſet filius, ſucceſſiſſe. Quid miraris? ante centum & quinquaginta annos magna erat hiſtoriarum, & in re hiſtorica temporum ignoratio. *Nullum hactenus vidi librum manu exaratum*, inquit Andoquius libro 3. hiſtoriarum Langotthiæ, *qui erroribus in re potiſſimùm chronologica non abundet. Biterrenſis archiui tabulæ Genſericum Vandalorum Regem Neronis temporibus vixiſſe tradunt, quo tribus omnino ſæculis poſterior eſt.*

Sed

Digitized by Google

Sed ad cetera quæ Burellanus exscriptor de Sistaricensibus post Ioannem 10
secundum episcopis habet, accedamus. *Secundinus episcopus*, (dicere pergit) *post Ioannem rexit eamdem ecclesiam annos octo & triginta. Tertius Magnibertus rexit eamdem ecclesiam vnum & sexaginta annos. Quartus eamdem ecclesiam Amantius Episcopus rexit annis vndecim. Quintus fuit vir magnus episcopus: rexit ecclesiam annis viginti & vno. Sextus Bonus episcopus eamdem ecclesiam rexit annos quinque & quinquaginta. Septimus Viuentius episcopus eamdem ecclesiam rexit annis vndecim. Octauus Eustorgius episcopus eamdem rexit ecclesiam annos quatuor & quadraginta. In tempore huius episcopi facta fuit persecutio in Ecclesia Dei, quæ dicitur facta fuisse à Gotthis, & Vandalis, qui erant hæretici Ariani. Post hunc Arnulfus eamdem ecclesiam rexit vnum & quadraginta annos. Post istum Vrsus. Iste episcopus impetrauit priuilegium à rege Conrado*, &c. *anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo sexagesimo septimo.*

Hæc ille. In iis etiam turpissimè errat hic homo. Ab anno vndecimo Lo- 11
tarij, (fuit octingentesimus quinquagesimus primus Christi) quo Ioannes secundus episcopus monasterium quondam deiectum restituit, & monachis Bodanensibus erexit, vsque ad nongentesimum sexagesimum septimum, quo Vrsus à Conrado priuilegium modò commemoratum accepit, sunt anni centum & sedecim: si verò episcoporum, qui inter Ioannem secundum & Vrsum sederunt, ab exscriptore Burellano recitatos, ducas omnes in suam summam, habebis ducentos octoginta duos. Iam supra ingentem in re historica ignorantiam, ego quidem mirari satis non possum grauissimam istius hominis in numerorum computatione socordiam. Legebat in suis chartis omnes, quos recitauit, episcopos; legebat vniuersos singulorum antistitum, quos recensuit annos: sed quæ ex iis consurgit summa, eam non collegit accepitque. An subduxit quidem ille, sed in sua episcoporum notitia ponere, vt longè maiorem quàm à Ioanne Caroli Magni temporibus episcopo esse debebat, noluit; numerorum scilicet, qui singulorum præsulum annis competunt, ex verissimis tabulis certus, eorumdem cum annis, quos res à Ioanne episcopo gestæ habuerunt, componendorum prorsus nescius? Aliud etiam peccasse hunc exscriptorem inuenio. Sicuti episcopos qui prænomen Ioannis habebant omnino tres in vnum confudit, ita vnum fecit ex duobus, quibus prænomen Boni fuerat. Eorum alter sedit annis omnino quinque & quinquaginta ante octingentesimum quartum; alter sedere cepit secundo illius sæculi & quinquagesimo, atque desiit post annos quatuordecim.

Igitur existimabam ego omnium quidem antistitum, quos recensет, no- 12
mina, & annos à Burellano exscriptore inuentos fuisse in episcopij tabulario: quid enim supra temporum, & historiarum ignorationem, quæ & illius temporibus, & eiusmodi hominum generi (scribam enim antistitis sui fuisse non dubito) neque insolens, neque pudenda est, accusabimus ipsum falsi, quod capitale est crimen, maximè cùm ad importunam criminationem nullo argumento peruenire possimus? sed quod numeralibus suis nominibus affirmat alium istorum præsulum ab alio post Ioannem sedisse, non ita intelligas velim, quasi omnes à Ioanne, qui Gundebaldo Burgundionum rege Marium Bodani esse voluit, vsque ad Vrsum Conrado principe antistitem connumerauerit. Nam & ex veteribus conciliis accepimus plures

Digitized by Google

plures ab ipsis diuersos post Ioannem illum quinto vixisse sæculo: & vt Pologronius eorum vltimus anno sexcentesimo e vita excesserit, non tamen suis annis numerum episcoporum implent, qui à Pologronij vltimo fuerunt vsque ad nongentesimum sexagesimum septimum, quo Vrsus Conrado viuebat rege. Hi enim sunt trecenti sexaginta septem, cùm illi non
13 excedant ducentos octoginta duos. Suus constabit omnibus annorum numerus; si postquam tres Ioannis nomine appellatos, qui à Burellano exscriptore in vnum compacti sunt, distinxerimus ab inuicem, dicamus Pologronium anno sexcentesimo decimo nono esse mortuum; & Ioannem secundum, qui annos septem & quadraginta sedit, adiisse episcopatum octingentesimo quarto; atque Ioannem tertium constituamus inter Arnulfum & Vrsum. Nam Secundinus sedit annos triginta septem, Magnibertus vnum & sexaginta, Amantius vndecim; Post hunc Innominatus sedit annos vnum & viginti, Bonus fuit in episcopatu annos quinque & quinquaginta. Istorum præsulum omnes anni simul accepti faciunt centum octogintaquinque, quot à sexcentesimo decimonono censentur vsque ad octingentesimum quartum. Iam Bono successerit Ioannes secundus per annos septem & quadraginta, autore Burellano scriba, episcopus; & post eum Bonus secundus fuerit annis quindecim antistes. Viuentius vndecim post Bonum, Eustorgius post Viuentium quatuor & quadraginta, atque post Eustorgium Arnulfus quadraginta vno, & Arnulfo mortuo Ioannes tertius duobus. Post istum Vrsus anno nongentesimo sexagesimo sexto dicendus erit episcopatum adiisse, qui anno pòst quinto *priuilegium impetrauit* à Conrado rege.

Secundinus. *Magnibertus.* *Amantius.* *Bonus.*

14 Sed ista hactenus. Ea ego non possum certis autoribus asserere: tamen Burellanus exscriptor non omnino nullus est ad veram ipsorum comprobationem autor, cùm tres Ioannis nomine appellatos antistites, tẽporibus multum diuersos in vnũ cogit, & dictos Boni nomine duos in vnum quoque. Ipsi scilicet suis locis profectò reddẽdi sunt, ex illis rebus quæ per tria tempora plurimùm à se inuicem dissita vni tribuuntur. Quot eorum singulis annos conceßi, tot sediße annis fortasse non negabit, qui & ceterorum præsulum annis qui numerus asseratur attenderit, & cogitauerit omnes à Pologronio ad Vrsum episcopos ita haberi commodè. Qui contrà obnitetur, is docebit quidem fieri posse, vt episcoporum nonnulli me lateant, quod ego nunquam negauerim: sed quod esse potest, cur esse affirmet, non prudenter afferet, si eorum nomina non proponat, verisque asserat autoribus, qui me accuratè quæritantem, & singula chartarum, librorumque seu manu, seu typo scriptorum anxiè perscrutantem effugerint.

15 Vt vt ista habeant, certè (nam quid diutiùs hæream in obscura prorsus & impedita antiquissimorum temporum ratione?) Ioannes primus, qui
Ioãnes I. Gundebaldo Burgundionum rege vixit, in eo magnam laudem habet, quòd Marium Aureliâ venientem accepit diœcesi sua, & Bodanensibus (Badonenses appellat Ado) monachis abbatem esse voluit. Is enim vir erat Marius, qui & sanctitate vitæ, & cœlestium prodigiorum vi, cum præcipuis toto Christiano orbe proceribus Ecclesiæ, non immeritò conferretur. Non placet plura nunc dicere. Opportunior de ipso disputandi locus erit, cùm ad Arnulfum antistitem oratio peruenerit, qui sanctissimi abbatis corpus Bodauo Forcalquerium detulit. Cum Mario venit Donatus, &

quam

quam à puero adamauerat, atque annos aliquot coluerat, eremiticam vitam prætulit cœnobiticæ, Luramque Bodano. Neque alienum, puto, fuerit à susceptо de Sistaricensium episcoporum rebus gestis opere, si de viro nunc dixero, qui episcopi sui auspiciis Lurenses, Lurensibusque adiacentes circùm populos, à dæmonum cultu ad Dei cognitionem, non procul Sistarico, eorumdem episcoporum sede, traduxit. Ebredunense Breuiarium de eo sequentibus verbis differit.

16 *Fuit quidam vir nomine Donatus, in Neustriæ regione, ab Aurelianensi vrbe oriundus, qui à rudimentis infantiæ suæ est à Domino electus.* Hìc nonnulli Neustriam pro illa regione capiunt, quæ à Normannis habitatoribus, cùm diceretur, accepit nomen Normanniæ, & falluntur. Ab hac enim longè est Aurelia. Tu nomine Neustriæ intellige illam seu Galliam, seu Franciam, quæ ab antiquis Gallicanarum rerum scriptoribus appellata est occidentalis. Fredegarius, & non pauci alij vocant Neuster, atque Neustriam. *Neustria est,* inquit scriptor chronici Turonensis Maioris monasterij, *quidquid à Parisiis, & Aurelianis,* Neustrasiorum Regum sedibus, *interiacet inter Ligerim & Sequanam inferiùs ad oceanum.* Igitur Austriam quoque, seu Austrasiam, apud eosdem Francorum Scriptores vocitatam inuenies, quæ orientalis est Francia. Cùm istæ ambæ voces, seu ante, seu post annum septingentesimum, aut octingentesimum vix fuerint vsurpatæ, ego quidem eò cogitationis veniebam, vt circa illos etiam annos hæc de Donato scripta fuerint.

17 *Cùm esset annorum trium, traditus est à genitore suo magistro, vt eum literas erudiret.* Itane infantulus annorum trium datus est magistro, vt erudiretur literis? omnino. Quid miraris? Hieronymus Lætam hortatur, vt Paulam non maiorem annis infantulam sibi magistrò tradat erudiendam, & in hæc verba subiungit. *Si Paulam miseris* ad Paulam auiam, & Eustochium amitam, *& magistrum, & nutritium spondeo. Gestabo humeris: balbutientis senex verba formabo: multò glorioſior mundi Philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam, & sponsam Christi, erudiam regnis cœlestibus offerendam.* Et verò infantes plurimos legimus, cum ipsa pronuntiatione vocum, quondam edoctos non vulgarem modò, sed Latinum etiam sermonem, ac Græcum.

18 *Qui cùm esset annorum decem, omnia volumina tam noui, quàm veteris Testamenti peragrauit.* Felix puerulus, qui à primis annis sacra eruditus, nihil profani, petulci nihil accepit memoriâ, menteque. *Tunc petiit ab Aurelianensis vrbis episcopo, vt eum clericari deberet, quod ita & fecit.* Non magnum hoc fuit, sed omninò magnum id quod sequitur. *Cùm esset annorum duodecim, complacuit episcopo, vt eum ad onus diaconatus benediceret,* scilicet non erat illis temporibus annus ætatis, diaconatui ab œcumenica Synodo constitutus. Cùm tamen communissimus omnium toto orbe ecclesiarum mos, & Conciliorum prouincialium præcepta, fere postularet longè maiorem in diacono, profectò tribuebam ego diuinis motionibus hoc episcopi in amplissima ciuitate facinus. Fortassis etiam populi postulatio, ad id edendum compulit non cogitantem, atque inuito supparem, sequitur quippe. *Tanta enim in eo erat tranquillitas animi boni, vt omnes illum dicerent vnum esse ex filiis Dei,* atque adeò dignum, qui communissimis clericorum legibus sol-

 ueretur:

ueretur. Illo ipso ferme tempore S. Sequanus, postea Reomaënsis abbas, *quando leuiticam adeptus est dignitatem, annos fere quindecim natus erat*, autore Anonymo in eius vita.

19 *Tunc*, ideſt cùm fungeretur diaconatu, *complacuit omnibus, vt Presbyteri onus acciperet, quia dignus erat vt accipere deberet.* Quo ætatis anno illud accepit? incertum est mihi. Sed vide quid sequatur. *Cúmque factum fuisset, conuersus ad semetipsum ait: Quid mihi cum beato Abraham, cui dixit Dominus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in locum quem monstrauero tibi. Cumque hæc in animo suo volueret, relictâ vrbe Aurelianensi, recto tramite petiit vrbem Turonicam, vbi S. Martini corpus requieſcit, vt eius patrocinia accipere mereretur.* Vide pietatem viri. Quid autem postea? *Cúmque ibidem paucis diebus commorasset, accepto patrocinio à S. Martino, sic eremum petiit. Cúmque peragrasset omnes prouincias, & omnes montes excelsos*, Subaudi, circum Aureliam positos, rediit ad patriam, & Mario Bodanum à monachis vocato comitatus, *peruenit ad montem, qui dicitur Lura*, (Iura legitur in Adone die 19. Augusti) in Sistaricensis episcopi diœcesi. Mons est omnino deuius, saxisque asper & confragosus, Sistaricum inter & Forcalquerium. Quid cætera verbatim referam? Donatus traditur venisse ad Lucæ mõtis radi-

20 ces, & locum nomine Ragion adiisse serpentibus habitatum, antroque horrescens, in quo cubilia ingens draco posuerat. Hic ad beati viri conspectum vesano infremens vlulatu, caput ad duodecim cubitos extulit, & veluti dato signo innumera serpentum genera ad eum conuenere. Quid enimvero Donatus tum ageret non habebat. Igitur Deo supplex in preces accidit, & draco vim orationis non ferens, vt vehementissimo furore intumuerat, disruptus crepuit, inque Druentiam flumen non remotum præcipiti se cursu dedit, ceteris serpentibus magno agmine ducem sequentibus, & aquis, cùm caput ex corporis confractione satisceret, sepultus est. Antrum vir Dei habitatore suo vacuum victor ingreditur, lectulumque sibi in mediis

21 cubilibus draconis ponit. Tum peragrata omni circùm regiuncula, Christo excitat sacram ædem in monticuli vertice, magna accolarum omnium gratulatione, quos à dæmonum cultu ad Dei venerationem omni cœlestium prodigiorum genere deducebat. Vnum addidit vt faceret, & maximè opportunum, & ad populorum celebritatem clarissimum. Vinum auebat sibi habere ad sacrificium, & quo anno vineam in eos vsus plantauerat, illo vinum ipsa dedit. Cúmque profanus homo racemum ex illa furtim decerptum vorare contenderet, hæserunt in mediis faucibus acini, neque alio quàm Donati digito auelli vnquam potuere. Igitur Florentius, magnæ spei iuuenis, sanctitate viri adductus, omnem cum eo ætatem ducere, patre nequidquam contrà obnitente, constituit: volentemque iuuit tam certâ & bonâ vi Deus, vt qui primâ diei horâ Ebreduno excesserat,

22 peruenerit Ragionem septemdecim leucis distantem, sextâ. Post hæc pluribus commemorata verbis, Innominatus scriptor orationem ita concludit. *Plurimis itaque miraculis factis, & euolutis multis diebus, cepit appropinquare dies illius transitus: Deo ergo reuelante, venit ad eum Abbas Marius*, Aureliâ Sistaricensem ad diœcesim viæ quondam socius, *qui in monte qui dicitur Bodacensis*, seu Bodanensis, *eremiticam*, seu in eremo cœnobiticam, *ducebat vitam. Cúmque inter amplexus inuicem se salutassent, gaudio sunt magno gauisi;*

Digitized by Google

gauisi; & demum oratorium in monticulo exædificatum *intrant gratia orandi. Qui dum prolixius orarent, sanctus Donatus migrauit ad Christum.* Quod de Mario Abbate hic dicitur, postea videbimus, cùm peruenerimus ad Arnulfum episcopum, qui Bodano Forcalquerium transtulit eius corpus. Nunc ad Ioannem antistitem redeamus, qui Sanctum vtrumque virum 23
Aurelia venientem accepit diœcesi sua. Ceterorum quæ Burellanus scriba ei tribuit, nihil de ipso dici potest. Tertius ille est, qui Conoguorienſe cœnobium Cluniacensibus concessit. Secundus perfecit reliqua, vt statim referam. Post primum sederunt ordine Valerius, Auolus, Genesius, Pologronius, Secundinus, Magnibertus, Amantius, Innominatus, Bonus 1. vt in superioribus docui. Et quatuor quidem prioribus suos omnes annos annumerare non possumus: attulimus eos, qui ex antiquissimis conciliis decerpi potuere. Quinque autem posterioribus omnes suos ex Burellano dedimus exscriptore.

Bono Ioannem secundum successisse affirmat, quæ superiùs stabilita 24
est ratio temporum; & quidem anno octingentesimo quinto. Sedit annos septem & quadraginta, mortuus octingentesimo quinquagesimo secundo. Erat *valde nobilissimus*, vt loquitur scriba ille, *& opibus, & rebus..... nissimus, ex Senatoria stirpe progenitus.* Cùm Senatoriam stirpem audis, cogita seu de Romanis, seu de aliis in media Gallia Senatoribus stirpē: in Romanis enim coloniis, & ceteris vrbibus Romano subiectis imperio, fuit quondam Senatus, qui suis consiliis eas regeret. Igitur ex Dione Cassio libro 49. Octauianus superato Lepido *spem fecit cum aliis, tum centurionibus, quasi eos inter Senatores sua quemque in patria adscripturus.* Et libro 51. *Ceteris vrbibus suo vnicuique modo, Alexandrinis sine Senatoribus rempublicam administrare iussit. Senatores autem Alexandriæ esse ceperunt sub Seuero imperatore.* Quacumque autem in vrbe seu parentes, seu maiores Ioannis episcopi Senatoriâ fulserint dignitate, fuerunt profectò illi in opulentissimis ciuibus: nam Romæ quoque Senatores censebantur ditissimi, ex eodem Dione. A pa- 25
rentibus verò acceptas opes in ecclesiam suam ipse contulit, & eam *quamplurimis rebus, & prædiis nobilitauit atque ditauit. Construxit namque duodecim ecclesias, & duo regularia monasteria*, inquit Burellanus scriba. Quæ, & vbi locorum fuerint illæ ecclesiæ, non inuenio. Monasteria sunt Bodanense, & Conoguorienſe, vt ex sequentibus in eo exscriptore intelligitur. Sed à Ioanne tertio, non à secundo monasterium Conoguorienſe extructum fuisse docebo postea: Bodanensi secundus *prædium suum*, in quo ædes excitarentur elargitus est, scilicet à S. Mario quondam habitatas exciderant barbari exercitus, qui alij alio tempore vniuersam regionem ante Carolum Magnum latrociniis euerterunt: & cùm monachi alia in loca, vt res ferebat, dilapsi fuissent, omnis ager ad non vnum transierat dominum, ac denique ad Ioannis progenitores deuenerat. Sanctus vir Marij quondam abbatis reuocauit instituta, & monachos cœnobio restituto imposuit, ipsisque concessit *omnem decimationem de Lambricis, & ecclesiam S. Albani, cum omni decimatione, & territorio suo, & ecclesiam S. Galle, & ecclesiam S. Lucie, cum omnibus ibidem pertinentibus.* Burellanus exscriptor istis verbis subiungit se- 26
quentia. *Facta est hæc donatio septimo calendas Apriles, anno vndecimo regnante Clotario Caroli Magni filio.* Voces necessariæ. Affirmant quippe Ioannem

hunc esse omnino alium ab eo, qui Marium Bodani excepit, Gundebaldo Burgundionum rege pluribus centenis annis ante illum, qui nunc memoratur, Clotarium. Scilicet iste Clotarius, est quem Hlotaxium appellamus, filium Ludouici Pij, & nepotem Caroli Magni. Eius seu imperij, seu in Prouincia regni, annus vndecimus, est Christi primus & quinquagesimus post octingentesimum. Et eo quidem anno Ioannes monachis Bodanensibus illa quæ modò referebam, concessit, ædes verò sequente construxit, vt docet quæ in ipsorum templo ante S. Ioannis altare sic olim habebat inscriptio. *In honore Domini nostri Iesu Christi. Hic est locus ædificatus, quem fieri procurauit Campanus præsul*, ideſt abbas, *nomine Ioannis episcopi Siſtaricensis anno duodecimo Clotarij Regis Caroli filij.* Atque hæc sunt, quæ Ioannes contu-
27 lit in Bodanenses monachos. Quo anno seu per episcopatum ecclesias, seu monachis cœnobium exædificare ceperit, non possum dicere tacentibus chartis omnibus. Si velis occepisse sub episcopatus initia, nihil vetat addere Carolum Magnum pietate ac religionibus tanti viri adductum, ne quando Siſtaricensis ecclesia se ingemisceret post Bodanenses monachos, quibus cœnobium erexisset, atque post aliquas per episcopatum regiones, quibus excitasset basilicas, à suo præsule habitam, ei dedisse ipso episcopo Lurium. *Carolus Magnus*, addit Burellanus scriba, *dedit & concessit B. Mariæ, & glorioso martyri Thyrso, Sanctæ sedi Siſtaricensi, castrum de Lurio, cum omni honore, & appenditiis suis.* Pergit: *si quis autem regum, comitum, aut baronum, contra hanc donationem venire tentauerit, iram omnipotentis Dei se nouerit incursurum.* Ita pergere aduerto, vt videas, Caroli donationem ipsam scribentis, esse voces, cuius proinde tabulas, cùm sua exararet legebat. Quocumque autem tempore, & quascumque ob causas, Carolus Magnus Siſtaricensi episcopo Lurium iam imperator dederit, existimabam Ioannem secundum anno quarto post octingentesimum sedere cepisse, & quinquagesimo secundo post eumdē obiisse extremam diem: sic enim omnia quæ attuli seu de annorum numero per quos episcopatum gessit, seu de Caroli Lotariique temporibus videntur aptissimè conuenire. Scilicet qui quarto sedere ceperit, & quinquagesimo secundo desierit, is negari non potest sedisse annos omnino quadraginta septem: & qui à Carolo imperatore, ad annum Christi octingentesimum decimum quartum mortuo, Lurium accepit, potuit eum octingentesimo quarto accipere, qui etiam anno Lotarij duodecimo Bodanense monasterium perfecit, potuit eo ipso mori.

Bonus 2. Ioāne mortuo Bonum 2. sedisse dicamus oportet. Lioürēsis enim Prior..... Grossi legit in antiquissimo codice MS. *permutationem* (vt fert inscriptio) *Episcoporum Siſtaricensis & Aptensis*, quæ sic habet. *Quotiescumque initæ fuerint chartulæ commutationis*, &c. *Igitur placuit*, &c. *inter virum venerabilem gratia Dei Bonum episcopum Sanctæ sedis Secustironæ ciuitatis*, &c. *& ab alia parte Paulum dono Dei Episcopum sanctæ sedis Aptensis*, &c. *vt colonicas, & terras, & vineas, seu villulas, sibi inuicem inter se commutare deberent. Quod ita in Dei nomine præsentialiter fecerunt*, &c. *Facta commutatio ista 4. nonas Iulias, anno 8. regnante domino nostro rege Lothario indictione 15. Ego Bonus dono Dei Episcopus has commutationes, vnà cum domno Paulo Episcopo ambo factas relegimus.* Scilicet Lotharius hic rex, est Lotharius quem cognominis Imperator Ludouici Pij filius genuit: eius in Burgundia regni octauo

&

Digitized by Google

& Christi octingentesimo sexagesimo septimo Bonus ipse post Ioannem secundum Episcopus chartam obsignauit. Et verò quem alium putabis tu Lotharium? Tres præterea tantùm occurrunt, de quibus suspicari possis, filius ipse Ludouici Pij, filius Ludouici Vltramarini Francorum Regis, filius Hugonis Itali. Sed vt ab hoc incipiam, is *post annos ferme quatuor quàm vnctus fuerat diem clausit extremum*, vt legimus in chronico Cassinensi libro 1. capite 64. Cùm in illius regni octauo Bonus Episcopus egerit cum Paulo Aptensi antistite eius verò quem Ludouicus Pius genuit anno octauo sedebat Sistarici Ioannes, & anno duodecimo excitabat monasterium Bodanense, vt modò vidimus. Ludouici denique Vltramarini filius neque Aptensi neque Sistaricensi comitatui dominabatur: quem vtrumque tenebat ditione Conradus Pacificus. Vnum equidem video in Lotario cognominis Imperatoris filio dubitationis nonnihil facere. Lotharingiæ rex erat, non Prouinciæ, in qua Carolus primùm frater, tum Carolo mortuo Ludouicus etiam frater dominabatur. Sed qui aduerterit Carolo fratre mortuo, Burgundiam eius regni partem cessisse Lothario, in qua superior pars episcopatus Sistaricensis tum erat & monasterium etiam Bodanense, vt intelligitur ex initio libri primi, is profectò fatebitur Lothario annum regni octauum orso permutationem Boni Sistaricensis & Pauli Aptensis episcoporum factam esse. Fuit hic annus septimus & sexagesimus post octingentesimum. Carolus extremum diem obierat sexagesimo. Eo septimo erat indictio quinta & decima. Neque nihil ad hoc facit quòd Paulus sedebat Aptæ Theobardo Narbonensi Archiepiscopo, vt in eius vita legitur apud Catellum in historia Occitaniæ libro 5. pagina 764. quem & ceteros in eius vita memoratos certum est eo anno 883. vixisse Rostagnum Arelatensem, Malfredum Aquensem, Ermaldum Ebredunensem Archiepiscopos, Berengarium Massiliensem, Girbertum Nemausensem, Guisleranum Carcassonensem, Elegium Albiensem, Amelium, Vzeticensem, Abbonem Magalonensem, Bosonem Agathensem, Agilbertum Biterrensem, Bernardum Tolosanum, Macarium Luttouensem episcopos. Sed vtcumque hoc de situ partis episcopatus Sistaricensis habeat, accipe verba fragmenti historiæ à morte Ludouici Pij vsque ad Ludouicum Balbum apud Ducheſneum tomo 2. Scriptorum historiæ Franciæ pag. 402. *Lotharius imperator regnum inter filios diuidit Carolo minori Prouinciam & partem Burgundiæ, &c. Ludouicus post obitum patris octauo anno, mortuo fratre suo Carolo minore, & Lugduni sepulto in monasterio S. Petri in ecclesia S. Mariæ semper Virginis, cum fratre Lothario regnum fratris mortui partitur. Accepit autem partem Transiurensis Burgundiæ simul & Prouinciarum 3 reliquam partim Lotharius rex sibi retinuit.* Cùm Innominatus scriptor hæc habeat, cur negabis Sistaricensem & Aptensem episcopatus fuisse in ea Prouinciæ seu Prouinciarum parte quæ de Caroli regno cesserat Lothario fratri?

Viuentius post Bonum secundum sedit Sistarici annis vndecim, vt in superioribus docui: igitur octingentesimo septuagesimo octauo est mortuus. Viuentio successit Eustorgius per quatuor & quadraginta: & Burellanus scribà, *in tempore huius episcopi*, inquit, *facta fuit persecutio in Ecclesia Dei, quæ dicitur facta fuisse à Gothis, & Vandalis, qui erant hæretici Ariani.* Veris falsa miscet. Sub annum nongentesimum Ecclesiam 28 *Viuentius. Eustorgius.*

Dei tota Prouincia malè haberi cepisse tradunt omnes historici : à Gothis, & Vandalis passam esse non tradunt, sed ab Saracenis, qui ex Africa, autore Glabro, Fraxinetum venerant, & ex eo, veluti e munitissima arce per annos supra septuaginta, erumpentes, nunc totis Alpibus maritimis, Cottiarumque parte grassabantur, nunc latrociniis maritimam Prouinciæ oram
29 peragrantes, omnia turpissimis deuastabant incendiis. Cùm verò ex vniuersa regione depulsi fuissent, anno illius sæculi octogesimo Reculphus Forouilensis episcopus sua recepit à Vvilelmo Comite, antiquis per vera argumenta limitibus restituta. Et in Sanuictorino ad Massiliam tabulario sic legitur. *Cùm gens pagana* Saracenorum *e finibus suis*, scilicet Fraxineto, *expulsa, & terra Tolonensis cepisset vestiri, & à cultoribus coli, vnusquisque secundum propriam virtutem rapiebat, transgrediens terminos, ad suam possessionem. Quapropter illi qui potentiores videbantur esse, altercatione facta, impingebant se adinuicē, rapientes terram ad posse, videlicet Vvilelmus vicecomes, & Pontius de fossis. Qui Pontius pergens ad comitem Guilelmum, dixit ei: Domine comes, ecce terra soluta auunculo paganæ gentis, tradita est in manu tua, donatione regis, ideo rogamus vt pergas illuc, & mittas terminos inter oppida, & castra, & terram Sanctuariam. Nam tuæ potestatis est eam terminare, & vnicuique distribuere, quantum tibi*
30 *placitum fuerit*. Vides agros per Saracenorum latrocinia vastatos fuisse, euersas totis Prouinciæ regionibus vrbes, polluta dirutaque templa. Eustorgio mortuo clades peruēnit ad eam illius partem, quæ vltra Druentiam fluuium posita, paucis pòst annis accepit nomen Comitatus Forcalquerienſis :
Arnulfus. & Arnulfus anno nongentesimo vndecimo episcopus, quod sapientissimi antistitis erat, S. Marij abbatis corpori cauens à Saracenis, & Hungaris, illud incerto anno transtulit Forcalquerium, munitissimo tum in monte castro potens, e Bodanensi cœnobio. Cùm enim Saracenī Prouinciam Cisdruentianam latissimè popularentur, Hungari anno nongentesimo vigesimo quarto, vt docet Flodoardus, *per abrupta transeuntes Alpium iuga, venerunt in Galliam* ex Italia, per quam, vt tradidit scriptor chronici Virdunensis, *grassabantur ductu regis Berengarij* ab aliquot annis; & *montium portis exclusi, per deuia* euadentes, *Gotthiam* ingressi sunt. Nam quæ *deuia* in *Gotthiam*, seu
31 Langotthiam Ferentia putas secutos, cùm Radulphi Cisalpinæ Galliæ regis, & Hugonis Viennensis arma fugerent, quàm reconditos trans Druentiam vallium flexus, quæ per Forcalquerium & ad Aptam vsque Iuliam vrbes, aperiunt, viam euntibus ad Sanctægidianos campos, ab Hungaris anno quinto & vigesimo post nongentesimum direptos, vt eorum monachi in suarum precum Breuiario lamentabiliter queruntur. Infelicissima sunt hæc illa omni Prouinciæ tempora, cùm vniuersæ sanctorum virorum reliquiæ, & sacra etiam cetera in latebris posita sunt, cúmque per tres annos supra septuaginta vastitas regiones totas habuerit, fuerunt per plures annos ignota, superstitibus viris latebrarum ignaris. Atque vt nihil de Sanctorum corporibus hominum dicam, Virgo Romigeria, innumeris de cœlo miraculis clara, tum à Manuascensibus sepulta terræ est, vt aliàs fusè dixi.

32 Arnulfus sedit annos vnum & quadraginta : igitur qui secundo & vigesimo post nongentesimum anno sedere ceperat, desiit sedere tertio & sexagesimo. Quo autem detulerit Forcalquerium S. Marij corpus, non dixerunt maiores. *In diebus illis*, Arnulfo scilicet episcopo, *corpus S. Marij confessoris*

confeſſoris glorioſi tranſlatum eſt de valle Bodanenſi, quæ eſt in Siſtarico Comitatu (ſunt verba Burellani veterum exſcriptoris chartarum) *ad oppidum Forcalquerienſe in Siſtarico pago, vbi ſanctiſſimum eius corpus requieſcit in eccleſia S. Thyrſi martyris glorioſi, quæ propria eſt S. Mariæ, & S. Thyrſi ſedis, Siſtaricenſis. In qua eccleſia confeſſor dictus Marius multis virtutibus claruit, in cuius honore poſtea fabricata eſt eccleſia.* Quæ illa eccleſia B. Thyrſi, quæ iſta S. Marij? Si quis fuerit locus de Forcalquerio, eiuſque templis vniuersè dicendi, de his duobus tum diſſeram. Nunc videor mihi de B. Mario, quis, & quàm illuſtris omni virtutum & miraculorum genere fuerit debere diſputare. Dynamius *vir illuſtris & Patritius* Adoni, poſt annum octingenteſimum ſcribenti, ante annos mille de ſanctiſſimi viri vita ſcripſit, & ex eo Siſtaricenſes Canonici acceperant quæ in ſuarum precum Breuiario ſcripſerunt. Quia orationis Latinæ ſtylus, pro illius ſcriptoris temporibus, qui breuiarium hoc compegit, non inelegans, noſtrorum temporum cultui non reſpondet, atque plurimi petierunt vt caſtigato magis terſoque ſermone, de ea dicerem, non ingratum, vt puto, lectori erit, ſi illam omnē hìc propoſuero.

Marius Patre Senatore natus eſt Aureliæ. Puerum tantâ Deus præuênit 33
amoris ſui dulcedine, vt cùm ſupra nobilitatem generis, & magnam opum vim, omnes coætaneos elegantiâ corporis præcelleret, atque nulli eorum inferior eſſet liberalium artium ſtudiis, pauperem tamen pauper, humilem humilis Chriſtum ſequi decreuerit, & monaſterio nomen dederit. Illuſtribus ceptis reſponderunt ſui progreſſus, tanta virtutum omnium per vniuerſam Galliam claritate, vt Bodanenſes in Siſtarico pago monachi, longiſſimé ab eo poſiti, abbatem ſibi voluerint, Ioanne epiſcopo vehementer probante, laudanteque Gundebaldo rege. Sed ſanctiſſimus vir non potuit rem patienter accipere; & qui vt omnium infimus ſummam ſui abiectionem exemplo Chriſti ſequeretur, venerat in cœnobium, noluit committere vt præponeretur ceteris. Igitur fugam meditatur clam omnibus, & quas minimè notas putat condit ſe in latebras. Tres omnino dies in iis poſuit, longéque plures ſeorſim ab vniuerſis hominibus poſuiſſet, ſi Deus magno prodigio non aperuiſſet inuitum. Quærebatur per concaua vallium, & ſiluarum deuia caſſo labore: tertiâ demum die iam elapsâ, lux ſolito humanis oculis lumine fulgentior, viſa eſt imminere latibulo, quod habebat ſupplicem Deo; & cœleſti ſigno deprehenſus, ne non iam mortalibus obſiſteret, ſed Deo, ſe paſſus eſt abbatem fieri, & Bodanum duci. Hìc integerrimæ 34
vitæ exemplis nomen ſanctitatis impleuit, quod ab Aurelianenſi vrbe ad Alpes vſque Cottias Siſtaricumque peruenerat. Nulla virtus eſt, quam non vehementer coluerit, & ad quam non fuerit ceteris dux. Ieiuniis fere perpetuis, longiſſimiſque vigiliis affligebat corpus virgineum. In oratione tam multus erat, vt eius vnius vi animam in exeſo corpore retinere ac reficere videretur. Manſuetudine, patientiâ, ſui demiſſione omnes ſocios anteibat. Demum quia viri virtus pro inſolita magnitudine, cùm non poſſet vnius monaſterij anguſtiis contineri, ad plures, ac longè etiam latéque diſſitas regiones peruenerat, populis & regibus ad ipſum accedentibus, de Chriſtianæ vitæ officiis, pro cuiuſque captu, piè, ſapienter, animosè dicebat. Igitur voluit Deus ſeruum ſuum frequentiſſimis illuſtrare miraculis. Licì- 35
niæ nobilis viduæ filium, & Syagriam Agricolæ illuſtris viri filiam à morte,

cui

cui erant proximi, eripuit, & pristinæ valetudini restituit. Nemphidio Euodium filium nasciturum prædixit, & precibus vt nasceretur fecit. Reddidit auditum surdis, cæcis visum, gressum claudis, valetudinem ægris. Denique dæmones ab hominum corporibus pepulit. Sed profectò singulare illud meritò dixerim, quòd imber nunquam est moratus euntem, nunquam sub aperto aëre sedentem tetigit, nunquam in agro aliquid operis facienti molestus fuit; cùm ceteros perpluerent homines, qui cum ipso non erant;
36 & proxima etiam loca ruente cœlo latè inundaret. Donatum Presbyterum, qui solitariam in monte Lurâ vitam magnus dæmonum terror ducebat, breui moriturum longè ab eo positus Deo commonente accepit. Cùm non sine lacrymis rem suis aperuisset monachis, ad eum citato gradu iam senio grauis perrexit. Intranti cellam Presbyter occurrit læto, & qui certam corporis valetudinem præferebat vultu, ac in suaues amplexus ruit. Quis vtriusque viri gaudia, quæ mentem pertentabant, aut capiat, aut vbi ceperit referat? Post mutuæ salutationis officia, simul eunt ad oratorium. Hìc dum precantur prolixiùs, repente Donatus vitâ deficitur, & animam ad Deum suâ cum supplicatione profundit, in cœlumque dimittit. Marius composito corpore suum redit ad monasterium, multa per viam queritans, quòd qui Deum oranti comes fuerat, euntem ad cœlos secutus non fuerit. Ægro-
37 tabat aliquando vehementer Lutetiæ, neque socij putabant futurum vt leuaretur morbò: & Dionysius Areopagita ad eum venit intempestà nocte, manu tangit, pristinæ valetudini reddit. Eâdem in vrbe equus, quo Sanctus vir vehi consueuerat, furto abducitur e præsepi. Sed qui aliò abigere contendebat, nunquam potuit exitum expedire. Fuit etiam, cùm libidinosus adolescens Sanctitatem viri non sustineret, illius scilicet integritatis corporis, quam impotenter oderat, exasperatus exemplis, & in ipsum atrocibus debaccharetur iniuriis. Sed vesani facinoris importunitate commouetur Deus, & singula petulantissimi inuenis membra suo grauissimè excruciat supplicio. Is multiplici ac peracerbo dolori ferendo minimè par, infeli-
38 cem animam miserrimus sancti viri conuiciator exhalat. Cùm autem Marius ad extremam senectutem peruenisset, morti in cœnobio suo proximus, spiritu vidit cœlos apertos, & Christum splendidissimo lumine coruscantem, Virginique matri, & beatis angelis ad eius pedes pro Italia supplicibus respondentem, quòd Italia & plures aliæ regiones certissimum mererentur excidium. Hæc ille Lucretio quondam monachio suo, tum Diensi episcopo referebat, qui non multò pòst placidissimè & sanctissimè mortui corpus reposuit in conditorio. Vera dixisse probauit euentus. Longobardi Alboino duce, effera in Italiam vi, eâque occupatâ in Galliam per Alpes Cottias, post paucissimos annos irrupere: aliaque monasteria & Bodanense tum euerterunt. Et hoc quidem post Longobardorum in Italiam reditum, Ioannes secundus Sistaricensis episcopus restituerat, sed Saraceni rursus postea deleuerunt, erepto prùs sancti viri corpore, ac per Arnulfum episcopum translato Forcalquerium, ne in eremo deprehensum, experiretur aliquando
39 importunum barbarorum hominum furorem. Qui verò viuentem innumeris illustrauerat Deus miraculis, mortuum non paucioribus insigniuit. Hoc virginitati quam illibatam tota vita seruauerat, concessisse videtur, vt post eam ipsius corpus suauissimo fragraret odore: quem quia singula membra

membra diem in illam mortalibus ignotum ſpirabant, diceres mirabili circumfuſum fuiſſe vnguine, omninoque imbutum. Igitur cœleſtes ab hominibus honores meruit. Quod quàm ſibi gratum eſſet, Deus illuſtri argumento declarauit. Puella in altare ſancto viro Forcalquerij erectum coniecit ſacrilego auſu lapidem, & eius non ſolam quâ facinus ſuſceperat manum, ſed vniuerſa corporis membra contraxit Dominus. Atque prodigium per ſe inſigne, ex eo poſtea fuit illuſtrius, quòd poſtquam ſceleris per id pœnæ commonita, annuas beato Abbati vigilias vouiſſet, reſtituta ſibi eſt; votoque deinde violato, in omnium membrorum contractionem miſerabiliter recidit. Sed admirationem omnium meruit, quod in eâdem vrbe euê- 40
nit. Vir erat pedibus, brachiis, manibus, toto demum ita contractus corpore, vt non eatenus visâ confuſæ mólis fœditate miſerationem conuentium excitaret. Cùm nulla opis ſpes à medicis occurreret, ad ſancti viri corpus defertur curandus. Ecce tibi rem ſtupendam. Magna hominum vis B. Mario preces fundebat, & vniuerſum ægri corpus vehementer commouetur, concutiturque. Oſſa ſuum ad ſitum properantia, alia magno fragore concurrunt aliis: nerui & articularij, & ceteri craſſum, quo prægrauabantur, humorem exudant, & facili in aptam membrorum compagem lentore flectuntur. Quem nulla non parte corporis fœdiſſimè contractum, alij homines ad beati viri reliquias ſuis humeris detulerant, ipſe ſuis pedibus ad propriam domum rediit, omnibus membris ſuo loco redditis aptè honeſtéque compoſitus. Atque iſta de B. Mario Abbate dicta ſint.

Quæ autem quondam fuit eius veneratio Forcalquerij, illa nunc etiam 41
perdurat. Quòd Arnulfus in ipſo, potiùs quàm Siſtarici, principe diœceſeos vrbe, corpus ſanctiſſimi viri repoſuit, facit omnino vt exiſtimẽ Comitatum Forcalquerienſem cepiſſe eius temporibus, & Forcalquerium ſurrexiſſe in vrbem quam incoleret Comes ampliter imperans Ebredunenſibus, Vapincenſibus, Siſtaricenſibus, Aptenſibus, aliiſque nonnullis trans Druentiã Prouinciæ populis, ad Auenionenſes vſque ac Rhodanum. Locus non poſtulat, vt cauſas tantorum ceptorum, aut inueſtigem obſcuras, aut inueſtigatas aperiam: hoc vnum dico, non eſſe nihil cur exiſtimemus Rothboldum Prouinciæ Comitem, vt Hungaris ex Italia veniẽtibus viam aut impediret, aut occluderet, caſtrum impoſuiſſe Forcalquerio munitiſſimum illud quod nobis pueris euerſum eſt: atque id è vicinioribus deinde, vt fit, pagis, agroque acceptis ciuibus, creuiſſe in vrbem, regionis caput quæ ampliſſima nomen ab ipſo ſumpſerit. Iſtius ergo Rothbold filius Boſo, qui ex magno S. Victoris chartarum codice membraneo paginâ duodecimâ habebat anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo Vvilelmum fratrẽ, & Guilelmum atque Rothboldum filios, eam ipſam regionem nomine Comitatus inſignitam ſecundogenito dedit, reliquâ omni Prouinciâ primogenito conceſsâ.

Poſt Arnulfum epiſcopum Ioannes tertius ſediſſe videtur annos circiter 42
vnum & alterum, ſcilicet vſque ad ſextum & ſexageſimũ à nongenteſimo. *Ioãnes 3*
Hic Ioannes ille eſt, qui, vt Burellani ſcribæ verbis vtar, *dedit Deo, & S. Petro Cluniacenſi Podium Conoguorienſe*, quod *de patrimonio* ſuo ornauerat nobili monaſterio. Scio eſſe qui velint Conoguorienſe monaſterium Cluniacenſibus à Ioanne ſecundo, antè Lotarius quam in Burgundia poſt Carolum fratrem regnaret, traditum fuiſſe. Scilicet acceperunt ex Auberto Miræo in

Originibus Benedictinis monasterium Cluniacense sua initia habuisse à Vvarino Comite, sub Ludouico Pio imperatore, cuius temporibus ille Sistaricensem regebat ecclesiam. Nam, inquiunt, cur cùm monachi eo episcopo fuerint Cluniaci, deiiciemus erectionem Conoguorienſis ex Cluniacensibus monasterij in longè posteriora sub Ioanne tertio tempora? Ego autem fateor quidem Vvarinum, seu Guarinum, & Emam, seu Albanam coniugem, Matisconenses Comites, imperatore Ludouico Pio, excitasse Cluniaci monasterium in honorem S. Petri, & Hildebaldum Matisconensem episcopum excitato concessisse ecclesias Cottæ, & Ialloniaci: Saniulianus enim in Antiquitatibus Matisconensibus ait se vtriusque rei legisse tabulas testes. Nunquam tamen crediderim, monachos Cluniacum à Vvarino vocatos, stetisse diu Cluniaci. Vt alia non ratò alij loca, ita etiam Cluniacum isti non multò post cœnobij erectionem profectò deseruere. 43 Nulli libri, vt aliud non afferam, nullæ tabulæ, monachos in eo fuisse commemorant post Vvarinum Comitem: & ædes Petro sacra, quam Vvarinus monasterio addiderat, videtur ad clericos postea deuenisse. De qua enim alia Guilelmus Aquitaniæ Dux loquitur in charta erectionis monasterij sui? *Trado Cluniacum*, inquit, *villam, quæ sita est super fluuium, qui Grauna vocatur, cum cortile, & manso indominicato, & capella quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & S. Petri Apostolorum principis, cum omnibus ad ipsam villam pertinentibus.* Si monachi cùm Guilelmus eam chartam scribebat, aut erant Cluniaci, aut ex eo in alium locum dilapsi, sacram ædem prædiaue in ipso habebant, cur illos ad restituendum monasterium non reuocauit? cur iis neglectis Bernonem cum sociis Gigniacensibus accersiuit constituendo monasterio? Sed post Arnulfi Sistaricensis episcopi tempora, nomen monachorum à Guillelmo duce constitutorum Cluniaci, adeò illustre tota Gallia erat, vt celeberrima per eam omnem monasteria, & Lerinense illud antiquissimum, totoque notissimum orbe Christiano, se crediderint eorum disciplinæ. Quid magnum est quòd Ioannes tertius, qui Arnulfo successit, 44 Conoguorienſe ipsis attribuit? Cùm autem huc dicendo deuenerim, locus omnino postulat, vt vnum aliquid de Conoguorienſi monasterio addam. Eius initia non inuenio: igitur Ioanni tertio tribuenda putabam: & cùm is asseratur *Podium Conoguorienſe de patrimonio suo* dedisse Cluniacensibus, atque *duas ecclesias* in illo extruxisse, ita in superioribus sum interpretatus, vt illud cœnobio instructum ipsis concesserit. Tamen primo & quinquagesimo post Arnulfum episcopum anno, Petruxensia, seu Petrosiensia quædam prædia Conoguorienſibus monachis eâ conditione donantur, vt ipsi à Cluniacensibus non recedant; quod si aliquando fecerint, Cluniacensium illa tum sint, non Conoguorienſium. Ista de iis fortasse potiùs proloquaris, quàm de illis qui ab ipsis monastetij initiis fuerint Cluniacenses. Vtcumque res habeat (neque enim pro summa antiquitate omnibus chartis defectam, asseruerim ego facilè aut negauerim) accipe tabulas, quibus Petruxiensia, seu Petrosiensia illa prædia Conoguorienſibus monachis tribuuntur.

45 *Vnicuique homini, quamdiu viuit, de rebus quas possidet seruire Deo conuenit. Igitur ego in dicto nomine Bonifacius, dono aliquid de rebus mei iuris Sacrosancto & venerabili..... Cluniaco in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, vbi dominus Odilo præesse dignoscitur, pro remedio animæ meæ, & parentum meorũ. Sunt*

autem

autem ipsæ res sitæ in comitatu Sistaricensi, in villa quæ dicitur Petruxo, totum & ad integrum, quantum inibi mihi portio obuenit. Confirmans scilicet & primam donationem, quam pater meus Lambertus, & mater mea Galburgis nomine, priùs de illa hereditate fecerunt. Ea videlicet ratione, vt fratres de Cluniaco qui habitauerint in loco S. Mariæ Conacopiensis teneant & possideant. Si verò, quod absit, ipsum locum à Cluniaco aliquis separauerit, mea illa hereditas Cluniacensibus fratribus semper subiaceat sine vlla contradicente persona. Sanè si quis ergo, aut aliquis de filiis, aut parentibus meis, hanc chartam, quam libenti animo feci, contradicere voluerit, iram Dei omnipotentis, & omnium Sanctorum incurrat, si non emendauerit. Et charta ista semper stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Facta charta ista anno Dominicæ incarnationis 1013. *feliciter regnante Roberto rege. Sign. Bonifacij, & vxoris eius Constantiæ, qui chartam istam fieri rogauerunt, & manu propria firmauerunt. Sign. Arnulfi. Sign. Lamberti. Sign. Raimbaldi. Sign. Boso. Sign. Pano. Sign. Pontius. Sign. Ioannes. Frater Robertus scripsit. Sign. Lanterio. Ego Pontius Presbyter.*

Hactenus Petruxiensium prædiorum donatio monachis Conoguorien- 46
sibus. Ad Ioannem episcopum reuertamur. Cùm Burellanus scriba docuisset excitasse in Conoguoriensi cœnobio *duas ecclesias, vnam in honore B. Mariæ, & aliam in honore sancti Ioannis Baptistæ*, addidit hæc verba: *in qua idem episcopus sepultus esse videtur. Et alia multa ibi fecit.* Quæ fuerint ista *alia multa*, nemo asserat amissis per Caluinistarum tumultus, & latrocinia, omnibus tabulis monachorum, quas cùm illa mandaret literis, habebat Burellanus exscriptor ob oculos. Audio ignorari etiam nunc temporis conditorium Ioannis episcopi ab ipso memoratum: cetera istius monasterij etiam ignorantur. Iofredus in Nicæa parte 2. numero 48. vnum affert quod nolo prætermittere, dicit corpus S. Honorati qui monasterium Lerinense, erexit, *quod translatum fuerat ex Arelatensi vrbe ad monasterium Garagobiæ, inde ad insulam Lerinensem* delatum fuisse anno 1391. 13. cal. Februarij.

Antè vltrà quàm progredior, futurum operæ aliquod pretium puto, si 47
dicam de Nitardo episcopo. Eius tempora sunt omnino incerta: nam quòd Burellanus ille scriba vult sedisse ante Petrum Sabranium, de quo dicam sequente libro num. 47. hoc falsum esse euidenter docent Bertrandi secundi literæ, quas de Petri prædecessoribus afferam eo ipso libro num. 39. Igitur quando ille veterum chartarum exscriptor de isto vnus loquitur, & toto fere libro ea retuli quæ de Sistaricensibus episcopis ipse exarauit, non videor mihi posse opportuniùs de eo dicere. *Nitardus episcopus Sistaricensis, vir humilis, & benignus, consecrauit Sistarici ecclesiam sancti Martini. Et dicitur quòd eiecit dæmonium, qui erat sub ponte fluminis Druentiæ facientem mala transeuntibus.* Hactenus Burelli scriba. Ad Vrsum Ioannis tertij successorem accedamus.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM SISTARICENSIVM
LIBER SECVNDVS.

1 *Vrsus.* VRSVS Ioanni tertio succesſisse videtur anno Christi nongentesimo sexagesimo sexto, vt docui superiore libro numero 13. fortasse cùm Vmbertus electioni suæ; quam Sammarthani tomo 1. pagina 4. memorant, noluisset assensum præbere. Viri memoriam seruat charta sequente anno à Conrado rege scripta. Hic ille Conradus est, qui Rodulpho patre natus Rodulphum genuit filium, Rex Burgundiæ, Alemanniæ (Sueuiam sic vocabant) & Prouinciæ. Cùm scriba, postquam dixisset obsignare se chartam anno nongentesimo sexagesimo septimo, addiderit eum annum esse Conradi regno septimum & vigesimum, profectò asseuerauit regnare principem cepisse anno quadragesimo post nongentesimum. Atque hoc ipsum habent apud Guichenonum in Bibliotheca Sebusiana libro 1. cap. 57. eiusdem regis tabulæ, quæ asseruntur scriptæ anno Christi nongentesimo septuagesimo sexto, & regni Conradi trigesimo sexto. Vixit autem vsque ad tertium à nongentesimo nonagesimo, vt intelligitur ex donatione Pulliani villæ Agaunensi monasterio, à Rodulpho ipsius filio regni primo, scilicet post mortem patris, & sæculi nonagesimo tertio, apud Guichenonum in bibliotheca Sebusiana libro 1. cap. 3. regnauitque annos omnino tres & quinquaginta, Conradus pro cognomento 2 verè Pacificus. Hæc necessariò attuli, vt intelligas huius regis maximè temporibus, Saracenos seu Cisdruentianam, seu Transdruentianam Prouinciam fere vniuersam latrociniis peragrasse, & cùm ipse in Iuranæ Burgundiæ montibus amaret totus esse, fecisse desidiâ suâ, vt Comites tam Prouinciæ, quàm Forcalquerij, per quos vnos illis obsistebat, in id potentiæ deuenerint, quâ demum Guilelmus (quod ipsum de Rothboldo Guilelmi fratre, Forcalquerienſi Comite dicendum est) post annum nongentesimum septuagesimum primum Prouinciam dominus sub homagio, vt loquuntur, seu clientelari professione tenuit, & Guilelmo mortuo ceteri Comites. Igitur Pontius de Fossis ei dicebat, vt priore libro numero 29. retuli: *Domine Comes, ecce terra tradita est in manu tua donatione regis, ideo rogamus vt mittas terminos inter oppida, & castra.* Et Rothboldus Guilelmi frater anno 1201. concedens monachis Montis Maioris *villam quæ nuncupatur Pertus, quæ sita est in regno Prouinciæ*, &c. addebat, *qui mihi ex præcepto Regis*, ex tabulis (quas tum vocabant præceptum) à rege scriptis, quod ipsum ego quidem intelligebam de reliquis vrbibus Forcalquerienſis Comitatus. Iam cùm Bosonis ante Guilelmum & Rothboldum filios Comitis potentia cresceret, Vrsus Lurio munitissimæ arci timens adierat regem, & ab eo chartam abstulerat, quâ ipsius, & ceterorum Sistaricensis ecclesiæ bonorum possessio firmior Episcopo certiorque fieret. Ea sic habet.

3 *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Conradus Dei gratia rex. Si quis nos iustis postulat petitionibus, dignum & rectum est, vt ei impendere curemus. Quapropter*

propter nouerit omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet & futurorum, qualiter quidem venerandus episcopus nomine Vrsus, nostram regiam adiit excellentiam, ac humiliter deprecans, vt tale ei dedissemus priuilegium, quod per suam diœcesim Sistaricensis ecclesiæ in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, & S. Thyrsi martyris constructæ, sub omni integritate quietè leniterque quiuisset possidere. Cuius petitionibus conquiescentes, & aures nostræ benevolentiæ accommodantes; hoc quod precatum est indulsimus atque concessimus, hoc est castrum de Lurs, & quidquid ad prædictam ecclesiam, siue ad illa sancta loca iustè ac legaliter pertinet, vel pertinere videtur, cum ecclesiis, villis, castellis, mancipiis vtriusque sexus, omnia in omnibus cultis & incultis, vestitis & desertis, quæsitis & quærendis, & omnibus illis quæ ad eamdem ecclesiam dependere solent. Eâ verò ratione vt nullus Comitum, vel Baronum, seu aliarum personarum regni nostri illum prælibatum episcopum, siue successores suos inquietare vel calumniare præsumat. Et si aliquis, hoc nostræ firmitatis priuilegium, aliquâ temerariâ proteruitate violare præsumpserit, sciat se indignationem nostram incursurum, & ab omnibus regni nostri episcopis perpetuò esse anathematizatum, & in nouissimo die omnipotenti Deo rationem redditurum. Sanè vt hæc nostra autoritas stabilis inconcussaque nostris, futurisque temporibus permaneat, & à nemine vnquam frangatur vel violetur, manu propriâ subscripsimus, & de nostro sigillo subtus sigillari mandauimus.

Signum domini Conradi regis.

Ego Rodulfus ad vicem Becoldi episcopi, atque archicancellarij recognoui. Actum octauo idus Aprilis, anno incarnationis Domini DCCCCLXVII. *anno* XXVII. *regnante Conrado rege. Actum Arelatensi ciuitate feliciter. Amen.*

Atque ita quidem Conradus rex. Voces autem illæ, quibus asserit Vr- 4
sum petiisse *priuilegium, per quod suam diœcesim sub omni integritate quietè leniterque quiuisset possidere*, non ineuidenter affirmant episcopum ecclesiæ suæ bonorum integritati, maximéque Lurio, munitissimæ arci, timuisse non à quocumque aduersario (vt Saracenos non cogites, qui totis regionibus agros populabantur) sed ab eo cui rex dominabatur. Quis verò in illa Prouinciæ vastatione poterat iniuriam ei inferre, Luriumque ab episcopi seu dominatione, seu manu & custodia auellere, quàm Comes, qui cùm ab arbitraria pro Conrado rege administratione eiusdem Prouinciæ, ad perpetuam sub eo ipso feudalemque anhelaret, magnas à publica per Saracenicum bellum re causas habebat occupandi, eiectis dominis, non Lurium vnum, sed alia passim castra, oppidaque, & per obnoxium, quem specie ab hostibus timoris, imposuisset militem, sibi habendi, seruandique?

Et hoc quidem sapientissimus antistes in Sistaricensis ecclesiæ vsus fecerit. Burellanus scriba tradit vnum aliud eo ipso Conrado rege in Canagobiense monasterium contulisse. *Dedit illi decimam*, inquit, *de villa Patroys, cum ecclesia S. Petri ibidem constructa, quæ ad ecclesiam suam pertinebat; & donauit ibidem territorium de villa Anse, & Abuses, & terram Casemalis, similiter cum ecclesia S. Michaëlis.* Annus donationis ignoratur: *Conrado piissimo rege facta* dicitur.

Post Vrsum Frondonus mihi quidem sedisse videtur, & post Frondo- 5
num Durandus. Hic sedere desiit anno Christi millesimo trigesimo, vt docebo postea. Cùm ergo Ioannes tertius, sedere desierit sexto & sexagesimo

post nongentesimum, tres episcopi, Vrsus, Frondonus, & Durandus dicantur posuisse in episcopatu annos quatuor & sexaginta. Verùm singulis suum annorum numerum tribuere non possum. Vt enim fatear quod est, antiquiss. mæ chartæ tradunt Vrsum sedisse anno nongentesimo sexagesimo septimo, vt modò vidimus; & Durandum millesimo trigesimo, vt statim videbimus: quo autem anno & hic & ille sedere desierint; & quis sederit singulis, qui tres & sexaginta inter vtrumque sunt anni, nulla mearum chartarum habet. Non alium lego quàm Frondonum, qui inter Vrsum, & Durandum sedisse dici queat: sed neque ad hanc diem occurrit plurimùm quærenti charta, quæ eum asserat tum sedisse. Tota igitur ista res nititur coniecturis, quæ tamen non omnino leues in maximo tabularum & scriptorum silentio censendæ sunt. Igitur Frondonus, siue Frontonus (quem inuenio Frondonem quoque, & Frontonem, appellatum esse ac Frontum; sicuti Bernonem, qui Bernus & Bernardus est; atque Niuonem, qui Niuardus) putetur eos omnes annos sedisse, qui Vrsum inter ac Durandum episcopos fluxere, ignoto illi numero. Magnam celebritatem ex eo habet, quòd Forcalquerienses canonicos inuenerit, autore Bertrando secundo Sistaricensi episcopo, aut vnos vt nonnulli volunt, aut cum Sistaricensibus, vt ego magis reor. Cur illos inuenerit, non addit Bertrandus. Si quid in re prorsus obscura coniicere licet, putabam inuenisse suadente Rothbaldo Forcalquerienſi Comite. Facile cogitatu est, postquam Forcalquerium & munitissima arce potens fuit, & S. Marij corpore venerandum, sedeque augustum principis, reliquâ Prouinciâ Vvilelmo fratri à Bosone patre, sic volente Conrado rege concessâ, voluisse vt quæ sacrarum ipsius ædium princeps erat, nihil deberet vlli Comitatus sui templorum. Non potuit episcopum in illa constituere: quod potuit, fecit vt Frondonus episcopus, cùm Sistarici constituebat canonicos, canonicos etiam Forcalquerij constitueret, atque ex his & illis vnum componeret collegium, ac iuberet vtriusque vrbis singulos Sistaricenses simul & Forcalquerienses esse, dicique. Ita episcopum sibi quadamenus habere videbatur Forcalquerij, cùm in eo ipsius collegij canonicos haberet. Suppar aliquid Frondono fecisse postea Amedeum Rossilionæum tradidi libro 3. de rebus gestis Valentinorum & Diensium episcopotum numero 4. iussit enim vt canonici Valentini essent Dienses quoque, & qui Diæ erant, haberentur etiam Valentini. *Forcalquerienſis & Siſtaricenſis eccleſiæ*, inquit Bernardus, *vna fuerunt eccleſia, & ab epiſcopo Frondono ſedecim canonici in vtrâque eccleſia fuere conſtituti.* Quis, & quas ob causas diuiserit ambas ecclesias, & earum canonicos, dicam postea. Nunc expende tu mihi voces illas, *ſedecim canonici in vtrâque eccleſia fuere* à Frodono *conſtituti.* Ex de solis Forcalquerienſibus canonicis intelligi non possunt, sed etiam Sistaricenses complectuntur, omninoque affirmant nullos Sistarici, Forcalquerij nullos ante Frondonum canonicos extitisse, atque Frondonum & hos, & illos inuenisse. Si vis canonicos ante ipsum fuisse Sistarici, & hoc vnum de illis à Bertrando dici, quòd qui in eo iam erant, sedenario coërcuerit numero, certè non habes cur neges istud vtrumque de Forcalquerienſibus canonicis, atque non potes afferre qui eos constituerit primus. Sed quid fugis fateri Frondonum esse, qui Sistaricenses quoque inuenerit? Leirardus Carpentoractensis antistes anno nongentesimo octogesimo

Frondonus.

6

7

octogeſimo ſecundo canonicos ſuos inſtituit, & Teudericus Aptenſis ſuos nouem pòſt annis. Frondonus vtrique præſuli æqualis, & propinquus, quare negabitur impoſuiſſe ipſe quoque canonicos Siſtarieenſi eccleſiæ, ab eo maximè qui aſſerit in Forcalquerienſi illos conſtituiſſe, qui vnum in collegium cum Siſtaricenſibus coirent? Abs dubio cùm Frondonus epiſcopus, ad aliorum proximè epiſcoporum exemplũ canonicos excitabat Siſtarici in ſua baſilica, Rothboldus comes voluit, vt Forcalquerij etiam in eccleſia, vt ita loquar, ſua, ſiue in templo vrbis toto Comitatu, qui non Siſtaricenſes, ſed alios etiam epiſcopo ſuo inſignes populos comprehendebat, principis, canonicos eſſe iuberet: atque, vt nihil contentionis inter hos & illos de dignitate eſſet, cùm Forcalquerienſes ſede principis, epiſcopi ſede Siſtaricenſes gloriarentur, ſuaſit Frondono, vt vnum ex vtriſque collegium componeret, Forcalquerienſeſque etiam eſſe iuberet, qui Siſtaricenſi famularentur eccleſiæ, & Siſtaricenſes quoque, qui Forcalquerienſem haberent eccleſiam. Arbitrabat ergo vtrumque hoc factum eſſe ab epiſcopo ſub annum 8
milleſimum. Certè Rothbaldus legitur peruenisſe ad quintum à milleſimo; atque, vt de donatione vniuerſi Comitatus Forcalquerij ab rege, nihil ad hanc diem in veteribus chartis inuenerim, cùm donabat anno milleſimo ſecundo Pertuſium Monmaiorenſibus monachis, aſſeruiſſe illud ad ſe *ex præcepto regis* pertinere, vt monui numero 2. Quas verò ſuis ſeu Siſtarici, ſeu Forcalquerij canonicis leges Frondonus dederit, non inuenio. Videtur ipſe à Siſtaricenſi ſede ad Aquenſem promotus, & ille eſſe Frondonus archiepiſcopus, qui anno milleſimo trigeſimo Siſtaricum Durando epiſcopo venit. Aribertus S. Promaſio cogitabat ſacrã ædem vngere. Putabam qui ante Durandum Siſtaricenſis antiſtes fuiſſet, eô pro antiqua conſuetudine vocatum veniſſe. An Ariberto fuerat operis etiam olim ipſe autor, cùm ſedebat Siſtarici? Vtcumque hæc habeãt, in Sanuictorino ad Maſſiliam tabulario grande volumen membraneum eſt, cuius paginâ centeſimâ quinquageſimâ habetur charta *domno Frondone epiſcopo Siſtaricenſi* obſignata ſine anno quidem & die, ſed quæ eam ſequentes tabulæ ſuum præferunt tempus, obſignatæ feruntur anno poſt milleſimum trigeſimo, vt exiſtimare poſſis illam ante trigeſimum (quo Durandus Siſtarici ſedebat) vno aliquo anno ſcriptam eſſe chartam à Frodone, ſeu Frodono, aut Frondono.

Quid hoc quoque non adiungam? An hic Frondonius eſt ille Epiſco- 9
pus, qui anno 999. interfuit donationi Mironi & Odilæ apud Ioffredum in Nicæa pag. 158. Certè Raimbaldus Odilæ filius emit epiſcopatũ Siſtaricenſẽ Petro filio, vt poſtea videbimus; igitur eſt quòd putemus & Siſtarico, & Siſtaricenſi Epiſcopo tum Frondono fuiſſe aliquid, cur Frondonus intereſſet aliquando ſeu Mironis, ſeu Odilæ rebus. Vtcumque hoc habeat illo ipſo anno trigeſimo poſt milleſimum Durandus ſedebat Epiſcopus, ſed eo ipſo aut extremam obiit diem, aut epiſcopatu ceſſit. Nam lego Petrum & eo, & trigeſimo ſecundo ſediſſe, igitur omnino poſt Durandum. Sed lego etiam Geraldum ſediſſe anno trigeſimo primo, & ambos annis quoque conſequentibus habitos pro Siſtaricenſibus epiſcopis. An ergo Geraldus, & Petrus de Epiſcopatu contendebant, & eorum quiſque dicebatur (vt fit) Epiſcopus, ſeque ipſi ambo ferebant pro epiſcopis? Ecce chartas, ex quibus annos vtriuſque antiſtitis memoratos accepi. Petrus anno milleſimo trigeſi- 10
mo

mo dat Orbazacam, in Nicensi Comitatu sitam, Sanuictorinis monachis, eâ chartâ, quæ in illo grandi membraneo ipsorum volumine, quod numero 8. memorabam, exscripta est. Scilicet vir clarus gente, & opibus potens, vtpote filius Odilæ, quam Guilelmus 1. Prouinciæ Comes ex Adalaixe seu Adelaide genuerat, latè dominabatur in proximo quoque Vencienſi Comitatu, vt ex modò dicendis intelligetur. Anno trigesimo primo, Geraldus interest donationi rerum nescio quarum Sanuictorinis monachis à Guilelmo Bertranno Prouinciæ Comite. Anno trigesimo secundo Petrus cum Leotgerio patre, & Odila matre, atque Raimbaldo & Rostagno fratribus, dat monasterio S. Verani *quæ sunt in Comitatu Vencienſi, in territorio de castro quod cognominatur Cagna, in vineis, campis, hortis, vcclatis, terris cultis & incultis, pratis, siluis, & garriciis, arboribus pomiferis & impomiferis, montibus, vallibus, aquis, aquarumque decursibus, cum omnibus finibus earum.* Chartam donationis habes in Chronologia Lerinensi pagina 364. Fateor equidem Petrum in ea vocari episcopum, neque addi quòd Sistaricensis fuerit: sed pagina 366. in charta quâ Raimbaldus & Rostagnus Petri fratres, ignoto pòst anno dant eidem monasterio ipsum locum eius *cum ecclesiis in eo constructis*, dicitur *dominus Petrus Sistaricensis episcopus.* hoc affero vt videas falli Boucheum in historia Prouinciæ, cùm ait hunc Petrum fuisse Vencienſem episcopum. Et verò Durantus electus est in episcopum Vencienſem an. 1005. 7. idus Decembris ex Lerinensi chronologia pag. 363. & anno 1050. adhuc sedebat Venciæ ex pagina 366. Anno trigesimoquinto Geraldus celeberrimam scripsit chartam in hæc verba. *Ego Geraldus gratia Dei Sistaricensis Episcopus consilio & voluntate domini Guilelmi Bertranni Comitis Prouinciæ, & Comitissæ suæ vxoris, domini etiam Berengarij filij Berengarij Vicecomitis Sistaricensis, suæque mulieris Asselanæ, dono ecclesiam principis apostolorum Petri, quæ dicitur Fontelanee, omnipotenti Domino, ac S. Victori martyri. Facta*
11 *hæc donatio anno millesimo trigesimoquinto.* Anno quadragesimo *Petrus Sistaricensis episcopus*, interest vnctioni Sanuictorinæ ad Massiliam basilicæ à Benedicto Pontifice Romano, vt docet Benedictus ipse in literis de ea scriptis. Anno demum quadragesimo quarto, *Geraldus Sigistericensis episcopus* interest donationi ædis sacræ in Forcalquerienſi agro, Sanuictorinis monachis, à Bertranno Prouinciæ Comite. Res in omnem partem illustris ignota fere omnibus est, ipsis etiam Forcalquerienſibus: placet ergo eam fusiùs edisserere. Promasius Abbas, ignotus mihi vir, magnum sanctitatis nomen quondam habuit, in modico Forcalquerienſis agri pago. Igitur anno millesimo trigesimo, vt referebam numero 8. cùm Aribertus, Lentildis Ariberti vxor, & Gerardus, Gauterius, Petrus, ac Pontius filij, monitis & suasione (vt arbitrabar) Frontonis & Durandi, Sistaricensium deinceps episcoporum, excitassent ei templum, dederunt *in sponsalitium* (vt ferunt tabulæ) *Semodiatam de vinea, & aliam terram*, & indixerunt ipsius vnctionem ad diem decimumquintum calendas Octobris. Sponsalitium vocabant, quæ
12 vulgò dicitur dos. Non multos annos sua integritas templo constitit, an ob tenuitatem dotis ab Ariberto constitutæ? instauratum est (clade scilicet acceptâ) & ampliſſima dote instructum à Bertranno Prouinciæ Comite. *Anno millesimo quadragesimo quarto Bertrannus Marchio siue Comes* (sunt verba tabularum à principe scriptarum) *tactus à diuino amore, & cupiens restaurare*

Digitized by Google

rare locum in Comitatu Sigisterico situm, territorio castelli quod nominatur Forcalquerium, in honore S.Promasij consecratum,&c. dat ei locum,atque ecclesiam *cum burgo* (inquit) *& terris quæ sunt meæ possessionis*. Bertrannus se dicit Guilelmi filium, Guilelmus verò, & Gaufridus eius filij se dicunt *Comites seu Marchiones* Prouinciæ.Intersunt donationi Ismido Ebredunensis Archiepiscopus, Petrus Archiepiscopus Aquensis, Stephanus Episcopus Aptensis, Franco episcopus Carpentoractensis, Petrus episcopus Vasensis, Vdolricus Tricastrensis episcopus, Geraldus episcopus Sigestericensis. Hæc Promasio sacra ædes etiamnum stat. Burgum iam desiit esse diu,per bellorum scilicet (vt fit) iniuriam. Eius vestigia putabam, quæ circum Promasij basilicam supererant non ita pridem rudera.Bertrannus sese appellat *Comitem seu Marchionem* Prouinciæ, quia præter Comitatum Prouinciæ, Alpibus, mari, Druentia, Rhodano comprehensæ, vt aduerti libro 2. Manuascæ numero 21. multa trans Druentiam, quæ à Forcalquerij Comitatu ad Isaram vsque pertinent,nomine marchionatus vocitata possidebat.Igitur de illo marchionatu ad Sanpromasianæ ædis instaurationem venerunt etiam episcopi Carpentoractensis, Vasensis, & Tricastrensis. Sed hactenus occa- 13
sione à Geraldi annis acceptâ dixerim de Promasiano ad Forcalquerium templo. Vides Geraldum, ex charta de restitutione illius à Bertranno Comite scripta, sedisse Sistarici anno millesimo quadragesimo quarto. Quoniam sedebat annis etiam primo, & quinto post trigesimum, atque Petrus trigesimo secundo post trigesimum,& quadragesimo, neque est cur tot Petros, & Geraldos inducamus,quot retulimus annos, profectò Petrus vnus, & vnus etiam Geraldus,videntur se pro Sistaricensi episcopo,gessisse ab anno trigesimo post millesimum, vsque ad annum saltem quadragesimum, quo Petrum Massiliæ fuisse vidimus. Quæ causæ id fecerint non lego. Certè de episcopatu fuit contentio. Sed aduerto,Geraldum in ipsa Sistaricensi diœcesi ab omnibus constitui chartis quas attuli, & extra illam Petrum, maximo argumento illum causâ superiorem fuisse,certè ad vulgus; an per simoniam,vt intelligi potest ex Bertrandi verbis episcopi,quæ afferam numero sequente? Neque miraberis Petrum, Geraldo rem episcopalem per Sistaricensem diœcesim agente,obstinasse in episcopi nomine,etiam Massiliæ coram Benedicto Romano Pontifice: Vrbanus de Miolaris per annos omnino viginti accepit sibi nomen Valentini episcopi, etiam in Lateranensi Concilio, vt aduertebam libro 4. de Valentinis episcopis num. 23. 24. & 25.cùm Gaspar Turnonius sederet Valentiæ,& episcopatum quietè sapienterque regeret. Animos abs dubio faciebat gens è qua ducebat originem. Odilla mater, amita erat Guilelmi Bertrandi per illos annos Comitis Prouinciæ,per quos ipse gerebat episcopatum;Eo ipso anno quarto & qua- 14
dragesimo supra millesimum Geraldus sedere desiisse videtur. Bertrandus eo nomine secundus antistes facit vt ita sentiam. Docet episcopatum vacasse annos à Geraldi episcopatu septendecim, ac demum iis elapsis Geraldum Caprerium, ex Nicolai Pontificis Romani mandato,illum iniisse.Scilicet sexagesimus primus,quem Nicolaus vltimum in pontificatu habuit, est decimus septimus à quadragesimo quarto. Quas autem ob causas Sistaricum sine antistite fuerit adeò longum tempus, tradit ille ipse Bertrandus. Episcopatum vendiderat Raimbaldo aut Geraldo episcopus, aut Geraldo

mortuo canonicorum collegium; id enim obscurum est. Ergone episcopatum vendiderat? omnino. Miraris? vxorem etiam publicè Geraldus duxerat, domique habebat, & ante Geraldum alius fortasse quis. Quid verò episcopatum non vendiderit quem forsitan emerat? *Episcopi Simoniaci erant viua voce*, inquit Bertrandus de Sistaricensibus episcopis, *vxorati publicè.*

15 Neque hæc scelera vni suscipiebant. Audi Victorem secundum Pontificem Romanum. Is euehens Viminianum in Ebredunensem episcopum anno octauo supra millesimum quinquagesimum sic loquitur. *Animaduertentes Ebredunensem ecclesiam primò quidem incursione & peruasione Saracenorum, secundò receptione & possessione transfugarum, & indisciplinatorum, deinde longâ oppressione pastorum suorum, immo mercenariorum, &, quod peius est, Simoniacâ hæresi & occisione debacchantium prostratam*, &c. Quid ceteros per Prouinciam & alias regiones episcopos afferam? etiam in Normannia Sacerdotes ac summi Pontifices liberè coniugati, vt laici, erant autore Gilberto Crispino in vita S. Heruilni: verùm pudet fœdissimorum scelerum autores sigillatim, & veluti per capita censere. Etiam in Italia *vix aliquanti inueniebantur*, vt loquitur Victor 3. libro 3. dialogorum, *qui non Simoniacæ pestis contagione fœdati, mundi coram Deo præcepta Dominica obseruantes, existerent*, &c. *Nonnulli etiam Episcoporum, verecundiâ omni contemptâ, cum vxoribus domo simul in*

16 *vna habitabant*. Si petas quis fuerit qui Sistaricensem episcopatum emit Raimbaldus, sic habeto. Raimbaldus; seu Raimbaudus, aut Ragobaldus, (omnibus istis nominibus appellatum inuenio) à Burellano scriba dicitur *miles valde diues, & potens*, frater Mironis Vicecomitis, sub. Sistaricensis; nam cuius alterius vrbis quàm Sistarici, vicecomitem sine omni additamento vocauerit, agens de Sistarici turbis? Frater autem Mironis ex matre tãtùm fuit, patre scilicet Mirone nati, cùm Raimbaldus Leorgerium seu Leodegarium patrem habuerit. Odila quippe vtriusque mater primùm Mironi nupsit, & post Mironis matrem Leodegario. Ante Mironem inuenio Berengarium Sistaricensem Vicecomitem natum Berengario patre: sed quis, & quibus parentibus genitus fuerit hic Berengarius, non inuenio; neque etiam lego quo factum sit iure vt post Berengarium eius filium Miro Raimbaldi frater, fuerit Sistarici Vicecomes. Vtcumque hoc factum fuerit, Raimbaldus seu Ragobaldus, alterum etiam fratrem habuit, nomine Rostagnum, ex Sanpontiani ad Niciam monasterij tabulis, vt statim referam. Viuebat anno etiam millesimo sexagesimo secundo, vt intelligitur ex chronologia Lerinensi pagina 367. vbi cùm probasset anno 1150. donationem monasterij S. Verani à Pontio Abbate Lerinensi monasterio. Legitur illud etiam ipse anno 1162. nescio quas ob causas donasse. Cetera Rogobaldi me latent. Emit ille anno 1144. *Episcopatum Sistaricensem filio suo paruulo, qui postea fa-*

17 *ctus fuit episcopus Vasionensis*, inquit Bertrandus episcopus. Is patre melior, anno millesimo quinquagesimo nono largitus est abbatiam SS. Victoris & Petri Sanuictorinis ad Massiliam monachis, *sitam in loco qui nominari solet Grasello*, vt ferunt Sanuictorinæ chartæ: & anno 1073. *castrum quod nominant Drappo* Raimundo Nicensi episcopo, vt refert Iofredus ex donationis tabulis in Nicæa parte 2. numero 20. subscripserunt Leodegarius, Rostagnus, Bertrannus fratres. Atque anno 1078. plures ecclesias cum suis villis monasterio S. Pontij ad Nicæam, vt idem Iofredus recitat ibidem numero

Digitized by Google

mer 22. cum Leodegario ac Rostagno fratribus, & Raimbaldo ac Leodegario & Rostagno filiis Rostagni patrui. Petrum tertiũ ego vocaui, cùm disputabam de Vasionensibus episcopis libro 2. numero 5. & 6. Miro etiam Ragobaldi frater anno millesimo quinquagesimo nono, iisdem Sanuictorinis tradidit villam nomine Contenes *in Prouincia Cimelienſi*, seu Nicienſi, vtroque enim nomine episcopus eius post annos etiam centum appellatus est à Romano Pontifice.

Quanto autem Sistaricensis ecclesiæ damno Raimbaldus Episcopatum 18
emerit Petro paruulo filio, accipe à Bertrando Episcopo. *Geraldus Caprerius in charta sua*, inquit, *satis simplicitus verbis narrat, quomodo ante ipsum ita fuit destructus, culpa laicorum, & Episcoporum Sistaricensium, Episcopatus, quòd nec etiam vna gallina remansit. Et fecit hoc maximè quidam nobilis homo, Ragobaldus nomine: fecerunt hoc impij Marchiones antè, quorum nomina dicit deleta esse de libro vitæ.* Burellanus scriba rem ex aliis veteribus chartis explicatiùs tradit. *Miles Raimbaudus cum militibus suis, & cum Comitissa Adalaixi Forcalquerienſi, inuasit omnem honorem Episcopalem. Raimbaudus vendidit, milites emerunt, & sic destruxerunt episcopatum, ita vt vix Episcopus in eo posset requiescere vel vna nocte.* Adalaix, quam memorat, est Adelais comitissa Dienſis, vxor Guilelmi Forcalquerienſis Comitis, & mater Bertrandi post patrem Comitis quoque Forcalquerij. Qui fuerint illi *impij Marchiones*, non ita fa- 19
cile dictu est. Putabit fortasse aliquis fuisse Bertrandum, Gaufridum, & Guilelmum Adelaidis filios, qui vt Comites, sic etiam Marchiones vulgò vocitabantur. Ego magis arbitrabar fuisse Sistarici dominos, lego quippe eos *multa mala, & facinora contra ecclesiam Sistaricensem* fecisse: de Adelaidis verò filiis nihil tale inuenio. Quia Sistaricenses domini aliquando suis de sceleribus doluerunt, & Geraldo Caprerio postea Episcopo fecerunt satis, rem fusiùs exponam, cùm de hoc antistite, & Episcopatus instauratione dicendi locus erit. Nunc addo fratres fuisse tres, Petrum, Rostagnum, & Pontium. Neque opponas Sistarici dominos, vt Vicecomites fuerint, non tamen di- 20
ctos esse Marchiones: hos autem, non illos Episcopatum perdidisse. Enimvero si vocem spectas, Marchio est marchæ (seu Germana, seu Franca, Gallicaue, vox limitem significat) præfectus. Limitaneum seu ducem, seu Comitem dicebant Romani. Quia verò tum inuenta est vox, cùm Comes duce minor regebat imperij limitem, Marchio appellatus est, quem limimitis Comitem Romani dicebant. 4. *Carolus* enim *Magnus*, vt loquitur Sigonius libro 2. de regno Italiæ, *regni limites, atque oppida Comitibus administranda commisit. Limites marchas vocabant: marcharum Comites, ac Marchiones dicti.* Cum Sigonio sentit Pancirolus ad caput 139. Notitiæ Orientis imperij. *Germani principes*, inquit, *oppidorum quæ in feudum concedebant, Comites dixerunt; in limitibus verò constitutos, Marchiones. Hæc vox eorum lingua limitum præfectos significat, March enim ipsi limitem vocant.* Vt verò aliarum quarumdam vocum, ita 21
etiam huius significationem tempus mutauit, & Marchio neque limimiti præfectus, & alius à Comite demum habitus est; atque illo nunc superior, nunc inferior. Nam vt cetera taceam, & non discedam à Prouincia nostra, nemo est Forcalquerienſium Comitum, qui Prouinciæ

Comite inferior, vtpote eius principio frater ætate minor, tum consanguineus gradu inferior, ac demum aliquando cliens, se Prouinciæ marchionem non dixerit: Hugo autem Arausicanorum primogenitus dominorum, vt se Rogone fratre Comite superiorem significaret, marchionem appellabat, quemadmodum legere est in tabulis, quibus Landonis episcopi continetur electio. Existimabam ergo Sistarici dominos, qui se non Comites, quamuis Sistaricum fuisset olim Comitatus caput, sed Vicecomites, quia sub Forcalquerij Comite supremo principe dominabantur vrbi, dicebant, accepisse aliquando Marchionis nomen; & Petrum Rostagnum, ac Pontium fratres, illos esse, quos Bertrandus secundus vocauit impios marchiones. Sed ista hactenus: accedamus ad ea quæ cladem episcopatus consecuta sunt, & videamus quis eum restituerit.

22 *Geraldus. 2. Caprerius.* Geraldus Caprerius Olcij Delphinatum (quos nunc dicimus) ortus, canonicorum Ordinem inuenerat, & omni virtutum genere in maximæ sanctitatis nomen illis temporibus inclarescebat: igitur ad id operis peragendum electus est. Suorum Præpositus sociorum venerat Auenionem ad Concilium, cum episcopis, & abbatibus, & Patres eius sanctitate morum adducti sunt ad episcopatum renitenti committendum, qui præsulum simoniâ, matrimonioque pollutus, antistitem postulabat omni virtute præstantem. *Electus est Gerardus Caprerius*, inquit Bertrandus episcopus, *apud vrbem Auenionensem in Concilio magno, quod ibi celebrauit cum omnibus episcopis totius Prouinciæ Hugo Cluniacensis abbas, fungens legatione domini Nicolai secundi, ad quem à prædicto Legato missus iam dictus Geraldus, in episcopum fuit consecratus.* Cur ad Nicolaum Pontificem Romanum ab Hugone Legato Geraldus missus fuerit, chartæ omnes meæ tacent: sed ita fere tum fiebat. Viminianus paucis antè annis ad Victorem iuerat vngendus in Ebredunensem Archiepiscopum: Hugo quoque Lugdunensis camerarius ad Gregorium septimum, vngendus & ipse in Diensem antistitem. Sed audi Hugonem Clauiniacensem in Chronico Virdunensi. *Hugo Diensis episcopus celebrauit & septimum apud Auentonem Concilium, in quo depositus est Achardus Arelatensis inuasor, & electi sunt Gibilinus in Arelatensem Archiepiscopum, Lantelmus in Ebredunensem æquè Archiepiscopum, Hugo in Gratianopolitanum Episcopum, Desiderius in Caullicensem, quos post expressionem Concilij secum duxit Romam; & consecrati sunt à Pontifice.* Nicolaus de Geraldo quem in episco-

23 pum vnxerat, multis ad Sistaricenses scripsit. Et alia, & quæ sequuntur habent eius literæ. *De reditu verò ecclesiæ, vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones: quarũ vnam sibi retineat, alteram clericis officiorum pro sua sedulitate distribuat, tertiam verò pauperibus & peregrinis, quartam verò ecclesiarum fabricis nouerit obseruandam.* Hæc attuli, vt videas clericis, non omnibus, sed iis tantùm qui *officiorum* dicebantur, iubere Nicolaum vt Geraldus, pro ceterorum scilicet toto Christiano orbe episcoporum more, prouideat. Officiorum verò clerici dicebantur, & canonici & ceteri qui ministrabant ecclesiæ. Nicolai literas proculdubio abiecerunt Sistaricenses, pergit quippe Bertrandus: Geraldum *Roma redeuntem, vt ipsemet narrat, Sistaricenses non permiserunt transire per ciuitatem suam.* Cur non permiserunt? Si quid coniectura licet assequi, Petrus, Rostagnus, & Pontius fratres, domini Sistaricenses, Episcopum vrbe accipere noluerunt, cuius & alia, & decimas per im-

portunum

portunum facinus ſibi acceperant, habebantque. Sed canonicorum etiam ſcelere excluſum vrbe fuiſſe, ego quidem non dubitabam. Certè non Raimbaldo epiſcopatum & occupanti, & per plures annos vaſtanti interceſſerant; non tergeminis fratribus Siſtarici dominis, & alias epiſcopi res, & decimas inuadentibus; non denique Simoniacorum & vxoratorum præſulum importunis ac furentibus auſis.

Caprerius Siſtarico excluſus, Forcalquerium iuit, & à ciuibus *cum magno gaudio receptus eſt*, quemadmodum Bertrandus epiſcopus ſubiungit. Forcalquerienſium pietas duritiem Siſtaricenſium infregit. Igitur neque multo pòſt tempore Caprerium admiſerunt vrbe. Sed is *non inuénit proprium hoſpitium, vbi poſſet caput ſuum declinare*, ſicuti habent epiſcopales in libro quem vocant viridem chartæ. *Conturbatus verò & contriſtatus valde, inuénit ibi tres fratres qui dominabantur & poſſidebant ciuitatem, quorum nomina ſunt hæc, Petrus de Siſtarico, Roſtagnus de Siſtarico, Pontius de Siſtarico, quibus cùm oſtendiſſet neceſſitatem & inopiam ſuam, ac deſtructionem eccleſiæ S. Mariæ, & aliarum eccleſiarum, quarum reditus ipſi poſſidebant, & contra ius diuinum detinebant, recognouerunt hi tres dicti fratres eſſe culpabiles, ſe reddentes coram Deo, & ipſi veniam poſtulando de peccatis ſuis, & parentum ſuorum, fecerunt placitum cum epiſcopo Gerardo in hunc modum. Noſcant præſentes, & poſteri legentes vel audientes hoc ſcriptum, quòd nos Petrus, Roſtagnus, Pontius, fratres, & domini Siſtarici, recognoſcentes mala & facinora, quæ fecimus contra Deum & Eccleſiam matrem noſtram ſedis Siſtaricenſis, quæ in honore B. Mariæ virginis conſtructa eſt, atque S. Thyrſi martyris, & contra epiſcopum, & canonicos ipſius eccleſiæ, in recompenſatione malorum quæ fecimus, recipimus terram noſtram & honorem quem habemus, vel habere debemus per manum Geraldi epiſcopi, & Eccleſiæ: & iuramus illi vitam, & membra ſua, & caſtellum quod habemus in Sextirone. Idem autem Epiſcopus reddidit eis vicem de ſacramento, quòd non tollet eis caſtellum, neque homo, neque femina per ſuum conſilium, vel per ſuum conſentimentum. Sic Deus illi adiuuet, & ſancti ſui. Ipſi verò reddiderunt & donauerunt decimas, quas poſſidebant ipſi, & alij pro illis, iurauerunt que eccleſiæ, & canonicis eiuſdem eccleſiæ, qui communia tenere voluerint, quòd ipſi defendent iura Epiſcopi & eccleſiæ, & terram illorum. Sic Deus illis adiuuet, & ſancta eius euangelia. Hoc idem iurauit epiſcopus tenere, & attendere ipſis, & filiis ſuis. Et ſi epiſcopus, Comes, aut Vicecomes, vel aliqua perſona, iſta omnia ſupradicta frangere voluerit, fiat ira Dei ſupra eum & ſit, vſque dum reſipiſcat, & ad emendationem veniat. Amen.* Huc vſque epiſcopales chartæ. Ex illis videor mihi colligere, quod in ſuperioribus monui num. 19. 20. & 21. tergeminos fratres, dominos Siſtarici non autem filios Adelaidis Comitiſſæ Forcalquerij, illos eſſe impios Marchiones, qui res epiſcopi autore ipſo Caprerio perdiderunt. Fatentur ſe decimas ſibi accepiſſe, fatentur *mala & facinora* feciſſe *contra eccleſiam & Epiſcopum*. Quid tale de filiis Adelaidis legimus? Numquid etiam longè grauiora Forcalquerij, quæ principis ſedes erat, ſuſcepiſſent, vbi tamen nihil aduerſus Epiſcopum & eccleſiam auſi ſunt? *Cum magno* potiùs *gaudio* ſuſceptum Forcalquerij vidimus Epiſcopum, cùm non admitteretur Siſtarici. Vtvt hoc habeat, Roſtagnus (placet id de Siſtaricenſium dominorum poſteris adiungere) Petri & Pontij frater videtur ille eſſe *Roſtagnus de Seſtarone*, qui teſtis ſubſcripſit Bertranni Prouinciæ Comitis donationi neſcio

24 25 26

cui Sanuictorinis monachis, pro damnis quæ eorum monasterio intulerat: & Guilelmus de Sistarico Venciensis, post tergeminos fratres istos annis centum, episcopus, & abiecto Episcopatu monachus S. Victoris,
27 ex ipsorum genere ortus. Sed quid in rebus omnino ambiguis hæream? certè istos fratres arbitrabar filios non fuisse Raimbaldi, malorum fere omnium & Episcopatus damnorum autoris, in cuius scilicet filiis, vt plures memorentur, nullum lego Pontium: sed fuisse Vicecomites, aut etiam Comites Sistarici non negabit, qui ad illas ipsorum voces attenderit, *si Episcopus, Comes, aut Vicecomes supradicta frangere voluerit.* Dominum non memorant, qui Episcopum non tacent. Cur eum non etiam proloquuntur, si dominus Sistarici, non erat Comes eius aut Vicecomes? Vide autem quid afferant: *recepimus terram nostram per manum Geraldi Episcopi.* Clientum voces sunt istæ: sequitur ergo, *iuramus illi vitam, & membra sua.* Relegantur veteres homagiorum formulæ, relegantur ipsa homagia, quæ prisci scriptores referunt patrono à clientibus præstita: certè hæc omnino eadem verba in ipsis sunt. *Te nec capiam, nec capi faciam: nec membra tibi auferam, nec auferre faciam:* aiebat Isoardus Petro Diensi Episcopo anno septimo & sexagesimo supra millesimum centesimum,
28 vt docui libro 2. de Diensibus Episcopis num. 39. Igitur illata episcopatui damna rependunt homagio terræ suæ, & in Sextirone castelli. Sextiro Sistaricum est: Sestaronem quoque & Sestaricum dixisse vidimus numero 26. Nomine autem *terræ suæ* tergemini fratres isti intelligunt & eumdem Sextironem, & reliqua omnia bona sua, sicuti per *terram episcopi, & Ecclesiæ*, Lurium atque cetera Episcopi ac ecclesiæ Sistaricensis bona. Scilicet illis temporibus sæpenumero dabantur ecclesiæ & Episcopo castra, pagique à nobilibus viris, quæ ipsis ab ecclesia & episcopo restituerentur seruato homagio, vt & libro 2. citato, & aliis locis non semel annotaui. Sed quò euaserint hæc in Sextironem seu Sistaricum, & eius castellum seu arcem iura episcopi, non possum dicere. Profectò non aliud ab isto occurrit ad hanc diem homagium à Sistarici dominis episcopo præstitum.

29 Sistarici compositis rebus, non pauca beneficia Caprerius in Forcalquerienses canonicos de se optimè meritos contulit. Bertrandus episcopus ea sequentibus verbis proponit. *Seruitij, & beneficij Forcalquerienſis Ecclesiæ non immemor,, tertiam partem Synodi, & tertiam partem suæ quartæ partis mortalagij, in omnibus Ecclesiis per inferiorem partem à Malafogassa constitutis S. Mario donauit. Idem episcopus donauit quasdam Ecclesias suas proprias monachis S. Andreæ, pro ecclesia S. Mariæ, & S. Sepulcri, quæ sunt in castro Forcalquerij, & donauit eas Ecclesiæ S. Marij. Inter alias autem Ecclesias quas monachis donauit, donauit Ecclesiam de Manna: sed retinuit in ea Ecclesia S. Marij quartas matrimonij: & canonici S. Marij recesserunt à lite, quam faciebant monachis S. Andreæ de Ecclesia S. Mariæ de Salagone. Idem Episcopus donauit Forcalquerienſi ecclesiæ ecclesiam S. Martini de Manuasca, cum omnibus ecclesiis quæ in eâdem valde erant, vel fieri poterant, quæ ecclesiæ S. Martini liberæ sunt ab omni exactione episcopali, sicut ipsa ecclesia S. Marij, excepta solâ quartâ parte mortalagij, quam habet episcopus in ecclesia S. Ioannis, cùm hoc non habeat in ma-*
30 *iori ecclesia.* Sed ante ista omnia Bertrandus docet vnum aliquid fecisse, quod

quod prætermittere nec possim, nec debeam. *Bonæ memoriæ Geraldus* (inquit) *qui cognominatus est Caprerius*, Forcalquerienſem eccleſiam à Siſtaricenſi *diuiſit, diuidens etiam nomina dignitatum inter eas.* Poſt aliqua pergit: *Hic, vt dictum eſt, canonicos Siſtaricenſes & Forcalquerienſes ſeparauit nominatim, & expreſſim dignitates inter eos diuidens, & Præpoſitos in vtraque eccleſia conſtituens.* Ex iſtis verbis non ineuidenter intelligitur iuſſiſſe Caprerius, vt Forcalquerienſis eccleſia eſſet cathedralis, ſeu concathedralis, cum Siſtaricenſi, quod Bertrandus poſtea his verbis clariùs exponit. *Vtraque eccleſia eſt cathedralis, & pro ſede epiſcopali habita ab anteceſſoribus meis.* Iam diuidere 31
Forcalquerienſem eccleſiam à Siſtaricenſi, non aliud eſt, quàm quæ duæ eccleſiæ in vnam agente Frondono antiſtite coierant, eas alteram ab altera ſecernere, & facere, vt qui ſeu canonici ſeu clerici Siſtaricenſes ac Forcalquerienſes in vnum collegium conuenerunt, diuidantur in duo, ſingulique ſuis legibus ac iuribus, non aliter quàm locis, ab inuicem ſeiungantur. Qui ergo Caprerius eas diuiſit eccleſias, aſſeritur diuiſiſſe etiam nomina dignitatum inter ipſas, non quòd dignitatum, quæ in vno ex duobus canonicorum collegio vigebant, alteram partem Siſtarici, Forcalquerij alteram eſſe iuſſerit, ſed quòd ſuas Siſtaricenſibus canonicis, ſuas Forcalquerienſibus dignitates addiderit. Igitur Bertrandus cùm dixiſſet Caprerium *dignitates inter eos diuiſiſſe*, hoc expoſuit ſubiungens, *& Præpoſitos* (adde, atque alias dignitates) *in vtráque eccleſia* conſtituiſſe. Verùm hæc facilia ſunt: illud quibuſ- 32
dam videtur difficile, quod additur, vtramque eccleſiam eſſe cathedralem, &, vt cum vulgo loquar, cùm Siſtaricenſis ſit cathedralis, concathedralem eſſe quæ Forcalquerij eſt. Aiunt inſolens ac inauditum videri, neque facile cogitatu, quòd concathedralis hæc dicitur: neque verò archidiaconum Forcalquerij eſſe, quo cathedralis eccleſia carere non poteſt. Hìc nolo ego fuſiùs de re tota diſputare; neque locus id poſtulat. Hoc vnum aſſero neque vniuerſis cathedralibus ſuum quondam fuiſſe archidiaconum, & Forcalquerij ſuum, qui neſcio quo caſu exciderit fuiſſe. Certè chartam Bertrandi ſecundi, ſæpenumero in ſuperioribus à me commemoratam, obſignarunt e Forcalquerienſibus *Groſſus Præpoſitus, Albertus Sacriſta, Guilelmus Archidiaconus, Hugo Præcentor*; Henricus autem Cardinalis Oſtienſis, canonici iuris ille ſcientiâ toto Chriſtiano orbe notiſſimus, cùm e Siſtaricenſi Epiſcopo in Ebredunenſem Archiepiſcopum euaſiſſet, erexit anno ſexto (ſeptimum nunc dicimus) & quinquageſimo poſt milleſimum ducenteſimum die ſexta & vigeſima Februarij, Ebredunenſem archidiaconatum, quo ad illam Ebredunenſis, non cathedralis, ſed metropolitana caruerat eccleſia, & Hugo Beroardi ab 1218. ad 1232. Archiepiſcopus Arelatenſis, ſuppreſſo decanatu ædis metropolitanæ, anno mihi ignoto inſtituit archidiaconatum in ea, quo antetioribus ſæculis caruerat, atque Ioannes 22. anno 1316. in Auenionenſi S. Mariæ eccleſia cathedrali, quæ nullum ad illam diem ar- 33
chidiaconatum habuerat, erexit duos. Addo eſſe quòd miremur veniſſe eruditis viris in mentem, non fuiſſe hactenus concathedrales extra Forcalquerium eccleſias. Adurenſis epiſcopus concathedralem iam olim habuit, & nunc etiam habet in Manerio S. Quiteriæ. Matthæus Paris autem ita ſcripſit anno milleſimo centeſimo trigeſimo tertio: *Ceſtrenſis epiſcopus habet tres ſedes, Ceſtrenſem, Lichilfeldenſem, Conuentrenſem.* Ecce iam olim duas

in

in Anglia concathedrales ecclesias, non vnam. Hoc etiam placet addere: Raynerus in disceptatione de antiquitate Benedictinorũ in Anglia tract.1. sect.1.§.17.recitat sequentia ex Goduuino ad annum 1224.Alexandro Sauensby Episcopo Conuentrensi *lis in curia Romana diu agitata, inter monachos Conuentrienses, & Canonicos Lichefeldenses de iure eligendi Episcopum sic terminata est, vt alternis vicibus eligerent, sed ita vt vtrobique tam apud Lichefeldenses, quàm apud suos, Prior Couentrensis suffragium ferret, idque omnium primum.* Sed ista satis. Ad Geraldum Caprerium reuertamur.

Quot annos sederit nullis lego in tabulis. Sedebat millesimo sexage-
34 mo quinto, ex literis, quibus Cunibertus Taurinensis Episcopus & alia, & à Sabaudiæ Comite concessa confirmat Nantelino ipsius in Olciensis monasterij fundatione socio,& in monasterij Præpositura successori, quod monasterium (vt hoc addam) anno 1083. Adalgida Comes Susæ & filia Magnifredi ac Bertæ,& Agnes vxor Petri filij Adalgidæ dant & alia & nonnullas Ecclesias *Canonicæ S.Laurentij de Martyrio,constructæ in loco vbi dicitur,Vltiũ,*ex Guichenono in probationibus historiæ Sabaudiæ pag.26.Geraldus Sistarici sedebat etiam anno eiusdem sæculi quinto & septuagesimo ex literis Gregorij septimi, quæ sic habent. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Giraldo Sistaricensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem si obedieris. Michael Presbyter Ecclesiæ Crociensis conquestus est nobis te præfatam ecclesiam, quam ipse iuris S. Petri esse non dubitas, inuasisse, bona eius diripuisse, Presbyteros & clericos cepisse, ac vi contra fas & iura iurare compulisse. Cùm verò Ananiam & Saphiram propter propria bona, quæ B. Petro promiserant, & non dederunt, mortem incurrisse non ignores, quo instinctu nisi diabolico tantam inuasionem præsumpsisti, tantam contumeliam intulisti, tantum sacrilegium in Apostolorum principem perpetrasti? Quapropter Apostolicâ tibi autoritate præcipimus, vt perspectis his apicibus, absque omni occasione vel dilatione, prædictam nostram Crociensem ecclesiam expediens, liberam reddas, Presbyteros & clericos absolutos, & omnia quæ inde tulisti sibi restituas, & cum pace & quiete ibi Deo seruire sub B. Petri ditione in tuitione nostra permittas. Si autem te aliquam iustitiam in præmissa ecclesia habere existimas, ad nos citò cum prælibatis Canonicis nostris venias, vt iustitiam in præsentia nostra recipias. Si autem hoc non feceris, te Apostolica autoritate excommunicandum noueris. Datum Romæ duodecimo calendas Aprilis indictione duodecima*, idest anno Christi millesimo septuagesimo quinto die vigesima prima Martij. Ex istis Gregorij literis vides Geral-
35 dum Caprerium voluisse, vt Canonici Crocienses ipsi subiicerentur, quos Romanus Pontifex ab Sistaricensis Episcopi potestate exemerat. Sed ego quidem arbitror virum vitæ integerrimum, ignorasse ab Episcopi sui iure exemptos fuisse. Reliqua Caprerij ad me non peruenerunt. Omnem de illo disputationem placet concludere verbis Bertrandi secundi. *Tandem* Geraldus Caprerius *dedit seipsum, & corpus suum Deo, & B. Mariæ sedis, & S. Mario confessori, & B. Thyrso martyri,*id. Forcalquerensi ecclesiæ, & in ea conditorium sibi esse voluit. Quam Bertrandus vocat B. Mariam *sedis,* est basilica quæ nunc S. Marij dicitur. Inuenio appellatam quoque B. Mariam de mercato. An *sedis* acceperat nomen,antè in arce quàm templum B.Mario factum Canonicos haberet, vt ab Episcopi sede princeps Forcalquerensium Ecclesiarum vocata fuerit?

Geraldo

Geraldo Caprerio mortuo sederunt ordine Carolus, Bertrandus, Geraldus, Raibaldus, Petrus, autore Bertrando secundo post Petrum antistite. Sic loquitur: *Geraldus Caprerius sancto Mario donauit, Carolo, Bertrando, Geraldo, Raibaldo, Petro, quinque scilicet episcopis, qui postea ad nostra vsque tempora fuerunt, laudantibus.* Igitur Burellanum scribam hîc etiam defecit temporum, & rerum quoque ab episcopis gestarum cognitio. Nam longè alia scripsit. *Pòst Geraldum Caprerium*, sunt ejus verba, *Carolus episcopus ecclesiam Sistaricensem rexit. Post Petrus episcopus antiquus. Post ipsum Frodo episcopus. Post hunc Bertrandus episcopus. Post istum domnus Nitardus. Post hunc Geraldus secundus episcopus. Post ipsum dominus Raimbaudus episcopus. Post hunc venerabilis episcopus Petrus de Sabrano. Post istum sanctissimus præsul Bertrandus.* Puto Petrum antiquum malè à Sabranio distingui: hic enim episcoporum primus, quod sciam, tulit nomen Petri. Frodo autem est Frodonus seu Frondonus, quem ante Durandum & post Vrsum sedisse dixi in superioribus: certè ante Geraldum Caprerium sedit, qui Sistaricenses & Forcalquerienses canonicos in vnum collegium compegerat, à Caprerio diuisum in duo posteriorĩbus temporibus. De Nitardo suus fuit in superioribus dicendi locus, scilicet libro 1. numero vltimo. Etsi autem Burellanus exscriptor vera diceret, vides tamen falsum esse, quòd Bernardus ille Sistariensis episcopus, qui à Guichenono in historia Sabaudiæ pagina 222. memoratur, fuerit Sistaricensis antistes. Non enim Bernardus, sed alius quis anno 1118. Sistarici sedebat. 36

Ceterum de Carolo Caprerij successore magnum est in meis omnibus chartis silentium. Carolus de Venasque facit genere Grimaldum, in arbore genealogica & historica Grimaldæ gentis anno millesimo centesimo quarto. Illud de gente nullo asserit autore. Istud de tempore intelligis ex eo falsum esse, quòd Petrus Aquensis archiepiscopus anno millesimo centesimo secundo laudat donationem Bertrandi post Carolum episcopi canonicis sancti Marij Forcalquerienſibus. Quibus verò, & quot annis Bertrandus episcopatum gesserit, etiam non inuenio. Profectò qui post eum Geraldus tertius fuit, sedebat millesimo centesimo decimo. Igitur vt Caprerius quinto post millesimum septuagesimum extremam diem obierit, & Geraldus tertius illo millesimo centesimo decimo episcopatum adierit, Carolus, & Bertrandus, inter vtrumque antistites non sederunt supra quinque & triginta annos, atque Carolus ante centesimum secundum Bertrando locum fecit. 37 *Carolus* *Bertrãdus 1.*

Adelais Forcalquerij Comes, quæ ex Hermengardo conjuge Guilelmum peperit Bertrandi, & Guigonis patrem, concedit anno millesimo centesimo decimo mediam partem Lurij Geraldo tertio antistiti. Hic satis mirari non possum, vnde factum sit vt episcopus eam partem amiserit, qui totum possidebat olim Lurium, ex donatione principum, Caroli magni quidem imperatoris, vt docui libro 1. num. 27. Caroli autem Prouinciæ regis, vt addidi hoc libro num. 3. Perpendenti tamen accuratiùs mihi funestos episcopatui illos annos, quibus Adelais commitissa, Raimbaldus, & tergemini fratres domini Sistarici omnem susque deque verterunt, subit animum cogitare, cùm Raimbaldus, & Sistaricensium domini illa facinora ederent impotentes, quæ in superioribus retuli, Adelaidem per 38 *Geraldus 3.*

summam, juris nescio cujus specie, & importunam injuriam, sibi accepisse mediam Lurij partem: Certe Adelais filia ipsam Geraldo præsuli restituens, affirmat se eam *restituere, cum omnibus illius appenditiis ad eamdem partem pertinentibus, sicut in præceptis imperialibus reperitur*, euidentissimo argumento ab ipsis præceptis, seu chartis, cùm ad Adalaidem Comitem, ejusque matrem, agente Geraldo episcopo peruenissent, factum esse vt illam restitueret antiquo domino, scilicet ex iis intelligens non partem Lurij, vt falso jactatum fuerat. sed totum Lurium episcopo ab Carolo Magno imperatore quondam donatum esse. Sanmarthani in Gallia Christiana asserunt istam Lurij partem ab Adelaide
39 Garaldo concessam esse *Conrado Teutonicorum imperatore, filio Henrici regis.* Verùm Adelaidis ipsius tabulæ docent ab ea tributam esse *Carolo*, non Conrado, *Teutonicorum imperatore, filio Henrici regis.* Quis iste Carolus? accipe. Ducheſnius libro 4. historiæ Burgundiæ cap. 3. tradit Henrico, cui Conradus succesſit, Henrici imperatoris à Paschali secundo abrogati filio, fuisse Caroli etiam nomen. Illi tertio capiti facit hunc titulum: *Carolus Henricus eo nomine quintus imperator, rex Burgundiæ, & Arelatis:* Istud verò dat initium capiti: *Hic principio renuntiatus est rex à patre anno milleſimo centeſimo tertio, ſequente autem anno rebellauit, denique transcriptum à patre imperium accepit, cum regnis Burgundiæ, & Arelatis.* Hoc Carolo, siue, vt alij loquuntur, hoc Henrico, cui seu prænomen, seu nomen quoque Caroli datum est, filio Henrici regis, imperatore, Adelais dedit, &, sicut in tabulis ab ea scriptis legimus, *reddidit* mediam partem Lurij Geraldo episcopo. Non est quòd mireris nomen Henrici additum fuisse principio ad nomen Caroli, & consequentibus tamen temporibus, abjecto Caroli nomine, solum Henrici viro perduraſſe. Lambertus Ardensis in Ghisnensium historia par aliquid de Roberto Balduini Ghisnensis Comitis filio aduertit. *Vt temporis erat consuetudo*, inquit, *& adhuc plerumque tenetur, binomius erat: sed suppreſſa vocationis proprietate, inoleſcente vſus consuetudine, dictus est Manasſes, poſtea Ghisnensis comes.* Ita etiam quem Burgundiæ comitem Glaber Vvilelmum vocat, is Diuioue in epitaphio appellatur Otho Vvilelmus. Et qui Guilelmus Forcalquerienſium ante Forqualquerij cum Prouincia conjunctionem Comitum vltimus, se pluribus in chartis dicit Bertrandi & Iaucerandæ filium. Legimus vocitatum quoque Andream Guilelmum. Sed accipe tabulas, quibus Adelais mediam Lurij partem dedit, seu potiùs *reddidit* Geraldo antistiti. Eas habet ingens ille membraneus liber Sistaricensis episcopij, quem vocant viridem.

41 *Diuini muneris examine creditur inuentum, vt apud cunctas gentes Christianæ religionis vnum haberetur decretum, quantum inter donatores, vel venditores iis quibus donant vel vendunt, literale faciant teſtamentum, vt per ſuccedentia temporum curricula, ſi aliquid ingruerit aduerſum, literalis donatio ſit adiumentum, & contra aduerſos ſibi inuiolabile teneat perpetim fundamentum. Moderni ergo autores iſta repererunt, antiquiores non ſubnixi firmitate pro nihilo habuerunt. Quocirca, priſtinis relictis, modernis ſecutis, ego Adalais Comitiſſa Fulcherienſis, & mater mea Adalais, & filius meus*

Vvilel

Digitized by Google

Vvilelmus marchio Prouinciæ, reddimus atque concedimus, & concedendo laudamus Siſtaricenſi eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore beatæ ac glorioſæ Virginis Mariæ, & eiuſdem eccleſiæ Geraldo ſecundo epiſcopo, qui eidem eccleſiæ autore Deo præeſt, ſucceſſoribuſque ipſius medietatem illius caſtri quod dicitur Lurs, quæ à modernis vocata eſt comitalis, cum omnibus illius appenditiis ad eamdem partem pertinentibus, ſicut in præceptis imperialibus, ſeu chartulis, quæ in præfata eccleſia habentur, ſcriptum reperitur: quatenus omnipotens Deus per interceſſionem Beatæ Dei genetricis Mariæ, & S. Thyrſi martyris, & glorioſiſſimi Mary abbatis, & oratione epiſcoporum prædictæ eccleſiæ, atque ſupplicatione canonicorum ſeu clericorum ibidem degentium, indulgeat nobis debita noſtra, & donet vitam atque proſperitatem diuturnis temporibus filio noſtro præfato Comiti, & vt memoria patris mei, ſeu prædeceſſorum noſtrorum in ſupradicta eccleſiæ celebretur in vnoquoque anno. Si quis igitur, quod abſit, homo noſtræ progeni ei, aut cuiuſlibet dignitatis, ingenuus vel ſeruus, ſurrexerit ad irrumpendum hoc donum, apoſtolica autoritate confuſus, iram ſuperni iudicis mereatur, partemque ſuam habeat cum illis qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, & cum Iuda ſceleratiſſimo inferni pœnas patiatur, & inſuper..... componat cum..... libr. centum. Et hæc donatio deinceps firma permaneat. Facta charta iſta in menſe Ianuario; regnante Carolo Teutonicorum imperatore, filio Henrici regis, anno Dominicæ incarnationis 1110. indictione octaua. Vvilelmus Comes, & mater eius Adalais Comitiſſa, mater huius Adalaidis donationem conſcribi fecerunt, cum manu propria firmatam. Adalais comitiſſa, mater huius Adalaidis donat & firmat. Vvilelmus prim..... firmat. Petrus Rodulphi firmat. Vvilelmus prim..... Vvilelmus Pandulphi firmat. Teſtes huius donationis hi ſunt, Petrus de Aricio, Vvillelmus archipresbyter, Lambertus caput ſcholarum, Vvilelmus prior de Salagone. Petrus de Donis ſcripſit. 42

Atque hæ ſunt Adelaidis tabulæ. Ea ſe dicit Fulcherienſem Comitem. Quod autem Fulcherium appellat, vocatur Furnum calcarium in magno illo & ſpiſſo Sanuictorinarum ex membrana chartarum codice pagina 150. Fons calcarius à Bertrando Comite huius Adelaidis auo, in tabulis quibus Culcæ prioratum anno 1027. fundat, Forcalcarium ab Andrea Delphino in donatione rei neſcio cuius Ebredunenſi Eccleſiæ anno 1210. Nos vulgò Forcalquerium vocamus poſt Bertrandum Comitem memoratum anno 1044. Vnde tanta in huius vrbis nomine varietas? Abs dubio, pagus quondam ignotus, non à multis ſæculis ſurrexerat in vrbem, ampliſſimo nobilem Comitatu, ab Ebredunenſibus & Vapincenſibus extremis, per Siſtaricenſes & Aptenſes vſque ad Auenionem protenſo: igitur alij aliter, vt occurrebat, vocem à vulgari ad latinum ſermonem deflectebant. 43

Geraldo epiſcopo, ſiue hoc tertio, ſiue Caprerio, ſiue etiam primo (hoc enim obſcurum eſt) datum antiſtiti hominem lego à Riperto, qui *Reueſtem condidit*, pro eccleſiis *in eius mandamento fundandis*. Quia non alia in charta par aliquid ſeu debitum Epiſcopo, ſeu conceſſum inuenio in erectione pagorum, iuuat tabulas, quibus res continetur exſcribere: neque ingratum lectori fortaſſis fuerit ſi eas publici iuris fecerim. *Cunctis tam præſentibus, quàm futuris ſit cognitum, quòd dominus Ripertus, qui Reueſtem condidit, pro ſynodali cenſura, Epiſcopo Siſtaricenſi vnum hominem dedit in eodē Reueſto, pro cunctis eccleſiis, quæ in cuncto ſuo mandamento fundandæ erant. Et* 44

dominus Geraldus Episcopus Sistaricensis eumdem hominem, scilicet Petrum Martinum, qui sibi quondam datus fuerat in Reuesto, vt præsenti domino Feraldo eiusdem loci decano per centum decem solidos in pignore misit, tam ipsi, quàm sibi succedentibus decanis, nisi ipse Geraldus pretium supradictum in vita sua reddiderit. Quòd si alij sibi in Episcopatu succedenti reseruauerit, centum viginti solidos solui successor nouerit. Et hoc pignus cum Episcopo canonici Sistaricenses laudant domino Feraldo eiusdem loci decano, sibique succedentibus, scilicet Petrus D....., Vvillelmus canonicus & archipresbyter, Rostagnus Hermenerius, Petrus Diomensis, & ceteri canonici. In præsentia quoque horum testium factum est hoc testamentum. S. Roclauni. S. Petri Auberti. S. Pontij Vvaldalberti. S. Petri Philiberti. Reliqui quoque qui in Reuesto manent, testes existunt, quia in eorum præsentia factum est.

45 Istis in tabulis aduerto duo. Primum est, datum aliquid episcopo, cùm Reuestis, seu Reuestum pagus condebatur, pro cunctis ecclesiis, *quæ in eius mandamento fundandæ erant.* Hoc in aliorum erectione pagorum non lego factum. Nonnihil quidem aliquando muneris concessum est Episcopo basilicam vngenti: sed vt seu basilicæ, seu quæcumque aliæ ædes sacræ possent in vrbe, castrove, aut pago, eorumue agro excitari, non inuenio concessum esse aliquid. Secundum est *hominem*, id, seruum, eumque solidis centum & viginti æstimatum, Geraldo Episcopo datum esse, cuius pretium in episcopalibus bonis censeretur. Hoc non mirabitur, qui cogitauerit seruos tota Gallia fuisse, in ecclesiis etiam & monasteriis, vsque ad Ludouicum Hutinum regem. Adelais Forcalquerij comitissa, *ingenuum & seruum* esse in suo Comitatu docuit anno 1110. vt vidimus numero 42.

46 *Raimbaldus.* Post Geraldum Raimbaudus, seu Raibaldus, ex Ganagobij priore Episcopus fuit. Quo anno seu ceperit, seu desierit sedere, non possum dicere, tacentibus chartis omnibus, quæ ad meas manus peruenerunt. De illo vnum lego: ipsius reliqua omnino perierunt; certè nihil præterea eius habetur in Episcopalibus chartis. Anno incerto emit vniuersa iura, quæ *Tiburgis de Araustica* habebat Lurij, quinque millibus solidorum, & affari Petraruæ. *Affare* barbara vox, Latinis fere prædium est. Tiburgis verò de Araustica non Araustricano tantum Comitatui imperitabat, sed etiam per Aptensem, Sistaricensem, Vencionensem, & Nicionensem, Episcopatus amplissimè dominabatur, vt ex testamento intelligitur, quod anno millesimo quinquagesimo condidit.

47 *Petrus 2. de Sabrano* Raimbaudo successit Petrus de Sabrano, vir gente, pietateque clarissimus anno millesimo centesimo quadragesimo secundo. Burellanus scriba de eo sequentia ex antiquioribus chartis habet. *Multoties visitauit sepulcrum Domini, & exinde attulit multa pretiosa ornamenta, & Sanctorum reliquias, & duas cruces argenteas, & aureas, cum ligno Domini, quarum vna est in ecclesia Sistaricensi, & alia in capella Lurensi.* Sed annos, quibus illud visitauit, non inuenio in episcopalibus chartis. An is ille est, qui Hospitalarios (Melitenses equites nunc dicuntur) è Syria in Prouinciam deduxit, & Guigoni, quem Guilelmus Forcalquerienſis Comes genuerat, autor fuit Manuascam ipsis concedendi? Certè tabulis, quibus illam donabat Guigo, Petrus subscripsit Episcoporum vnus; & non facilè intelligas à quo alio factum sit, vt ignotos non Forcalquerienſi Comitatu, sed vniuersa Prouincia viros tanto ornauerit munere. Piissimus Antistes Principi ætate florenti, referebat nobiles

biles gente viros, & ægris hoſpitibus Ieroſolymis famulari à non multis annis, & aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes pugnare. Eos igitur eſſe, quos qui opibus iuuerit, rem & Deo gratiſſimam, & mortalibus perutilem faciat. Vtcumque hoc habeat, cùm ſcriba Guigonis tabulas anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono perfeciſſet, ſubiunxit voces quæ ſequuntur. *Facta eſt hæc diſpoſitio in præſentia Domini Petri Siſtaricenſis Epiſcopi, autoritate cuius & teſtimonio confirmatur.* Hic ipſe Petrus Antiſtes, anno milleſimo 48
centeſimo quinquageſimo, mutauit cum Templariis, *eccleſiam S. Mariæ de Olonio* Lebrignaniæ caſtro. Anno eiuſdem ſæculi ſecundò & quinquageſimo accepit ab Eugenio tertio literas, quibus Pontifex bona ſua omnia Siſtaricenſi epiſcopo confirmabat, & anno quinquageſimo ſeptimo ab Adriano, qui addidit ſequentia. *In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Caſtrum de Lurio cum pertinentiis ſuis: caſtrum de Lebrignana, quod canonicis Templi Domini voluntate & aſſenſu Guilelmi & Bertrandi Forcalquerienſium Comitum permutaſti: Eccleſiam S. Mariꝫ Forcalquerienſis cum pertinentiis ſuis: Eccleſiam de Manuaſca cum pertinentiis ſuis: Eccleſiam de Fontianarum pertinentiis ſuis: Eccleſiam de Faueriis cum pertinentiis ſuis: Eccleſiam de Creſcent cum pertinentiis ſuis: Eccleſiam S. Mariꝫ cum ceteris Eccleſiis habere dignoſceris.* 49
Anno quarto & quinquageſimo dedit Petro, Montis maioris Abbati, Eccleſiam de Gaianis; accepitque *pro ea Eccleſias de Sepronia-no, & quidquid iuris habebat in eâdem villa, ſeu eius territorio,* vt ferunt tabulæ in eam rem ſcriptæ. Anno octauo & ſexageſimo, interfuit donationi Manuaſcæ Hoſpitalariis, à Bertrando Forcalquerienſi Comite. *Hanc donationem facio,* inquit Bertrandus, *& offero ſuper altare S. Petri in Eccleſia domus Hoſpitalis de Manuaſca, in præſentia domini Petri Siſtaricenſis epiſcopi.* Anno demum incerto, interfuit donationi Luræ Abbati Boſcaudonenſi, à Fulcone de Alſonicis, & Freſolo, ac Raimbaldo fratribus, & Raimundo Cal- 50
cio nepote, Aldeberto Valico atque Guilelmo fratre, & Laugerio filio, Aldeberto Bertrando Graueſonio, Guilaumo Monlaurio, Laugerio Alfandi fratre. Videtur extremam diem obiiſſe anno milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, aut eum conſequente. Bertrandus enim, qui poſt eius mortem ſedebat Siſtarici, ita de ſe locutus eſt. *Facta eſt charta iſta, anno ab incarnato Domino milleſimo ſeptuageſimo* (ordiebantur annum à die quinta & vigeſima menſis Martij) *tertio menſis Aprilis, domino Alexandro ſummo Pontifice, primo anno Pontificatus noſtri iam expleto.* De Petro autem hæc addit: *Cum Petro Sabrano prædeceſſore noſtro, qui viginti & ſex annis & duobus menſibus ante nos in Epiſcopatu ſedit.* Significat Petrum, qui anno illius ſæculi ſecundo auttertio 51
& quadrageſimo ſedere ceperat, deſiiſſe octauo aut nono & ſexageſimo. *Bertrandus 2.*

Bertrandus ſecundus *vir ſanctiſſimus* Burellano ſcribæ, poſt Petrum Sabranium Epiſcopus fit, ex priore Cartuſianorum Durbonis, anno milleſimo centenſimo ſexageſimo octauo, vt modò referebam ex eius literis ſecundo pòſt anno ſcriptis. Peruenisſe ad tertium illius ſæculi & ſeptuageſimum intelligitur ex controuerſia, quæ Cartuſianis Durbonenſibus fuit cum Templariis. Cetera optimi antiſtitis perierunt, eæ tantùm literæ ſunt reliquæ, quas anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo pro Forcalquerien- 52
ſibus canonicis ſcripſit. De iis non pauca quæ ad ipſum non ſpectant, in ſuperioribus ſparſim retuli; quæ ad ipſum pertinent accipe. *Ego Bertrandus,*

inquit, *Dei gratia Sistaricensis Episcopus ad consuetam deuotionem & obedientiam, quam ecclesia S. Marij* (est hæc Forcalquerensis Ecclesia) *semper antecessoribus meis exhibuit respiciens, & eorum versa vice, quam in ædificanda & exornanda domo S. Marij semper habuerunt, paternam affectionem attendens, omnes Ecclesias, & omnia beneficia ab eis Ecclesiæ S. Marij & S. Thyrsi Martyris concessa sunt hactenus, cum aliis Episcopis, & nominatim cum Petro de Sabrano prædecessore nostro Ecclesia S. Marij habuit, ita cum omni libertate sua tam in ipso capite,*
53 *quàm in subjectis sibi Ecclesiis, laudo, dono, & concedo* &c. *Antiquas igitur chartas, quæ erant in Ecclesia S. Marij legimus, & relegimus, & licèt plura ibi scripta essent, quòd Ecclesia S. Marij & canonici tempore meo* (vides canonicum fuisse Forcalquerij ante ad Cartusianos, è quibus in Episcopum euasit, quàm transiret) *habebant, & possidebant in pace, laudaui eis & concessi, in quibus ne futuris temporibus aliqua dubitatio emergat, hæc propriis duximus exprimenda vocabulis* &c. *Has omnes donationes* Geraldi Caprerij, quas enumerauit, *laudo. Insuper laudo & concedo ecclesiæ S. Marij ecclesias vtriusque castri de Limancio* &c. *laudo etiam & ecclesiam S. Mariæ de Ripisaltis, & ecclesiam S. Siffredi, cum eadem*
54 *libertate quam habet ecclesia S. Marij. Concedo etiam nominatim ecclesias omnes de vtráque Petrarua cum simili libertate, & ecclesiam S. Stephani de Niozellis* &c. *& ecclesiam S. Mariæ de Laudicello, & S. Simeonis, & S. Babyli* &c. *Cetera omnia quæ hìc scripta sunt laudo, hoc specialiter addens, vt Episcopus Sistaricensis sine consilio, & consensu Forcalquerensis ecclesiæ non faciat alienationem rerum suarum, vel ea de quibus episcopus debet habere consilium, & consensum à canonicis Sistaricensis ecclesiæ, cùm vtraque ecclesia sit cathedralis, & pro sede episcopali habita ab antecessoribus meis* &c.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM SISTARICENSIVM
LIBER TERTIVS.

1 ANNO quarto & septuagesimo post millesimum centesimum Bermundus episcopatum, adiit, *vir magnus corpore, & genere, de Dominis Anduſiæ, canonicus Magalonensis*, vt loquitur Burellanus scriba. De Bermunda gente dixi libro 3. de Viuariensibus episcopis num. 42. & 43. atque libro 3. de Valentinis num. 50. Putatur ab eo descendisse Bermundo, quem Adreualdo autore Carolus Magnus præfecit Aruernis Comitem. Sic loquitur libro de miraculis S. Benedicti cap. 18. *Ob Francorum suspectam fidem, quam semel in coniuratione, dum bellum inchoaretur Saxonicum expertus est, iterum autem in coniuratione Pipini naturalis filij, quibusdam seruorum suorum fisci debito subleuatis, curam tradidit regni, atque imprimis Rahonem, Aurelianensibus Comitem præfecit, Biturigibus Sturminium, Aruernis Bremundum, aliisque, vt ei visum est, locis præposuit.* Seruos appellabat Carolus, quos Franci armis subegerant, ex Beslio in historia Comitum Pictauiensium cap. 1.

Bermũdus.

2 Ab hoc Bermundo ducta gens, familias in plures scissa est; neque illarum vltima fuit Anduſiana: ex ea ortus, quem nunc loquimur, vir, è Magalonensi canonico euasit in episcopum Sistaricensem. Ante in ipsum quam vngeretur,

Digitized by Google

retur,fuit ei contentio cum canonicis Templi, de ecclesia S.Mariæ de Olonio,quam anno millesimo centesimo quinquagesimo,Petrus ante Bermundam episcopus mutauerat Lebrignana castro,vt docui superiore libro n. 48. Quoniam tabulæ,quibus per Aptensem episcopum sopita fertur, omnem exponentes ad me peruenerunt,eas exscribere visum est.Vt aliud non sit, ex ipsis intelligere licet nullâ Bermundi culpâ factum esse, vt Lebrignana, quam Adrianus Romanus Pontifex superiore libro num. 48. numerabat in Sistaricensis episcopi bonis,ad canonicos Templi redierit.

Transactio seu concordia,quæ inter Stephanum canonicum Templi Domini, administratorem domorum Prouincialium, ad idem Templum pertinentium, & dominum Bermundum Sistaricensem Electum; mediante domino Petro Aptensi episcopo facta fuit, talis est. Controuersia siquidem erat inter eos de quodam cambio, seu permutatione, quam antecessores eorum fecerant inter se. Dominus namque bonæ memoriæ Petrus Sistaricensis episcopus donauerat in hac permutatione fratribus Templi ecclesiam sanctæ Mariæ de Olonio, & omnes possessiones, & res ad ecclesiam pertinentes pro castro de Lebrignana, quod Adelais Comitissa Templo donauerat. Hanc verò permutationem Comes Vvilelmus dicebat non valere, quia facta erat sine sua laude & voluntate, qui dominus tunc puer erat, quando fuit facta inter eos permutatio ista. Et hac ratione abstulit prædictum castrum episcopo, nolens episcopum, sed canonicos Templi istud habere. Tandem prædicto episcopo mediante, & eos concordante, placuit vt episcopus recuperaret ecclesiam suam, & res ad eam pertinentes, fratres Templi castrum de Lebrignana. Propter hoc concessit eis prædictus Electus: ecclesiam de Lebrignana, cum oblationibus, & omni iure parrochiali, & mortalagio ad ecclesiam pertinente. Præterea concessit eis decimas in hortis, & vineis, & tertiam partem decimarum in frumento,& bordeo, & omni grano: & decimarius,& bestia eius, debent viuere de communi, & decimarius debet iurare, si noluerint, se decimas fideliter colligere. Prædictus verò Stephanus, & alij fratres, laudauerunt Electo quidquid iuris ex illo cambio habebant in ecclesia de Olonio, & quatuor modiatas terræ, & hortum quem ibidem acquisierant: & remiserunt ei impensas, quas in cooperianda ecclesia, & in plantandis vineis fecerant, & quidquid iuris in præfato loco habebant. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo quarto. Testes huius res sunt Vvilelmus Sistaricensis Præpositus,qui hoc laudauit cum canonicis suis, Bertrandus Sacrista, Vvilelmus Præcentor, Vv. Archidiaconus, Elias Iulianus, Petrus Martini, Bernardus Guilelmus, & alij eiusdem ecclesiæ Canonici & Clerici. Testis est Petrus Grossus Forcalquerienſis ecclesiæ Præpositus,& canonici eiusdem ecclesiæ, Ildebertus Sacrista,Vgo Præcentor,Edoardus,Petrus Laugerij,Petrus Guilelmus, Isnardus Petrarua, Guirandy, Vv. Guintrany, & alij eiusdem ecclesiæ Canonici & Clerici. Laudat hoc Petrus Aptensis episcopus,vtriusque ecclesiæ canonicus.Laudat hoc dominus Hugo Aquensis archiepiscopus, qui hanc chartam mandato Sistaricensis Electi, cum episcopo Aptensi,& ipso eodem Electo sigillauit. 3 4

In hac chartâ vnum aduerte. Vvilelmus Forcalquerienſis Comes,dicitur voluisse,vt mutatio ecclesiæ de Olonio Lebrignanâ castro,à Petro Sabranio episcopo ante annos quatuor,& viginti facta cum Templariis rescinderetur, quia eam ipse nunquam probauerat,siue,vt loquitur,laudauerat. Cur verò eam non probauerit,affert id rationis scriba, quòd Vvilelmo puero peracta fuerat. 5

fuerat. Iſtud aduertere placuit, vt intelligeres Vvilelmum hunc Comitem alium ab eo fuiſſe, quem Adrianus Romanus Pontifex, vt ſuperiore libro num. 48. docui, aſſerebat id permutationis cum Bertrando fratre comprobaſſe. Eſt Vvilelmus, ſeu Guilelmus junior, de quo fusè dixi & ſingulari libro, & libro 2. Manuaſcæ, natus anno milleſimo centeſimo quinquageſimo.

6 Anno 1183. Bermundus epiſcopus (Bertrandum hoc eodem anno ſediſſe habent S. Marthani errore, vt putabam, typorum) probat Luræ donationem Boſcaudonenſi abbati, factam olim à Fulcone de Alſonicis, & aliis, coram Petro Sabranio tum epiſcopo, Lurenſemque abbatiam ſubjicit ejus correctioni, juxta Caliſienſis inſtituta monaſterij. Abs dubio Lurenſium monachorum nonnulli, à Boſcaudonenſi abbate, aut jam receſſerant, aut cogitabāt recedere addit enim epiſcopus excommunicare ſe illos qui ei parere noluerint. Anno demum ſeptimo poſt milleſimum ducenteſimum Bermundus concedit eccleſiam *de Ybonicis eccleſiæ B. Martini de Crocis, & præpoſito, atque canonicis eius.* Cetera hujus antiſtitis tacent meæ omnes chartæ. Peruenit ad milleſimum ducenteſimum decimum ſextum, nam Radulphus poſt eum epiſcopus ſedere deſiit primo & quadrageſimo poſt milleſimum ducenteſimum, poſtquam rexiſſet Siſtaricenſem *eccleſiam annis vigintiquinque, & tribus menſibus*, vt ex illorum temporum tabulis tradit Burellanus ſcriba.

7 Radulphus autem ſedebat illo ſexto & decimo, die duodecimâ calendas Octobris, quâ die judex à ſummo Pontifice cum B. Archiepiſcopo Aquenſi, & B. Cauallicenſi antiſtite datus compoſuit contentionem, quæ Sanuictorino abbati intercedebat cum Sanctægidianorum Hoſpitalariorum priore, de dominatione Manuaſcæ villæ. Hoſpitalarij ab anno milleſimo ducenteſimo octauo, quo Guilelmus junior Forcalquerienſis Comes extremam obierat diem, adiere dynaſtiam Manuaſcæ vallis. Vt in ea tum erant villa vna, caſtra duo, & pagi tres; atque non vnus dominus, vniuerſis illius partibus, ſub Guilelmo Comite imperabat, voluere ſibi ipſorum omnium jura.

Radulphus.

8 Quid cum Caluetone caſtri Martiniani partem domino, aliiſve toparchis egerint non lego: à Guilelmo de Cerueria, & Fulcone de Ponteues Vicecomite, Guilelmi omnia ſeu caſtri Manuaſcæ (Fanum Martini etiam appellatur) ſeu aliarum vallis partium emerunt anno poſt ſeptimo: ſequente autem poſt longam contentionem conuenerunt cum Sanuictorino abbate
9 de non modica villæ parte, cui ex Sanmariano prioratu dominabatur, & Radulpho epiſcopo cum aliis judicibus edicente, & multa alia ſibi accepere dominationis argumenta, & *iuſtitiam ſanguinis in criminibus quæ morte aut membrorum detruncatione puniuntur.* Igitur Sanmarianus etiam prior ſuam ipſe toparchiæ portionem ipſis vendidit. Radulphus verò, vt id non taceam, ex Toroneti (Floregiam olim vocabant) Ciſtercienſium abbate in epiſcopum euectus eſt. Antiquæ virtutis & ſinceræ ſanctitatis antiſtes, per vitam, & à morte, plurimis ac ſtupendis de cœlo prodigiis inclaruit. Dedit cæcis viſum, debilibus firmauit ſua membra, fecit vt rectis greſſibus irent claudi: & alios morbos, & herculeum frequentiſſimè pepulit ex hominum corporibus, mortuos demum reddidit vitæ. Iam quis referat pietatem, caritatem, &, vt vno verbo dicam, reliquum omne virtutis genus, quibus & in cœnobio

bio monachis,& per epiſcopatum omnibus populis illuſtriſſimè præluxit? Certè rem epiſcopalem adeò verâ accuratione promouit,vt eam Augeto,& Reueſto caſtris, atque non paucis Lurienſibus prædiis auxerit. Raimundus Berengarius anno ejus ſæculi nono & vigeſimo ſcribebat in hæc verba. *Pro anima domini Vvilelmi Comitis* (auum loquitur, Garſendis matris patrem, Forcalquerienſem Comitem) *damus Radulpho Siſtaricenſi epiſcopo Albergum, ſiue Comitaladum de Reueſto,& de Fontiana caſtrorum noſtrorum.* Anno autem quarto, & trigeſimo *damus Rudolpho epiſcopo caſtrum de Reueſto cum territorio ſuo, & pertinentiis ſuis, in Siſtaricenſi diœceſi conſtitutum, ſcilicet inter montem Luram ex vna parte, & Fontianam ex altera : ſcilicet omnem ſegnoriam, & dominationem, iuriſdictionem, & diſtrictum, & iuſtitiam, & quiſtas,& omnia vſatica; & demum omnia iura quæ ibi percipiebamus, retentis nobis tantùm in dicto caſtro caualcatis, quando eas de alia terra noſtra habebimus, & maiori dominio, ſeu mero imperio, & generaliter ſuper omnibus criminibus, quæ mortem vel exilium, vel membri abſciſſionem, vel ademptionem omnium bonorum infligunt.* Raimundus Berengarius vnum addit, quod maximè facit ad laudem epiſcopi, ſe pro Reueſto accepiſſe à Radulpho Vvilelmios ſolidos ad duodecim millia. Pietatem verò Comitis docent tabulæ quæ ſequuntur. *Vobis domino Radulpho Dei gratiâ Siſtaricenſi epiſcopo, nomine noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum, pro redemptione animæ noſtræ, & parentum noſtrorum, in vos, & ſucceſſores veſtros transferimus in perpetuum,caſtrum noſtrum de Augeto* &c. *Actum eſt apud Forcalquerium in caſtello.* Minutiora ſunt quæ ſequuntur, quàm vt à me verbatim referri debeant, non omnino tamen ab eo prætermittenda ſunt, qui res à Radulpho geſtas recenſere ſuſcepit: magnam enim illius de eccleſia ſua curam fere omnia ſignificant;cetera ſolam quidem ipſius temporum demonſtrant ſeriem, ſed hanc ego maximi faciendam ſemper exiſtimaui. Anno 1220. ſediſſe, docet donatio rei neſcio cujus monaſterio Placiti Dei à..... Iuſtacio. Anno 1221. arbitrarius judex, cum Bertrando Aquenſi archiepiſcopo fuit,contentionis quæ Gaucherio Aptenſi epiſcopo intercedebat cum Roſtagno de Agouto, & Bertrando de Simiana. Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimò ſeptimo,conuenit cum G. & R. de Railana dominis Salæ de molettrina, quam hi excitauerant in Druentia ad Lurienſem agrum. Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo accepit à P. Bermundo milite prædium neſcio quod,ſi abſque liberis moreretur, poſſidendum. Anno 1232. ſediſſe tradunt literæ, eo anno ſcriptæ à Berengario Protinciæ Comite. Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, ille ipſe Raimundus Berengarius quarto nonas Iulij dedit Radulpho epiſcopo *caualcatas caſtrorum de Reueſto, & de Augeto, & omnes quiſtas, doutas, ſeu ademptionem eorumdem quæ hactenus* erant *in prædictis caſtris, & hominibus eorum.* Donationis tabulæ Siſtarici ſcriptæ ſunt. Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono contentionem finiit quarto idus Februarij, quæ diuturna & grauis ei fuerat cum R.de Villamuris, & B. ac G. Fratribus : & à R. Forcalquerienſi Præpoſito,arbitrario judice, accepit Mauzeraneguenſe prædium. Anno denique 1241. Siſtarici mortuus eſt, & in ſua baſilica *ſubtus altare ſepultus,quod in ſcalerio lapideo introitus chori poſitum eſt* vt loquitur Burellanus exſcriptor.

14 Henricus de Secusia (de Bartholomæis quoque non pauci vocant) Radulpho mortuo successit. Hic vir ecclesiasticarum legum, & juris quod appellamus canonicum scientissimus, ab Ebredunensi archipresbyteratu ad Sistaricensem episcopatum euectus est, & post octo annos Sistarico Ebredunum rediit, ad archiepiscopatum principio, deinde ad cardinalatum assumptus Ostiensem, vnde fit, vt Ostiensis vulgò appelletur ab iis qui de canonico jure disputant. Auberyus libro 1. de Cardinalibus Gallis, magno errore facit Henricum illum de Susa, de quo Matthæus Paris agit anno 1244. Et quidem paginâ editionis anno 1644. quadragesima decima sexta sic habet Mathæus. *Henricus de Susa studiosè thesaurum regis asportat. Vnde diuertens ad partes vnde fuerat oriundus, ad instar corui ad arcam ingredientis, in Anglia postea non comparuit.* Paginâ verò quadringentesimâ trigesimâ hoc fusiùs exponens, vnum addit, è quo euidenter conficitur Susanum, de quo scribit alium omnino esse à Secusiano nostro. Henricus de Susa *considerans hac omnia de pecunia, quam de rege non minimam ad deiiciendum episcopum Vvintoniensem acceperat, comparauit sibi amicos de mammona iniquitatis, adquisiuit sibi (vtinam non comparauit) quemdam in suis partibus episcopatum: & nuntius, coruo factus similis dominum suum Noë defraudanti, nuntium cum onere negotij quod humeris suis susceperat baiulandum, nequiter reliquit imperfectum. Nec apparuit postea in regno Angliæ, bonis*
15 *regi pleniùs saginatus.* Qui Henricus de Secusia, anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo, in Sistaricensem episcopum euasit, ex Ebredunensi archipresbytero, non est Henricus de Susa, qui anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, nondum episcopus, emit Angliâ profugus episcopatum. Quis ante Auberyum id nequissimi facinoris imposuit integerrimæ viro vitæ? Quis, vt & tempora, & cetera conuenirent, hactenus cogitauit fieri potuisse, vt sapientissimus vir, jurisque diuini & humani suo sæculo peritissimus, mutaretur repentè in legum omnium importunissimum corruptorem? vnum hominis nomen fefellit scriptorem de Cardinalibus Gallis: legebat Henricum de Susa in historiis Anglicanis, & cùm Secusia nunc vulgari apud Gallos idjomate dicatur Susa, existimauit non alium esse, quàm qui Henricus de Secusia toto orbe celeberri-
16 mus ecclesiastici juris interpres habetur. Falluntur etiam, sed sine summi viri injuria, qui Susanorum in Delphinatu dynastarum gentilem faciunt. Susani Comites, sunt Balmani gente, & ab Aimone Balmano descendunt, qui cùm Antoniolam Salassam, Henrici Cassenatici apud Delphinates proregis viduam, duxisset in vxorem, Susam ab eâ acceptam reliquit posteris hæreditariam. Ipse autem Aimo in nuptialibus tabulis appellatur à scriba, *Aimo de Balma, quondam de Albenco* apud Sebusianos pago.
17 Placent, qui à Pedemontanorum Secusia dictum arbitrati sunt. Et verò qui Ebreduni erexit Archidiaconatum Archiepiscopus, anno 1256. die 24. Februarij, & prædiis paternis partem dotauit, vt ferunt tabulæ super hac re ab eo conscriptæ, facile est cogitatu Secusiâ, apud Pedemontanos vrbe ortum, potuisse in propinquo Ebredunensium agro habere à parenti-
18 bus prædia. Sed, vt ad Auberyum reuertamur, vide quàm falsus fuerit, cùm Matthæi Parisiensis Henricum de Susa, fecit eumdem Henrico de Secusia consultissimo illi juris canonici viro. Matthæus Parisiensis,

seu

Digitized by Google

seu Paris tradit Susanum suum, cùm non esset anno 1244. episcopus, eâ pecuniarum vi, quam ab Angliæ rege acceperat, emisse postea episcopatum; fideles autem eorum temporum tabulæ, & aliæ, & quas Burellus episcopus in libro quem viridem vocant exscribi voluit, docent sedisse Sistarici ab anno 1241. ad annum 1250. Tanto autem à singulari sua, vt ego quidem existimabam, sapientia, fauore omnium in eo sedit, vt canonici tam Crocienses, quàm Placiti Dei, molettinam, vineam, & alia prædia rustica, magno consensu ei concesserint anno 1244. quo Henricus Susanus Auberyi fugiebat ab Anglia, ingenti pecuniæ vi à rege per importunam fraudem accepta. Hîc placet vnum aliud quid fusiùs edisserere. Episcopus ad annum vsque 1246. domum Sistarici non habebat, ex quo (vt simile veri est) Raimbaldus seu Ragobaldus eam destruxerat, quemadmodum tradidi superiore libro num. 18. Canonicis ea res demum indigna visa est. Igitur Henrico concesserunt illi construendæ hortum, claustro suo contiguum. Antistes, vt erat fundatissimi vir judicij, & ecclesiasticarum legum apprime sciens, accepit quidem à canonicis munus, sed voluit vt anno pòst secundo, & à Romano Pontifice Legatus, qui illis temporibus in Prouincia erat, rem Sistarici inspiceret, probaretque, & Romanus quoque Pontifex ipse Legati sui sententiam confirmaret. Canonicorum ea videtur fuisse pietas, & in suum antistitem amoris argumentum, vt tabulas ab ipsis scriptas referre verbatim debeam.

19

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno eiusdem millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, quarto idus Septembris, vniuersis ad quos præsens scriptum peruenerit notum fiat, quòd nos M. Præpositus, Guilelmus Sacrista, B. Præcentor, P. Archidiaconus, P..... Ioannes Laugerius, P. de Opida, Iacobus de Vitrola, B. de Mura, Ioan. Petr. Canonici Sistaricenses, in generali capitulo congregati, omnibus canonicis Sistaricensibus vocatis ad capitulum generale. Considerantes penuriam, quam diu Sistaricensis ecclesia passa est tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, eo quòd episcopi Sistaricenses qui pro tempore fuerunt, moram debitam non faciebant in Sistaricensi ecclesia, cùm periculosum sit esse sponsam sine sponso, quod eueniebat, & accidere habebat, quia in dicta ecclesia domum, vel, vt ita dicam, mansionem non habebant vbi commodè possent habitare. Hæc inquam considerantes nos prædicti donamus, concedimus, & laudamus vobis domino Henrico Sistaricensi episcopo totum viridarium, siue hortum sanctæ Sistaricensis ecclesiæ, quod est situm inter salam claustri, & muros ciuitatis Sistaricensis, secundum quod ducunt in longum, & latum, necnon casalia posita inter sanctum Thyrsum, & dictam salam, in quibus feciſtis cameram, donatione priùs facta vobis, & successoribus vestris, per nos dictum Præpositum, & Canonicos residentes, in primo aduentu vestro, & ante consecrationem vestram. Item votam sancti Ioannis contiguam beato Thyrso, cum pertinentiis omnibus, & singulorum supradictorum; concedentes vobis, & vestris successoribus, quoniam in perpetuum vobis & successoribus vestris dictam donationem facimus, promittentes nos bona fide, contra dictam donationem non venturos vllo tempore, imò eam ratam, & firmam tenebimus, & confirmationem factam per dominum Dignensem episcopum de mandato summi Pontificis specialiter approbamus. Scimus enim & recognoscimus quòd

20

21

per istam præsentem donationem, quæ nobis fit, & facta fuit bis ante confirmationem prædictam, vtilitas nostræ Sistaricensis ecclesiæ, necnon & totius cleri dictæ ciuitatis & populi, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus non modicùm augmentatur. Concessimus etiam vobis, atque concedimus, quòd in capitulo nostro vocem tanquam canonicus habeatis. In quarum concessionum testimonium, præsentem chartam iussimus sigillo nostri capituli communiri. Actum apud Sistaricum in particu cameræ supradictæ præsentibus omnibus supradictis. Concessionem autem de voce in Sistaricensi capitulo vobis factam, intelligimus personalem, ita quòd per hanc concessionem, vestri successores vocem in futurum in prædicto capitulo sibi non valeant vindicare, nec concessio quam recipitis, possit eisdem præiudicium generare.

22 Anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo abbas Insulæ Barbaræ ad Lugdunum, ex fidelibus chartis docuerat Bodanense S. Marij Monasterium in Sistaricensi, non in Diensi diœcesi positum esse, vt libro 2. de Diensibus episcopis numero 75. docui. Henricus tamen episcopus, vt rem omnino constitueret, voluit eam H. sanctæ Sabinæ Cardinalis edicto sanciri, & consequente anno Innocentij quarti Pontificis Romani literis edictum Cardinalis. Sed quas abbatem illum chartas consuluisse putabimus, nisi quæ docebant monachos Insulanos illos esse, qui Bodanense in pago Sistarico, vt alia non pauca in aliis pagis, monasterium antiquissimis temporibus, & primò erexerint, & labentibus deinde sæculis autoritate, consiliis, monitis, pro rerum opportunitate, vt à se quondam excitatum fouerint.

23 Nam vt Diensis episcopus sua in diœcesi illud esse contenderet, abs dubio fecerat & locorum propinquitas, & à Lucretio episcopo qui, vt libro 1. num. 38. memorabam, Bodanensis fuerat monachus, studiorum societas. Vtcumque ista habeant, pro fectò hæc de perillustris cœnobij diœcesi obscuritas, euidenter affirmat, vniuersis per Sistaricensem & Diensem diœceses regionibus, tabularia vetustissimis tum defecta fuisse tabulis, per Hunnorum Longobardorum, & Saracenorum latrocinia.

24 Anno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, Henricus episcopus interfuit donationi prædij rustici Dominicanis, à Beatrice Comite Prouinciæ, ædificando Balmæ in aream monasterio. Non ingratum fortasse lectori faciam, si tabulas, quibus ea continetur, attulero. Non ignobile quondam cœnobium vna Druentia diuidit à Sistarico: & veteres chartæ fere placent per se, nonnihilque habent quod ad multiplicem siue vsum, siue delectationem lectores suos detineat. Eas accipe. *Notum sit omnibus, quòd anno Domini 1248. 5. idus Augusti nos Beatrix Dei gratia Comitissa, Marchionissa Prouinciæ, & Comitissa Forcalquerij donamus, & titulo perpetuæ valituræque irreuocabilis donationis concedimus, tradimus, ad honorem Dei, & B. Virginis Mariæ, pro anima carissimi domini nostri Raimundi Berengarij, claræ memoriæ Comitis Prouinciæ viri nostri, & in remissionem peccatorum ipsius, & pro anima nostra & parentum nostrorum, vobis Raimundo Attenulpho, & Vuillelmo Clementi, fratribus Ordinis Prædicatorum, recipientibus nomine proficuo, & vtilitate Ordinis dicti, ferraginem nostram, seu terram, quæ est apud Balmam, in eius territorio, contiguatur ab vna parte ferrago, seu terra S. Marcelli, & ab alia ferrago, seu terra Bremundi Mercatoris, via quâ tenditur apud Valernam, secundum quod dicta ferrago, seu terra durat in longum latumque, cum iuribus, & pertinentiis, &*

appen

appenditiis,& continentiis,& omnia quæ dicta ferrago,ſeu terra continet, & quæ in ea continentur,quæque ſint,& qualitercunque ſint,ſiue ſint pretioſi lapides,aurum,vel argentum,metallum,ſiue pecunia repoſita,arbores & fructus, & his ſimilia,& demum omnia quæ ſunt in dicta ferragine, ſeu terra, euidenter, ſeu clàm contenta à cœlo vſque ad abyſſum donamus,tradimus,& concedimus perpetuò vobis,fratribus,& Ordini veſtro prædictam ferraginem,ſeu terram.....ſuperiùs..... ad habendum, tenendum, poſſidendum, conſtruendum, ædificandum, & ordinandum in ea monaſterium,locum conuentualem,eccleſiam,cœmeterium, domum, ſeu domos vobis & Ordini veſtro..... ad plantandum viridarium, hortum faciendum, & ſeminandum,& omnia liberè faciendum,quæ vobis,& Ordini veſtro placuerit faciendum in eadem ferragine ſeu terra. Actum fuit hoc in camerariis dominæ Comitiſſæ dictæ apud Siſtaricum. Teſtes vocati & rogati fuerunt dominus Henricus Siſtaricenſis epiſcopus,dominus B. Foroiulienſis epiſcopus, domina Mabilia Comitiſſa Forcalquerienſis, Fulco de Trans baiulus dictæ dominæ Comitiſſæ Prouinciæ, Gaufridus de Taraſcone iudex eiuſdem vrbis,& baiulus de S. Symphoriano, Durandus monachus S. Andreæ, Petrus de Camareto Foroiulienſis canonicus, & ego Petrus Augeri publicus notarius, qui mandato dictæ dominæ Comitiſſæ Prouinciæ Beatricis,hanc chartam ſcripſi, & ſignaui. Ad maiorem conſtantiam roburque firmitatis,nos prædicta Beatrix Comitiſſa Marchioniſſa Prouinciæ, Comitiſſa Forcalquerienſis,præſentem paginam iuſſimus ſigilli noſtri munimine roborari in teſtimonium rei, teſtis vt ſit futuris,& præſentibus memoria ſempiterna. 25

Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono fuit 4.nonas Decembris contentio inter Canonicos Siſtaricenſes & Forcalquerienſes de Epiſcopi electione:Henricus epiſcopus eam Lugduni arbitrio ſuo diremit in hæc verba. *In primis quòd quotieſcunque,& quandocumque eccleſiam Siſtaricenſem vacare contingerit,Siſtaricenſes canonici vnà cum canonicis Forcalquerienſibus per nominationem,vel poſtulationem,ſeu electionem Siſtaricenſi eccleſiæ prouideant. Et ne aliquod ſcrupulum inde oriatur,hoc ſic determinamus. Ex quo conſtiterit de vacatione eccleſiæ Præpoſitus Siſtaricenſis qui pro tempore fuerit,& ipſo deficiente vel abſente Archidiaconus,& ipſo deficiente,vel abſente Sacriſta,& ipſo deficiente,vel abſente Præcentor, de conſenſu canonicorum præfatorum, mittat certum nuntium cum litteris ſuis Forcalquerienſi præpoſito & canonicis reſidentibus & præſentibus, per quas ſignificet vacationem eccleſiæ, & diem electionis præfixam. Continentem ad minùs ſpatium quindecim dierum à tempore denuntiationis numerandorum. Ad quam diem teneatur venire præpoſitus Forcalquerienſis ſolus vel cum ſociis,vel alius,vel alij de quibus videbitur Forcalquerienſibus canonicis,qui vnus, vel plures vocem omnium canonicorum Forcalquerienſium qui commodè vocari potuerunt,vel ſaltem præſentium habeat,vel habeant,vel ſi maluerint omnes vadant,& cum Siſtaricenſibus canonicis chorum Siſtaricenſis eccleſiæ intrent, & ibidem ſibi prouideant de paſtore. Et ne detur diſſenſioni locus,ſi contingat partes fieri,ita quòd Siſtaricenſes vnum,& Forcalquerienſes alium ſibi vellent præfici, & pár ſit numerus hinc inde,ſuperioris arbitrio relinquatur, quem duxerit acceptandum de electis, vel poſtulatis: Ex quo..... erit, vtraque eccleſia teneatur recipere, & eidem obedientiam, & reuerentiam exhibere. Quòd ſi ad diem non venerint,vel miſerint, ex tunc Siſtaricenſes canonici ſibi prouideant, ſicut ſibi videbitur faciendum. Aliter prouiſio facta, irrita ſit ipſo iure; & ad contemptos, ius prouidendi,per ſuperioris ſententiam deuoluatur. In prima tamen prouiſione,quæ occurret facienda,volumus* 26

quòd dominus Hugo S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, vel ipso deficiente dominus episcopus Foroiulienſis qui nunc est, vice ac nomine Sistaricensium, ac Forcalquerienſium canonicorum, & capitulorum, Sistaricensi ecclesiæ prouideat de pastore. Ista Henricus. Sed hîc vnum tacere non possum.

27 Henricus anno incerto euasit in Archiepiscopum Ebredunensem: Quis ei succesſerit me latet. Humbertus ex Ordine Prædicatorum assumptus est in episcopum; & Burellanus scriba de eo sic loquitur. *Oppressus per curiam regiam tempore illustrissimi domini Caroli primi Siciliæ regis, Prouinciæ, & Forcalquery Comitis, & diuersis grauaminibus aggrauatus, liberè dimisit episcopatum Sistarici, & eum resignauit, & apud Lugdunum, vbi postmodum permansit, diem*

Hũbertus 1.

28 *clausit extremum.* A quo hic vir acceperit oppressum à curia regia non inuenio. Vt de Caroli regis & æquitate, & pietate nihil dicam, profectò Beatus Antoninus titulo 23. capite 1. docet rediisse ad Dominicanos, oppressione curiæ regiæ factum vt rediret non docet. Sanctus vir addit mortuum esse anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono: vnum ergo aut alterum, à dimisso episcopatu annum, non plures, egit in monasterio. Sed illius in episcopatu tempora ex veteribus chartis eruamus.

29 Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, fuit ei neſcio quid contentionis cum Hoſpitalariis Manuascæ. Isnardus de Charenteſio pro eo agens vnum habet quod tacere non possum. *Bertrandus*, inquit, *filius Comitis Guilelmi, cuius corpus nuper* (ſcilicet anno 1245.) *defunctum in domo Militiæ Templi apud Limasiam sepultum est.* Vuilelmum loquitur Geraldi Amici Sabranij & Adelaidis, quæ Guilelmi ex Forcalquerienſium Comitum gente vltimi Comitis soror erat, filium. Hic Geraldum fratrem æmulatus amauit Milites Templi, & apud eos sepeliri voluit. Certè de Geraldo ipsius fratre repertorium chartarum theſauri (vt loquuntur) apud Aquas ſextias regij habet ſequentia. *Anno 1209. mense Decembri Magister Hoſpitalis Templi Prouinciæ recepit in fratrem & donatum G. Comitem Forcalquery in vltimis ſuis.* Hæc

30 de Bertrando afferre visum est, quoniam omnibus de gente, ſeu Forcalquerienſi, ſeu Sabrania ſcriptoribus sunt ignota, & vehementer faciunt ad cognitionem eorum, qui poſt Guilelmi junioris Bertrandi, & Iaucerandæ filij anno 1208. mortem Forcalquerienſes dicti sunt Comites, quia ex Adelaide illius sorore orti, nonnullis Comitatus pagis ex ipsius hæreditate dominabantur. Itaque Guilelmus Bertrandi & Geraldi & frater Guilelmo juniore mortuo se anno 1208. menſe Decembri, dixit *Dei gratia Comitem Forcalquerienſem*, & anno 1228. *Fecit homagium Raimundo Comiti Prouinciæ de tota terra ſua Comitatus Forcalquery*, ex repertorio chartarum regij apud Aquas Sextias

31 theſauri. Sed ad Humbertum episcopum reuertamur. Cùm ei, Sistaricique canonicis, esset illo ipso anno primo, & quinquageſimo, alia neſcio quæ contentio cum Hoſpitalariis Manuascæ, canonici octauo calendas Auguſti aſſensi sunt volenti compromittere. Sed hæc leuia sunt, magnum profectò & in omnem partem illustre dixerim, quòd 12. calendas Septembris ab Vuilelmo Germanorum imperatore accepit literas in hæc verba: *Nos Humberto venerabili episcopo, & ſucceſſoribus ſuis, & ecclesiæ Sistaricensi, castra, munitiones, villas, & oppida, & ſpecialiter castra Lurij, & Laduncelli cum pertinentiis ſuis, quæ sita sunt in diœceſi Sistaricensi, & à nobis, & ab imperio immediatè tenentur: & episcopi Sistaricenſes, qui ibidem pro tempore fuerunt dictum castrum Lurij tenuerunt*

runt ab antiquo,& à tempore cuius non extat memoria. Vide quid Vvilelmus 32
imperator asserat. Docet Lurium Sistaricensis episcopi castrum,fuisse quondam *immediatè* subjectum imperatori, Comitemque Prouinciæ nihil proinde juris in illud habuisse, ac episcopum supremo illo jure principem ipsi præfuisse, quo Colonienses, Moguntini, Treuirenses, aliíque nonnulli Germanorum antistites, non paucis vrbibus, oppidis, pagis dominantur. Si vera dixit Burellanus scriba, cùm asseruit Humbertum à regia curia oppressum fuisse,existimauerim ego ab istis Vvillelmi literis factum esse,vt ab ea opprimeretur. Sicilicet regij Prouinciæ Comitis judices ad illa indoluerunt, Lurienséſque vexauere, & ad suum tribunal eos vi traxerunt, qui vnum Germanorum imperatorem supra episcopum sibi dominum esse occlamabant. Vt vt hoc habeat,non puto ego Carolum regem eas ægrè tulisse literas.Profectò Comes Prouinciæ post centum & sexaginta quatuor annos die decima tertia mensis Aprilis edixit de libertatibus Lurij,vt videre est in regio Aquis Sextiis tabulario, registro (vt loquuntur) *armorum* pagina 283..... autem Dinienſis episcopus in statutis anno..... ita scripsit: *confirmamus caput de non extrahendo homines de Lurio ab ipso loco cùm sit de imperio;*sub. & vni supra episcopum imperatori subjectus sit. Quod autem de Laduncello adjungit Vvilelmus,ita intelligendum est, vt cùm Laduncelli pago,seu castro,dominarentur,clientes tamen essent antistitis.Atque si quid ex antiquorum pietate procerum licet colligere, putabam fuisse quondam vnum ex Laduncellanis aliquẽ,quí pro non inassueta illis temporibus consuetudine, Laduncellum concesserit episcopo, ab eo postea cum clientelæ onere recipiendum. Et verò ante annos sexcentos ipsi pagum domini te- 33
nuerant. Anno millesimo sexagesimo innominatus, Berengarius, & Claudius fratres ei dominabantur,atque centum post annos Lambertus, & anno millesimo trecentesimo octogesimo Berengarius,ac denique (vt plura non referam) Claudius anno millesimo quadringentesimo octogesimo.Quid? quòd ij etiam ante annos quingentos, cùm viri genere nobiles genti suæ nomen vnum faciebant, à Laduncello ipso dicti sunt, euidentissimo argumento,non episcopo pagum,sed ipsis tum fuisse subjectum.Atque non ante Vvilelmum Germanorum imperatorem,antistiti quidquam in illud juris fuisse legimus.An qui post annum 200.à 1000. dominabatur pago, ille est, qui Laduncellum dedit episcopo,& episcopus fecit vt non aliis quàm Lurium conditionibus suo subesse antistiti? *castra Lurij, & Laduncelli,* vt loquitur Vvilelmus Germanorum imperator, *ab imperio immediatè tenentur.* Sed ista hactenus dicta sint: ad asserendos Humberti episcopi annos redeamus.
Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Beatricis Prouinciæ 34
Comitis mandato,cum Falcone de Podio,Ricardo, Gaufrido de Tarascone, Artaudo domino de Venelis, Roberto de Leueno, tulit sententiam de æquitate,& antiquitate omnium per Forcalquerienſem Comitatum portoriorum,vt fusè tradidi libro 2.Manuascæ numero 47. Anno ejusdem sæculi quinto, & quinquagesimo,Henricus ex Sistaricensi episcopo Ebredunensis archiepiscopus, arbitrarius judex, damnauit Humbertο Sistaricensem Sacristam:Philippus Aquensis archiepiscopus eo ipso anno vniuit cum episcopatu sacras ædes Lurij Reuesti, Behunsij, & S. Martini de Nogheriis.
Longè grauius est,atque necessariò à me commemorandum quod sequitur, 35

Lambertus

Lambertus Laduncellius anno sexto, & quinquagesimo post millesimum ducentesimum nolebat se Humberti clientem dicere, & die vigesima sexta Ianuarij à Beatrice Prouinciæ Comite damnatus est. Vides Laduncellios pago, vnde ipsis gentilitium nomen erat, dominatos esse, quem Vvilelmus imperator numero 31. ad episcopum spectare asserebat. Existimabam episcopos à pluribus annis non postulasse vt se clientes dicerent, idque Lamberto fecisse animos negandi se clientem. Igitur principio literas à Germano um imperatore accepit antistes, quæ ipsius firmarent jura, & cùm toparcha illis non commoueretur, egit apud judices à Beatrice Camite constitu-
36 tos. Demum consequente anno Humbertus à Rostagno Gauterio de Reuesto emit aliquot prædia rustica, & iis emptis ad Dominicanos agente pietate rediit. Nam quæ de ipso ex verissimis chartis à me lectis hactenus retuli, ea omnino euincunt falsum esse quod numero 27. ille aiebat *diuersis* à regia curia *grauaminibus aggrauatum* ad monasterij repetendi consilia descendisse. Quem Beatrix Prouinciæ Comes episcopum dedit judicem toto Forcalquerienſi comitatu portoriis, quem dixit Laduncelli aduersante toparcha cliente dominum, is certè non potest non fuisse & ei, & ipsius curiæ gratiosus. Emptis verò illis, quæ dixi, prædiis sese abdicasse episcopatu hinc intelligis, quòd eo ipso emptionis anno, alius etiam ab Humberto fuit, post abdicationem scilicet, episcopus.

37 Alanus enim, vt Sanmarthani quoque testantur, anno millesimo ducen-
Alanus 2. tesimo quinquagesimo septimo, interfuit confirmationi priuilegiorum Massiliæ. Burellanus scriba de hoc antistite habet sequentia. *Parisiis oriundus rexit ecclesiam Sistaricensem nouendecim annis: qui multa ædificia ædificari fecit in diœcesi Sistaricensi, videlicet ecclesiam de Culein, & domos de Ybonicis, & de ciuitate Sistaricensi. Iste etiam crucem argenteam cum pede lato, & reliquias sanctorum Cosmæ, & Damiani legauit ad honorem Dei, & gloriosæ Virginis Matris eius, & glorioſi martyris Thyrſi in ecclesia Sistaricensi, vbi sepultus est ad latus sinistrum iuxta altare B. Mariæ Sistaricensis.* Et cetera quidem hujus episcopi non est animus oratione sequi: sed quod tradit, sedisse nouemdecim annos, accipe
38 ex chartis quæ illius per eos meminerunt. Alanus ab anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, exeunte fuit episcopus, vsque ad septuagesimum septimum ejusdem sæculi ineuntem. Iam dixi de extrema parte quinquagesimi septimi: de septuagesimi septimi principio hinc intelligis, quòd cùm Giraudus Alani successor episcopatum rexerit annos quatuordecim, vt postea videbimus, episcopales tamen chartæ affirmant è vita decessisse anno primo & nonagesimo post millesimum ducentesimum. Igitur lego Alanum sexto & septuagesimo illius sæculi tertio nonas Ianuarij emisse prædium nescio quod in Lurienſi agro. Sub finem anni, extremo Martio tum incipientis erat ille dies, qui nobis est ad initium. Sed eamus per singulos eos sapientissimi annos præsulis, de quibus agunt & aliæ, & episcopij ma-
39 ximè in libro, vt loquuntur, viridi chartæ. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, 3. calend. Ianuarij dedit collegio canonicorum Sistaricensium ecclesiam S. Geruasij de Beuontio, & ecclesiam S. Vincentij. Fuerat ei cum nescio quibus viris contentionis aliquid super Ybonicorum juribus, & Raimundus Arditi Forcalquerienſis Præpositus, atque Imbertus de Ausonis, arbitrarij judices, tulerunt sententiam de tota re anno illius sæculi sexage-

simo.

simo. Longè grauiora sunt quæ ipse Alanus super re Manuascensium pu- 40
blica anno sequente constituit. Non omnes olim habebant vrbem, sparsi
erant eorum plurimi per agrum. Vt enim docui libro primo Manuascæ, quæ
Manuascæ nomen habebat, erat vallis. In media stabat burgum, seu villa,
& circum villam castra duo, trésque pagi. Ab annis ducentis, & quod ex-
currit, ciues vniuersi conuenerunt in villam, euersisque castris & pagis ea in
vrbem non omnino modicam creuit, quæ muris per nouem omnino sta-
dia ductis, capit ciues ad decem millia. Cùm sparsim per agrum habitabant,
etexerant sibi templa ad Dei cultum in villa, castris, & pagis; atque curialia
quidem (vt de ceteris taceam) tria in villa, in castris verò, pagisque singu-
lis singula. Hæc omnia, præter Sanmarianum villæ, quod Sanuictorino- 41
rum ad Massiliam monachorum est, Geraldus Caprerius episcopus, post an-
num à millesimo sexagesimum tradidit Forcalquerienssium canonicorum
collegio, sed cùm vnius Sanmartiniani in cognomine castro positi potiren-
tur, ceterorum in alios collatione contenti, Alanus anno 1061. reliquorum
omnium quoque sacerdotia eis concessit cum totis prouentibus; supérque
vniuersorum, Sanmartiniani etiam, decimis sententiam tulit. Scilicet ante
eum annum dissidium erat de decimis omnino graue. Componere illud
summi alij viri aliis temporibus frustra contenderant, & demum Berenga-
rius Monachus Legatus Sanctægidiani Hospitalariorum Prioris, Vvilelmus
Marinus Rector, seu Prior sancti Saluatoris Manuascæ, & Pontius Burgun-
dio canonicus arbitrarij judices. In hos tamen inuenio conuenisse Raimun-
dum Arditi Forcalquerienssibus canonicis Præpositum, & Pontium Rainal-
dum Manuascensium syndicum actores. Vocabant syndicum, quem agen-
dis pro publica re forensibus causis annuatim elegerant. Nobilis, & ipsis
consulibus potior magistratus, ante centum & trigenta annos extinctus est.
Alanus ergo controuersiam omnem suâ sententiâ sustulit decimotertio ca-
lendas Martij. Sacerdotiorum causa faciliùs peracta est, non auditis scilicet, 42
neque vocatis Manuascensibus, ipse antistes, annuentibus solis Forcalque-
rienssibus canonicis, ad constituendas ipsorum, vt loquuntur, præbendas, ea
vniuersa cum suis prouentibus concessit. Res hæc in omnem partem insi-
gnis, prætermitti à me non debet; quia verò non potest apertiùs ac sync-
riùs enarrari, quàm ipsius episcopi qui eam gessit peregítque verbis, affero
illius literas.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo 43
ducentesimo sexagesimo primo, decimo calendas Aprilis. Notum sit omnibus homi-
nibus, & vniuersis, futuris, & præsentibus, quòd congregato Capitulo Forcalque-
riensis ecclesiæ, vocatis priùs ad Capitulum, canonicis foraneis & absentibus, qui
debebant interesse, provt eorum nomina sequuntur, per literas citatorias, mihi exhi-
bitas & ostensas, præsentibus autem in eodem Capitulo D. Alano Dei gratia Sistari-
censi episcopo tanquam vocem habenti, domino Raimundo Ardito Præposito, & Petro
Gibelmo Sacrista, & magistro Arnaudo Priore, seu Rectore ecclesiæ Petraruæ, & Gui-
lelmo Uesiano Priore, seu Rectore ecclesiarum Limantij, quarum vna dependens
est ab alia, & Iacobo de Charantasio Priore, seu Rectore Laincellij, & Picardo de
Charantasio Priore, seu Rectore ecclesiæ de Niauzellis, Raimundo de Charantasio
Priore, seu Rectore ecclesiæ Sancti Maximi sitæ sub castro Manuascæ, & Pon-
tio Martino, & Guilelmo Maurello, & Petro Rigaudo Præcentore, licèt esset

extra numerum, de gratia ad tractatum admisso, canonicis Forcalquerienſis eccleſiæ, cum de ordinatione præſentis eccleſiæ, & inter cætera cùm tractaretur de diuiſione & aſſignatione præbendarum pro qua cauſa præcipuè congregatum erat dictum capitulum, quia viſum fuit quòd prædicta diuiſio & ordinatio præbendarum conſtitui & fieri plenè non poſſet, niſi eccleſiæ ſuprà nominatæ quas tenebant dicti priores canonici, & omnes aliæ ad collationem dicti Capituli pertinentes, quas nunc temporis tenebant non canonici, ſcilicet eccleſia Montis acuti, & eccleſia S..... & eccleſia Sancti Sepulcri, & eccleſia de Totis auris, & eccleſia de Sagreriis, & eccleſia S. Hippolyti, & eccleſia de Ripis altis, & eccleſia S. Siffredi eſſent confuſæ & vnitæ capitulo Forcalquerienſis eccleſiæ. Et nos cum illis ſupradictis canonicis prioribus, ſeu rectoribus prædictarum eccleſiarum dictus epiſcopus ſimul inſtitutum poſtulantes, & eoſdem hortantes, vt vtilitatem communem ſociorum, & totius eccleſiæ præferentes propriæ, & priuatæ commoditati ſuæ, deberent ſupradictas eccleſias quas regebant dare & dimittere, ideo ad inſtantiam tam præfati Præpoſiti, quàm noſtram & Capituli, ſua liberalitate & benignitate ducti, ſimpliciter vnuſquiſque ſcilicet ſuæ eccleſiæ quam tenebat, renuntiauerunt in manus noſtras dicti Siſtaricenſis epiſcopi, recipientis nomine, & vice Forcalquericenſis Capituli, & eaſdem ordinationi, ſeu diſpoſitioni eiuſdem Capituli dimiſerunt. Noſque ſupradictus epiſcopus attendentes defectum & inſufficientiam prouentuum & obuentionum, quas nunc temporis Forcalquerienſis eccleſia patiebatur, reſpectu oneris ſumptuum quod incumbebat eidem, conſideratá etiam vtilitate & neceſſitate eiuſdem eccleſiæ, ad præſens, & in futurum, ad inſtantiam & requiſitionem, vt præmiſſum eſt, dicti Forcalquerienſis Præpoſiti & Capituli, inprimis eccleſiam ſupradictam de Totis auris eccleſiæ ſuprad. S. Saluatoris de burgo Manuaſcæ annectimus & vnimus, & vnitam perpetuò fore cenſemus, ſaluo cenſu quem facit dicta eccleſia de Totis auris eccleſiæ Forcalquerienſi. Item eccleſiam de Monte acuto, eccleſiæ S. Maximi ei vicinæ, quæ ſita eſt ſub caſtro Manuaſcæ annectimus, vnimus & vnitam perpetuò fore cenſemus, ſaluis cenſibus, quos vtraque facit eccleſiæ Forcalquerienſi. Item tam iamdictas eceleſias S. Saluatoris cum prædicta eccleſia de Totis auris ſibi annexa, quam prædictam eccleſiam S. Maximi cum prædicta eccleſia Montis acuti ſibi annexa, & eccleſiam S. Sepulcri de valle Manuaſcæ, ſaluis iuribus ad vitam ſuam quæ habent priores, ſeu rectores, ſcilicet S. Saluatoris, & de Totis auris, & S. Sepulcri, & Montis acuti in eiſdem, quàm alias vniuerſas, quæ ad collationem Forcalquerienſis Capituli pertinenere debent, ſcilicet eccleſiam, ſiue eccleſias Petraruæ, quarum vna dependet ab alia, & eccleſias de Limancio, ſcilicet S. Petri, & S. Georgij, quarum vna dependet ab alia, & eccleſiam de Laincello cum eccleſiis ſancti Babyli, & ſancti Simeonis dependentibus ab eadem, & eccleſiam de Niuzellis, & eccleſiam de Sagreriis, & eccleſiam ſancti Hippolyti, & eccleſiam de Ripis altis, & eccleſiam, ſancti Siffredi, cum omnibus iuribus & pertinentiis, & dependentibus ab eiſdem, epiſcopali autoritate annectimus, vnimus, & eaſdem omnes & ſingulas communitati Forcalquerienſis Eccleſiæ tanquam annexas & vnitas, nunc, & in perpetuum deputamus, ſaluo tamen iure noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum, & quòd in prædictis eccleſiis vniuerſis & ſingulis habemus, & habere debemus: item ſaluo iure in eiſdem eccleſiis..... provt de iure fieri poterit & debebit. Actum Forcalquerij infra eccleſiam beati Marij, ante altare, in præſentia ipſius Capituli, & canonicorum ſuperiùs nominatorum, & mei notarij, qui iuratus ea vice ad ſcribendum acta dicti Capituli vocatus fui.

Atque

Digitized by Google

Atque hæ ſunt literæ Alani, quibus curialium Manuaſcæ vallis templo- 45
rum omnium (Sanmariano excepto) prouentus & Sacerdotia concedit Forcalquerienſibus canonicis : Iis ſubſcripſerunt Siſtaricenſes canonici anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, nonis Aprilis. Ab eo tempore ad nos vſque, & earum eccleſiarum & ceterarum quos Alanus enumerauit, ſeu Sacerdotia, ſeu prouentus ad illos canonicos pertinent quorum vnorum neque auditis, neque vocatis Manuaſcenſibus aſſenſu, in ipſorum capitulo, atque vt iiſdem *ordinatio præbendarum* conſtaret, eſt conſtituta omnis res.

Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, idem epiſcopus, emit 46
domum Aquis Sextiis cum horto, ſolidis Turonenſibus ad tria millia, ſcilicet vt antiſtes, cùm ſiue ad principem ejúſve curiam, ſiue ad archiepiſcopum adibat, majore cum dignitate & commodo habitaret. Eam lego fuiſſe in burgo ſancti Saluatoris. Sequente anno *procurationes*, vt loquitur, quas Forcalquerij habebat, & menſuras aliquot, ſeu frumenti, ſeu hordei, quæ Laduncelli & Niozellis colligebantur, mutauit, eccleſiâ Petraruæ. Sexto autem & ſexageſimo illius ſæculi emit ad domeſticos vſus hortum Siſtarici : & 69. vineam in ejuſdem vrbis agro accepit à Raimundo & Bertrando de Mura fratribus. Hæc alicui fortaſſe modica videbuntur, neque ab eo commemoranda, qui res ab epiſcopis geſtas ſcribere ſuſcepit. Sed qui cogitauerit, vt non ſint per ſe magna, ex ingenti tamen in eccleſiam amore ab Alano prodiiſſe, is profectò illuſtria, & prædicanda eſſe fatebitur. Amor, cùm vehemens eſt, vt non aliquando ceſſet, minuta ſequitur, ſi quæ conſectetur ingentia non occurrant. Atque, vt hoc non ſit, maxima omnino cenſeamus oportet, quibus epiſcoporum tempora per ſuos annos, ſeu digeruntur, ſeu demonſtrantur. Eo ipſo nono & ſexageſimo anno poſt milleſimum ducenteſi- 47
mum, decimo octauo calendas Decembris Alanus conuênit de neſcio qua re cum Crocienſibus canonicis. Eum conſequente eccleſias B. Mariæ de Nogheriis, & B. Stephani de Malcot mutauit Ybonicorum eccleſiâ. Primo autem & 70. interfuit profeſſioni clientelæ regiæ ab Odone Vapincenſi epiſcopo : & ipſo ejuſdem anni fine, ſcilicet idibus Martij aſſenſus eſt Alaëttæ, ſeu Adelaïdi Medulloniæ Curbonis dominæ, & Siſtaricenſibus conſulibus Clariſſarum monaſterium poſtulantibus. De hoc monaſterio Antonius Pagy Minorita Conuentualis, anno 1660. die 17. menſis Auguſti ſcripſit in hæc verba ad Siſtaricenſem epiſcopum. *Eius ædificatio cepit anno 1285. quò ſe contulit Gerarda de Sabrano abbatiſſa monaſterij Auenionis eiuſdem Ordinis. Ædificatum erat extra ciuitatem, prope conuentum fratrum Minorum* &c. *Tranſlatum eſt intrà vrbem ab anno 1360. ob bellorum iniurias, ac fortaſſe etiàm ob Druentiæ, à qua non longè diſtabat, inundationes, quas omnino vitare non potuit, nam ex lapidis cuiuſdam inſcriptione ante ipſum monaſterium, conſtat aliàs aquarum inundationem plures ex religioſis præfocaſſe, ac partem monaſterij euertiſſe*, &c. *Facta eſt cum iſto vnio cuiuſdam alterius monaſterij* &c. Suſpicabar iſtud alterum (Benedictinum vulgò faciunt) quoniam erat, vt loquuntur nominationis regiæ, vnione illâ ſuâ feciſſe vt Clariſſæum jam olim fuerit, & nunc etiam ſit *nominationis regiæ*, vt addit idem Pagy, qui pergit in has voces : *Hodie monaſterium illud paruum, & humile eſt. Eccleſiam habet ſatis amplam, ac pulchram, religioſas duodecim, aut circiter,*

48 *cameras,ac publicas officinas maximè angustas.* Sed ad Alanum episcopum reuertamur. Is anno millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, interfuit conuentionibus Roberti Auenionensis episcopi cum Prouinciæ Senescallo. Igitur ego quidem non video cur Sanmarthani tomo 1.in Grimierio Aquensi Archiepiscopo scripserint sequentia: *Grimerius, seu Grimierius reiecta postulatione Sistaricensis Episcopi à capitulo factâ,Gregorius X. Papa eum promouit ad sedem Aquensem diplomate dato ad S. Crucem, 2. nonas Septembris 1272. vt patet ex epistola eiusdem Pontificis in regesto Vaticano.* Nam, vt vides Alanus anno 2.& 70. sedebat. Anno autem quarto & septuagesimo prioriſſa B.Mariæ de Combellis ei concessit sua omnia in B.Mariæ de Brossa prioratum jura: & consequente probauit ipse trigesimo primo die mensis Augusti,Forcalquerienſium canonicorum statuta quæ dicuntur, & eorum, vt etiam loquuntur,præbendas constituit. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, idibus Decembris,obtinet cum Senescallo Prouinciæ,& Roberto de Leueno ab Archiepiscopo Aquensi,& canonicis,*ciuibus Aquensibus ius boscandi in Petrolis, in Tolono, & in valle Veronica.* Apud Piton in historia Aquensi,pag.117. Anno demum septuagesimo sexto illius sæculi die vigesima octaua mensis Maij, Bertrandus Rollandi bajulus Hospitalis Montis-Mombroni illum seruauit indemnem à nescio qua Druentianæ aquæ fossa; & tertio nonas Ianuarij ipse prædium emit in Lurienſi agro.

49 *Petrus 3. Giraudi de Podio Michaëlis.*

Alano mortuo Petrus Giraudi de Podio Michaëlis anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, tertio calendas Nouembris electus est in antistitem ex Præposito Regienſi. Podiumne Michaëlis fuerit viri patria,an potiùs à familia,familiæve toparchia nomen ei fecerit, non possum dicere. Nam vox *Giraudi* ab exitu Prouincialibus familiari gentile nomen esse profectò conuincitur. *Virum sapientissimum* magno elogio dicit Burellanus scriba,ex antiquissimis abs dubio chartis, quæ res ab illo gestas referebant. Vnum addit, quod prætermittere nec velim, nec vt maximè vellem debeam. *Extruit palatium,* inquit, *& fortalitia Lurij.* Certè qui Lurienſem episcopi domum viderit,à Giraudo ante annos fere quadringentos exædificatam,ille vehementer mirabitur ei animos ad suscipiendum opus,& constantiam,atque scilicet pecuniam ad perficiendum suffeciſſe. Lurium saxeo colli impositum est,quem montosa circum omnis regio ceteris longe sublimiorem educit. Quacumque ingredi volueris,confragosus;& pro asperitate sinuosus ad illud ascensus est. In summo pagi vertice ampliſſima moles,eaque turrita surgit,prælongis in quadrum lateribus. Vbi ædes ad ipsam adjunctas intraueris,officinarum laudabis, & cubiculorum veram ad necessarios vsus oportunitatem. Sed qui amplitudinem aulæ attenderit, certè fatebitur nihil eam debere illis,quas principes viri, seu in maximis vrbibus, seu amœnis in agris ad nominis claritatem ostentant. Vnum verò est ad cujus conspectum nemo est qui non stupeat. Turrita illa moles, & spatiis vasta, & triplici contignatione sublimis fastigio concamerato clauditur, & tantâ stat parietum crassitudine, vt si ordinariæ argumenta structuræ non
50 essent in arenato,quod lapides jungit, saxum vnum vegrande è summo colle diceres eminere. Burellanus scriba pergit de Giraudo dicere sequentibus verbis. *Emit dominia,affaria,& bona quorumdam nobilium in castro Lurij, & multa alia emit,& acquisiuit,& multa alia bona fecit, & de multis reditibus ecclesiam*

Digitized by Google

ecclesiam Sistaricensem augmentauit: Placet ista fusiùs per partes tradere, [illegible] suos digerere annos. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, decimo calendas Martij conuênit cum Isnardo Iustacio de nescio qua re, Dominus hic erat Podij pini. Raimundum genuit ex Beatrice vxore, & Raimundus Pontium. Lego Iustacios Podij pini dominos habitasse Manuascæ, & primo Manuascæ libro num. 68. ex vrbano illius chartulario docui nobilitate generis quondam inclaruisse. Sequente anno emit *à Guilelmo Cornuti domicello de Forcalquerio totum affare cum iuribus* &c. *quod est in capitis de Lurio & Lebrignana, pretio centum librarum coronatorum, duodecimo calendas Februarij.* Anno millesimo ducentesimo octogesimo, conuênit cum Sistaricensium canonicorum collegio de Fano Geruasij, Beoutio, Fano Antonij, Panserio: Petrus de Fuxo Cardinalis Albanensis testatur ipsum anno millesimo ducentesimo octogesimo primo, interfuisse inspectioni corporis S. Mariæ Magdalenæ duobus antè annis inuenti à Carolo Salernitano, Siciliæ post Carolum patrem rege, Comitéque Prouinciæ: ita scribit in suis de sanctæ illius feminæ corpore, quod Sanmaximini in Prouincia colitur, tabulis. Consequente anno emit nonnulla prædia *in loco de Augeto:* concessit quoque *in emphiteosim perpetuam Raimundo Albæ* prædia quædam *Pansery*, vt habent tabulæ quas ea de re scriba conferit. Tertio autem & octogesimo illius sæculi emit *Reuesti infangati* nonnulla à Giraudo Isnardo; & centum ac tredecim *solidis coronatis* plurima alia *à Bernardo de Albenacio, domicello de Fontiana*, quæ ad illud vsque temporis *ipse tenuerat ab ipso domino episcopo, & eius dominio*, vt fert emptionis charta. Anno quarto & octogesimo post millesimum ducentesimum, nescio quam pecuniæ vim credidit Bernardo Iueni: quinto autem & octogesimo, die septima mensis Nouembris, conuênit cum Iacobo Bueymundi Præposito & canonicis Sistaricensibus de variis (vt vulgò loquuntur) *procurationibus debitis:* atque sextodecimo calendas Martias ejusdem anni exeuntis, interfuit Regiensi concilio. Anno millesimo ducentesimo octogesimo septimo, Bertrandus de S. Maximo se profitetur Giraudi clientem, ex vrbanis & rusticis quibusdam Lurij prædiis. Octauo demum & octogesimo ipse Antistes emit nonnunlla Petraruæ prædia. Res cæteræ à sapientissimo episcopo gestæ ad me non peruenerunt. *Diem clausit extremum anno currente Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo. Sepultus est* in Sistaricensi canonicorum basilica, *ante altare B. Mariæ*, vt lego in episcopij libro, quem vocant viridem.

51

52

Petrus de Alamanono nobilitate gentis, & vitæ sanctitate clarissimus, Petro Giraudi mortuo episcopatum adiit. Hic vir à puero instituta B. Dominici per omne genus virtutis ante Sistaricenses infulas secutus fuerat. Igitur Leander libro tertio de illustribus Dominicanis de eo scripsit in hæc verba. *Petrus de Alamanono episcopus Sistaricensis, nobilis genere, sed benignitate ac mansuetudine nobilior, exemplar & norma religiosorum, Carolo regi Prouinciæ Galliæ Narbonensis, sese comitem in omnibus præstitit, & à Siculis captum nunquam dimisit.* Hic Carolus est eo nomine secundus, Claudus cognomine, Caroli primi quem Ludouicus octauus Francorum rex genuit, filius. Aragonij, non Siculi, nauali prælio virum superauerunt, ceperúntque: igitur captiuum duxere in Aragoniam. Salerni principem appellabant. Neque tunc, scilicet per Caroli patris vitam rex erat: Siciliæ autem eo mortuo rex fuit, non Prouinciæ,

53 *Petrus 4. de Alamanono.*

uinciæ,quæ ante quadringentos annos,& multum de amplitudine ſua amiſerat,& regni nomen mutauerat nomine Comitatus.Sed Petri antiſtitis tempora in ſuos annos ex antiquis tabulis digeramus, quæ non paucæ docent rem epiſcopalem plurimum auxiſſe.

54 Ante ipſum epiſcopi emerant mediam Ybonicarum partem. Petrus anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio,mediam partem alteram pecuniâ comparauit. Sequente autem anno ſediſſe lego in charta,quâ Pugeto, Bodanenſis vallis pago,vicarium,vt loquuntur, perpetuum impoſuit. Ad Siſtaricenſes epiſcopos non ſpectat quidem quod ſequitur,ſed Balmæ Siſtaricenſium Dominicanos attingit, & eorum omnino intereſt. Raimundus Medullionius Ebredunenſis archiepiſcopus eo ipſo anno moritur, & Balmæ Dominicani ſacram ejus ſupellectilem (& domi eorum erat) ſibi capiunt. Scilicet in ipſorum cœnobio inſtituta B. Dominici profeſſus fuerat, & ad illud detulerant mortui corpus. *Raimundus de Medullione* (ſunt verba Leandri libro 3. de illuſtribus Dominicanis) *vir & nobilitate, & quadam animi lenitate conſpicuus, circa annum milleſimum ducenteſimum octogeſimum primum , eccleſiam Vapincenſem , iuſſu Pontificis gubernandam ſuſcepit. Deinde poſt non multùm temporis, Ebredunenſis ciuitatis archiepiſcopali infula donatus eſt. His enim duabus eccleſiis,annis tredecim omni cum laude præfuit. Verùm paulò poſt conuentum generalem per patres noſtros apud Montem Peſſulanum,quem ſuâ præſentiâ,compoſitione morum, ac virtutum elegantiâ ornauerat, diem ſuum deuotè obiit anno* 1244. *apud Buxum. Exinde verò ad cœnobium noſtrum Siſtaricenſe* (id. Siſtaricenſium Balmæ poſitum) *tranſlatus eſt.* Buxen-

55 ſe Dominicanorum monaſterium ipſe curauerat erigi à Medullionenſi dynaſta fratre. Sediſſe Alamannonum anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto,multa docent : Principio id ferunt *recognitiones* (ita vulgò appellatur clientelæ profeſſio) Lebrignanæ ; & ejuſdem vicariæ, ſeu procurionalis Sacerdotij collatio Paulo Almando Templario ad poſtulationem Martini Templariorum abbatis. Deinde Carolus Rex Comes Prouinciæ, quas libras quindecim,ex Sanſymphoriani prouentibus capiendas conceſſerat olim epiſcopo,eas libras quindecim illo ipſo anno mutauit Petroſianis, & Lebrignanæis ; fecítque præterea vt Hugo de Vicinis *mareſcalliæ magiſter*, & Prouinciæ Seneſcallus : nonnulla in Lebrignanam & Laduncellum jura antiſtitis:mutaret aliis opportunioribus quæ ad principem pertinebant. Denique Bonifacij Romani Pontificis octaui mandato,Petrus epiſcopus hoc eodem,& nonageſimo ſæculi anno,ſuos Dominicanos deduxit ad ſacrum illud antrum (ſanctam Balmam Prouinciales vocant) in quo Maria Magdalena Lazari ſoror plurimos exegit annos. Petrum Giraldi appellat ſcriptor de Magdalena Maſſilienſi aduena capite 29. & fallitur. Girardus , ſiue Giraudus,quatuor antè annis extremam diem obierat, & Alamannonius ab

56 ejus morte jam per annos omnino quatuor ſederat,vt ex ſuperioribus intelligis. Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto,Lebrignanæi ciues jam olim epiſcopi clientes, clientelam profeſſi ſunt. Septimo autem & nonageſimo Carolus Rex Comes Prouinciæ, duo conſtituit ad Petri, vt arbitrabar,preces. Regij apud Siſtaricum & Forcalquerium judices, epiſcopalibus intercedebant per loca epiſcopi ſubjecta judicibus,& prima, vt loquuntur,apud illos *inſtantiâ* contentione prohibebant actores. Carolus inſolen-

tiâ

tiâ rei commotus voluit sua, cohibitis judicibus regis, jura episcopalibus integra perdurare. *Redditus annuos* insuper dedit Alamannonio antistiti (sunt tabularum ab eo confectarum verba) *triginta librarum coronatorum Prouincialium, in villa de Lebriniana, & de Petrosio, pro restitutione dominij, & Lioncello, & quibusdam bonis quæ petebat episcopus in villa de Lebriniana.* Obscuræ voces. Significare videntur Carolum eam librarum vim dedisse pro Lebrinianæ, & Petrosij dominio, quod à principe quondã acceptum episcopus restituerit. Quã enim aliam dominij restitutionem significare putandæ sunt? cùm verò audis pro Lioncello etiam illas coronatorum libras antistiti à rege concessas fuisse, cogita pro Lioncelli dominio illo concessas quod numero 31. vidimus eâ ratione summum, quâ non pauci in Germania antistites suis imperitant vrbibus, vt cui pago episcopus sub imperatore *immediatè* præerat, postea sub Prouinciæ etiam Comite dominatus fuerit. Iam ab anno septimo, & nonagesimo post millesimum ducentesimum, meæ omnes charta de episcopo tacent, vsque ad primum & tertium à trecentesimo. Illo sedebat Petrus ex tabulis, quibus Petrus Crociensis abbas fertur emisse medietatem castri de Turre à Raimundo Garnerij de Manuasca milite. Isto Petrus interfuisse legitur professioni clientelæ à Rainaldo Porcelleto Diniensi episcopo editæ Comiti Prouinciæ. Petrum scripsi, non Alamannonium, quia lego non Alamannonium, sed *de rex* appellatum, qui sedebat anno ante illum tertium sexto. Scilicet Bernardus Guido Lodouensis episcopus, ejusdem cum Alamannio Dominicanorum Ordinis, in *registro fundationum conuentuum Ordinis* sui, tradit *Petrum de rex* fuisse Sistaricensem episcopum anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo; & cùm Carolus eo nomine secundus Siciliæ rex & Prouinciæ Comes, sanctorum virorum reliquias in thecam gemmis insignem induceret Aquis sextiis apud Dominicanos, quibus monasterium erigebat, clarissimo interfuisse Principis operi. Igitur si Petrus Alamannonius, ab Alamannono pago non cognomen, sed gentile nomen ducebat, profectò qui *de rex* fuit dictus, alius ab eo fuit. Verùm potest fieri, vt antistes *de rex*, seu *de rege* (sic enim Latinè reddas, quod Galli vulgò dicunt *de roy*) gentilitio appellaretur nomine, quem Alamannonium à paterno pago omnes, vt fere alios gente nobile viros, appellitabant. Placet tamen rem, quæ obscura est, lectoris arbitrio relinquere. Vtcumque ea habeat, Petrus Alamannonius extremam diem obit die primâ mensis Augusti, & *sepelitur in templo Dominicanorum* Aquensium, ex Burellano scriba, qui paulò antè scripserat sequentia. *Iste episcopus vir sanctissimus, fuit pissimus, elecmosynarius, & largitor bonorum suorum ad honorem Dei, ita quòd fere medietatem suorum redituum in piis eleemosynis pauperibus, viduis, & orphanis tribuebat: pontes, & multa hospitalia in Sistaricensi ditione fecit.*

57

58

Iacobus Gantelmi Petro siue Alamannonio, siue *de rex* mortuo, successu anno millesimo trecentesimo tertio, die tertia mensis Augusti, & per annos sex vsque ad trecentesimum decimum à millesimo, rexit ecclesiam Sistaricensem. Ingentium vir animorum secutus est Robertum regem Comitem Prouinciæ, pro summo Pontifice agentem apud Insubres, in Pedemontium ad Prouinciam illis temporibus adjunctum. Equite multo peditéque stipatus, docuit cùm Sacerdotis sit manus suas ad Deum pro Principe per bellum tollere, nihil indecori agere, si pro eo ipso suorum manibus pugnet.

59 *Iacobus 1. Gantelmi.*

gnet. Albæ Insubrum anno millesimo trecentesimo decimo vita functi cadauer, deportauere Sistaricum, & in Alani præsulis ante annos triginta mortui sepulchro condiderunt. Vnum hoc de illo ad me peruênit, ex Sistaricensis episcopi tabulario. Cetera vel in aliis tabulariis latent, vel omnino sepeliuit obliuio. Anno octauo post millesimum trecentesimum die secundâ, & vigesima mensis Aprilis, fecit vt Carolus Roberti pater rursus prohiberet Sistarici, & Forcalquerij judicibus, de Sistaricensis episcopi subditis ante omnem ab ejus judicibus prouocationem quærere. Id ante annos vndecim Alamannonio antistite prohibuerat, sed vt regij judices dabant pro principe populis jura, arbitrabantur nihil non sibi licitum esse. Eodem anno petiit à Manuascensibus die decima quarta Decembris, *sex millia Turonensium argenteorum*, abs dubio vt militem pro Roberto Comite cogeret, atque in Italiam duceret. Quid Manuascenses ei responderint non lego.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM SISTARICENSIVM
LIBER QVARTVS.

Raimũdus 1.

1 RAIMVNDVS de Oppeda post Iacobum sedit antistes, electus à Canonicis Sistaricensibus & Forcalquerienſibus anno 1310. die 2. Augusti. Sub episcopatus initia anno millesimo trecentesimo vndecimo, vocauit Ybonicenses ad clientelæ professionem. In illis censentur (vt præcipuos afferam, ad posterorum, si qui superſunt, nomen) Isnardus, Vincentius, & Matthæus, fratres de gente Vincentia, Guilelmus Saunerij, G. Raynaudi, Isnardus Saunerius, Guilelmus Allandi, Petrus Sisino, Iacobus Riperti, Hugo Clementis, Matthæus Habrannete, Iacobus Alfedi, se dixerunt clientes flexis genibus, manibúsque junctis. Res acta est prima die mensis Maij. Neque aliud de hoc præsule ad meas manus peruê-
2 nit. Tempus, etiam per quod episcopales tulit infulas, tacent meæ omnes chartæ. Sanmarthani in Gallia Christiana, asserunt Rostagnum illo ipso anno vndecimo, jam episcopum interfuisse homagio, quod Bertrandus Arausicanus princeps præstitit Roberto Regi Comiti Prouinciæ. Sed Guilelmus & Bernardus scribæ in tabulis, quas de eo homagio conficiebant, docuere præstitum nono, non 11. sæculi anno. Scriptores ergo illi videntur Rostagnum pro Raimundo accepisse, cùm R. initialem, solum pro integro nomine positum, legerent characterem. Hic ille Bertrandus Baucius est, qui anno 1308. principatum à Tiburge de Arausica matre in Vvilelmum, & Rambaldum filios, anno millesimo centesimo quinquagesimo bifariam diuisum, primus integritati suæ restitutum accepit, Carolo secundo Roberti regis patre, partem eam Orgono, & aliis pagis mutatam concedente, quam Tiburgis Vvilelmi filia, & Raimbaudus Giürannus conjux concesserant Hospitalariis.

3 Raimundus autem ab anno illius sæculi vndecimo ad secundum & quadragesimum vsque sedit. Decimoquarto fuit ei contentio cum Pontio Iustacio, qui Podio pino dominabatur. Is Raimundo patre mortuo regeba-

tur

tur à Beatrice matre. Hæc moletrinam imposuerat Druentiæ fluuio ad Ricaui agrum, inconsulto episcopo pagi domino. Res mihi ignotæ fecerunt, vt ante quartum & decimum sæculi, annum nemo aduersus Pontium ejusque matrem egerit lege. Quod sapientis & benigni erat Antistitis, eo Raimundus conuenit cum ipsis die decimo quarto mensis Septembris. Eodem anno iuit ad Concilium Constantiense, deditque Raimundo Talono Præposito Forcalquerienſi, facultatem vniendi collegio suo ecclesias Forcalquerienses B. Mariæ. B. Ioannis, & B. Petri, quas anno consequente vniuit die 12. Ianuarij anno pòst quarto, qui fuit octauus decimus supra millesimum 4
trecentesimum, Ioannes Romanus Pontifex eo nomine secundus & vigesimus vnum fecit, quod Præsulis non parum intererat. Luræ duabus à Sistarico vrbe leucis monasterium est. Fulco de Alsonicis cum Fresolo, & Raimbaudo fratribus, aliique à me commemorati libro 2. num. 49. ante annum millesimum centesimum septuagesimum, Petro Sabranio episcopo, etexerunt monachis Boscaudono vocatis. Putabam locum in quo B. Donatus, vt habes in superioribus libro 1. num. 20. & sequentibus diu vixit, ac denique mortuus est, habitum pro sacro, & sanctitate suâ fecisse vt illud excitarent. Vtcumque hoc habeat, tanto pietatis nomine nobiles viros totis regionibus 5
proximis ad sui venerationem adduxit, vt intra 100. à sua origine annos magnas in opes eorum munere creuerit. Igitur Alexander Romanus Pontifex eo nomine quartus anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto in suis ad Lurenses monachos literis tradebat habere, præter locum in quo positũ est, *S. Mariam de Reali, S. Petrum de Lampsone, S. Geraldum de Podio pino, S. Mariam de Dumans, S. Petrum de Roceto, S. Nazarium; ecclesias Roche, de Vols, de Clausſone, de Clauacumba*, multáque prædia, & jura Massiliæ, Aquis sextiis, Manuascæ, Forcalquerij, Misone, Ribiezi, Molcore, Relianiæ, Curelli, Monlauri, Reuesti, Alsonicis, in Fanis Michaëlis, & Stephani, aliisque in oppidis, & pagis. Quibus autoribus, quibus ex causis factum sit non lego, factum tamen 6
est, vt post annum millesimum trecentesimum monachi cogitauerint sese Auenionensibus canonicis adjungere; & qui Sistaricensi suberant episcopo, se suáque eo post habito submittere Auenionensi, concessâ etiam illi, quæ monachis ad eam diem à Summo Pontifice attributa fuerat, constitutione abbatis. Atque demum res eò deuênit, vt Ioanni vigesimo secundo sua consilia probauerint, qui, in istas voces edixit.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Præposito & Capitulo ec- 7
clesiæ Auenionensis, Ordinis S. Augustini, & abbati & conuentui monasterij de Lura, Ordinis S. Benedicti, Sistaricensis diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Vniuersali ecclesiæ licèt immeriti præsidentes, continuâ resedimus attentione solliciti, vt sic status cunctarum ecclesiarum, & ecclesiasticorum locorum prosperis successibus dirigatur, quòd spiritualibus, & temporalibus autore Deo proficiant incrementis. Ex tenore siquidem vestræ petitionis accepimus, quòd inter dilectos filios vicarios episcopatus Auenionensis, autoritate Apostolica constitutos, & vos filij Præposite & Capitulum ex parte vna, & vos filij Abbas & Conuentus, super vnione & incorporatione de monasterio vestro cum suis membris, ac bonis, juribus, & pertinentiis vniuersis eidem ecclesiæ faciendis habitus & formatus, præmissa diligẽti deliberatione tractatus extitit in hunc modũ. Videl. quòd factis perpetua & reali 8
vnione, & incorporatione prædictis, nomen dignitatis Abbatis ejusdẽ monasterij nullatenus

tenus mutaretur, & perpetuò appellaretur communiter Abbas de Lura in ecclesia Auenionensi. Quòdque idem Abbas ac omnes, & singuli eiusdem monasterij beneficiati, administrationes, & beneficia quæ obtinebant, tenerent in posterum sicut priùs, ipsiusque monasterij monachi, qui tunc erant, ac essent pro tempore, ecclesiæ Auenionensis canonici vocarentur; & in monasterio ipso professi, in eadem ecclesia pro professis canonicis haberentur, superpellicea sicut veri canonici Auenionenses deferrent, ac de vestiario, & aliis, per Abbatem ipsius monasterij prouideretur iisdem. Et nihilominus duodecim de canonicis eiusdem monasterij, personaliter perpetuò iuxta ordinationem Abbatis eiusdem monasterij qui nunc est, & esse continget in futurum, eodem Abbate in ipsorum numero computato, residerent in monasterio supradicto; reliquis autem octo canonicis in beneficiis, & administrationibus quæ obtinent, facturis residentiam personalem. Et insuper eodem Abbate cedente, vel decedente, huiusmodi ordinatio ad Auenionensem Episcopum qui esset pro tempore, ac dictos Præpositum, & Capitulum pertineret; ac ipso Abbate viuente, ad eum pertineret creatio canonicorum in monasterio supradicto, vsque ad præfatum viceſimum numerum; & ipsorum leuis prima correctio pleno jure: ad eumdem verò Episcopum maior correctio, & in criminibus etiam per viam appellationis, & simplicis querelæ, vel aliter immediatè ad eumdem, Episcopum pertinebit. Scabellum autem in choro, & locum in capitulo, ac refectorio ipsius Auenionensis ecclesiæ, & vocem, idem Abbas, & successores immediatè post memoratum Præpositum obtinebunt. Ad hebdomadam verò in eadem ecclesia Auenionensi faciendam, dicti Abbas & successores minimè adstringantur, nisi quatenus ad illam faciendam supradictus Præpositus est adstrictus. Eisdem quoque Abbati, & successoribus, de generali prouidebitur ecclesiæ supradictæ, sicut antedicto Præposito prouidetur. Itaque Abbas, & successores, absentes ab ecclesia supradicta, nequaquam in minimis negotiis vocabuntur, sed vocabuntur
9 in maioribus, & arduis in eadem ecclesia ordinandis. Præterea prædictus Episcopus, sicut Archidiaconatus, & Sacristiæ eiusdem ecclesiæ Auenionensis, ipsius ecclesiæ confert canonicis, sic eiusdem abbatiæ confert dignitatem. Et nihilominus ipso Abbate cedente, vel decedente, iidem episcopus & Præpositus ac Capitulum, de beneficiis ad eamdem abbatiam spectantibus, sicut de beneficiis eiusdem ecclesiæ prouidebunt, de quibus habebit idem Abbas, dum vixerit, prouidere. Beneficiati namque canonici monasterij supradicti, qui Priores, vel rectores ecclesiarum existunt, necnon & Decanus, & Sacrista dicti monasterij ad electionem ecclesiæ Auenionensis cùm fuerit facienda, pro tempore, vocabuntur, aliis præfati monasterij canonicis, etiam si grangiarij fuerint, vel clausirales ad electionem eiusmodi aliquatenus non vocatis. Ceterùm dicti Abbas, & successores, erunt de stricto consilio Capituli supradicti, sicut Archidiaconi ipsius ecclesiæ Auenionensis fore noscuntur, ac certas in eadem ecclesia libertates habebunt, quas præfati Archidiaconi virtute priuilegiorum Apostolicæ sedis, vel quouis alio modo obtinent in eadem. Ac ipsius monasterij canonicis, cùm eos ad ecclesiam Auenionensem applicare contigerit, prouidebitur, sicut sancti Pauli de Mauzeolo, & sancti Michaëlis de Faigeleto canonicis est fieri consuetum. Pro quibus etiam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus fiet in Ecclesia supradicta, sicut pro canonicis ipsius ecclesiæ viuis, & defunctis fieri consueuit. Quotque in

gene

Digitized by Google

generali citatione, & receptione canonicorum ipsius ecclesiæ Auenionensis, tot ponent canonicos Abbas & successores prædicti, quot ponere continget Præpositum memoratum. Licebit etiam eisdem Abbati, & successoribus, extra dictam ecclesiam Auenionensem, prope tamen, vbi moretur, & comedat, habere hospitium; iacebit tamen infra clausturum, ipsius ecclesiæ necessitate cessante. Quare nobis humiliter supplicastis, vt huiusmodi tractatum admittere, dictaque incorporationem & vnionem concedere dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, tractatum eumdem admittimus, & monasterium præfatum cum omnibus membris, bonis, iuribus, & pertinentiis suis, eidem ecclesiæ Auenionensi, autoritate Apostolica incorporamus, perpetuò annectimus, & vnimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ admissionis, incorporationis, & vnionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenione decimotertio calendarum Iuniarum, Pontificatus nostri anno secundo. 10

Quid mentis Raimundo episcopo fuisse putas, cùm has Romani Pontificis literas vidisset? Cetera seu latent ignotis in tabulis, seu per cariem, temporúmve injuriam, æterna obliuione sunt sepulta. Certè abbas Luræ post annos centum, millesimo scilicet quadringentesimo decimo septimo, obedientiam Roberto Sistaricensi episcopo non sine sacramento professus est. Vtcumque hoc habeat, lego tamen in sæcularizatione, quam vocant, canonicorum Auenionensis Ecclesiæ sequentia. *Abbatiam de Lura Ordinis S. Benedicti, Sistaricensis diœcesis Ecclesia Auenionensi olim vnitam, & ab ea dependentem, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, dictæ mensæ Capitulari assignamus, ita & taliter, quòd deinceps nullus eiusdem Ecclesiæ canonicus, seu alia persona in dicta Abbatia institui possit.* Istam sæcularizationem edidit Iulianus Cardinalis de Ruvere, ex mandato Sixti IV. Pontificis, anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo, 4. calend. Iulij. Lurensis Abbatia non est annexa nunc temporis collegio canonicorum Auenionensium, & monasterium quod olim viginti monachos capiebat, illis defectum, vix se olim stetisse demonstrat non magna ruderum multitudine. Raimundus adiit quidem Auenionem non multos post annos, sexto scilicet ac vigesimo sæculi vocatus ad Concilium, sed non lego egisse tum in eo de Lurensi cœnobio. Synodus extra vrbem habita est in Sanrufensi templo. Anno post eam secundo Rostagnus Raimundo successit. 11

Anno millesimo trecentesimo trigesimo sexto, occurrit illi nescio quid cur arbitraretur futurum, vt absumerentur tabulæ, quibus Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes, Reuestum pagum episcopo quondam concesserat, igitur voluit: vt ipsarum apographum, in longe plures annos scil. duraturum, consignaretur manu regij scribæ. Anno post decimo, qui sextus & quadragesimus sæculi erat, contentio fuit Officiali ipsius cum Aquensi, & damnatus prouocauit per priorem S. Baudilij. Per modica, fateor, res est hæc, neque de se digna quæ rebus præclarè ab episcopo gestis misceatur: sed magni esse omnino censendum est, quòd, vt alioqui habeatur pro nihilo, nostrorum episcoporum annos temporáque demonstrat, ducit, digerit. A sexto & quadragesimo sæculi, vsque ad nouum & quadragesimum annum, nihil lego de Sistaricensibus episcopis. 12

13 *Petrus 5. Auogradi. Geraldus 4.*

Petrus Auogradi nono isto sedere cepit ex tabulis Vaticanis Autorgadum alij vocant. Successerítne Rostagno, quot annos sederit, quo sedere desierit, quem denique successorem habuerit non inuenio. Geraldus post eum sedit, sed an ipsum exceperit non possum dicere. Vnum affero, sediisse anno tertio & sexagesimo post millesimum trecentesimum. Scriptus manu liber est in manibus meis, quo judiciaria omnis causa de sanctitate vitæ, & miraculis Dalphinæ virginis, in S. Elzearij conjugio annos septem & viginti moratæ, continetur vno & nonaginta capitibus comprehensa, de quibus rogati Philippus Ierosolymorum patriarcha, Anglicus Auenionensis episcopus, Guirannus de Simiana Casanouæ dynasta, aliíque viri ad octo & sexaginta responderunt Ioanni Archiepiscopo Aquensi, & Ioanni episcopo Vasionen-

14 si quæsitoribus. Vrbanus his duobus tertium addiderat Geraldum, Anglici Auenionensis episcopi frater, Romanus Pontifex; sed Sistaricensis episcopus negotia excusauit. Placet voces excusantis afferre, vt viri prudentiam, & in exequendo episcopali munere constantiam demireris. *Doleo admodum, quòd in commissione tam honorifica non mihi detur vobis adjungi*, (respondet Aquensi, & Vasionensi præsulibus) *ab aliquo enim tempore collaboro ordinandæ meæ diœcesi, restituendæque disciplinæ, ob episcoporum absentiam collabanti, cui operi satis arduo multum temporis est adhuc connitendum, nec possum intermittere absque maximo detrimento animarum meæ à Deo sollicitudini commissarum; & nisi pergatur, quidquid feliciter actum est, conuulsum ibit. Datum in castro nostro Lurij*, 18. *Martij*, 1363.

15 *Petrus 6. Bertoldus.*

Neque diu post Geraldi literas episcopatum rexit Petrus. Nam ex Manuascensium Carmelitarum chartis Petrus anno consequente erat episcopus. Petro quoque longa non fuit in episcopali munere mora. Bertoldus anno quinto, & sexagesimo post millesimum trecentesimum, in bulla quadam aurea Caroli quarti Germanorum imperatoris, dicitur cancellarius vice Cunonis Archiepiscopi Treuirensis. Sed quod Petro factum fuerat, vt Sistarici modicum sederet tempus, hoc ipsum Bertoldo eucnit: eodem enim quinto anno post sexagesimum à millesimo trecentesimo, Geraldus à prædecessore Bertoldi alius interfuit Aptensi concilio, cujus acta Ebredunenses canonici seruant in suo tabulario. Ad id conuenerant Prouinciales episcopi cum suis archiepiscopis Arelatensi, Ebredunensi, &

Geraldus 5.

16 Aquensi. Is tamen non multò post viuere desiit. Scilicet lego in Manuascensium consulum diario, mortuum esse anno millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, & qnatuor de suo senatu viros, ab illis Lurium missos, qui sui antistitis funeri vniuersorum ciuium vice interessent. Honore non aliàs vlli præsulum delato docuerunt se Geraldo, & alia, & hoc debere, quòd cùm sibi eo ipso anno ab hostibus timerent, clerus omnis in communi patriæ periculo, pecuniam illius mandato contulerat ad murorum fossarumque restitutionem, & vniuersum bellicum apparatum. Lego eâ damnasse Franciscum de Caiarbo Priorem sanctæ Mariæ, die decima quinta Iunij. Vasconum principio, deinde Hispanorum, quæ vulgò dicebantur *Societates*, omnem circum Manuascam regionem, importunissimo latrocinio diripiebant vastabántque.

17 *Rainulphus.*

Geraldo mortuo Rainulphus Innocentij sexti ex sorore nepos episcopatu donatus est. Hic vir Monteruci, (Montyrac à Gallis appellatur)

Digitized by Google

tur) in Lemouicibus natus, è vita excessit Romæ. Seluæum gente facit Frisonius in Gallia purpurata, è qua gente fuit Georgius de Selua Vaurensis sub annum millesimum quingentesimum trigesimum episcopus, Ioannis in Parisiensi curia præsidum primi filius. Ipse in testamento se dicit Rainulphum de Cruco; neque Seluæum fuisse, aut illum, aut Petrum Cardinalem ex cujus fratre ortus est, vllæ ejus temporis chartæ significant. Quid? quòd lego neque apud Lemouicenses, neque etiam apud Gallos, Seluæorum gentem ante annos centum quinquaginta, & quod excurrit fuisse. Qui primorum Parisiensis cu- 18
riæ præsidum elogia nuper edidere, aiunt Mediolano in Galliam venisse. Fabianus Georgij Vaurensium episcopi auus ille est, ipsis autoribus, qui cùm Legatus equitum grauium turmam duceret, fixit apud Aruernos sedem. Markæus (*de la Mark* vulgò dicitur) Comes illi equitum turmæ præfectus, tum pro rege tenebat Aruerniam: Igitur ex Lucretia de Canillac vxore Ioannem progenuit. Is cùm Parisios deuenisset, primùm in curia Senator, deinde primus præsidum fuit. Nonnulli volunt anno illius sæculi quarto, & decimo præfuisse Burdegalensi curiæ præsidem primum, & quintodecimo Mediolanensi: verùm anno sexto, & decimo, cùm esset consiliarius in Parisiensi curia, præfectus fuit primæ decimarum in Bituricensi archiepiscopatu collectioni, cum Thoma Paschali inquisitionum præside, & Francisco Disgue consiliario, vt ipse Franciscus rex docet in literis, quibus eo anno die decimotertio mensis Septembris illis agenda præscribit. Vtcumque res habeat, Rainulphus qui nominatur Borse, & di- 19
citur canonicus Tornacensis ab Vrbano Pontifice in literis de episcopatu datis, jam Sistaricensis antistes, anno millesimo trecentesimo septuagesimo, Manuascæ basilicam vnxit hominum Saluatori; & cùm post annos octo ad cardinalatum euectus fuisset, mortuus est Romæ anno millesimo trecentesimo octogesimo secundo, vt legere est in sepulcrali inscriptione, quam ejus conditorio in istas voces imposuerunt. *Hic jacet R.P.R. dominus Raynulphus tituli S. Potentianæ Presbyter Cardinalis, natione Lemouicensis, de genere domini Innocentij Papæ VI. qui in hoc titulo suo monachos constituit. Anno* 1382. *die* 15. *mensis Augusti.*

Post Rainulphum sedit Artaudus, & quidem illo ipso anno 1382. ex ta- 20
bulis, quas Petrus Cortasse Aptensis episcopi secretarius, sua in officina ve- *Artaudus.*
teribus instructissima chartis habet. In aliis tabulis præterea lego sedisse annis tertio, quinto, septimo, ac nono supra millesimum trecentesimum octogesimum. Tuchini (ignota mihi est origo nominis) infestum Prouinciæ vniuersæ genus hominum, ab anno tertio, & octogesimo vsque ad nonum & nonagesimum eam latrociniis peragrauerunt, duce Raimundo Turenio Bellifortis Comite. Quæ grauissimarum injuriarum causæ? Guilelmus Raimundi pater Ludouicum Andium Ducem, Ludouici Prouinciæ Comitis patrem, & adoptauerat in filium, & Bellifortis Comitatu donatum dixerat hæredem ex asse. Igitur omnes totis regionibus pagi, oppida, vrbes sibi timere, parare arma, mœnia instaurare. Cucuronum vi ceperant, imminebant Pertusio. Artaudus Manuascæ anno illo tertio fecit, vt quod ciues à Romano Pontifice mandatum clericis acceperant

de pecunia in mœnium restitutionem ab anno ceptam conferenda publi-
21 caretur, suamque vim haberet. Anno autem quinto fuit Arelate, cùm ciues, Ludouici Andegauensis, à Ioanna Regina Comite Prouinciæ adoptari, filium, admiserunt in Comitem. Septimo anno Franciscanorum, qui Obseruantes vocantur, cœmeterium lustrali aqua sacrauit Manuascæ, vt habet charta de re in perpetuam ejus memoriam à tabellione scripta. Nono anno die 7. Iulij, interest conuentionibus Mariæ Reginæ Siciliæ, cum Ioanne le Maingre Marescallo Franciæ. Guichenonus in historia Sabaudiæ aduertit missum Auenionem ad inducias cum Duce Sabaudiæ à Ioanna Regina faciendas. Puteanus libro de juribus Regis Francorum in varias regiones paginâ 79. recitat induciarum capita, & addit scripta fuisse anno millesimo quadringentesimo, Artaudumque Episcopum: ea scripsisse pro Maria Regina. Sederitne postea diu Artaudus, & quis illi successerit, non dicunt chartæ meæ. Saurinus Sistaricensis ecclesiæ Theologus in aduersariis suis de Sistaricensibus episcopis, significat Nicolaum successisse Artaudo, & Nicolao Raimundum secundum. Sic loquitur. *Raimundus d'Oppede eligitur episcopus Sistaricensis anno millesimo quadringentesimo. Bulla Clementis ad Archiepiscopum Aquensem.* Et post aliqua. *Ioannes vigesimus tertius, decimo tertio calendas Martij, Pontificatus sui anno quinto, Constantiæ dat facultatem Diniensi episcopo, ratificandi transactionem, initam inter Robertum episcopum Sistaricensem, & habitatores castri de Lurio: vbi dicitur Nicolaus Præcessor Roberti*, quem videbi-
22 mus anno quadringentesimo, & sequentibus antistitem. Sed Ioannis tertij & vigesimi bullam, neque in Constantiensi concilio, neque in aliis codicibus typo editis diu & accuratè quæsitam reperire potui. Eam fortasse Saurinus in suo Sistaricensium Canonicorum tabulario legit. A Clemente autem epistolam, quæ illa de Raimundo traderet, scriptam esse vix crediderim. Nam quæ tandem causæ potuerunt facere, vt Clemens VII. (is scilicet Pontificum Romanorum, eo post annum millesimum quadringentesimum nomine, primus vixit) scriberet de electione Raimundi ante ipsum annis centum viginti, & quod excurrit facta? Vt vt hæc habeant, Nicolaus asseratur, per me licet, post Artaudum episcopus, & post Nicolaum Raimundus, tamen eo ipso quadringentesimo post millesimum anno, quo Raimundum sedisse dicitur in illa Clementis Pontificis bulla, Robertus Sistaricensem rexit ecclesiam, ex fideli charta apud Manuascenses in vrbano tabulario à me lecta: Igitur cùm sedere Sistarici post ceptum ille desiisset, hic ante finitum cepit. Ab eo anno ad sextum vsque sæculi & trigesimum, episcopales tulit infulas, vt intelligitur ex chartis quæ ipsius episcopatum memorant.

23 *Robertus.* Ante annum quartum & decimum à quadringentesimo, magnum est in meis omnibus tabulis de ipso silentium. Quarto & decimo (incipiebat is tum à die quinta & vigesima Ianuarij) Sistaricenses canonici eo episcopo conuenerunt cum Franciscanis Minoribus in hæc verba. *Fratres Minores pro tributo, & pensione, siue censu, dent & dare teneantur perpetuò semel in anno, virum florenum auri valoris solidorum sedecim pro nunc currentis capitulo, quem portare teneantur, & soluant in signum veræ amicitiæ, & subiectionis, in Capitulo generali quod tenetur crastino die Assumptionis Virginis: canonici scilicet prætendentes quartam partem legatorum ipsi conuentui factorum, & multa super funera* &c.

ra &c. Pro canonicorum collegio stabant (erit fortasse quem juuet vtriusque partis virorum accipere nomina) Raimundus Ripert Præpositus, Bertrandus Chaissius, & Guilelmus Felesius canonici; pro Franciscanis verò Guilelmus Martini magister in sacra pagina, Ioannes Blegerij Guardianus, Raimundus Fabri, Raimundus Bonoculi Lector, Guilelmus Rame, Bertrandus Boneti, Guilelmus Merceri, & Elzearius Boniparis. Testes verò fuerunt Guido Crispini jurisperitus, Prioretus Laideti notarius, & vrbis syndicus, Iulianus Baudoni procurator Roberti episcopi, Crispinus Crispini notarius. Anno quinto & decimo die decimatertia mensis Aprilis, Ludouicus secundus rex Comes Prouinciæ concessit Roberto confirmationem *libertatum* (vt loquuntur) seu prærogatiuarum Lurij. Rei chartam habes in Aquensi regis archiuo, registro quod appellant *armorum* pagina 283. Anno septimo decimo die quinta & decima Ianuarij, Audoinus Giraudi abbas Luræ Roberto obedientiam non sine sacramento pollicitus est. Vides, quas de Lurensium monachorum vnione cum Auenionensibus canonicis literas scripsit Ioannes secundus & vigesimus, non habuisse vim suam, Sistaricensi episcopo, vt ego quidem arbitrabar, vehementer, pro re scilicet, obsistente. Nam quid ei parêre potuerunt, si Auenionenses erant canonici, & ab eorum collegio, episcopoque apti cum abbate pendebant? Anno octauo & decimo Galbertus Sparronis Prior, & Crociensis canonicus Roberto, qui Crociensis etiam Abbas erat, obedientiam juratus promisit. Anno tertio, & vigesimo Robertus celeberrimas illas pro Forcalquerienſibus canonicis literas scripsit, quibus & confirmant à plurimis ante ipsum episcopis concessa; & non pauca præterea ipse dabat. Quia longiores sunt, non placet integras exscribere: non possum tamen committere, vt sequentia ex illis non decerpam. Cùm dixisset se omnia ab iis qui ante ipsum fuerant, episcopis concessa confirmare, ita subjunxit. 24

Ceterùm ad singulas concessiones, donationes, exemptiones, & priuilegia vobis concessas, & concessa per prædecessores nostros specificè descendentes, quia reperimus ecclesiam B. Marij à nostris prædecessoribus fuisse fundatam; & ecclesiam concathedralem fuisse & esse nominatam, in qua fuerunt atque sunt Præpositus, & duodecim canonici, cum personatu Sacristiæ, & officio Præcentoriæ, canonico conferri solitæ, & sex clerici beneficiarij, & duo Presbyteri ad seruitium altaris, vnus pro curato annuali, duoque clericuli, necnon duo Subsacristæ, qui ad pulsationem campanarum ordinantur, & plures alij Sacerdotes in dicta ecclesia capellanias habentes, de nocte & die famulantes; ipsamque fundationem sic, vt præmittitur, per prædecessores nostros factam, laudamus, & approbamus, eique autoritatem, & consensum præbemus. 25

Item quia comperimus in vestris prædictis chartis & instrumentis, quòd præpositura, canonicatus, clericaturæ, & omnia alia beneficia, personatus, dignitates, & officia, atque capellaniæ in dicta ecclesia S. Marij fundatæ fuerunt & sunt per concessionem retrò Pontificum prædecessorum nostrorum, data atque concessa, datæ atque concessæ, ad vestrorum Præpositi & Capituli Forcalquerienſium collationem, & omnimodam dispositionem, nobis aut Vicario nostro in dictis collationibus per vos faciendis minimè requisitis, hanc etiam concessionem, ac donationem laudamus, approbamus, & emologamus, & si indigueritis, de nouo concedimus, & donamus, hoc adhibito quòd annis singulis teneamini nobis præsentare illum, quem duxeritis in 26

cura

cura animarum eligendum in dicta ecclesia S.Mariȷ,pro eide mper nos de dicta cura animarum collatione facienda, sicut & quemadmodum facere consueuistis.

27 *Item quia inuenimus diligenti informatione præcedente, quòd in villa Forcalqueriȷ fuerunt pro fundatione dictæ ecclesiæ B. Mariȷ,Præposito & Capitulo ejusdem ecclesiæ donatæ, atque concessæ, videlicet ecclesiæ nostræ dominæ de Mercato, S. Petri,S.Ioannis, S.Siffredi, B.Mariæ de Feaugeris, & S.Erigiȷ,villæ & territoriȷ Forcalquerienſis,cum omnibus,& ſingulis juribus,& pertinentiis ſuis,necnon cum decimis bladi,& vini,& omnium aliarum rerum,& aliis obſeruationibus & emolumentis ſuis vniuerſis.Hanc igitur conceſſionem, atque donationem laudamus ſimiliter, & approbamus,illique aſſentimus,atque ratam, & firmam habemus.*

28 *Item quia per dicta veſtra priuilegia,& per prælibatas conceſſiones & donationes vobis factas inuenimus,quòd ad vos Præpoſitum & Capitulum,& collatio,& totalis diſpoſitio dictarum eccleſiarum noſtræ Dominæ de Mercato,S.Petri, S.Ioannis de Forcalquerio,S.Siffredi ejuſdem territoriȷ, B. Mariæ de Feaugeris,& S.Erigiȷ pertinent,& ſpectant pleno jure,hanc conceſſionem,hócque priuilegium laudamus, approbamus,ratam,& firmam habemus,hoc tamen adhibito,quòd in beneficiis curatis actu teneamini illum,quem duxeritis inſtituendum,nobis præſentare pro eidem collatione animarum facienda.*

29 *Item quia ex dictis priuilegiis,& donationibus conceſſis per retrò Pontifices prædeceſſores noſtros didicimus,quòd pro fundatione eccleſiæ prædictæ S.Mariȷ, eccleſiæ S.Martini,S.Saluatoris de Manuaſca,S.Ioannis ejuſdem loci,S.Sepulcri, B.Mariæ deTotis auris extra muros Manuaſcæ,necnon eccleſia de Monte acuto,& multæ aliæ eccleſiæ in dicta valle Manuaſcæ conſtitutæ,quæ latiùs in veſtris exprimuntur conceſſionibus,fuerunt donatæ,atque conceſſæ,cum omnibus juribus ſuis,atque decimationibus,emolumentis, ac obuentionibus vniuerſis per dictos prædeceſſores noſtros. Hanc igitur pariter conceſſionem,atque donationem approbamus,atque laudamus, noſtrúmque conſenſum præbemus & autoritatem.*

30 *Item reperimus in dictis veſtris priuilegiis,quòd collatio & totalis diſpoſitio eccleſiarum prædictarum in villa,& valle Manuaſcæ conſtitutarum, quæ in veſtris exprimuntur priuilegiis,vobis Præpoſito & Capitulo pertinent,& ſpectant pleno jure.Hanc igitur conceſſionem,hócque priuilegium laudamus,approbamus,ac ratificamus,eique noſtrum conſenſum,& autoritatem præbemus; hoc tamen quod ſequitur nobis retento,quòd in beneficiis actu curatis dictarum eccleſiarum,teneamini nobis præſentare, quos duxeritis in eiſdem eccleſiis inſtituendos, pro eiſdem cura animarum per nos conferenda.*

31 *Item comperimus tenore priuilegiorum veſtrorum prædictorum, quòd eccleſiæ de Limantio,de Laincello,& de Niauzellis,fuerunt vobis dictæque eccleſiæ Forcalqueriȷ conceſſæ,atque donatæ per prædeceſſores noſtros cum omnibus juribus,& pertinentiis ſuis,decimationibus,obuentionibus, & emolumentis vniuerſis.Hanc equidem conceſſionem,hócque priuilegium laudamus,& approbamus, ratúmque & firmum habemus,noſtrúmque conſenſum & authoritatem eidem perpetuò præbemus.*

32 *Item didicimus,atque inuenimus per eaſdem veſtras conceſſiones,& priuilegia per dictos prædeceſſores noſtros facta atque donata,quòd collatio & omnimoda diſpoſitio prædictarum eccleſiarum de Limantio,& de Laincello,& de Niauzellis, ad vos Præpoſitum & Capitulum pertinent & ſpectant Iſtam pariter conceſſionem, hócque priuilegium laudamus,& approbatum,& firmum habemus,noſtrúmque conſenſum, paritérque autoritatem eiſdem conceſſioni,& priuilegio præbemus pariter & donamus,*

Digitized by Google

mus, retento nobis hoc quod sequitur, quòd per vos videlicet in dictis ecclesiis actu curatis institutos, vel instituendos, teneamini nobis præsentare pro cura animarum eis conferenda.

Item nobis per eadem priuilegia, & concessiones prælibatas, constat quòd vobis dicto Præposito in solidum collatio, atque totalis dispositio ecclesiarum siue hospitalium S. Lazari de Forcalquerio, & S. Lazari de Manuasca pertinet & spectat pleno jure. Concessionem hujusmodi, atque priuilegium laudamus, approbamus, & ratificamus, eique præbemus consensum & autoritatem nostram. 33

Item comperimus facta diligenti examinatione in dictis vestris concessionibus, priuilegiis, atque libertatibus per vos nobis exhibitis & ostensis, quòd nostri prædecessores, præcipuè domini Frondonus, Geraldus Caprerius, & Bertrandus, quòd cùm ad nos de jure communi quarta pars mortalagiorum, seu legatorum ad pias causas pertineat & spectet, verumtamen vobis & ecclesiæ vestræ B. Marij illam 4. canonicam quæ debetur episcopo in, & super legatis piis concesserunt, in legatis videlicet tantummodo, & duntaxat quæ fieri in posterum contingeret ecclesiæ prædictæ B. Marij, & omnibus aliis ecclesiis sibi subjectis, & suprà in præsenti nostro indulto expressatis, & in vestris priuilegiis magis plenè mentionatis. Illam etiam concessionem, hócque priuilegium ratum & firmum habent laudamus & approbamus. 34

Item comperimus serie dictorum vestrorum priuilegiorum per prædecessores nostros concessorum, per nos diligenter examinatorum, quòd licèt, vt prædictum est, quarta pars mortalagiorum, seu legatorum ad pias causas nobis pertineat, jure ordinario verumtamen dicti prædecessores nostri vobis concesserunt, atque donauerunt tertiam partem quartæ partis nobis de jure debitæ super legatis ad pias causas factis, seu faciendis ecclesiis constitutis citra montem Luræ ab illa parte, & citra locum de Mala fogassa descendendo ad flumen Druentiæ, per totas has nostræ diœcesis inferiores partes. Hanc igitur concessionem pariter ratam habentes laudamus & approbamus, consensumque nostrum præbemus, & præstamus nostram ordinariam autoritatem, ordinantes, atque mandantes nostro animarum procuratori præsenti, atque futuris, quatenus dictam tertiam partem quartæ partis nostræ, dum & quando exegerit, soluat integraliter, & perfectè procuratori vestrorum Præpositi & Capituli, sine contradictione quacumque, quoniam sic fieri volumus, jubemus, atque concedimus. 35 36

Multa alia Robertus addit, quæ singula verbatim referre neque fuerit magni vsus, & non parui fuerit operis. Ea summatim afferre tamen placet. Principio confirmare pergit ea, quæ ante ipsum episcopi concesserunt, & concedit ipse quoque *tertiã partem iuris, seu seruitij synodatici, quod solui consueuit in Synodo quæ tenetur ad Sistaricum de ecclesiis tantùm & duntaxat constitutis infra limites prædestinatos, videlicet à monte Lura, & loco de Malafogassa, citra per partes istas inferiores, sicuti ecclesiæ ipsæ nominatim designantur in polegio Synodali; & quartam partem decimarum* ad episcopum spectantem *in ecclesiis S. Marij, & aliis sibi subjectis in Forcalquerio, & in valle Manuascæ, S. Maximo, Laincellio, Limancio, & Niozellis*; ac demũ cetera, *reseruato jure visitationis, & comparationis synodalis super ecclesia S. Saluatoris de Manuasca, super ecclesia de Laincello, super ecclesia de Limancio, & super aliis ecclesiis actu curatis vobis subjectis, extra tamẽ locum, & territorium de Forcalquerio.* Post eorũ confirmationem quæ ante ipsũ episcopi concessere, Robertus addit tria. Primò *procurationes* 10. quas episcopus annuatim habebat in ecclesia S. Marij, *in quarum qualibet* Capitulũ soluebat 25. *solidos*, reducit ad tres procurationes, singulas solidorum quinque & viginti præter primam solidorum quadraginta, primam in Synodo, 37

secundam in chrismatis confectione, aut collatione sacrorum Ordinum, tertiam quando episcopus *duxerit pro libito voluntatis dictam ecclesiam visitare. Si* tamen (subjungit) *Synodus* non ab ipso episcopo, sed ab episcopi *Vicario, aut Officiali teneatur.* Primam vult esse solidorum tantùm viginti. Secundò extinguit *Vicarium* S. Martini Manuascæ, & ejus omnes prouentus vnit cum Forcalquerienſi præpositura; & ecclesias ejusdem S. Martini, S. Sepulcri, & Totarum aurarum vallis Manuascæ tollit à polegio, vtpote carentes parochianis, & eximit ab omni procuratione episcopali, & synodali comparitione, reseruato sibi *seruitio quatuor librarum ceræ pro qualibet trium ecclesiarum,*
38 *in festo Natiuitatis Domini.* Tertiò sic loquitur. *Quia non decet seruos Dei, præcipuè pro leuibus causis litigij, vagari, ne propterea diuinum seruitium minuatur, informatique de sententia prolata per quondã dominum patriarcham Antiochenum, qui sententialiter cognouit & declarauit vos Præpositum & Capitulum posse cognoscere, primámque cognitionem habere de causis leuibus, quæ oriri possent pro diuino Officio exercendo inter seruitores dictæ ecclesiæ B. Marij, aut pro administratione bonorum ejus, vel distributione, vel aliis pro causis quæ circa negociationem vestrorum prædictorum Præpositi & Capituli: & nihilominus, si quid verbis pro præmissis fuerit injuriosè prolatum, infra ecclesiam vel septa præposituræ dictæ ecclesiæ, pos-*
39 *sitis, & valeatis injurias ipsas verbales disciplinâ arbitrariâ coërcere. Eapropter horum præmissorum consideratione, vobis, & successoribus vestris perpetuò concedimus, quòd de causis hujusmodi attingentibus diuinum Officium, necnon negotiationem rerum, & administrationem Capituli, aut ratione earumdem administrationis, & negotiationis injuriis verbalibus; & nihilominus de debatis quæ oriri possent inter beneficiatos, & singulares personas perpetuò de vestro Capitulo, super finibus & juribus præbendarum, necnon distributionibus, emolumentis, & ob uentionibus dictæ ecclesiæ, possitis & valeatis cognoscere simpliciter & de plano sine strepitu judiciario, vestráſque ordinationes super hoc facere obseruare per subtractionem fructuum distributionum, & aliorum emolumentorum beneficiorum suorum; exercitio tamen censuræ ecclesiasticæ, eisdem Præposito & Capitulo conjunctim & diuisim penitus interdicto.* Hæc Robertus die quarta mensis Martij *cum deliberatione assistentis consilij, præsentèque Raimundo Riperti in præmissis omnibus, & in singulis, consensum, & assensum pro se & Capitulo Sistaricensi præbente:* Ea Sistaricenses canonici postea in generali Capitulo probauerunt die 7. & 10. mensis Augusti.

40 Annis vigesimo quarto, & vigesimo quinto sedere Robertum scripsit Artaudus Tauleri tabellio in chartis, quas Petrus Cortasse episcopi sui secretarius seruat Aptæ Iuliæ: trigesimo primo autem & trigesimo secundo, tabularum autor, quas de Sistaricensium canonicorum collegij reformatione edidit Bertrandus Rodulphus Dinienſis episcopus. Septimo & vigesimo Ludouicus tertius Siciliæ Rex Comes Prouinciæ concedit Neapoli die 24. Octobris ejus nepoti (Ioannes Crapone is erat) ad ipsius preces, jus quod regi cõpeteret ex emptione prædij in Prouincia, vt scripsit author Etruriæ Francicæ pag. 265. Gassendus in Dinienſis ecclesiæ notitia aduertit Bertrandũ hunc, ex actis Ioannis Filioli, obiisse diem extremam anno milleſimo quadringenteſimo trigesimo primo, die (vt ipse addit) sexta & vigesima Februarij. Verùm & statuta quæ Bertrandus anno 32. Diniæ concedit, docent errorem esse in illis Filioli actis; & istæ de Sistaricensis ecclesiæ reformatione tabulæ anno eodem secundo & trigesimo, die vigesima sexta Decembris

ab

Digitized by Google

ab eo ipso Bertrando obsignatæ, faciunt vt errorem esse nemo negare possit. Anno 3. & 30. sedisse legitur in charta nescio qua Aptensium canonicorum collegij. Anno demum 6. & 30. Robertus fecit duo quæ placet affere. Alterum est hujusmodi. Robertus erat Crociensis abbas, & ei Crociensique monasterio lis cum Sistaricensibus ciuibus *de castro, & toto territorio Consonani, ac nemore vulgò* appellato *Boesc romput*. Causæ contentionis ad rem nostram non faciunt. Illa quinto & vigesimo mensis Aprilis die, finita est venditione castri Sistaricensibus, quorum Legati appromisere Roberto annuatim florenos quingentos, ad diem natali Domini sacrum. Res acta est Crocij in templi odæo. Ei intererant Bertrandus Dalphini Sacrista, Monetus Gebellini, & alij Crocienses canonici; Antonius Bermundi dominus de Clareto, & Ioannes Guiberti Sistaricenses syndici, Ioannes de Quinsono, Prioretus Laideti, & Bonifacius de Mota à Sistaricensibus ad id missi. Atque hactenus de primo eorum capite quæ Robertus fecit dixerim. Alterum verò ita habet. Sistaricenses querebantur Officialem Lurij ab episcopo constitutum esse, qui à Sistaricensi non pendêret: Robertus ergo voluit ipsis hoc dare, vt à Lurienſi ad Sistaricensem liceret prouocare. Dies erat quarta & vigesima Februarij. Sed hîc vnum satis mirari non possum. Saurinus est, qui in aduersariis suis de Sistaricensibus episcopis secundum hoc caput scripsit. Vt verò videres certa dicere, addidit istas voces: *Notarius Raimundus Raimundi*, sub ille est, qui scripsit Robertum episcopum iussisse, vt à Lurienſi Officiali ad Sistaricensem prouocare fas esset, idque anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto die quarta & vigesima mensis Februarij. Ipse tamen idem Saurinus post aliqua sic habet. *Raimundus Taloni Præpositus Forcalquerienſis eligitur in episcopum Sistaricensem ab vtroque Capitulo* 24. *Februarij* 1436. Sub. post Roberti episcopi mortem, quem modò dixerat illis ipsis anno, mense, die, jubere vt à Lurienſi Officiali ad Sistaricensem liceret prouocatio. Nam quis arbitretur & Sistaricense & Forcalquerienſe Capitula in id conuenire potuisse, vt optimo præsuli post triginta ſex episcopatus annos ingererent viuenti successorem? Certè si quod de prouocatione à Lurienſi Officiali ad Sistaricensem, ex Raimundi scribæ autographo dicitur, verum est, vt verum esse omnino videtur; neque enim vir sapiens cogitabit falsa, vel Raimundum scripsisse, vel de Raimundo retulisse Saurinum, fatearis oportet, vt quod de Talono scriptum est, falsitatem non habeat, neque vt diem quo ab vtroque canonicorum Capitulo factum asseritur velis abnuere, Februarium mensem pro Martio acceptum esse; & cùm post illud de Officialibus die quarta & vigesima Februarij peractum Robertus paucos dies vixisset, Forcalquerienſésque canonici Sistaricum ad Comitia veniſſent, Talonum die quarta & vigesima Martij electum fuisse in antistitem. Sed, vt fatear ipse de me quod est, hîc hæreo ego. Neque ita mouet, quòd istud de Taloni in episcopum electione non apud alium scriptorem inuenio, & in vnis aduersariis lego, quæ, vt diligentes & omnium accurati rerum simus, ita fere scribimus, vt nihil non inter legendum annotemus, postea cùm scripta relegere, aliaque aliis, singula in suos annos digerendo, componere oportuerit, illa rejecturi quæ per se concidunt, certis & omnino veris non cohærentia. Magis mouet, quod in illis Saurini aduersariis sequitur. *Matrius episcopus Sistaricensis Renati regis nuntius ad Eugenium IV.*

41 42 43

Raimundus 3. Taloni.

Matrius 1.

anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo cum Arauſitano. Regiſtrum archiui Vaticani. Nam quis hic Mitrius? hactenus vnum legimus, quem omnes libri, ſeu manu, ſeu typo ſcripti, omnes tabulæ Gaſtinellum gente faciunt, & qui poſt Carolum anno hujus ſæculi octauo & quadrageſimo fuit epiſcopus. Verùm aliquid denique ſtatuamus, & quando non pauca ſunt de quibus vni viro credimus, vnis Saurini aduerſariis de Talono, déque Mitrio primo epiſcopis fidem habeamus.

44 Igitur anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, die quarta & vigeſima menſis Februarij, Raimundus Talonus Forcalquerienſis Præpoſitus electus eſt epiſcopum à Siſtaricenſibus & Forcalquerienſibus canonicis, & cùm egiſſet in epiſcopatu annum ſequentem, aut vitio creatus excidiſſet epiſcopatu poſt modicum tempus (inuenio quippe in præpoſitura perduraſſe anno 1438.) Mitrius ignotæ gentis vir illi ſucceſſit, octauóque & trigeſimo anno, ad Eugenium IV. Pontificem Romanum, à Renato Rege Comite Prouinciæ cum Arauſicano antiſtite miſſus eſt. Cùm autem in epiſcopatu vſque ad annum ſæculi primum & quadrageſimum perduraſſet, Gaucherium de Forcalquerio habuit ſucceſſorem. *Gaucherius de Forcalquerio*, vt habet Antonius Pagy Minorita Conuentualis in literis ad Siſtaricenſem epiſcopum ſcriptis, *ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Protonotarius, domini Papæ referendarius, in poſſeſſionem epiſcopatus Siſtaricenſis miſſus eſt die quinta Februarij anno* 1441. *Notario Artaudo Toleri apud Petrum Cortaſſe* Aptenſem Notarium.

Gaucherius de Forcalquerio.

45 Eodem, aut ſequente anno Raimundus Gaucherio ſucceſſiſſe dicendus eſt, ſi Auguſtinum Panicium in ſumma Concilij Baſileenſis placet audire. *Decembri menſe* anni 1442. inquit, *Ferdinandus Dux Calabriæ*, Alphonſi *Regis Aragonum filius, nuntium Baſileam miſit, qui ſuo nomine obedientiam, reuerentiamque concilio exhiberet in omnibus, quæ patri ſuo contraria non eſſent. Sed cùm nuntius ille Ducem Calabriæ appellaſſet, Raimundus epiſcopus Siſtaricenſis, nomine Renati Regis proteſtatus eſt illum non eſſe Ducem Calabriæ, quoniam regnum Neapolitanum ſpectaret ad Renatum non autem ad Alphonſum occupatorem, & Ducatus Calabriæ ad Ioannem Renati filium: Ferdinandum ſpurium eſſe, & nihil ad eum de regno Siciliæ. Hæc redarguit Panormitanus, multúmque accuſans Siſtaricenſem, quòd ſine mandato Renati ea faceret, quæ facere non poſſet. Præterea quòd impugnaret Alphonſum, & filium, Concilij Baſileenſis fautores; & tueretur aduerſarij* Eugenij IV. *amicum.* Hæc Panicius de Raimundo epiſcopo.

Raimũdus 4.

46 Carolus quem Saurinus in ſuis aduerſariis vocat *de Bornaſſio*, ſedebat ſexto, ſeptimo, & octauo poſt milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum, ſeu ſexto ipſo, ſeu ante ſextum ignoto, in epiſcopum vnctus fuerit. Quia res hæc omnibus qui manu, aut typo de Siſtaricenſibus epiſcopis ſcripſere ignota eſt, juuabit eam ex publico Manuaſcenſium tabulario fuſiùs tradere. Cùm è caſtris & pagis omnibus vallis Manuaſcæ, ciues vniuerſi ad villam in media ipſa poſitam denique confluxiſſent, noménque feciſſent vrbi, quæ capitam 10000. nunc capit, ſacerdotes hujus templorum curæ impoſiti, non erant pares oneri, neque aut omnem poterant populum ſacris imbuere, aut pro vrbis celebritate diuinas laudes canere. Igitur conſules à Forcalquerienſium canonicorum collego, quod decimas toto pene agro colligit, petierunt vt ipſorum augeret numerum. Vrbs & ante vrbem villa tres baſilicas curiales,

Carolus 2. de Bornaſſio.

les, Saluatorensem, Marianam, Ioanninam habuerat intra muros: sed cùm Ioannina defecisset, Marianáque ad Sanuictorinos pertineret monachos, ciues qui ex vniuersa valle, nunc alij post alios, nunc agminatim, vt tempora ferebant, conuenerant, aiebant ita rem postulare, vt cum ipsis sui commigrarent sacerdotes, & sacra in Saluatorensi templo curarent. Canonici quod postulatum fuerat, pernegarunt, asserentes debere se castris & pagis, eorúmque basilicis sacerdotes, non vrbi aut Saluatorensi basilicæ, cui suus cum solito comitatu sacerdos ministrabat. Ad judicũ tribunalia peruenerat contentio, 47
cùm denique visum est causam omnem arbitrio Caroli episcopi (agebatur sacra res) permittere. Carolus (hoc prænomine per totam dicitur chartam, & ea prælonga est, membranísque, pro illorum temporum more tredecim ingentibus, continetur) nihil prætermisit, quo rem totam componi posse videbatur. Sed tantis animis actores causam apud eum produxere, vt annos omnino tres tenuerit, ciuibus decimas deberi canonicorum collegio negantibus, si sacerdotes pro ciuium numero non concederentur; canonicis ajentibus Sacerdotes suos esse villæ, plures ei se non debere: suos etiam fuisse castris & pagis cùm stabant; quando nunc desierunt, non deberi illis mage qui in villam ex ipsis abierant, quàm si Massiliam, aut Lutetiam iissent cum omni familia. Vbi ergo Carolus (quando aliter expediri res non poterat) die nona & vigesima Aprilis edixisset videri sacerdotes duos Saluatorensibus adjungendos, neque placuit canonicis, & Manuascenses iniqua pronuntiasse exclamauerunt. Quot deinde annos Carolus in episcopatu egerit, quis eo morruo ipsum gesserit, nullæ, quod sciam, tabulæ referunt.

Anno sexto & quinquagesimo post millesimum quadringentesimum 48
Mitrius eo nomine secundus, gente Gastinellus sedebat: eo ad magnos Sistaricensis episcopi vsus, egit apud Calixtum Pontificem Romanum, vt vellet Crocicnse monasterium illi perpetuum esse. Burellanus scriba tradit Aquis sextiis natum, *paucis annis ecclesiam Sistaricensem rexisse.* Illum excepit Iacobus è Ponte. Lotharingus is erat, Renato scilicet rege, qui Prouinciæ comes erat, Duce Lotharingiæ. Sedisse annis quinquagesimo octauo, & sexagesimo primo post millesimum quadringentesimum docent chartæ à Stephano Chaluini tabellione scriptæ, quas Antonio Papy teste, in literis ad Sistaricensem episcopum datis, seruat Aptæ Petrus Cortasse episcopi Aptensis secretarius. Qui volunt episcopatum per annos omnino decem rex isse, falluntur: vt enim sexto & quinquagesimo ipso regere post Gastinellum, eo ipso antistitem, ceperit, certè octauo post anno desiit. Nam vt loquitur Barralis in chronologia Lerinensi, *anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, reuerendus abbas Andreas fuit per sanctissimum in Christo patrem, ac dominum Pium diuina Prouidentia Papam secundum promotus ad episcopalem dignitatem Sistaricensis ecclesiæ, ex abbate & monacho Lerinensi.* Pedemontanus erat Andreas. Vocabant nunc *de Fontana*, nunc *de Placentia.* nominum ignotæ mihi causæ. Ex infirmario Lerinensi, & Brianssonis priore in antiquissimi monasterij abbatem electus fuerat. Is anno sæculi septuagesimo homagium, vt loquuntur, præstitit Regi Comiti Pruinciæ pro Lurio, & ceteris qui in episcopi ditione sunt pagis. Octogesimo autem curauit ad principem Lerinensis templi aram pingi omnem sancti Honorati vitam, qui ex cœnobij

Mitrius 2. Gastinellus. Iacobus 2. à Põte.

49
Andreas de Fontana seu Placentia.

autore Arelatensis fuit episcopus. *Quo*, addit Barralis, *aliisque beneficiis acceptis, vt vicem benefactori conuentus Lerinensis rependeret, illius anniuersarium quotannis in præfata ecclesia Lerinensi celebrari constituit vndecimo calendas Maij.* Hæc verba non ineuidenter significant Andream eâ mensis Maij die mortuum esse: verùm annus quo extremam diem obiit est ignotus: eique igitur ignoto etiam anno successit Ioannes Scanardus, seu Escanardus *medicus doctor, natione Cænomanus*, vt tradit Burellanus scriba, qui pergit in hæc verba. *Multa ædificia, structuras, & domos pontificales reparauit, & maximè palatium Sistaricense, & domum abbatiæ Crocensis, & in castro Lurij plura erexit & construxit. Erat magni zeli ad suam ecclesiam, maximi exempli ad suam plebem, & ad suum clerum clari meriti. Post multa egregia opera, in natali suo & patria domo diem vltimum clausit.* De hoc antistite nihil ante annum sæculi octogesimum sextum habent chartæ meæ. Illo anno die sexta mensis Aprilis collegium canonicorum Forcalquerienſium ex templo S. Marij in arce posito in templum S. Mariæ *de Mercato* transtulit, & à S. Mario nomen ei fecit. Hoc templum in ipsa Forcalquerij vrbe situm est, illudque collegium etiam nunc habet. Anno sæculi septimo & octogesimo Prouincialibus comitiis interfuit die noua mensis Aprilis: & octogesimo octauo die vigesima octaua ejusdem mensi, sacerdotium ædiculæ in Sistaricensi ecclesia erectæ, concessit Angelino Roterio; atque nonagesimo primo die tertia mensis Ianuarij conuênit cum Sistaricensibus de damno, quod non leue conquestus fuerat illatum abbatiæ Crocensi, per venditionem Consonaui Roberto episcopo; sed conuentionis singula capita anno nonagesimo secundo die secunda mensis Ianuarij scripsit; sextóque pòst mense mortuus est.

Ioannes 4. Scanardus.

50

51 Legoenim Guilelmum Nogarellum die 4. mensis Iulij à Sistaricensibus, & Forcalquerienſibus canonicis electum fuisse in *vicarium generalem sede vacãte.* Sed quis vnum hîc non mirabitur? Sistaricenses canonici, non sine Forcalquerienſibus vicarium episcopi elegerant, in comitia tamen eligendo episcopo sine illis coierunt. Quæ causæ sapientes viros ad id impulerint ego quidem non video. Nam ab ipsa canonicorum per Frondonum episcopum inuentione, Forcalquerienses suffragia cum ipsis tulerant; & cùm res Henrico episcopo ambigua esse, ac in litem videretur erumpere, ejúsque vnius (qui ecclesiastici juris consultissimus omnium toto orbe suis temporibus habebatur) in arbitrio posita fuisset, edixit electionem fore nullam *ipso jure*, quæ Forcalquerienſibus non vocatis facta fuisset. Igitur ipsi quoque Sistaricenses canonici sua damnauerunt ausa. *Visis juribus & priuilegiis* Forcalquerienſium, inquit Bertrandus Arpillhe tabellio, *per quæ apparet Forcalquerienſe Capitulum debuisse & debere in hujusmodi pastoris futuri electione, seu postulatione vocari, vocémque ferre*, Sistaricenses rursus cum Forcalquerienſibus conuenerunt *de persona domini Theobaldi de Turre, veluti digna & idonea persona in sequendo tenore breuis Apostolici, ac literarum regiarum in fauorem præfati postulati ipsi Capitulo Sistaricensi directarum.* Theobaldus hic ex Turrianâ apud Aruernos gente, & Bononiensi familia nothus nihil hoc loco dignum fecit. *Mortem obiit juuenis, postquam annis sex ecclesiæ Sistaricensi præfuisset*, inquit Burellanus scriba. Sed ejus verba sic intellige, vt cùm ab electionis die ad diem vsque mortis fluxerint anni omnino septem (mortuus enim est millesimo quadringentesimo nonagesimo nono mense Iulio, qui in episcopum electus fuerat

52

Theobaldus de Turre.

53

fuerat mense etiam Iulio anni secundi & nonagesimi) aut annos tantùm solidos capias, non vocatis ad numerum mediis illis partibus annorum secundi & noni post nonagesimum, aut certè dicas non ante Iulium aut Iunium tertij & nonagesimi Theobaldum *præfuisse*, seu curam impendisse suam episcopatui.

54 *Laurẽtius Burellus.*

Laurentius Burellus eo anno nono & nonagesimo post millesimum quadringentesimum die vndecima mensis Iulij electus est in episcopum. Hic vir Diuione natus, atque Carmelitarum Ordinem à puero secutus, euasit in summum scientia, pietate, & eloquentia Theologum. Igitur & à sui temporis scriptoribus meruit magnam laudem, & à Ludouico rege id nominis 12. ad sacras confessiones adhibitus est: Badius Ascensius præfatione ad Parthenicem Marianam Mantuani idibus Octobris illo ipso anno scriptâ, appellat quidem episcopum Sistaricensem, sed vocat etiam Narbonensem Carmelitarum Prouincialem. Consequente anno Sistaricum venit. Anno post millesimum quingentesimum primo quæsiuit per Delphinatum de Valdensibus hæreticis Alexandro sexto Pontifice Romano, & Ludouico duodecimo Francorum rege. Eodem anno (quod pro sua apud Carmelitas celebritate non possum tacere) deposuit prouincialatum quem annuente Pontifice sibi seruare poterat. Quia literæ quas de re confecit peruenerunt ad me, placet illas exscribere. *Nos F. Laurentius Burellus Carmelita de Diuione, Doctor Parisiensis, Prouincialis Narbonæ, Christianissimi Francorum regis Ludouici 12. Confessor, Episcopus Sistaricensis, præsentium tenore fatemur, quòd quamquam à Pontifice maximo Alexandro VI. nobis esset priuilegium datum, & concessa gratia etiam consistorialiter, vt cum episcopatu prouincialatum obtineremus cum loco, & voce actiua & passiua, vt etiam ad generalatum possemus eligi, tamen quia hoc est contra Ordinis libertatem, & contra religionis sacra statuta, à quibus dispensabat Pontifex maximus. Nos Deum præ oculis habentes, volentes & nunc & in posterum prouinciam Narbonæ sua libertate gaudere, in manibus magistri nostri Ægidij Borgesij Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ, & Reuerendissimi magistri Odonis generalis vicarij, prouincialatum cum sigillo dimisimus* &c. *Anno dominicæ salutis* 1501 *die* 5. *Maij.* Anno 1502. episcopatum omnino regendum tradidit episcopo Diniensi die vltimâ Martij, à quo abesse cogebatur, maximè *occupatus circa personam & negotia regis.* Anno ejusdem sæculi quarto missus est à Pontifice maximo nuntius ad Maximilianum imperatorem, & cùm non Basileense concilium, vt perperam ab inepto correctore scriptum est me absente in quibusdam noctium Blancalandanarum exemplaribus (ceptum enim anno primo & trigesimo post millesimum quadringentesimum, desiit ante quadragesimum tertium) sed Basileensis episcopus, vt in ceteris illarum noctium codicibus emendatis legitur, isque Christophorus, petiisset à Lugdunensibus canonicis essentne vera, quæ de Ioannis Gersonis miraculis inaudierat, & illud præsertim, quod jactabatur de pœna Deo inflicta regio Confessario ipsius contemptore, Canonici & alia respondenrunt in Ioannis Gersonis laudem, & confessarium regis non illius contemptorem, sed encomiasten semper fuisse. Addiderunt verò sequentia. *Frater Laurentius Theologus, doctor Parisiensis, Ordinis Carmelitarum, aliqua carmina in B. Ioannis Gersonis laudem scripsit, quę altari suo in S. Pauli juncta sunt. Præfatus frater, nunc episcopus Sistaricensis, regis Confessor, per sex quadragesimas,*

55

&

& annos plurimos, coram regibus, & clero & populo, Lugduni prædicauit. In noctibus Blancalandanis ſequentia de Burello epiſcopo adjunxi: Eodem anno fuit Iulij ſecundi Pontificis ad Ludouicum regem Legatus (nuntium apoſtolicum vulgò dicimus) vt grauis autor eſt Belcarius libro 10. num. 13. Anno 1505. à Ludouico rege ad Iulium 2. Pontificem, cujus in Gallia nuntius erat, miſſus eſt, Aquenſique archiepiſcopatu donatus. Vtrumque Belcarius his verbis docet libro 10. *Ludouicus*, inquit num. 19. *tametſi Iulio ſubitatus erat, tamen ad eumdem, Siſtaricenſem Pontificem illius ipſius Legatum, amicitiam, & opem aduerſus Venetos ſuo nomine oblaturum miſit.* Numero autem 25. *Siſtaricenſis Pontifex*, addit, *Aquenſi pontificatu, multarum à Iulio ad Ludouicum, contráque à Ludouico ad Iulium, curſitationum præmio donatus eſt.* Anno 1506. moritur Romæ. Hactenus ex meis noctibus Blancalandanis dictum ſit. Paradiſus Carmelitarum tradit Latinè doctum fuiſſe tam ſtricta oratione, quam ſoluta, & *præclara volumina* edidiſſe; *egregium de magni patris Eliæ laudibus, quod Eliadem appellauit*; *de illuſtribus viris Ordinis* Carmelitani, *& alia.*

57 *Petrus 7. Filholi.* Petrus Filholi poſt Burellum Siſtarici ſedit antiſtes. Epiſcopij liber quem dicunt viridem, in additamentis ad Burellanum ſcribam, facit Aruernum. Itaquemiror Sanmarthanos velle, vt fuerit ex Gannato apud Bojos oppido. Poſt vnum, aut circiter epiſcopatus annum ad Aquenſem Archiepiſcopatum euectus eſt. Ante epiſcopatum fuerat Pariſienſis Cameræ præſes, &, ſi Sanmarthanis fidem habemus, gubernator Pariſienſis vrbis.

58 *Franciſcus de Tintanilla.* Franciſcus de Tintauilla, Claudij Tintauillani & Ioannæ Balmenſium Monreuelli filius, Petro ſucceſſit. Puer Diuione primùm, poſtea Eduæ operã literis dederat, juri etiam Papiæ. Anno ſexto poſt milleſimum quingenteſimum, ineunte Iulio Siſtaricenſem epiſcopatum iniit, quarto autem & decimo in Antiſiodorenſem die quinta Martij à Siſtaricenſi abiit. Scio eſſe qui autument Petrum Filholi annos tres in epiſcopatu poſuiſſe: ſed cùm ex Belcario Burellus anno ejus ſæculi quinto ſederit Siſtarici, & Franciſcus anno ſexto die tertia ſcribente Dalmatio Clerici tabellione, ſibi pro epiſcopatus à Romano Pontifice literis curatorem dixerit. Petro Filholi in Aquenſem Archiepiſcopum jam electo, vides non poſuiſſe annos omnino duos in eo. Anno ſæculi octauo fecit duo, quæ ad me peru enerunt. Die 3. menſis Septembris moletrinam, quæ *Balliui* dicitur, emit Manuaſca ab Hoſpitalariis Franciſco epiſcopo. Die octaua & vigeſima menſis Nouembris inquiſitionem juſſit idem ipſe inſtitui de dominio Iariageſij pagi.

59 *Claudius 1. de Louayn.* Claudius de Louayn Sueſſionenſis, Tintauillæo Antiſiodorum abeunte, Siſtaricenſem epiſcopatum adeptus eſt. Quinto pòſt anno moritur ex epiſcopalibus chartis. Obſcura ſunt omnia quæ Siſtarici fecit antiſtes. *Eo defuncto*, vt in libro epiſcopatus, quem Viridem vocant, lego, *ad ſupplicationem Sereniſſimi domini Franſcici primi Francorum Regis Chriſtianiſſimi promouetur à Leone Papa decimo in epiſcopatum Siſtaricenſem Michaël de Sabaudia.* Is ad Bellouacenſem epiſcopatum à Siſtaricenſi, poſt annum vnum electus quidem eſt, non videtur tamen in illius poſſeſſionem immiſſus. Fulquetus quippe Bernardus Canonicorum Siſtaricenſium tabellio, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, 30. die menſis Decembris ſcripſit ſequentia. *Indictione 11. die penultima Decembris 1522. Clementis VII. anno primo. Bonæ memoriæ Michaële quondam Siſtaricenſis eccleſiæ epiſcopo, diebus ſuperioribus proximè*

Michaël de Sabaudia.

tran

transactis viam vniuersæ carnis ingresso, ipsiusque corpore ecclesiasticæ sepulturæ tradito &c. Sistaricenses, & Forcalquerienses canonici cùm in Capitulum conuenissent, *nullo alio tractatu interueniente, statim, subitò, & repentè omnes vnanimiter in R. dominum Claudium d'Assonuille* (de Assonuilla nonnulli vocant) *dominum de S. Amantio absentem consenserunt, & eum incontinenti vna voce, & vno spiritu postularunt in ecclesiæ Sistaricensis episcopum & pastorem.* Lotharingus erat Claudius, gente nobilis, Benedictinũ professus Ordinẽ. Fuit custos sigilli regij, & regius in Parlamẽto Consiliarius, ex conuentionibus curiæ Aquẽsis, & consulum Aquensium anno 1525. Non pauca Lurij, Petraruæ non pauca coëmit prædia rustica. Plures chartæ tradũt sedisse annis tertio, quarto, quinto, & octauo post millesimum quingentesimũ vigesimum. Quia res omnino modicas illæ referunt, per eas singulas ire non placet. Primo & trigesimo illius sæculi anno, mortuus est Lugduni die vltimo mensis Augusti. *Claudius de Assonnilla.* 60

Cherubinus de Orseria *nullo alio tractatu interueniente, subitò, & repentè, Spiritus sancti gratiâ, vt firmiter credebant, inspirante, ab omnibus, nullo penitus discrepante,* canonicis, die quarta Septembris in episcopum, eo ipso trigesimo primo anno electus est, vt lego in charta, quam tum ea de re tabellio scripsit. Sistaricensis erat canonicus (sed comitiis non intererat) & reginæ ab eleemosynis. Rex viri electionem non probauit, ignotas mihi quidem ob causas. Igitur Antonium de Narbona (fortasse si Prouinciæ sacerdotia in sua cum Romano Pontifice *concordata* posset inducere) in antistitem *nominauit,* vt loquuntur. Is anno secundo & trigesimo illius sæculi, die decima mensis Martij Geraldum de Genebriis Ananiæ celeberrimi in Landgothia monasterij, cui ipse præerat abbas, monachum, dixit suum in vniuersa diœcesi vicarium. Consequente autem fecit rem hoc loco non prætermittendam. Robertus de Furno vendiderat Sistaricensibus Consonauense castrum *cum toto territorio, & nemore quod vulgò dicitur Boëse romput* quingentis in singulos annos florenis: cúmque Ioannes Scanardus minore quàm par sit pretio venditum quereretur, Sistaricenses ei tradiderunt florenos omnino mille, in damni quod queritabatur compensationem. Antonius Claudium Ossonuillæum, qui aliquid mouere ceperat, secutus, principio noluit stare conditionibus à Ioanne initis, sed denique vltima mensis Octobris die eas assensu firmauit suo. In chartis pro Sanuincentiano portorio legitur Antonius sedisse anno quarto & trigesimo sæculi die 18. mensis Iulij: in aliis verò vendidisse Sanuincentianas moletrinas anno trigesimo nono. Tertio & quadragesimo incertis mense, & die videtur mortuus: eo enim, die 16. mensis Decembris *ad requisitionem Claudij Bermundi, Bartolomei Eyssauterij, & Ioannis Gauterij sequestrorum episcopatus Sistaricensis, jubetur Marcus Antonius Benedicti dare extractus arrentamenti acti inter quondam Antonium de Narbona episcopum Sistaricensem, & Claudium Garret,* vt loquitur Forcalquerienſis Prætor. Id mandati ad Benedictum peruênit die 23. ejusdem mensis & totius rei *factum instrumentum D. Albino de rupe Cauardi* (vulgò dicimus *de Rochechoüard*) *moderno episcopo,* ex publicis tabellionis ipsius literis. *Cherubinus de Orseria.* 61 *Antonius 1. de Narbona.* 62 63

Albinus ergo post Antonium Sistaricensi præfuit ecclesiæ, patria Pictauiẽsis, & nobilissimâ clarus, gente. Hoc vnum de eo memorant, quæ ad me fideles peruenerunt chartæ. Fertur nunquam episcopatum adiisse. Vtcumque id habeat, Aimericus fratris filius impleuit patrui locum ignoto mihi anno, *Albinus de Rochechoüard* 64

Aimericus de Rochechoüard & ad octogesimum vsque sui sæculi tenuit. Nihil tamen de illo ante septuagesimum tertium lego. Eo Capucini Lutetiam Parisiorum ex Italia veniunt: & *à Carolo Lotharingio Cardinali excepti, exiguo hospitio donantur*, vt inquit Bouerius in Capucinorum annalibus anno 1573. num. 3. *in loco qui Piquepus* appellatur. Aimericus ille est, qui hospitio ipsos donauit teste Corrozeto in Parisiensibus antiquitatibus pagina 189. sic loquitur: *Primum Capucinorum hospitium fuit Piquepucæ ad Parisios extra Antonianam portam. Sistaricensis episcopus pecuniâ suâ iis illud cõparauit.* Tertio pòst anno, qui fuit. Sextus & septuagesimus sæculi, Manuascenses concedente Aimerico, Pœnitentium Sodalitatem, qui à vestis colore appellantur Albi, induxerũt suam in vrbem. Demum in chartis Petri Geruasij Manuascensis notarij lego Aimericum sedisse anno octauo & septuagesimo post millesimum quingentesimum.

65 Antè vlteriùs quàm pergo, vnum tacere non possum, quod Aimerico, aut Antonio patruo antistite Hugonotti mente efferâ, barbarâ manu susceperunt Forcalquerij. Quoniam illud canonici suis posuere in tabulis, placet ex ipsis recitare. *Anno proximè præterito* 1562. (scribebant anno 1563. die 9. Martij) *& in mensibus Maio, & Iunio, quidam hæretici Luterani, vulgò Huganaux nuncupati, maligno ducti spiritu, in contemptum S. Matris Ecclesiæ, sponsæ illibatæ Iesu Christi Domini nostri, ac patris mitissimi, non timuerunt altaria lapidea consecrata dictæ ecclesiæ, & aliarum ab eâdem dependentium vsque ad numerum viginti confringere, in quibus singulis diebus tot numero sacrificia celebrabantur in memoriam passionis ejusdem Filij Dei, & sacratissimæ Virginis Mariæ, imaginésque omnes cujuslibet materiei, ac cujuslibet repræsentationis comburere; deinde quàmplurimos libros, tam in membranis descriptos, quàm in chartis & papyro impressos, tam in Theologica facultate, quàm in juribus canonico & ciuili, ac bonis & honestis literis partim lacerauerunt, partim igni tradiderunt, cum quibus etiam libros, & instrumenta omnia in quibus descripta erant omnia priuilegia, statutáque & laudabiles consuetudines prænominatæ Ecclesiæ, ita quòd non remanent nisi paucæ copiæ* &c.

66 Antonius de Cupis Astæ apud Pedemontanos natus, anno illius sæculi quarto & octogesimo sedere cepit, desiit sequentis sexto. Viri in episcopatu annos è chartis eruere non placet, quos ex eorum vniuersa diœcesi virorum sermone qui permulti senio graues antistitem viderunt, licet accipere. Me præteritos repetentem cogitatione annos juuat meminisse optimi præsulis, cùm tremulà pro senio manu puerulum tondebat in clericum. Vnum tamen in episcopo nunquam laudauerim. Cùm fœderati & per ceteras Galliarum regiones, & per Prouinciam miscebant omnia turbabantque, Antonius ad eos se adjunxit. Habebat Lurij domi suæ milites, & in Manuascensem agrum latrocinio populatum dimittebat. Scilicet Manuasca vrbs ante omnem tabularum memoriam Principibus suis semper fidissima, & pro Rege stabat, & Senatum regium Aquis sextiis profugum exceperat. Anno 1606. cessit episcopatu; & cùm ad suos Pedemontanos rediisset, Taurini tertio pòst anno diem extremum obiit in pauperum domo, quam vulgò dicimus Hospitalem; mendiculis nouo, & insigni exemplo dies noctesque inseruiens.

Antonius de Cupis.

Tossanctius de Glandeues. Tossanctius de Glandeues, gente, eloquentiâ, rerum peritiâ gerendarum summus, Antonio in episcopatu successit. *Obiit ætatis anno 62 à partu Virginis*

nis 1647. 15. *cal. Februarij* vt in lapide sepulcrali scriptum lego. Antonius d'Arbaud genere nobilis, ingenio clarus, acer iudicio: post Tossantium sedit. Moritur anno 1667. Res ab his duobus gestæ, in omnium oculis Prouincialium gestæ, scriptore non egent. *Antonius d'Arbaud*

67 *Michaël Poncet.*

Michaël Poncet, Doctor Theologus è Societate domus Sorbonæ, & S. Petri Aureæ Vallis (vulgò Aimau) Abbas Antonio successit. Hic vir illustrissimâ ortus familiâ (cuius splendorem non parum meritis suis ornat & auget, Petrus frater, Comes Ablisij, Ordinarius in Sanctiore Regis Consilio) maiorum titulis, & nobilitatis antiquitati respondet omnibus ornamẽtis, & sapiẽtiæ possimùm vi, quam & aliàs, & ante annos 12. præstitit in Ecclesiæ Gallicanæ comitiis accuratus Promotor. Vnctus est in Episcopum anno 1667. 4. cal. Dec. in æde sacrâ Sorbonæ à Lutetiæ Parisiorum Archiepiscopo, Sorbonæ Proniſore. Aderant vngenti Cadurcensis & Bajocensis Episcopi. Vnctioni interfuerunt plurimi omnium Ordinum principes viri.

EGo IOANNES GAYET Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, facta mihi potestate ab admodum R. Patre nostro Generali, facultatem concedo vt libri 4. *De rebus gestis Episcoporum Viuariensium*, à Patre IOANNE COLVMBI, ejusdem Societatis Theologo compositi, & à tribus Societatis eiusdem Censoribus approbati, typis mandentur. In cujus rei fidem has literas sigillo nostro munitas, & manu nostra subscriptas dedimus Lugduni die 5. mensis Iulij anno 1650.

IOANNES GAYETVS.

DE

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM VIVARIENSIVM LIBRI QVATVOR.

Illustrissi^mo & Reuerendissi^mo D.

D. LVDOVICO FRANCISCO DE SVSE,

EPISCOPO ET COMITI VIVARIENSI,

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

ECCLESIAM Regis, ILLVSTRISSIME LVDOVICE, vt potentem opibus, & regionibus amplam, ita plurium Episcoporum scientiâ, sanctitate, sapientiâ, perinsignem. Sed quàm notum illud, tam obscurum hoc omnibus est. Scilicet qui sciunt, & exteri quoque non ignorant, Viuariensem prouinciâ latissimè fusam esse, illi sciunt ferme vniuersam Ecclesiæ tuæ finibus comprehendi, magnámq; partem tuâ vel ditione, vel clientelâ teneri. Per quos autem hactenus ad Christũ adducti, & ad omne virtutis genus prodigiis, sermonibus, exemplis eruditi fuerint, tui etiam Viuarij ciues ignorant. Hæc clarissimorũ antistitũ gloriæ non modica pars tibi ad magnam nominis amplitudinem seruabatur. Iussisti vt ex antiquis tabulis illos eruerem, & in publica luce ponerem ipsorum res sapienter

pienter & ſanctè geſtas. Igitur debes tu quidem iis plurimùm, qui tuos populos per ſæcula quatuordecim & ſi quid excurrit, laborioſâ ingenij, ſcientiæ, ſanctitatis ſapientiæ vi, ſeu formauerunt in Chriſto, ſeu in adultam probíſque moribus robuſtam fidem eduxerunt; hoc enim verò maximum aliquid omnino tibi eſt. Sed illi debebunt tibi non parum, qui facis vt obliuione non pereant, quæ ad immortalem ſuam laudem peregerunt; nam id nobile quid per ſe eſt, atque ſancta ſingulorum facinora mirum quantùm auget. Certè quod fortiter & religiosè ſuſcipitur, quàm ceteros latet diu, tam pro illis minùs in omnem partem poteſt: cùm verò ad aliorum aures peruenerit, porro pariet ingentes ipſis fructus: atque vbi ad poſterorum cognitionem ductum fuerit, fiet ſe majus; immenſas profectò daturum fruges, ſi cum omni poſterorum memoria coæquetur. Etenim quid non poſſunt majorum exempla? ignaros docent, torpentes excitant, firmant dubios, currentes impellunt, totóſque exultantibus quidpiam è virtute ſuſcipientium animis impetus dant infigúntque. Hoc illud eſt, Ill^me PRÆSVLVM, quod præſtas epiſcoporum ante noſtra tempora Viuarienſium rebus animosè, ſanctéque geſtis, eas ex eccleſiæ tuæ tabulariis efferri & in lucem dari mandans. Ignorabantur illæ ab omnibus, & quæ ſuis temporibus olim vtiliſſimæ fuerant, nunc omni per latebras defectæ vi, nullos hominum in vſus erant: tu educendo eas è tenebris, facies vt à nemine ignorentur, & magnas in omne virtutis genus opportunitates mortalibus pariant. Scilicet mortui videbantur iſti Pontifices cum corpore, ab omni hominum memoria longè poſiti: viuent jam beneficio tuo, è tabulis, vt è ſepulcris excitati, & in oculos hominum rurſus incurrent. Ibunt per ora tuorum Viuarienſium; & finibus præterea tuis egreſſi, vniuerſam Galliam peragrabunt: ad alienas toto orbe prouincias deinde magna ſua gloria penetrabunt, & alios è ſuo agmine, & Ioannem illum oſtentantes, qui Gregorio VII. ad omnia pene conſilia autor fuit, atque Bruciacum, qui poſt plures turbarum annos (neque fœdiora fuere Chriſtianorum tempora) pacem aliquando reddidit vniuerſæ Eccleſiæ per Martini V. creationē in Conſtantienſi Concilio. Ego autem non poſſum mihi non gratulari, quòd hanc de tantis viris ſcribendi prouinciam ſortitus, & in aliquam veluti partem gloriæ à te vocatus ſum. Tu vide quàm fideliter opus exegerim: hæc enim verò vna ſcribentis cogitatio fuit.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

AD quod, mi Lector, accedis opus de rebus gestis episcoporum Viuariensium & meum est, & non meum. Scilicet maximam partem, ferme totum potiùs, profluxit ab aliis; paruum aliquid ex me accepit. Principio quidem qui primus illud mente comprehendit, cogitatúmque sua veluti compegit in membra, is Ludouicus Franciscus episcopus est, qui ex antiquissima gente per Susanos longo ordine proceres descendit à Salassis, Bauciis, Leuiis, Medullionensibus. Cùm enim ad eum pro officio ex itinere diuertissem, rem suasit jussitque; & ei perficiendæ tabularium suum (nobile illud est, cartísque perueteribus visendum) aperuit, pérque singulas partes, in quas veluti corpus in sua membra digestum est, duxit; chartariumque præterea Mansiadæ in Viuariensi prouinciá monasterij per legendum concessit. Tum Carolus Symian, & variarum scientiarum, & rerum gerendarum peritiâ præstans, canonicus & vicarius Viuariensis, quâ est, seu in omnes facilitate, seu in me animi propensione perscrutantem, & relegentem fugientes antiquissimarum tabularum literas omni ope juuit. Denique Iacobus de Bannes & ipse canonicus Viuariensis gente, modestiâ, pietate nobilis, natus ex Deodella pronepte Stephani episcopi Grassensis & abbatis Crudacensis, atque patruelis Claudij, quem, cùm rectorem haberet, Vouta suspexit anno vigesimo octauo supra milleſimum sexcenteſimum fortiter agentem contra Caluinistas, tentantes vrbem latrocinio, plurimum opis mihi contulit. Hic vir, vt diuinarum religionum apprime cultor est, totam ætatem posuit hactenus in rebus sacris; & quod sibi reliquum è publicis, aut priuatis ad Deum precibus erat, id omne impendit in scrutandis, excutiendis, inuestigandis, exscribendis ecclesiæ suæ chartis. Multa igitur longo & indefesso labore congessit, multa exarauit, eaque omnia mecum facilis & bonus communicauit. Quod jam ergo reliquum est, idque scilicet pertenue, hoc meum esse profiteor. Episcopus formauit opus, digessítque, & in sua membra distinxit; canonici succum, colorémque infudere per artus: profero ego in lucem; &, si minùs ornatum, certè non omnino inhonorum oculis tuis propono. Tu qualecunque est, eo fruere, certus nihil non ex veris fidelibusque chartis acceptum, in illo tibi repræsentari. Videbis episcopos supra nonaginta, gente, scientia, honoribus, sapientia, sanctitate perillustres. Septem de illis fuerunt Cardinales; aliquot Romanæ sedis Legati:

Petrus

Petrus Alliacensis audit summus Theologus, Petrus de Sorsenaco consultissimus iuris, Ioannes de Bruniaco rerum suis temporibus gerendarum peritiâ summus. Quid afferam Farnesios, Pictauienses, Turnonios, Susanos, Pratenses, Andusianos, Pompadorios genere nobilissimos? fuit in Viuariensibus episcopis Guilelmus Conradi II. Germanorum imperatoris consanguineus: fuit Venantius Sigismundi regis Burgundionum filius. Sed in episcopis ego quidem arbitrabar magis spectandam sanctitatem, quàm genus. In Viuariensibus habes omnino septemdecim cœlestibus auctos honoribus.

DE REBVS GESTIS EPISCOPORVM VIVARIENSIVM

LIBER PRIMVS.

EPiscopvs qui ab annis mille dicitur Viuariensis, olim appellabatur Albensis. Primùm in concilio Aruernico Viuariensem vocatum inuenio: etsi nouemdecim pòst annis in Aurelian. V. seruauit nomen Albensis. Nomina fecerunt Alba, & Viuarium ciuitates: in illa enim quondam sedebat, in hac nunc etiam sedem habet. Par aliquid aliis pluribus episcopis euênit: & quidem non ita longè Monspelliensis quondam vocabatur Magalonensis; longiusculè autem Grassensis & Nicensis habuere nomina, iste Cemeliensis, ille Antipolitani. Scilicet Magalonæ, Antipoli, Cemelio jura suis antè dabant, quàm Monspelium, Grassam, Niceam tranferrent suas sedes. Vrbis euersio fecit, vt Albâ excederet; atque scilicet igitur loci firmitas, vt concederet Viuarium. Et verò hæc ciuitas maximam partem imposita est rupi, cujus in sublimi & ferme circùm exeso vertice, non magna planities habet ædes episcopi & cleri circumpositas templo principi. Iam si petas à quibus euersa fuerit Alba, id reponam, quando ceteri scriptores tacent, quod in fidelibus per notarium tabulis inueni. Cùm clerus excisâ Albâ Viuarium deuenisset, & alia & hoc posteros edocturus, scripsit Vandalos Crosco duce ciuitatem violasse, & omnem à fundamentis vertisse. Quod tum ille scripserat, hoc posteri seruauere ad illud vsque temporis, quo post annum Christi quinquagesimum suprà centesimum millesimum, fugientibus literis Thomas episcopus, ne rei memoria simul cum apicibus euanesceret, exscribi voluit: & cùm vetustas exederet volumen Thomæ, Stephanus abbas Crudatensis missus à Romano

1

2

Pon

Pontifice,vt referam ſuo loco,totum reſtituit anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimo ab ortu Chriſti. Hactenus in tabulis ſuis notarius. Eas ſinceras habet chartularium canonicorum Viuarienſium. Igitur Croſcus ille eſt, qui Albam ciuitatem perdidit dejecítque. Certè,vt hoc non taceam, Sigibertus ſub tempora Thomæ epiſcopi ita locutus eſt: *Anno quadringenteſimo vndecimo Vandali,duce Croſco Gallias peruagati,multas vrbes,& eccleſias ſubuertunt.* Atque vt non dubites in iis Albenſem & vrbem,& eccleſiam complecti,ſubjecit in hæc verba: *Croſcus tandem à Mariano præſule Arelate captus, & per victas vrbes ignominiosè retractus, ad mortem tormentatur.* Et ante Sigibertum annis ducentis Aimoinus III. de geſtis Francorum cap. 1. *Crocus Arelas expugnare niſus,à quodam milite Mario nomine captus, per ciuitates quas euerterat,ductus, pœnis excruciatus interiit.* Scilicet vbi Albâ & aliis per inferiorem Occitaniam ciuitatibus violatis,veniſſet Arelatem,importunorum ſcelerum,& facinoroſæ impietatis pœnas dedit. Igitur ſub annum quadringenteſimum vndecimum, Albâ per Vandalos dirutâ, epiſcopus ſuos cum ſede clericos Viuarium deportauit, & ad certam aduerſus omnes barbarorum impetus ſecuritatem,loco munitiſſimo poſuit.

4 Quæ verò hæc Alba,& vbi locorum ſtetit ante cladem à Croſco illatam? Ea eſt, quam Heluiorum oppidum fuiſſe conſtat; Heluios autem Strabo quidem à Rhodano cepiſſe tradit, Iulius verò Cæſar Gebennam montem tenuiſſe,qui ipſos ab Aruernis Velauníſque diſcluderet. Plurimùm ergo errant, qui faciunt Albiam ſeu Albigam: Heleuterorum enim hoc fuit oppidum in Aquitania; & in concilio Aurel. 5. vbi Cautinus archidiaconus ſubſcripſiſſet pro Melanio epiſcopo Albenſi, Vincentius etiam ipſe archidiaconus addidit ſuum nomen pro Ambroſio Epiſcopo Albigenſi. Minùs ad ſpeciem videbitur fortaſſis errare,qui aſſeruerit Albam eſſe Viuarium,& vrbem à Vandalis euerſam, vbi rurſum excitata fuiſſet,aliud nominis accepiſſe: neque enim hoc inſolens eſt, atque Paſchalis 2. ita ſcripſit
5 Guidoni archiepiſcopo Viennenſi; *Alba,quæ & Viuarium dicitur.* Sed tota Viuarienſium tabularia hoc explodunt,& Albam faciunt aliam à Viuario, tradúntque epiſcopium ab illa ad hanc tranſlatum fuiſſe; atque vt Paſchalis & aliorum, ſeu Pontificum,ſeu ſcriptorum verba non te fallant, addunt Viuarium, ex ea mutatione per epiſcopum facta, appellatum etiam Albauicum. Audi Thomam epiſcopum: *Auxonius epiſcopus in Viuario promotus præfuit,qui de Albenſe Viuario contulit,& Albauicum appellari voluit.* Sed pro Albauico Albam (cui voci aſſueuerant) dixere: & Sollius poſt 40. aut circiter annos,Patienti epiſcopo Lugdunenſi Albenſes ſcripſit pro Viuarienſibus: atque Venantius poſt annos ferme 100.in concilio Epaunenſi ſe Albenſem, non Albauicenſem epiſcopum appellauit: ac denique Gregorius VII. anno MLXXVII. ſic eſt locutus Vvarmundo archiepiſcopo Viennenſi: *Definitum eſt vt ſeptem oppida vel ciuitates, Gratianopolis videlicet, Valentia,& Dia, Albæ Viuarium &c. Viennenſi eccleſiæ interim ſubjectæ permaneant.* Dalecampius vir
6 eruditus,cùm non incurriſſet in Viuarienſis, ſeu epiſcopi, ſeu capituli chartas,ſimilitudine vocis adductus eſt,vt Albam fuiſſe aſſereret,quod nunc vocamus Albenacum: & Papirius Maſſonus in Ligeri hoc *ineptè* dictum putat,neque tamen aliquid probabilius affert: cùm enim in Rhodano pag. 422.diviſſet Albam fuiſſe in vicinia Viuarij, in Garumna pag. 593.addit *Alba*

Heluio

Heluiorum Rhodanum attingit. Sed enimvero omnes tabulæ Viuarienſis eccleſiæ, docent ibi quondam ſtetiſſe, vbi nunc eſt modicus pagus, quem vulgò quidem non magnâ deflexione nominis appellant *Aps*, latinè verò maximâ *S. Petrum de Alpibus*: atque hinc factum eſt vt autor vitæ B. Auli ita loqueretur, *Eccleſia Viuarienſis, quæ olim melius vocabatur Alpienſis.* Hanc in vocis mutationem non mirabitur, qui meminerit notatam à Strabone l. 4. in cognomine vrbe: *Alpia prioribus ſæculis vocabatur Albia, & Alpes ipſas Albium nominant.* Qualis autem & quanta fuerit ante Croſcum Alba, quas habuerit ædes ſacras, quibus ſteterit viribus, quâ murorum amplitudine, quâ mœnium firmitate viguerit, nemo dicat. Plinius facit latini juris in prouincia Narbonenſi. Cetera illius decora tacent antiqui autores. Sed neque eſt qui certò referat, ſeu à quo acceperit fidem Chriſti, ſeu per quos adoleuerit ad verum & certum robur ſacrarum religionum. Vandali omnes chartas, omnia tabularia cum vrbe perdiderunt. De epiſcopis hoc vnum accipe, quod Thomas, & ipſe epiſcopus, ſexcentis, & quod excurrit poſt euerſam annis, excerpſit è chartis ſtatim ab vrbis clade editis, cùm præ nimia vetuſtate ſemieſas reſtitueret. *Primus epiſcopus Ianuarius, ſecundus Septimius, tertius Maſpicianus, Melanus, Auxonius. Sed quanta miracula* 8
Chriſtus per eos oſtendere dignatus fuiſſet, aut quibus temporibus plebem ſuam rexiſſent, aut quâ fuiſſent natione progeniti, emanare non poſſumus. Hæc ille. Quoniam vbi dixiſſet *tertius Maſpicianus*, non ſubjecit *quartus Melanius, quintus Auxonius*, intelligis hos non ſediſſe alium ab alio, neque Melanum Maſpiciano ſuffectum fuiſſe. Iſtud autem viſum eſt aduertere, vt non putes epiſcopos tantùm quinque ſediſſe Albæ. Ceteros obliuio deleuerat, iſtos, vt ſanctitate illuſtriores aliis, fideli memoriâ retinebant. Nam ſi vulgò non habebantur ſancti, neque in veneratione populorum publicóque cultu erant, cur ita ſcripſit ſuper ipſis, *quanta miracula per eos Chriſtus oſtendere dignatus fuiſſet, emanare non poſſumus?* Qui ſic loquitur, is profectò docet illos perpetraſſe miracula: ſcilicet ignorat quidem ipſe prodigiorum, ſeu magnitudinem ſeu numerum; ſed nonnulla tamen ſuſcepiſſe non ignorat. Hæc ſingulatim extinxerat Vandalorum furor, ceterùm facere non potuerat, vt Albenſes qui patriâ deiectâ erant ſuperſiſtes, obliuiſcerentur ſanctitatem virorum, & non meminiſſent fuiſſe aliquando tempora, cùm per ſingularem à Deo vim peragerent inſignia miracula. Igitur ego quidem cenſe- 9
bam S. Ianuarium illum eſſe, qui primus Albæ geſſit epiſcopatum; & eo mortuo S. Septimium, atque hoc vita functo S. Maſpicianum; tum incerto plures numero vixiſſe vſque ad excidium ciuitatis, quorum vnus fuerit ſanctus Melanus. De B. Auxonio nunc nihil addo: poſteà de eo dicam; ipſo enim antiſtite Alba cecidit. Hîc etiam eſt quid aliud non prætermittendum, neminem iſtorum Albæ præſulum cæſum fuiſſe pro Chriſto: omnes traduntur feciſſe miracula, nullus fertur paſſus pro fide Chriſtiana. Hoc ſi Thomas epiſcopus, de eorum vel vno accepiſſe à majoribus, certè non tacuiſſet, qui ipſorum alia non prætermiſit. Adjecit ſe neſcire *quibus temporibus plebem ſuam rexiſſent, aut quâ fuiſſent natione progeniti.* Quid hæc oratione 10
ſequebatur, ſi dubitabat de eorum martyrio, aut ſi certus non erat ſanctos quidem, at martyres non eſſe?

Quibus temporibus vixerit S. Ianuarius, Albæque epiſcopum primus egerit, omnino ignotum eſt. An tum ſedebat, cùm B. Andeolus impera-

tore Seuero, ſub annum centeſimum nonageſimum à Chriſto nato non
procul illâ docebat; nam ſi ipſa tum temporis non habebat epiſcopum, vt
erat clara,& ſola Italici ſaltem juris apud Heluios ciuitas, cur ad eam non
venit Andeolus; ſed latiùs ediſſerenda eſt res, vt ſuam veri ſpeciem habeat.
Ado ſic loquitur in martyrologio 1. Maij. *In Galliis, territorio Viuarienſi, in
loco qui vocatus eſt antiquitus Gentibus, S. Andeoli ſubdiaconi, quem miſit ab
Oriente S. Polycarpus cum B. Benigno & Andochio preſbytero & Thyrſo diacono, ad
prædicandum verbum Dei in Galliam, cujus prædicatione Cæſar Seuerus compertâ,
præcepit de ligno duriſſimo enſem fieri, & in crucis modum caput ejus ſcindi.* Hactenus Ado. Locus qui eo autore dicebatur quondam Gentibus, nunc ab illuſtriſſimo martyre appellatur Burgum S. Andeoli; & in ipſo viſitur carcer
ſubterraneus, qui clauſum habuit in vinculis, neque infrequentibus claret
11 miraculis. Seuerus juſſit cædi virum, quando è Gallia vbi dictus fuiſſet imperator Romam ibat. Crediderim Rhodano naui delatum, accepiſſe de Andeolo,& auditum pro tribunali damnaſſe. Iam age, cur eo loci docebat ſanctus vir, neque ſalutis hominum ſitiens, Albam ciuitatem non longè poſitam adibat? Si enim hæc Gentibo multùm amplior non fuiſſet, næ epiſcopum illi prælata ante Vandalorum aduentum non habuiſſet. Sic enimuerò illis temporibus factitatum legimus, vt in conſtituendis epiſcopis haberetur vrbium ratio, neque ij niſi in amplis & copioſis ciuitatibus collocarẽtur. Acceperat jam puto Alba Chriſtianam fidem,& qui recèns acceptam educeret firmarétque, epiſcopum habebat. Andeolus ex Aſia mari venerat in Prouinciam. Totâ regione feruere ſacras religiones videbat, agentibus diſcipulis Maximini, Throphimi, Rufi, Magdalenæ, Marthæque: fortiter etiam agere Valentiæ, audiebat diſcipulos Irenæi à Polycarpo olim eruditi: igitur Aquas Sextias, Arelatem, Auenionem prætergreſſus, vbi primùm notauit deeſſe qui ſererent Euangelium, ibi hæſit; neque Benignus, Andochius, Thirſus ſocij, ad vlteriora prætergreſſi, ſeu Viennæ, ſeu Lugduni ſedem fixerunt, ſed Diuionem & Auguſtodunum adierunt, vt eo loci docerent, in quo
12 nomen Chriſti ad ipſorum vſque tempora auditum non fuiſſet. Gentibenſes erudire ad fidem amauit Andeolus, non paruo, vt hoc adjungam, argumẽto oppidum eorum non omnino ignobile jam tum fuiſſe, neque multùm minus fortaſſis ſiue opibus, ſiue ciuibus, ſiue cultu atque nunc eſt, & non plurimùm inferius Valentiâ, vbi audiebat Felicem preſbyterum, Fortunatum,& Achilleum diaconos, ab Irenæo miſſos agere; ſed Albâ tamen omnino inferius erat, cui ſi conjectura non fallit, jam tum proinde præſidebat Epiſcopus; ipſam enim alioqui non plurimùm remotam acceſſiſſet, pro ceterorum fidei præconum more, qui principe, vbi ſtatuerentur Epiſcopi, vrbes primùm intrabant docebántque. Igitur ego quidem arbitrabar, ſeu à diſcipulis Irenæi, vtì Valentiam; ſeu à Creſcentis auditoribus qui dederat epiſcopum Viennenſibus, Albam accepiſſe euangelium, & eo ſuſcepto Ianuarium epiſcopum, à quo per annos plures ducentis fuerint & alij præſules,
13 & SS. Septimius, Maſpicianus, Melanus, Auxonius. Iuuat quòd cùm clerus eâ
euerſâ venit Viuariũ, nemo vnus Chriſtianorũ inuentus eſt, qui recordaretur
temporũ quibus Albæ ij ſederant, *Quibus tẽporbus plebem ſuã rexiſſent, emaanre non poſſumus*, inquiebat Thomas epiſcopus ex tabulis, quas illi cõſcripſerãt, quia clade Albæ euaſiſsẽt ſuperſtites. Et putabis tu epiſcopatus initia tũ non

ſuperaſſe

ſuperaſſe vnum & alterum ſæculum; vel ſi ſupra ducentos aut circiter annos illa non fuerant, fugiſſe ſingulorum hominum memoriam? Verùm vt vt hæc habeant, ſuſpicionibus enim tota innituntur, nemo negauerit, ſi non ante ducenteſimum à Chriſto nato annum, certè ſub trecenteſimum Albæ ſediſſe ſanctum Ianuarium, quando ea numerat epiſcopos ſupra quinque anno quadringenteſimo vndecimo, quo Croſcus venit in Gallias; nos ad alia tranſeamus. Thomas Epiſcopus pergit inexſcriptione chartarum vete- 14
rum. *Auxonius*, inquit, *primus Epiſcopus in Viuario promotus præfuit; qui de Albenſe Viuario contulit, & Albauicum appellari voluit.* Verè magis loquitur, quàm latinè. Docet Auxonium, quem ſcripſerat ſediſſe Albæ antè à Croſco quàm deleretur, primum poſuiſſe Viuarij ſedem ſuam, cui etiam voluerit nomen eſſe Albauico. Puto autem ego Albauico id factum eſſe, quod pluribus aliis multarum ſyllabarum nominibus, & vbi vox ſtetiſſet per aliquod tempus, ita agente vulgo, poſteriora ſenſim amiſſiſſe. Scilicet nuſquam legimus Albauicenſem, vt è nomine ciuitatis debuerat, appellatum Epiſcopum; perrexit dici Albenſis; & igitur etiam pro Albauico Albam appellauere Viuarium. Hic locus poſtulat vt dicam de Viuario ciuitate. Antiquam 15
arbitremur neceſſum eſt, ſupparémque aut Viennæ, aut Valentiæ proximis vrbibus, cùm ante mille & ducentos annos ea vna Heluiorum fuerit, ad quam Albâ euerſâ veniret Epiſcopus. Certè comitatui primùm ſuo, deinde etiam vniuerſæ prouinciæ nomen fecit. Impoſita Rhodano flumini tanta amplitudine quondam erat, vt illud præterea ſpatium complecteretur quod nunc à fluuio remota domibus capit. Parœcias numerabat illa tres, primam ſancti Ioannis, ſecundam ſancti Laurentij, tertiam beatæ Mariæ de Rhôdano ab ſitu dictæ. Hæc vltima, cùm ciuitatem, vt plures alias, tẽpus attriuiſſet, jam diu deſiit: magnum tamen ædes nomen ſibi ſemper habuit, ex ſacello ſancti Clari Abbatis olim Sanmarcellini Viennæ, Clodoaldo epiſcopo, ſub Theodorico Francorum Rege. Sanctus enim vir infinitis miraculis, curando maximè reſtituendóque oculos hominum, hactenus in eo fulſit. Cum ſuis ruderibus tota nunc habetur à monialibus Dominicanis. Prima illa ſancti Ioannis eſt juxta cathedralem ſacram ſancto Vincentio. Hîc placet aduertere, tempora fortaſſis mutaſſe aliquid, in 16
nomine principis Eccleſiæ; non enim Vincentij nomen, fuit magnum in Gallia, ante quingenteſimum à Chriſto nato annum. Ab eo cepit inclareſcere, cùm Childebertus Clodouei filius, ex Hiſpania victor, ſecum detulit partem reliquiarum ejus. Tum enim, vt innumera per omnes Francorum Prouincias ad illius preces patrata ſunt miracula, vt multæ ædes ſacræ acceperunt nomen ipſius. In iis qui valet cenſeat per me licet Viuarienſem Eccleſiam. Certè Sanjulianus l. de antiquitat. Cabilon. & l. de antiquitat. Matiſcon. aduertit earum ciuitatum Cathedrales Eccleſias, à reliquiis ſancti Vincentij de Childeberto acceptis, mutaſſe nomen, cùm priùs appellarentur, iſta ab SS. Petro & Bartholomæo Apoſtolis, illa à ſancto Stephano. Et fortaſſis erit, cui magis videatur hæc nominis mutatio (ſi aliqua fuit) referenda ad annum ſexageſimum quartum ſupra octingenteſimum, quo martyris corpus, ab Audaldo ante annos vndecim inuentum, deportauere Caſtrum ex Hiſpania, vbi frequentibus miraculis ita claruit, tantóſque vniuerſa Occitania motus excitauit, vt Helizagar etiam Toloſanus

Episcopus *à nono*, vt loquitur Aimoinus l.2. de eâ ttanslatione cap.9. *milliario discalceatus, forma factus gregi*, ad illud venerandum iuerit. Et hæ quidem
17 Ecclesiæ fuerunt quondam intra vrbem: extra illam verò steterunt omnino ad sex. Prima S.Auli Episcopi Viuariensis, secunda S.Martini, tertia S.Victoris, quarta sancti Albani, quinta sancti Victoreti, sexta sancti Iuliani. Secunda illa seruabat olim corpus sancti Ostiani presbyteri: tertia, quinta, & sexta sunt dirutæ; quarta verò semiruta, etiam nunc per ignobilia cæmenta pendet, triste argumentum vesani furoris Caluinistarum; sed B. Albanus, nullâ eorum importunitate potuit ad hoc tempus, deduci à depellendis in illa hominum febribus. Cur quinta de sancto Victoreto dicta sit non inuenio, nullum enim est in tabulis Ecclesiasticis nomen ejusmodi. Puto sic appellatam, quia minor erat æde illa sancti Victoris, quam ordine tertiam attuli. Denique extra vrbem est xenodochium sub tutela B. Mariæ Mag-
18 dalenæ. Quando sanctissimæ mulieris nomen occurrit, & opportunior dicendi locus non erit, aduerto esse quòd putem cùm corpus illius metu Sarracenorum anno circiter septingentesimo occultatum est à piis viris, vt scripsi in virgine Romigeria num. 12. & 13. pauculas ex illo particulas acceptas, & in Ecclesiam sancti Vincentij deportatas. Canonici anno trigesimo nono supra millesimum quingentesimum, excripsere, indicem sacrarum reliquiarum, quas antiquissimi Episcopi in eã intulerant, factum à Leodegario Episcopo post annum decimum supra millesimum centesimum. Cùm ad beatissimam Peccatricem venissent, ita scripserunt, *de puluere B. Mariæ Magdalenæ*; & postea, *de sepulchro ejusdem*. Ista ego quidem ita interpretor, vt qui Episcopus, hoc vtrumque sacrum pignus, in suam ecclesiam deportauit, viderit corpus sanctæ Magdalenæ in sepulchro, & inde tum de ipso, tum de puluere beatæ mulieris partem acceperit, aut ab eo qui positam
19 in conditorio vidisset receperit. Vbi autem locorum putas visam in sepulcro, ante Leodegarium Episcopum? Scimus tumulum ejus fuisse in Prouincia, & corpus sublatum è conditorio, vt cæcis poneretur in latebris à Prouincialibus, feritatem Saracenorum illi non immeritò metuentibus: itaque venit in mentem cogitare, antè illud quàm tolleretur è sepulcro, aliquid in memoriam B.Magdalenæ sublatum ab ipsius, & corpore, & tumulo, quod deinde aliquando peruenerit ad Ecclesiam sancti Vincentij. Nam qui putant sanctam mulierem mortuam in Oriente, vt aliquid super hac re dicant, certè non afferent veri magis similia iis, quæ suspicando potiùs, quàm asserendo disputaui, ex occasione Xenodochij à Viuariensibus non injuria positi sub tutela beatæ Peccatricis; scilicet cogitantibus, quæ & hospitem habuit Christum, & Lazaro fratri mortuo euicit per eum vitam restitui, facturam vt ille ipse suis pauperibus velit, & bonum per vitam hospitium, & à morte cœlestem vitam. Sed ad Viuarium vrbem sermo reuocandus est, atque ad ejus Episcopum.

20 Iam à multis sæculis ciuitas, cum suo comitatu, est in potestate Episcopi, qui habet etiam principatum Dunsenæ & Castrinoui de Rhodano quod appellatur quoque Castrum Montispenserij, atque Argenteriam sub nomine Baronis, & Burgum sancti Andeoli, pluraque alia loca; & porro capit homagia plurium virorum nobilium. A quibus istas opes acceperit, postea recitabo suis locis. Ab Imperatoribus potissimùm & Regibus eas duxit. Si cui verò

verò placet ſcire, quantis, & per quos, Eccleſia Viuarienſis, antè illa quàm ab ipſis loca teneret ditione, diuitiis abundauerit, is accipiat dotationem illius ante Carolum magnum exaratam, & à Thoma epiſcopo ex antiquiſſimis chartis exſcriptam, poſt annum milleſimum centeſimum, quæ puletum etiam & politicum dicitur, atque ſub nomine puleti confirmata eſt à Carolo Caluo, vt ſuo loco referam. Illius verba plurimum obſcuritatis habent, & amnium quidem ac montium, atque regionum in agro nomina, ita ſunt mutata, ſeu per longitudinem temporum, ſeu per varia ab hominibus barbaris hæreticiſve bella, vt nemo ea ſi ne ingenti difficultate poſſit exponere. Si quæ vſpiam lux mihi affulſerit, eam lectori præferre non dubitabo.

DOTATIO ECCLESIÆ Cathedralis Viuarienſis.

DOMNVS *Ioannes dotauit promotus Epiſcopus ſancti Vincentij, villas duas, Clariaco, Caſſaniæ.* Id eſt cùm Ioannes factus fuiſſet Epiſcopus, donauit Eccleſiæ ſancti Vincentij Clariacum, & Caſſaniam, villas. Cur Ioannes appelletur domnus in promptu eſt: olim ita vocabantur Epiſcopi. *Clariaco* vox eſt de vulgo antiqua. Plures ejuſmodi ſtatim videbimus. 21

Melanus ibi Axnacenum & Caſanenſe. Repete ex ſuperioribus *dotauit.* Particula *ibi* facit vt putem Axnacenum & Caſanenſe, fuiſſe villas in eadem regione cum Clariaco & Caſſania.

Dotauit Lucianus Epiſcopus Ameliaco villa, Blandamiſco, Occiaco. Tres ſunt hæ villæ iis ſcriptæ vocibus, quibus apud Viuarienſes quondam efferebantur. *Iſta omnia dereliquit Deo & S. Vincentio,* ideſt Eccleſiæ ſancti Vincentij. Illæ voces *iſta omnia* faciunt, vt putem amplas & nobiles fuiſſe villas; q. d. iſtas villas totas, nulláque agrorum parte truncas dedit.

Dotauit domnus Valerius villa Coreſſe, Seudio, Muo. Hæc etiam ſunt nomina villarum à vulgo petita. *Dereliquit Deo & ſancto Vincentio.*

Dotauit S. Firminus cum vxore ſua Aula Ladacuſa, Meteratis cum eccleſia S. Andreæ, Damate, Tornicate, Medio, Saconaco, Vocerno. Iſta omnia dereliquit Deo, & S. Vincentio. Hæc quoque ſunt nomina propria villarum, aut locorum. 22

Dotauit domnus Euimachius Deciate cum eccleſia, Saduaco, Caucolomno, Cartennaco, Luguilano. Vt ſuperiora, ita & iſta ſunt villarum, ſeu prædiorum nomina, ſic exarata vt vulgus quondam pronuntiabat.

Ego Secundus cum vxore mea Prima, condonauimus Deo, & S. Vincentio, de propriis noſtris, de mancipiorum, & peculiarium. Hîc nota duo. Primum eſt, iſta aliter efferri quàm ſuperiora. Nunc loquitur, qui donat eccleſiæ; is in ſuperioribus ferebatur donaſſe. Iſta diuerſitas facit, vt putem exſcriptas ab eo, qui puletum primus compegit, ſequentes chartas iis ipſis vocibus, quas donatores poſuerant in ſuis tabulis. Secundum eſt in illis verbis *de mancipiorum, de peculiarium* eſſe galliciſmum pro, de mancipiis & peculiaribus. *Proprium & peculiare* ſonant vnum & idē. Dat mancipia & peculiaria ideſt loca, prædia, & alia propria à mancipiis diſtincta. Quæ verò fuerint hæc peculiaria pergit exponere. *Imprimis in Viuarienſe, quod antè Albenſe vocabatur, eccleſiam* 23 24

stam in honore S.Victoris,quæ est in vertice montis, juxta fluuium Rhodani. Ista ecclesia destructa fuerat ante Carolum Caluum, vt videbimus suo loco, & cùm restituta fuisset ac munita per Andusianum & è Pictauiensibus vnum episcopos (eorum enim arma portæ arcis superimpositа vidimus) rursum fuit anno vigesimo octauo supra millesimum sexcentesimum euersa ex decreto comitiorum Viuariensium, vt non esset receptaculum hæreticorum latrocinantium. *De Scotadio vsque ad Albis.* Sunt hæc nomina seu amnium, seu regionum claudentium ecclesiam, siue agrum ecclesiæ S.Victoris Sic enim loquitur Carolus Caluus,*concedimus ecclesiam S.Victoris super Rhodanum vsque scotadium.* Vnus est hic limes agri: alter dicebatur Albis, è quo nomen Albensis fuisse loco fertur. Sequuntur alij tres in donatione
25 Secundi, *& vsque ad summum montis Conati*, ecce primum: *& vsque ad exemplatorium*; en secundum: *& in alio loco Caput montis*; iste est tertius & vltimus. Si petas quanta sit inter hos quinque limites regio, sic habe; *cum calonicis sexaginta.* Calonicum, seu calonica, siue colonicum (his enim tribus modis scripta est vox in sequentibus) solâ domo coloni differt à manso; ea enim caret,quam iste habet; capítque jugera omnino XII. vt postea ostendam, cùm locus erit dicendi de manso. Secundus ergo ait se dare agrum,qui per colonica sexaginta id jugera septingenta viginti ductus descendit è vertice montis juxta Rhodanum fluuium positi, & finitur Scotadio, Albi, summo montis Conati, Exemplatorio, & denique loco qui dicitur Caput montis, habétque ecclesiam S. Victoris. Adde & seruos, nam sequitur *cum seruis suis*, quos cum illo se donare addit. Immensus ager! Regio quidem est hæc. Capit longitudine quingentos sexaginta passus supra milliaria triginta quatuor. Atque hoc de agro Viuariensi,olim Albensi,munus est. Sequitur aliud. *Et in Burgundiâ in comitatu Viuariense, in Tortiliano*
26 *dimidio vnà cum suis appendẽtiis,& in alio loco qui dicitur Vieniscio totum & ab integrum tradimus.* Ecce primam partem istius doni: accipe alteram; *& in Valentinense prope Rhodanum fluuium,villa quæ dicitur Cupertus cum seruis suis*; atque tertiam, *in Arelatense in Vgio Salinas areas octo.* Hoc secundum est S. Vincentio munus, Rhodano diuisum à superiore, vtpote in Burgundia positum, in qua prius situm non est; nam illud videmus non procul Tilio esse. Diuiditur in tres partes pro tribus regionibus. Prima est in comitatu Viuariensi, secunda in Valentinensi regione, tertia in prouincia Arelatensi. Et prima quidem pars continetur duobus locis, Tortiliano & Vieniscio, secunda autem vno Cupertus, tertia denique octo areis salinarum. Sed hîc vi-
27 de comitatum Viuariensem dici peruenisse ad Burgundiam & trans Rhodanum, vbi sunt Valentia & Arelas. Secundus ita concludit suam donationem: *per singulos annos exemi solidi trecenti. Ista omnia dereliquimus Deo & S.Vincentio.* Addit se ista omnia tradere ecclesiæ Viuariensi,sub censu solidorum trecentorum. Sed perarduum est hos ad nostram vsualem monetam reducere; neque enim cùm ista scribebantur,Viuarienses vtebantur solidis & denariis,pro Romanorum more,qui drachmæ quidem vt minimùm æquauere denarium; & solidum ex Lampridio in Alexandro appellauere aureum,qui Budæo per multiplex experimentum autore l. 3. de asse,pendebat drachmas duas. Vide in conuentu Aquisvi. Abbatum anno octingentesimo decimo septimo fuisse in libra *solidos* XXX. *per denarios* XII.

Ego

Digitized by Google

Ego Leo & vxor mea Oſtiliana, condonauimus aliquid de noſtris rebus, quæ 28
ſunt in Viuarienſe, in arce Samſonenſe, de villa quæ dicitur Quiciaco, cum ſeruis, vſque ad flumen Beſſina & Roſerias. Totum ſunt calonicas quinquaginta. Tradidimus Deo & S. Vincentio. Dat Quiciacum, per calonicas quinquaginta protenſum, in agro Samſonis pagi, cum ſeruis ſuis, & Roſeriis loco, Beſſináque amne terminatum. Calonicæ quinquaginta, capiunt longitudine milliaria viginti octo, & paſſus octingentos, latitudine quatuordecim milliaria quadringentos paſſus.

Ego Marius ædificaui eccleſiam, in honorem S. Mauritij, quæ eſt ſuper Henticam flumen. Dotaui eam calonicis XXX. *vnà cum ſeruis ſuis. Tradidi eam Deo & S. Vincentio.* Dat Eccleſiam S. Mauritij impoſitam Henticæ amni, cum colonicis triginta, & ad ea colenda ſeruis. Colonica triginta, capiunt longitudine milliaria ſeptemdecim, & inſuper paſſus ducentos ſeptuaginta, latitudine milliaria octo & paſſus ſexcentos trigintaquinque.

Ego Bellus, qui fui natus in Viennenſe, & nutritus in Viuarienſe, in infirmitate 29
mea fui annos XXX. *Ædificaui eccleſias ſuper Henticam flumen in honore S. Pet, S. P, S. Eulaliæ, & S. Romani. Dotaui eas de meis propriis in loco ipſo, calonicas* LXXX. *vnà cum ſeruis ſuis. Tradidi eas Deo & S. Vincentio.* Dat eccleſias quatuor cum ſuis calonicis octoginta, & ad calonicarum culturam ſeruis. Colonica octoginta capiunt longitudine milliaria quadraginta ſex, & paſſus octoginta, latitudine milliaria viginti tria & paſſus quadraginta.

Ego Ebo, & vxor mea Berta, donamus S. Vincentio de propriis meis eccleſiam in honore S. Symphoriani, quæ eſt in valle Vinaria, cum calonicis X. *& in monte Bergo calonicas* XX. Calonicæ X. protenduntur longitudine ad milliaria V. & paſſus DCCLX. latitudine ad milliaria II. & paſſus DCCCLXXX. Calonicæ XX. colligunt ſpatium duplo majus. Sitne autem Bergo mons ad vallem Vinariam, locus iſte non habet. Vbicunque fuerit, dat Ebo agrum colonicorum XX. in monte Bergo, & alium calonicorum X. cum eccleſia ſua in valle Vinaria.

Ego Marcellus ..... Botana Deo ſacrata condonaui de propriis meis, vel mancipiis, in monte Bergo, vbi dicitur Turnuſtus, calonicas X. *& in monte Cenoto calonicas* XX. Quot milliaria capiant hæ calonicæ, intelligis ex modò dictis.

Ego Fredegundis Deo ſacrata, ædificaui in Melotis, monaſterium puellarum, in 30
honore S. Stephani & S. Saturnini. Hic vixi annis IX. *hic diffiniui* ſub. degere reliquam ætatem. Dicit ſe ante annos IX. ædificaſſe monaſterium virginum, & ab ejus exædificatione vixiſſe in illo; addítque velle ſe reliquam vitam in ipſo agere. Abs dubio illud erat in poteſtate epiſcopi; cur enim alioqui, hoc Fredegundis opus, fuit poſitum in dotatione Viuarienſis eccleſiæ.

Ego Ardulphus epiſcopus ſedis, Viuarienſis dotaui Deo & ſancto Vincentio Mi- 31
xano, Vicano dimidio, Canauarro, Fara, cum Sculis S. Laurentij, & Crudatis curte, cum villis tres, Pociolis, Caligo, ex Oſipo totum. Dat Mixanum, mediam partem Vicani, Canauarrum, Faram, ſculas S. Laurentij, curtem Crudatis, & villas tres Pociolos, Caligonem, & Oſiponem totum. Hæc, vt vides, ſunt nomina locorum, eaque non latino, ſed vulgari tum Viuatij ſermone ſcripta.

Ego Albinus dotaui ſancti Auli foras ciuitatis, Cauſoneni, Nargatis, Congo, Scondolatis, & Anomatis, & Braudatij, & Pallagione. Eccleſia S. Auli ea, vt puto,

Digitized by Google

to,eſt quam memoratui num. 17. certè extra ciuitatem etiam eſſe dicitur. Cetera nomina ſunt gallicouiuarienſia locorum,& nunc exoleuere.

32 *Ego Bobo,& vxor mea,Eulalia,& frater meus Rufinus ædificauimus eccleſiam in Aruematenie,in honore ſancti Petri,ſuper fluuium Liger.Dotaui eam de propriis meis calonicas* VI.*& ſuper Henticam fluuium villa quæ vocatur Vtiaco.Et iſta omnia tradimus Deo & S. Vincentio.* Dat eccleſiam ſancti Petri à ſe impoſitam Ligeri fluuio, cum ſuis calonicis VI. & Vtiacum villam ad Henticam fluuium. Calonicæ VI. capiunt longitudine milliaria tria, & paſſus CDLVI. latitudine vnum milliaria & paſſus DCCXXVIII.

33 *Ego Aſpaſia dotaui S.Vincentio in Caxona Laudatis: & in Milicianenſe Seruationo totum vſque Inno; Volenceta,Vitem,& Pruinis totum vſque in fluuium Cicei.* Dat in Caxona quidem agrum Laudatis,in Milicianenſe verò agros omnino quatuor, Seruationum quantus eſt vſque Inno locum, Volencetam, Vitem,& Pruinis,quàm latè omnis tenditur vſque ad Cicei amnem. Puto Caxonam & Milicianenſe eſſe nomina regionum in agris.

Ego Sconbertus dotaui ſancto Romano foras portas.In Dienſe villam Oiſiano vſque in rio montis. In Valuinaria modia ter viginti & vineas tres, pratis 2. *& Caſtria totum vſque in ſummitate montis.* Dat eccleſiæ S.Romani,extra Viuarij muros poſitæ Oiſianum, Caſtriam, & in Valuinaria campum modiorum LX. vineas tres, prata duo. Addit Oiſianum poſitum eſſe in Dienſi regione, & vſque ad riuum è monte defluum protendi. Hujus Sanromanæ ædis nullum eſt veſtigium in agro Viuarienſi. Vide autem & ſuprà eccleſiam S. Auli,& nunc eccleſiam S.Romani cenſeri in dotatione Viuarienſis eccleſiæ: abs dubio ad hanc pertinebant.

34 *Ego Venantius ſedis Viuarienſis epiſcopus dotaui eccleſiam in Luciatenſe in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Martini Beſſiaco. Dotaui eas calonicas* LXX. *& cum ſeruis ſuis, & dimiſi eas Deo & ſancto Vincentio.* Dat eccleſias duas cum ſuis calonicis LXX. & ſeruis. Altera eccleſiarum dicitur S. Martini Beſſiaco;certè vt ab alia ejuſdem ſancti æde non longè poſita diſcriminetur.

Ego Yteria femina,fui ſine viro ſexaginta annos: ædificaui eccleſias in vertice montis,in honore ſancti Thomæ & ſancti Sebaſtiani. Dotaui eas vſque in fluuium Scotadij,& villam quæ dicitur Cacerdis,& tradidi eas Deo & ſancto Vincentio. An Scotadium hoc illud eſt,quod vidimus in donatione Secundi? amnis qui per illud fluit,& Cacerdis villa ſunt fines agri eccleſiis S. Thomæ & ſancti Sebaſtiani ab Yteria conceſſi.

35 *Ego Antherius patritius prouinciarum, & vxor mea Sulpitia,dotaui ſancto Vincentio de propriis noſtris,Albemiate palatium noſtrum, quod eſt conſtructum ſecus Henticam fluuium,cum eccleſias duas, vna ſancti Saturnini, alia ſancti Lupi, Botellicus,villam Ragiatis,villam Aicaiutis, Quabides calonicas quatuor, Oraches villam Caninicas, villam in Bocera,eccleſiam ſancti Ioannis & ſancti Mauritij. Sunt calonicas octoginta cum ſeruis ſuis. Iſta donamus Deo & ſancto Vincentio.* Barbara & difficilis oratio. Dat Albeniate palatium ſecus Henticam fluuium, cum eccleſia ſancti Saturnini, & eccleſia ſancti Lupi; villas Botellicum,& Ragiatis; prædia Aicaiutem, & calonicatum quatuor Quabidem; villas Orachem & in Bocera Caninicam; demum eccleſiam ſancti Ioannis Baptiſtæ & ſancti Mauritij cum ſuis calonicis LXXX. & ad calonicorum culturam ſeriùs. Calonicæ LXXX. capiunt longitudine milliaria XLVI. paſſus LXXX. latitudine milliaria XXIII. paſſus XL.

Ego

Ego Longinus epiſcopus ædificaui Eccleſiam in honorem ſancti Stephani in monte 36
Conato, quæ dicitur ad Scans. Dotaui calonicas viginti: & eccleſiam S. Laurentij dotaui calonicas quindecim. Et ego indignus & peccator conſecraui eas, & dereliqui Deo & S. Vincentio, & Ciluatenſe medio, cum centum viginti colonicis vnà cum ſeruis ſuis. An iſte Conatus eſt mons, quem vidimus in donatione Secundi? dat eccleſias duas, alteram S. Stephani cum agro calonicarum xx. alteram S. Laurentij cum agro calonicarum xv. & medium inter vtramque agrum Ciluatenſe cum ſuis calonicis cxx, & ſeruis calonicarum culturæ addictis.

Ego Gombertus ædificaui eccleſiam in honore S. Vincentij, in villa quæ dicitur 37
Craſco. Dotaui eam in primis villæ cum xxx. *colonicis, pratos quatuor, de vineis vnde exire poſſunt modij centum octoginta.* Sub, & dereliqui S. Vincentio; cur enim alioqui hoc poſitum eſt in dotatione ipſius eccleſię cathedralis? ſcribere prætermiſit ad fugiendam æquiuocationem, quæ ex eccleſia cognomine ab ipſo ædificata cooriri poſſet. Dat eccleſiam ſancti Vincentij à ſe exedificatam cum Craſco villa ei attributa, ſuis campis, pratis, vineis inſtructa. Cùm legis modium, ne cogita Romanum, qui aridorum menſura fuit, & capiebat ſextarios ſedecim. Puto eſſe liquidorum menſuram, quæ vulgò dicitur *mui.* Lugdunenſis nunc capit amphoras quinque, id. ſextarios DXL. quantum caperet Viuarienſis cùm iſta ſcribebantur, haud ſcio. Colonicæ XXX. capiunt longitudine milliaria XVII. paſſus CCLXXX. latitudine milliaria VIII. paſſus DCXL.

Ego Alcimus & vxor mea Macedonia, quæ fuit ſoror S. Auli dotauimus S. Vin- 38
centio de Cuiſiniano, quod eſt conſtructum ſuper flumen Rhodani vſque ad Bauarias, & vſque ad riuum Oſonem & Bello dimidium, & in Tricaſtenſis inſula quæ vocatur Argentarias, quæ eſt ad Burgogiates ſuperiorem. Iſta omnia tradimus Deo & S. Vincentio. Dat tria, Cuiſinianum, Belli dimidium, Argentarias inſulam. Cuiſinianum fuit caſtrum aut pagus: ab Oſone riuo vſque ad Bauarias, habebat agrum ad ripam Rhodani. Argentarias inſulá dicitur eſſe in Tricaſtinis ad ſuperiorem Burgogiatem. Nomine Burgogiatis intelligo Burgum S. Andeoli, quia Carolus Caluus ponit *inſulam Argentariam iuxta S. Andeolum.*

Ego Rodulfus dotaui eccleſiam S. Petri de Rumpone monte, & in Valentinenſe 39
ædificaui eccleſiam in honore S. Albani. Dotaui Deo & S. Vincentio. Et in Valentinenſe ædificaui eccleſias duas in honore S. Proiecti & S. Stephani. Dotaui eas. Iſta omnia tradidi Deo & S. Vincentio. Dat eccleſias quatuor, B. Petri de Rumpone, S. Albani, S. Proiecti, & S. Stephani. Igitur cùm prima illa ſit Cluniacenſium, Epiſcoporum aliquis, ſed ignotus mihi, eam ipſis elargitus eſt. Leodegarius illam habentibus porro tradidit anno incerto eccleſiam S. Stephani de lacu, & anno MCXII. eccleſias omnino quatuor in mandamento S. Albani.

Omnia iſta dotauerunt ad ſanctum Vincentium, vel ad ipſa corpora ſanctorum, 40
quæ in circuitu requieſcunt, anno ſeptimo regnante domino noſtro Galdeberto, & etiã domino Cheuberto rege, indictione vndecima. Ideſt omnia hactenus recitata, donauerunt ſancto Vincentio & ſanctis cum eo quieſcentibus, vſque ad annum ſeptimum Galdeberti & Cheuberti regum. Ita expono illas voces *anno ſeptimo*, quoniam aliter explicari non poſſunt. Neque enim verum eſt viros tota dotatione memoratos, in quibus plures ſunt epiſcopi Viuarienſes, vno

anno aliquo ſeptimo aut vixiſſe, aut donaſſe ea quæ hactenus recitata ſunt. Quaſi diceret, atque hæc ſunt quæ pij viri donauerunt S.Vincentio, vſque
41 ad annum ſeptimum Galdeberti & Cheuberti regum. Sed qui iſti reges? exiſtimo Galdebertum ſcriptum pro Childeberto; neque inſolens aut turpis eſt hic error ſcribæ: & Childebertum addo ſecundum dici; vt Cheubertus nunc appelletur, qnem vulgò appellamus Dagobertum, qui fuerit binomius. Enimuero non occurrit alius cum Childeberto rex; & Dagobertus ſecundus potuit regnare cum patre, qui anno poſt eum quarto mortuus reliquit filios Chilpericum & Theodoricum, alterum regem poſt alterum. Dagoberto autem ſecundo fuiſſe etiam nomen Cheuberti, aut Cheriberti, ſeu Chereberti (quæ videntur ſynonima) non mirabitur, qui cogitauerit Othonem Burgundiæ Comitem dictum etiam fuiſſe Guilelmum, ex chronico abbatiæ ſancti Benigni Diuionenſis; & Guilelmo filio Henrici primi regis Angliæ, ex hiſtoriis Anglorum fuiſſe quoque nomen Adelini. Nam quis neſcit Carolum magnum appellari Dauidem ab Alcuino? ſunt qui Childebertum iſtum faciant primum, & pro Cheuberto Theodoricum inducant: ſed & nouum eſt cenſere annos à duobus regibus, quorum alterum non habeas tuum regem, Childebertus autem & Theodoricus nullibi Galliarum ſimul imperarunt; neque afferes cur ceteros cum ipſis fratres, filios omnes Clodouei, non numerauerit ſcriba. Hic ſeptimus annus Childeberti ſecundi, fuit octauus Chriſti ſupra ſeptingenteſimum.

42 *Ego Aginus vir illuſtris & vxor mea Petronilla, dotauimus de propriis rebus noſtris S. Vincentium in caſtro Viuarij ſitum, quod de genitore meo Aprimiculo iuſtiſſimè aduenit. Hoc eſt Valligorgia, cum eccleſia S.Martini cum ſuis appendentiis. Alpes duas, quæ nuncupant Taranicus, ibidem adhærentes vſque ad Borna, & vſque ad Nitrenſe, ſiue vſque in valle Contronica, & vſque ad Linna quæ vergitur in Linna. Et in alio loco in ipſo Comitatu, vbi dicitur Salua plantata, eccleſiam in honore ſancti Petri colonicis vndecim. Sunt in ſumma colonicæ centum octoginta.*
43 *Cum ſeruis ſuis tradimus Deo & S.Vincentio.* Dat Valligorgiam cum eccleſia ſancti Martini latè fuſam per colonicas DLXIX. & eccleſiam S.Petri in Salua plantata, cum ſuo colonicarum XI. agro. Nomine alpium fortaſſe intelliguntur alti montes: vox enim ita ſignificat antiquâ Gallorum linguâ, ex Seruio in Virgilium; & Fortunatus l. 6. carm. 7. *inde Pirenæas*, inquit, *per nubes tranſilit alpes*; & l.8. carm.18. *ab Auernis veniens feliciter æruis, alpibus ex illis properans*; ac denique l.10. carm.22. *atque Pirenæa deſerat alpis opem.* Ecce & Auernicos & Pirenæos montes, quia ſunt alti, appellat alpes. *Linna* verò *quæ vergitur in Linna*, eſt Linna propinquior, vt fuerint loca duo huius nominis; & Taranici montes ad proximam deduxerint ditionem Agini. Denique Comitatus, qui nunc memoratur, eſt Viuarienſis: nam quis alius? in donatione Secundi vidimus pertinere ad vlteriora Rhodani. Ceterùm colonicæ CLXIX. capiunt longitudine milliaria LXXXXVII. paſſus CCCXLIII, latitudine milliaria XLVIII. paſſus DCLXXII.

44 Atque hactenus habet dotatio eccleſiæ Viuarienſis ante nongentos, aut circiter annos ſcripta, nobile antiquitatis monumentum. Ex ea intelligis ſua tum illi fuiſſe rura, caſtra, eccleſias in agris & inſulas, non in Viuarienſi tantùm regione, verùm etiam in Dienſi, Valentina, Arelatenſi, & ad Ligerim fluuium. Ipſam debemus Thomæ epiſcopo. Igitur cùm illa perfecta

eſt

est, ecclesia Viuariensis habebat ecclesias XXX, castra seu villas LXIV. & supra vineas prataque, agri colonicas septingentas octoginta & vnam, hoc est agri milliaria quadringenta quadraginta nouem, & passus septingentos quinquaginta sex longitudine, latitudine verò milliaria ducenta viginti-quatuor, & passus septingentos septuaginta octo. Immensa regio & grandi prouinciæ par! Sed idem Thomas descripsit alias tabulas, quæ si iungantur superioribus, profectò videbis amplissimas fuisse huius ecclesiæ opes, antè ab Imperatoribus quàm acciperet Viuarium cum suo Comitatu, Burgum S. Andeoli, Dunseram, Argentariam, & alios nobiles pagos. Vt eæ sint apertiores, aduerto illis veteribus sæculis canonicos alios alia ecclesiæ bona (vt singuli iubebantur) administrasse, seu concederentur ipsis ab episcopo, seu seorsim ab illo iam ij sua haberent, & in commune contulisse reditus annuos, vnde sua singulis clericis, & sacræ ædi, ad vsus seu necessarios, seu opportunos concederentur. Huiusmodi administratio appellabatur obedientia, quo- 45
niam ex præcepto collegij instituebatur à singulis; & qui eam gerebat, dicebatur obedientiarius. Audi conuentiones canonicorum Matisconensium cum Vlrico de Baugiaco initas anno MCCVIII. *obedientia de Marconaco*, &c. *obedientiarius qui ibidem aderit*, &c. Monachis etiam suæ erant obedientiæ: *Alberico*, inquit Aimoinus 2. de translat. S. Vincentij cap. XIX. *monacho, cum fratre Helia in pagum Empurensem profecto, atque in villa suæ obedientiæ, Garricula nuncupata, commorante.* Quam de obedientiis canonicorum Viuariensium chartam, exscripsit Thomas episcopus, & suis tabulis inseruit, ea est incerti temporis, sed ante ipsum longissimi. Ita habet.

BREVE DE OBEDIENTIIS Canonicorum Viuariensium.

BREVE seu breuis est album, in quo aliqua recensentur & enumerantur, 46
sic enim legitur in capitular. l. 3. c. 82. *Non solùm beneficia episcoporum vel abbatum, abbatissarum, atque comitum, siue vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri describebantur in breue.* De canonicorum autem antiquitate vtcumque res habeat, non enim postulat locus eam excutere, audi Sigibertum anno MLXXVIII. *Ab hoc tempore, cepit reflorere in ecclesia B. Quintini Bellouacensi, Canonicus Ordo primùm ab Apostolis, postea à B. Augustino episcopo regulariter institutus, sub magistro Iuone venerabili eiusdem ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.* Noli omnino abiicere quod post mille annos affert Apostolos inuenisse Ordinem Canonicorum, Benedictus enim duodecimus, id ipsum asseruit istis apud autorem bibliothecæ Præmonstratēsis ad regulam S. Augustini sect. 3. verbis: *Canonici Regulares, à discipulis Christi in primitiua Ecclesia instituti sunt.* Certè clericorum hoc genus antiquissimum est. Turonense secundum anno Christi quinquagesimo sexagesimo septimo, distinxit lectorem canonicum ab aliis clericis cap. decimo nono. Landericus autem Pari- 47
sienſis Episcopus anno sexcentesimo quinquagesimo octauo ita locutus est: *Nos & canonicorum nostrorum communis fraternitas.* Denique (nam quid plura hic afferam?) quod Turonense tertium capite vigesimo tertio sapienter & sanctè iusserat super canonicis, Carolus Caluus anno post tricesimo

ſimo tertio ita edixit in capitulis Sparnacenſibus numero quinquageſimo tertio: *Canonici in ciuitate vel monaſteriis, ſicut conſtitutum eſt, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum neceſſariò ſubleuentur; & tam ſani, quàm & infirmi canonicè veſtiantur, & ſub cuſtodia canonica lectioni & ceteris diuinæ inſtitutionis inſiſtant officiis.* Igitur hoc album eſt in quo recitantur canonici Viuarienſes, & docetur quæ bona à ſingulis adminiſtrentur ex præcepto ſui, ſeu Epiſcopi, ſeu collegij.

48 *Archimbaldus tenet eccleſiam ſancti Oſtiani & ſancti Martini, cum manſis* XI. *cum territorio de Langaone, & in Larnatis Eccleſiæ ſancti Petri, & in Vecauſco manſos quinque cum inſula, & campos quæ ſunt circa Viuario cum manſis duobus, & vinea apud Condamina, & in Vincolis manſum vnum, & in Villanona manſum vnum.*

Galbertus tenet eccleſias ſitas in Cornatico cum vinea & campo, cum capella S. Victoris; eccleſias duas S. Eraclij & S. Emilij.

Ionas tenet eccleſiam S. Ioannis cum terra de Malaprata.

Girmaldus eccleſiam S. Mariæ & in Macronatiis manſos duos; in Caduſto manſum vnum; in Coſone manſos duos prope fluuium Rhodani, terra quæ eſt in Calmaitanitas curte dominica; eccleſiam ſancti Albani in Caſſerius manſos VIII. *inſula Gargana indaricata terra Exepto manſos duos; in Dardano capella ſancti Arcontij cum manſis* XXX. *quæ ibi pertinent; ad fonte Bellone curte dominica cum*

49 *eccleſia ſancti Petri; in Tagernatenſis eccleſia S. Iuſti cum territorio; Mellannatis cum capella S. Mariæ cum manſis* VIII. *inſula Formicarias quam Golfaldus tenuit.*

Defon Guitardi eccleſiam S. Vincentij, cum eccleſia S. Thomæ & S. Michaëlis cum manſis XVI.

Arnulfus preſbyter eccleſiam S. Saluatoris cum manſis quatuor.

Imneo eccleſiam S. Symphoriani cum manſis tribus in Valibio.

Arnulfus tenet eccleſiam S. Marcelli cum manſis XV.

Iterius Præpoſitus ſancti Andeoli eccleſiam ſancti Stephani & S. Leodegarij; &

50 *in pincto manſo vno; & Muſentico manſo vno; in Carciano & in Vendiano Mancello, & in Bergogiatis capellas.*

Iullerandus & Circuranus eccleſias duas S. Stephani & S. Marcelli, & in Arbitero viniam.

Gerardus eccleſiam ſancti Auli, & manſos duos. Portum Viuarij.

Aſterius eccleſiam S. Mariæ cum capella ſancti Andeoli & ſancti Geneſij dimidij, & manſos XXIII.

Voluerardus in Vliuola capellam ſancti Stephani & manſos XVI.

Garnerius eccleſias tres ſancti Stephani, S. Andreæ, & S. Ioannis, & manſos XI.

51 *Ennus tenet in Siluatenſe eccleſiam S. Martini in Currio manſos* XXX.

Vincentius in Monteſelgo eccleſiam ſancti Martini.

Guetardus presbyter tenet eccleſiam ſancti Andreæ in Filinis.

Bartholaicus eccleſias tres S. Mariæ, & ſancti Martini, & ſancti Nazarij, & manſos XVII.

Aſterius tenet eccleſiam ſancti Andreæ & Moniartis, eccleſiam Dinadiante, & manſos XXVIII.

Arnulfus manſos VII.

52 *Varnalphus manſos* VII. *& vinea.*

Odo eccleſiam ſancti Philippi, & pecias de vinea.

Alde

Digitized by Google

Aldebertus eccleſiam ſanctæ Mariæ in Geneſtella, & ſancti Stephani in Conſi-ſas, & manſos XXVII.

Gallo tenet eccleſiam ſancti Saturnini; & manſos XII. *& ſanctæ Mariæ in Pra-das & manſos* XII. *& capellam ſancti Petri.*

Amalricus tenet eccleſiam ſancti Michaëlis cum manſis VII.

Efrem eccleſiam ſancti Priuati.

Gothofredus eccleſias ſancti Projecti & ſancti Iuliani cum manſis V.

Roſtagnus Collatis manſos VIII. *& in Blarbauo clauzo indominicato.*

In hoc breui aliqua ſunt aduertenda. Primò vide manſorum memo- 53
riam in eo frequentem eſſe. Manſus ſeu manſum dicitur à manendo. Eſt ager cum dono manſioni apta pro manſuario: is verò appellatur ſeruus qui manſum colit. Videtur tantum ſaltem cepiſſe ſpatium, è quanto manſuarius poteſt parare ſuo domino neceſſaria. Nam Ludouicus Pius capitulari primo jubet, vt *vnus manſus integer vnicuique eccleſiæ attribuatur*, Aimoinus l. 5. c. 10. Ludouici mandatum exponens ita loquitur: *Volens vnamquamque eccleſiam habere proprios ſumptus, ne per hujuſcemodi inopiam cultus negligerentur diuini, inſeruit prædicto edicto, vt ſuper ſingulas eccleſias manſus tribueretur vnus cum penſatione legitima, & ſeruo atque ancilla.* Otho primus in quodam diplomate videtur ei dare tres hobas: ad hoc enim edictum Ludouici ſpectans ita loquitur: *Dotem Eccleſiæ, id. duas hobas poſſeſſas, & beneficium presbyteri in eodem loco deſeruientis, id. vnam hobam.* Sed quæ fuerit hoba non inuenio. Hincmarus manſo tribuit bunnuaria duodecim: quem ſecutus Alexander epiſcopus Leodienſis, *presbyterum*, inquit, *contingere debet vnus manſus terræ duodecim bunnuariorum.* Quantum verò fuerit bunnuarium difficile dictu, 54
eſt: puto tamen deduci à bobus, & eſſe quod Latini appellauere jugerum, à jugo boum, quia Papias in Gloſſario dat manſo jugera duodecim, ſicut Hincmarus bunnuaria. *Manſus*, ſunt verba Papiæ, *dictus à manendo, qui integrum ſit duodecim:* & Boſquetus ad epiſtolam viceſimam primam Innocentij III. regeſto decimotertio, *lege, qui iugerum ſit duodecim.* Igitur manſus capit jugera duodecim, vt annotauit autor ſcholiorum marginalium concilij Colonienſis ſub Carolo Caluo, id. paſſus longitudine quidem ſeptuaginta ſex ſupra quingentos, latitudine autem ducentos octoginta octo. Putabam calonicam, & calonicum, ſeu colonicum appellari in dotatione Eccleſiæ Viuarienſis à colono: hic enim eſt idem cum ſeruo manſi, ſeu manſuario ex Carolo Caluo, qui hæc habet in edicto Piſtenſi cap. 14. *Coloni ſuas hæreditates id. manſa quæ tenent vendunt, & tantummodo cellam retinent:* & cap. 24. *liber homo ſexaginta ſolidos componat, colonus ſeu ſeruus nudus cum virgis flagelletur.* S. quoque Remigius iſta ſcripſit in teſtamento: *Vitalem colonum liberum eſſe jubeo:* & Flodoardus l. 2. cap. 19. *Mancipia vel colonos.* Quod 55
autem dicebat imperator colonos manſa vendere ſeruatis cellis, facit vt putem manſa poſtmodum appellata eſſe, quorum ſola cella pertineret ad manſuarium; colonica verò, quæ cum cella eſſent ejuſdem coloni ſeu manſuarij; niſi mauis colonicum cella caruiſſe, quam manſus haberet: certè chronicum S. Benigni voces inter ſe diſtinxit, cùm ſic locutum eſt: *Serui de prædictis manſis ſeptem colonicas habebant.* Pro colonicis colonias ſcripſit Glaber 3. Hiſt. Franc. cap. 5. *quindecim terræ colonias dicitur in dotem accepiſſe* monaſte- 56
rium Cluniacenſe pro monachis 12. Ex quibus verbis etiam intelligis ejuſ-

dem (vt monui) eſſe ſpatij cum manſo, & eos ferre fructus, qui alendo domino pares ſint:Guilelmus enim fundator Monaſterij videtur largiter conceſſiſſe quod ſufficeret monachis duodecim. Colonias appellauit Flodoardus quoque l. 2. cap. 5. *Colonias villarum quarumdam epiſcopij diſpoſitis ordinauit ſeruitijs:* vtpote quæ ſicuti cellis, ita & ſeruis carebant, quibus manſus erat inſtructus. Denique, vt hoc non prætermittam, quem manſum appellabat Ludouicus Pius capitulari citato, Synodus Valentina ſub Lotario cap. 9. vocauit colonicam veſtitam: *ſi laici,* inquit *concedere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis gratiâ eis conferant.* Aimoinus dixit manſum cum ſeruo & ancilla, ſub. additis ad manſuarium. An potiùs manſum ſub Ludouico Pio habebat ſeruum & ancillam, deinde Lotario Imperatose habuit porrò alium ſeruum;nam ſub Carolo Caluo ſynodus Colonienſis ita ſcripſit: *Ex dote Eccleſiæ id. ex vno manſo & quatuor mancipiis?* Atque hactenus dictum ſit de manſo, colonica ſeu colonia, & colonico vel calonico. Nolo tamen prætermittere Carolum Caluum latiùs & impropriè accepiſſe has voces anno ſexageſimo ſupra octogeſimum. *De colonica Nouæuillæ manſum vnum* &c. *In colonia de Auiſnis manſum vnum.* Sumpſit colonicam & coloniam pro villa: quia, vt puto, quæ colonica primùm erat, poſtea cultis circùm pluribus agris profecit in villam. Quid hoc miraris?idem ipſum manſo factum eſt, vt intelligitur ex verbis quæ ab eodem Imperatore ſubiuncta ſunt:*Villam quæ appellatur manſus Adalingi.* Inuenio præterea terminum pro colonica poſitum:*Villa cum termino vel colonica ſua:* & poſtea,*terminos vel colonicas ſuas,* inquit Theodetrudis ſeu Theodila in donatine monaſterio Sandionyſiano facta anno 1129. Carolus verò Simplex dixit manſionile pro manſo.

57

58 Secundò cùm legis eccleſiam teneri à canonico, ſub. cum ſuis agris,vineis, pratis, *&c.*

Tertiò in obedientia Girmandi ſcribitur *curte dominica,* & in obedientia Gothofredi *Blarbano clauzo indominicato.* Curtis dicitur *dominica* pro *dominicata.* Sic appellatur quam dominus colit, non manſuarius;ſeu quæ eſt domini, non autem coloni ſeu manſuarij. Hic enim poſſidebat agrum ſub cenſu ſeu ſeruili, ſeu ingenuili vel ingenuo; itaque Carolus Caluus, anno trigeſimo ſecundo regni ſui, ſic locutus eſt,in confirmatione bonorum menſæ conuentualis monachorum S. Germani: *Vineæ ſiue indominicatæ, ſiue in beneficium quibuſlibet datæ:* & apud Aimoinum l. v. c. xxxv. *ordinauit vt de manſis dominicatis ſolidus vnus, de vnoquoque manſo ingenuo quatuor denarij de cenſu dominico, & quatuor de facultate manſuarij;de manſo verò ſeruili duo denarij de cenſu dominico, & duo de facultate manſuarij,* &c. Clauzum eodem ſenſu appellatur indominicatum:clauzum verò eſt,quod nunc etiam vulgò appellamus *vn clos;* Blarbanum fuit proprium nomen huius clauzi.

59 Quartò Bergogiatis Iterij eſt fortaſſe Bergogiates, quem vidimus in dotatione eccleſiæ Viuarienſis in Alcinio, & Burgum ſancti Andeoli. Cur autem ipſe Iſterius dicatur Præpoſitus ſancti Andeoli haud ſcio. Quod enim Burgi eſt ſacerdotium ſancti Andeoli, Leodegarius epiſcopus tradidit Canonicis Sanrufenſibus anno MCVIII. abs dubio tamen videtur curaſſe bona Præpoſituræ, de qua in illius ſacerdotij donatione ſermo eſt, vt videbimus ſuo loco.

Quintò

Quintò Canonici in hoc breui recensentur xxx.& ex illis presbyteri tantùm tres,nullus è Dignitatibus Collegij. Verumtamen certum est fuisse quondam in Collegio Viuariensi Canonicos XL.& in ipsis Præpositum,Archidiaconum,Præcentorem, Sacristam,Archipresbyterum, Vicarium. Crediderim qui erant in dignitate constituti, vt suo munere fungerentur, nullam bonorum Collegij procurationem adiisse; ceteros vel ab ætate, vel ab alia causa,minùs tum idoneos administrationi bonorum fuisse.

Sextò denique nulla earum rerum, quas in dotatione ecclesiæ Viuariensis legimus, attribuitur Canonicis in hoc breui: in illa vidimus ecclesias triginta,in isto sunt quadraginta duæ supra capellas. Colonica verò data sunt Episcopo ad septuaginta & vnum, vt non memorem castra, villas,vineas,prata:& Canonici administrabant mansos ducentos septuaginta & octo, qui capiunt longitudine milliaria CLX. & passus CXXVIII. Vah quantæ opes Episcopi & Canonicorum! Quæ per Gallias regio tanta est, vt colligat milliaria longitudine quidem octingẽta nouem,latitudine autem CCCIV.Si mansos & colonica,ex antiquis autoribus bene sum dimensus,hoc illud spatium est, quod agris illi tenebant ante Carolum magnum, vt non afferam villas, castra,insulas. Sed profectò res superat omnem fidem. An ergo quod villis,pagis & vicis tum agrestibus,tum vrbanis,hoc manso denique & colonico factum est, vt incertæ ac non rarò permodicæ amplitudinis fuerint; neque vel duodecim bunnuaria seu jugera, aut etiam integrum aliquando jugerum impleuerint? Hoc fortasse aliis probabitur, nos reuertamur ad Episcopos Viuarienses. 60

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM VIVARIENSIVM
LIBER SECVNDVS.

ITVR post SS. Ianuarium, Septimium, Maspicianum & alios, S.Auxonius erat Episcopus,cùm Alba per Croscum Vandalum (Caracum nonnulli dicunt) euersa est. Scio esse qui post Aimoinum & Anonymum autorem vitæ S. Ausonij Engolismensis Episcopi velint Vandalos duce Crosco victoriis peragrasse Galliam, atque adeò perdidisse Albam sub Valeriano & Galieno,qui anno CCLVII.inierunt imperium,quia Gregorius Turon.ita scripsit l.1.de hist.Franc.c.32.*Chrocus ille Alamannorum rex commoto exercitu Gallias peragrauit* Valeriano & Galieno Imperatoribus.Sed Vandalum constat fuisse Chroscum, & ceteros autores antiquos,Vandalorum,quos ab Alamannis semper distingunt,irruptionem in Gallias,referre ad annum circiter quadringentesimum. Orosius l.7. c. 64. ita habet: *Anno vrbis conditæ* MCLXIV.is fuit Christi CCCCXIII. *irruptio Vrbis per Alaricum facta est.* Post pauca; *Ante biennium Romanæ irruptionis excitatæ per Stiliconem, gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum Rhenum transeunt, Gallias inuadunt.* Prosper, *Anno Domini* CCCCVIII. *Vandali,& Alani Galliat trajecto Rheno pridie calend. Iannuar.ingressi.*Cassiodorus: *Arcadius* VI.*& Probus Coss.* (fuit hic annus CCCCVIII. Christi.) *His Coss.Vandali* 1

& Alani traiecto Rheno Gallias intrauerunt. Ado sub finem imperij Arcadij,
2 ante annum cccccv. *Vandali atque Alani Gallias aggrediuntur.* Igitur Turonensis secutus est autorem vitæ S. Priuati, qui ista scripsit: *Valeriano & Gallieno Imperatoribus Alemanni transmisso Rheno Gallias petierunt, quos regem Scorconem illo tempore habuisse confirmat antiquitas*, &c. *sanctum Priuatum Episcopum in eius, quam diximus, cryptæ receptaculo hostilis furor reperit*, &c. *Atrociter in eum barbari sæuiunt: adeò eum excruciant vt exanimis putaretur*, &c. *Illis cruciamentis quassatus, non multò pòst è sæculo commigrauit.* Nam cap. xxxiv. subiungit: *Irruentibus autem Alamannis in Gallias, sanctus Priuatus Gabalitanæ vrbis Episcopus in crypta*, &c. *tamdiu fustibus cæditur, quoadusque putaretur exanimis. Sed ex ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalauit.* Sed tam vera de Crosco seu Scorcone attulit ille autor, quàm de eo qui S. Priuatum peremit. Neque enim Alamanni Croscum ducem secuti, sed Romani ex edicto Valeriani & Galliani occidere S. Priuatum. Audi martyrologium Romanum xxiii. Augusti: *In territorio Gaualitano sancti Priuati episcopi & m. qui passus est in persecutione Valeriani Gallieni.* Beda, Ado, Vsuardus iisdem verbis martyrium
3 subiisse aiunt. Vtcunque hoc habeat, index martyrologij Gallicani, non immeritò suspicatur Chrocum Turonensis, seu Scorconem autoris vitæ sancti Priuati, non fuisse Vandalorum illum ducem, qui à Mario ad Arelatem captus, pœnas luit cladis vrbibus Galliarum illatæ. Vandali enim autoribus Orosio, Prospero, Cassiodoro, Adone primùm intrauere Gallias, post annum quadringentesimum Christi. Igitur placet dicere cum Sigiberto quem attuli l. super. num. 3. Albam à Crosco Vandalorum duce euersam post annum Christi cccccxi. Ea euersa, cæsoque Crosco, B. Auxonius, monente Deo, Clericos suos deportauit Viuarium. In finibus quidem diœcèseos est vrbs, sed tanti ducebat sanctus vir firmo, & aduersus omnes barbarorum impetus duraturo loco Episcopium statuere. Atque igitur cùm in excelsa rupe, è qua vrb reliqua descendit in Occidentem, satis esset spatij capiendis supra tem-
4 plum ædibus totius Cleri, in ea resedit. Antiquæ tabulæ referunt egisse in ipsa annos quinque; quem verò successorem in Episcopatu habuerit non inuenio: sed neque plurium ab eo præsulum tempora satis certò notare possum, quando illa antiquæ chartæ non digerunt. Nomina tantùm afferunt, neque vno tamen ordine omnes locant; vt perarduum sit aliquid veri super hac re constituere. In martyrogio Viuariensi ita legitur x. cal. Mar. *Hac die, videlicet decimo cal. Mart. in nostra præsente ecclesia Viuariensi fit festum de translatione sancti Auli episcopi, qui sancto Luciano successit, vt habetur in nostris antiquis monumentis, quæ chartam antiquam vocant. Libri moderni habent eum successisse B. Eucherio, cùm tamen inter illos, vt antiqua charta docet, sint sancti Venantius, Rusticus, Melanus, Firminus. Pòst sequitur Eucherius, cui successit B. Aulus, illi Eumachius, deinde sanctus Longinus regnante Alarico.*
5 Igitur autore martyrologio Viuariensi, ponendi sunt ordine S. Lucianus, S. Venantius; S. Rusticus, S. Melanus, S. Firminus, Eucherius, B. Aulus, Eumachius, S. Longinus. Sed in vita B. Auli paulò aliter habes: *Post obitum S. Eucherij*, inquit autor illius, *accepit episcopatum Ecclesiæ Viuariensis, quæ olim vocabatur meliùs Alpiensis, S. Firminus, qui non post multos dies tradidit sacerdotium beatissimo filio suo Aulo* &c. *post cuius obitum, voluntateque Auli præfuit Episcopus Eumachius.* Ecce ait sedisse S. Eucherium, S. Firminum, B. Aulum, Eumachium. Si quid tamen

in

Digitized by Google

in re obſcura aut aſſerendum, aut ad aliquam veri ſpeciem dicendum eſt, ita ego quidem cenſebam. Ioannes vixit poſt Auxonium, Ioanni ſucceſſit 6
Melanus, & Melano Lucianus: mortuo Luciano ſedit Valerius, & poſt Valerium, Eumachius, Ardulphus, Venantius, Longinus, B. Aulus. Omnino dubium commouet, atque vt ita ſentiam facit, antiquiſſimus ille ordo Epiſcoporum dotantium Eccleſiam Viuarienſem à me ab Thoma exſcriptore allatus ſuperiore libro. Atque vt aliquid demus autori martyrologij Viuarienſis, addo quos memorat ſanctos Lucianum, Venantium, Ruſticum, Melanum, Firminum, eſſe diuerſos ab modò allatis Melano, Luciano, Venantio; reorque poſt B. Auxonium ſediſſe Viuarij ordine Ioannem, Melanum, Lucianum, Valerium, Eumachium, Ardulphum, S. Lucianum II. ſanctum Venantium, S. Ruſticum, S. Melanum II. S. Firminum, Eucherium, B. Aulum, Eumachium II. S. Longinum, Venantium II. Longinum II. Nam quod affertur ex vita S. Auli, Eucherium S. Firmino ſuperiorem fuiſſe, non magnum eſt: neque tanti ego quidem putauerim autorem illius, vt præ autore martyrologij debeat poni. Non video tamen, cur illi non concedamus vt Eucherius dicatur ſanctus. Hîc vide, quàm multi poſt Longinum beati viri 7
Epiſcopatum habuerint. Sanctorum profectò virorum fuit illa ætas; & non veri nullam habet ſimilitudinem, quâ ſanctitate fulgebant, eam ad ſuos potiſſimùm è clero deriuaſſe. Lucianus quoque & Valerius ab eodem martyrologio appellantur ſancti Valerijque tempora etiam annotantur. Sic habet: IV. *S. Valerius.*
cal. Febr. depoſitio B. Valerij Epiſcopi Viuarienſis, qui B. Luciano regnante Alarico ſucceſſit, vt in monumentis antiquis, quam chartam antiquam vocant, vſque ad præſentem diem habetur: Alaricus autem à Clodoueo cæſus anno Chriſti DIX. ante illum igitur, & anno circiter quingenteſimo ſedebat Viuarij ſanctus Valerius, quod non parum firmat ſeriem Epiſcoporum, allatam è dotatione Viuarienſis Eccleſiæ. Cùm enim ſanctus Auxonius, Albâ poſt annum quadringenteſimum euersâ, fixerit ſedem Viuarij, & ſanctus Valerius ibidem ſederit ſub annum quingenteſimum, non caret veri magna ſimili- 8
tudine inter vtrumque per annos LX. & ſi quid excurrit, fuiſſe Epiſcopos Ioannem, Melanum, ſanctum Lucianum. Nam quis mirabitur, his præſulibus ſingulis dari annos plus minùs viginti? Ceterùm quæ de Epiſcopis à B. Auxonio vſque ad ſanctum Longinum II. allata ſunt, ne ita intellige, quaſi fuerint alij poſt alios, nemoque vnus inter eos poſitorum me fugerit. Agripius anno quingenteſimo quadrageſimo primo, fuit in Concilio Aurel. III. Sauinus ſeu Sabinus anno DLXXXVIII. in Matiſconenſi: poſt Ardulfum ergo aut Venantium fortaſſe fuit iſte, ille poſt Firminum vel Eumachium. Sed Venantius à me præteriri non poteſt. Is Sigiſmundi regis Burgundio- 9
num, ſancti patris ſanctus filius fuit. Sedit verò poſt B. Valerium annis XXVII. *S. Venantius.*
Hæc ambo, cum eius preclarè geſtis rebus, traduntur in Breuiario Viuarienſi. *Poſt obitum*, inquit autor illius, *Sanctiſſimi Valerij Viuarienſis Eccleſiæ Epiſcopi, filij eiuſdem ſanctæ matris Eccleſiæ, conuenientes in vnum, vnanimiter ac pari conſenſu, glorioſiſſimum Venantium elegerunt ſibi antiſtitem. Quo facto patrem ſuum Sigiſmundum adeunt &c. conſtructa ergo Viuarienſi ciuitate tam honorificè, vt dictum eſt, & Eccleſiis ſanctorum ſplendidè at mirificè compoſitis, pſallentiumque choris poæordinatis, Eccleſiam Viuarienſem XXVII. annis reuoluentibus felici gubernatione rexit, quibus tranſactis plenus ſanctitate atque dignus omnium*

10 *laude. nonis mensis Augusti animam Deo reddidit.* Is interfuit concilio Epaunensi anno DIX: ante illud itaque mortuo B. Valerio iniit Episcopatum, neque multùm Sigismundo patri supervixisse puto, qui cæsus est à Clodomiro Clodouei filio sub annum Christi DXIX. quando hic nihil non mouisse legitur aduersus sanctum antistitem, post peremptos fratres ipsius cum patre, vt perditâ omni familiâ securus sibi haberet regnum Burgundionum. Si petas quæ
11 fuerit Epauna, inuenies 2. de Valent. ep. n. XX. esse Agaunam Papirio Massono & Iënnam in Sabaudia Polycarpo de la Riuiere. In breuiario Viuariensi vnum additur dignum hoc loco: *Ecclesiam S. Iuliani martyris, subterpositis marmoreis columnis, ac pauimento polito lapide constructo, miro construxit ædificio. Nihilominùs & baptisterium in ista ecclesia, cum tabulatis & columnis marmoreis, atque cum corona ex plastego desuper in altum deducta, miro fundauit opere. Sub terra verò aquam venientem in ipsam ecclesiam, de loco qui vulgò Calefecetus dicitur, deduxit, quæ & per meatus plumbeos in altum respirans, per columnas marmoreas mirabiliter ascendebat, quam etiam æneus cervus in medio stans euomebat. Ecclesiam quoque Beati Saturnini, ac Beatæ Mariæ Genitricis Domini Dei nostri, venerabili opere construxit, atque in honore horum sanctorum dedicauit.* Hactenus breuiarium Viuarienſe. Augustissimæ ædis Saniulianæ nullum est vestigium. Tamen cùm nuper, iuxta cognominem ædiculam semirutam, vites ordine ponerentur, & alia sunt effossa, & à puriore plumbo tubus, magno argumento ædiculam olim excitatam in basilicæ euersæ ruinis; quasi ille tubus sit particula meatuum plumbeorum, agente S. Venantio deducentium aquas, de loco Calefecetus in ecclesiam Saniulianam. Duo præterea referuntur de S. viro, quorum alterum omnino falsum est, alterum popularis rumor habet, atque igitur ita referetur à me, vt cuique liberum sit seu abiicere, seu recipere. In martyrologio Viuariensi ita legitur: *Venantius filius Sigismundi regis Burgundiæ, monasterium sub regula B. Benedicti, in Albauico, in supercilio montis ad Rhodanum ædificatum adiit, vbi monachus factus, ob vitæ sanctitatem defuncto B. Valerio in*
13 *episcopum eligitur.* Vide manifestum errorem. S. Venantius iam Viuariensis Episcopus anno DIX. interfuit concilio Epaunensi; monachi verò Benedictini, eo ipso anno venerunt primùm in Gallias sancto Mauro duce: itaque Beatus Venantius, non potuit ante Episcopatum adire monasterium, sub regula Beati Benedicti positum in monte Albauici. Deinde quod seu Benedictinum, seu aliud monasterium reponis Albauici, contra fidem omnium tabularum? Præterea breuiarium Viuariense docet clericos Viuarienses, adiisse Sigismundum regem, & *inde* Venantium filium Episcopatus *officio se indignum clamantem inuitum deduxisse.* Quod ita loquitur, non obscurè tradit vt ageret monachum (id enim non habeo cur asseram aut negem, etsi alibi tabularum quàm in hoc martyrologio non legitur) certè Vi-
14 uarij eum non egisse. Quod ergo affertur super ipsius Benedictino monachatu falsum est. Sitne verùm, quod fama vulgaris habet super eius sancto cadauere haud scio. Aiunt sepultum in ecclesia B. Mariæ de Rhodano, quam moniales tum tenerent; & cùm vel ab affinibus, vel à cognatis Burgundiæ regibus repeteretur, ab illis impositum naui, vt Lugdunum Rhodano deportaretur; & cetera quidem facilè delatum, sed vbi nauis legeret ripam Subdionensem, vi nulla potuisse moueri, attonitis ad insigne portentum mortalibus;

Digitized by Google

libus; atque admirationem adxiſſe, quòd æra campana de ſe, nemine agitante, ſonitum pariter omnia ſubitaneum, ac vehementem dedere. Igitur ſubſtitiſſe Subdione venerandum corpus; & monialibus, quæ illud deduxerant, excitatam eſſe eodem loco domum. Iſtis qui volet, adhibeat fidem. Ego non facilè crediderim, moniales quondam habitaſſe in B. Mariæ de Rhodano, cùm S. Venantius extremum diem obiit. Nullum in veteribus chartis eſt veſtigium ed eam monaſterij. Tamen eſt verum Subdionenſes monachas, Valentiam, declinando hæreticorum furori, deductas, habere in æde ſua partem reliquiarum S. Venantij Epiſcopi Viuarienſis; & habuiſſe Subdione integrum fere corpus, quod Caluiniſtæ barbaro auſu cremauerint. Plura de S. Venantio dicere, non iuuat feſtinantem ad alia. Accipe tamen quod in monacharum Subdionenſium breuiario legitur. *Erat quædam nobilis mulier vxor Gilbij comitis, quæ à vertice vſque ad plantam pedis, ita ſcabioſa prurigine torquebatur, quòd ſe viuere triſtabatur, vtpote quæ ignitum dolorem patiebatur. Denique quadam nocte cùm ſe ſopori dediſſet, intimatum eſt ei in viſione (credo, angelica admonitione) vt ad eccleſiam in qua S. Confeſſor Venantius requieſcebat iret, ſi ſalutem quam optabat conſequi vellet.* Ex dictis hactenus pone hoc ordine Epiſcopos Viuarienſes. S. Auxonius ſedit Viuarij, poſt annum CCCCXI. Ioannes poſt 16
eum fuit, tum Melanus, deinde S. Lucianus, poſtea S. Valerius ante annum quingenteſimum. Ab huius morte S. Venantius vixit vltra annum quingenteſimum viceſimum. Ei ſucceſſit Firminus, & Firmino Eumachius Ab iſto ſederunt alius poſt alium Agripius, Ardulphus, Sauinus ſiue Sabinus, Venantius, Longinus, S. Lucianus II. S. Venantius II. S. Ruſticus, S. Melanus II. S. Firminus II. S. Eucherius, S. Aulus. Hic Aulus ille eſt clariſſimus miraculis, vt eius vitæ autor multis perſequitur. Cuias fuerit, quibus temporibus vixe- 17
rit, quos parentes habuerit, non quidem tradit, ſed tamen docet nutritum *ſanctus Aulus*
Viuarij ſucceſſiſſe B. Firmino in Epiſcopatu. *Poſt obitum S. Eucherij.* inquit, *accepit Epiſcopatum Eccleſiæ Viuarienſis S. Firminus, qui non poſt multos dies tradit ſacerdotium beatiſſimo filio ſuo Aulo &c. tu beata eccleſia Viuarienſis nutriuiſti & meruiſti B. Aulum.* Illud de Firmino inter Eucherium & Aulum ſuprà reieci ex martyrologio Viuarienſi. Quod Eccleſia Viuarienſis dicitur nutriuiſſe beatum virum, facit vt putem de regione nobis ignota veniſſe Viuarium, & in eius eccleſia clericum egiſſe. Scilicet meruit habere ſibi, quem alia ſeu regio ſeu ciuitas genuit; nutriuit verò quem ſuos, ſcilicet eccleſiaſticos, ritus & mores docuit, Clericumque ſeu Canonicum habuit. Atque iſta cauſa eſt, cur in eadem vita appelletur filius ſancti Firmini, ante ipſum Epiſcopi. Pergit paucis, ſed accuratis verbis tradere virtutes illius. *Docuit ſem-* 18
per virtutes priſcorum patrum, quotidie ieiunans, in vigilis & orationibus perſeuerans, affligebat temporale corpus, vt mereretur accipere ſempiternum paradiſi habitaculum. Captiuis fuit redemptor, & valde innumeros abſoluit à iugo ſeruitutis. Eccleſiæ mœnia multiplicauit & auxit. Pauperibus curam, viduis & orphanis egit tutelam, ſuſceptor peregrinorum, hoſpitium aduenis, blandus, melliſluus, miſericordiæ plenus, benignus, doctor. Poſt aliqua ſubiungit quæ ſupra naturæ vim facta ſunt, cùm mortui cadauer efferebatur ad tumulum: *Equus cui ſemper ſedere conſueuerat, vſque dum ſanctum corpus ſepultum eſt, nullum accipere voluit pabulum, ſed retrò lacrymas dabat, & velum vnde feretrum tegebatur capite ſuo amouens, oſculabatur lectum, &c. dum ſacrum corpus ad ſepeliendum*

venerabiliter deportaretur, contigit vt inimicus humani generis aliquem de sequentibus acciperet, & eum cum spuma in terra allideret. Sed cum cùm tunc fideles sub feretro prostrauissent, statim in nomine Domini nostri Iesu Christi sanus abscessit, & non est vlteriùs eum ausus Satanas tentare. Pergit dicere viri miracula. *Sepulto autem eo, multæ hîc apparent virtutes ad sepulchrum eius: multi cæci lumen consequuntur, & dæmones ab obsessis corporibus deiiciuntur; non solùm autem hîc, sed in quacunque villa, in eo loco vbi lectus eius fuit, homo febribus laborans venit, statim sanus abscedit*, &c. Hæc omnia de B. Aulo afferre volui, quia omnibus
19 ignota scriptoribus, latent in chartulario Canonicorum Viuariensium, characteribus quos dicunt Gothicos semiesis exarata. In eodem veteres tabulæ tradunt, stolam sancti viri quondam fuisse in sacrario ædis Sanuincentianæ, inscriptam versibus opere plumario, per nobilem atque insolitam ingenij vim. Eam cum corpore sancti Auli seruabant inter sanctorum exuuias: sed Caluinistæ anno MDLXIII. per vesanam impietatem dederunt ignibus. Ceterùm non mirabitur versus in ea scriptos fuisse, qui apud Vvalfridum Strabum legerit imponendos cereo. Post S. Aulum Eumachius fuit Episcopus. Rursum audi autorem vitæ illiùs. *Beatissimus Eumachius obediens præceptis Dominicis, quibus dixit, Vende omnia quæ possides & veni, sequere me; & ista quotidie voluens, dereliquit omnia quæ habuit Ecclesiæ Viuarienſi; vnde pauperibus alimenta ministrans, secutus est Christum; vir magnus, autor & amator, congregatorque plebis sanctæ.*

Eumachius.

20 Eumachio mortuo sedit sanctus Longinus eo nomine secundus, vt antea memorabam. Huic quis successerit non inuenio: igitur quorum tempora sunt incerta, & minimè notus ordo, duos ego præsules post B. Longinum scribendos existimaui, Eribaldum & Arcontium. Illum antiquæ sine anno tabulæ, habent in infeudatione quorumdam bonorum ecclesiæ Viuariensis. Hunc fecit memorabilem mors susceptа pro libertate Ecclesiæ à suis Viuariensibus. Ego autem satis emirari prædicareque non possum modestiam, & animos Episcoporum, qui post eum vixerunt. Corpus B. viri clarum miraculis sanctè seruauerunt inter ceteras beatorum reliquias, sed nullum de illius, morte librum scripserunt, vt importuni facinoris autorum famæ consulerent. Igitur neque in sacris officiis vlla vnquam narrario de tan-
21 ti præsulis cæde audita est. Procul oculis populi tamen, tabularium Canonicorum in martyrologio habet sequentia, & meritò quidem, vt sancti martyris nomen deducatur ad posteros, neque mors eius animosè fortiterque susceptа, reponatur inter malè certa rumorum vulgi. *Sexto idus Ianuarij B. Arcontij martyris episcopi Ecclesiæ Viuariensis, qui pro libertate Ecclesiæ inimicos confundens, ab incolis Viuariensibus in porta de trabe, variis verberibus & ignominosis iniuriis afflictus, tandem ab illis decollatus est. Cuius corpus ex integro habetur, & honoratur vsque ad præsentem diem, clausum in capsa ferrea,*
22 *ad latus sacelli sancti Martini, intra ecclesiam nostram Viuariensem.* Cùm legis decollatum ab incolis Viuariensibus pro libertate Ecclesiæ, ne cogita id factum publico ciuitatis vel impetu, vel decreto. Nunquã audiuimus peccasse populum in suum antistitem, neque ante Conradum II. fuit episcopo aliquid iuris in Viuarium vrbem, cui infringendo ciues potuerint laborare. Si in cæca re licet agere coniecturis, ego quidem oculos intendens in dotationem ecclesiæ Viuariensis, eò cogitatione deuenio, vt suspicet esse in illa

S. Longinus 2.

Eribaldus

S. Arcontius.

villarum

villarum, colonicorumque multitudine nonnihil, quod alicuius animum offenderit. Quid non audet opum cupiditas? excitat in domibus rixas, turbas in vrbibus, in regionibus bella; atque scilicet tum maximè, cùm arbitramur eas à nobis ad alienos auerti, quæ ad nos à maioribus cum sanguine deriuari videbantur. Vnus ergo aliquis & alter, aut verò pauculi fuisse putandi sunt, qui voluerint restitui suæ genti, quæ pridem donata fuerant Ecclesiæ Viuarienſi; & cùm non possent iure agere, animis in barbarum furorem intumescentibus, primùm conuitiis, postea verberibus, denique gladio, episcopum pro Ecclesia sua, & eius libertate, fortiter animoséque dicentem excepisse. Neque obscurè hoc significauerunt canonici cùm dixere, *verberibus & ignominiosis iniuriis afflictum, at tandem decollatum.* Occupauere forsan sicarij incautum & incomitatum, non procul porta, cùm egressus ciuitate, rus pro Episcoporum illis temporibus simplicitate adiret. Vide quid Aimoinus l. 3. de gestis Francorum cap. 52. scribat de Etherio Lexouiæ episcopo: *dum vnâ dierum*, inquit, *pontifex ad agricultores exercitandi gratiâ exisset, clericus quidam cum securi eum ponè sequebatur. Conuersus sacerdos & videns eum, vt quid, ait, me cum hac prosequeris dolabra? tunc ille eius prouolutus pedibus veniam petiit dicens, indulge pater sancte reo facinus confitenti.* Viuebat Etherius sub Chilperico II. circa annum DLXX. Gregorius Turonensis rem fusè scribens VI histor. capite XXXVI. ait exiisse vrbe vt videret, *operarios, quos in agro aggregauerat ad sulcandum.* Vtrunque hoc habeat, canonici dixere, totum corpus esse vsque ad præsentem diem, in ecclesia Sanuincentiana; sed tu intellige diem quo scribebant; illud quippe non peruenit ad nostra tempora. Effera Caluinistarum rabies, ipsum cremauit cum corpore S. Auli. Hîc vnum voluissem, vt qui scripsere diem mortis, annum etiam addidissent. Verùm, vt vides, nemo hactenus eum notauit, in memoratis præsulibus. Puto id dedisse virorum famæ. Tanta eam claritate nobilem esse sentiebant, vt non suos quisque Viuarienſium annos magis, quàm illorum nosset. Vt sortem nostram non immeritò dolere possimus, qui nihil vnum eorum sciamus, quæ tam multa maiores nostri, à nemine vllis vnquam temporibus ignorari posse arbitrati sunt. Certè B. Arcontius antè occidit pro iuribus Ecclesiæ suæ, quàm conficeretur illud breue de obedientiis canonicorum, à me recitatum superiore libro. Ionas enim in illo fertur curasse ædem ei sacram. Vnde etiam intelligis, vt hoc non prætermittam, dotationem Ecclesiæ Viuarienſis scriptam post S. Aulum, quandoquidem Albinus, in illa scribitur dotasse ipsius extra Viuarium ecclesiam, & Macedonia sorot B. Auli, cum Alcinio coniuge, tradidisse S. Vincentio, & alia, & Argentariam insulam. Ceterà B. Arcontium, cùm eius tempora nesciam, isto loco posui martyrem, vt clauderet superiorum præsulum venerabile, & verè sanctum agmen. Ipse est omnino decimus septimus, qui beatorum honores meruit ab hominibus, vt Ecclesia Viuarienſis non tantùm ob integritatem fidei, religionum sanctitatem, puritatem morum, vt plures aliæ, sed ob tam multorum episcoporum beatitatem, se beatam iure prædicare possit; & autor vitæ B. Auli non iniuria ob hoc ipsum etiam dixerit *beatam* esse.

23

24

25

26

Iam ante octingentesimumquartum annum non inuenio, quis episcopus vno aliquo sederit post B. Venantium, quem suo loco docui non mul-

27 tùm superasse quingentesimum vicesimum. Sed habemus tamen episcopos omnino octodecim, qui ab hoc anno vsque ad illum vixerint, magno argumento neminem intra istos sex supra CCLXXXX. annos sedisse Viuarij, cuius nomen nos fugerit. Cur enim dicemus singulos tam paucis annis fuisse in episcopatu, vt non impleuerint annos XVI. aut XVII. vel si qui fuerunt breuioris in episcopatu vitæ, cur negabimus nonnullis ita diuturnam, vt suâ longitudine compensauerit eam breuitatem alienam? Seuerinus sedebat Viuarij anno DCCCIV. qui fuit Caroli magni quartus in imperio. Eo interfuit consecrationi cuiusdam altaris in Ananiensi monasterio. Thomas erat episcopus anno DCCCXV Eo Ludouicus Pius exemit per quoscumque pagos & territoria res omnes Ecclesiæ Viuariensis ab omni seu iudicum potestate, seu per regios quoscunque ministros onere. Cetera in illius literis sunt facilia: videtur habere aliquid obscuritatis, quòd Imperator prohibet facere mansiones aut paratas, vel freda in locis istius ecclesiæ. Mansio est hospitium: audi Carlomanum XIII. capitulorum Vernensium; *Placuit nobis vt presbiteri suos parrochianos admoneant, vt & ipsi hospitales existant, & nulli iter facienti mansionem negent. Et vt omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendatur transeuntibus, nisi sicut in mercato accipiunt.* Paratæ verò sunt hospitia cum expensis: Ludouicus Pius in præcepto Hispanis ad se confugientibus dato sic loquitur; *missis nostris paratas faciant, & ad subuentionem etiam veredos donent.* Idem Imperator in edicto de victualibus monachorum S. Germani Paris. 29 appellauit *expensas ad hospitum susceptionem.* Sigonius tamen l. 7. de regno Italiæ putauit significare sumptus populi in vias & pontes pro itinere principis. Fredum denique seu freda, vel freta est mulcta seu pœna pecuniaria. l. 4. legis Franciæ cap. 2. ita legitur: *Sanguinis effusio in ecclesia cum fuste, si presbiter fuerit, triplo componatur; duæ partes eidem presbitero, tertia pro freda ad ecclesiam.* Fregdam appellauit Pipinus Maior domus in exemptione Matisconensis ecclesiæ, & fridam Carolus Magnus in exemptione Sanmarcellini ad Cabilonem monasterij. Igitur non vniuersim de voce: sed pro loco dixit Gregorius Turonen. IV. de miraculis S. Martini CXXVI. *Rex affirmauit compositionem fisco debitam, quam illi fretam, vocant, à se fuisse reis indultam.* Sed veniamus ad tabulas Ludouici Pij.

28 *Seuerinus.* *Thomas.*

30 *In nomine Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi Ludouicus diuinæ ordinatione pruidentiæ Imperator Augustus. Si sacerdotum ac seruorum Dei iustis petitionibus acquiescimus, hoc nobis sanè ad æternam beatitudinem prouenire confidimus. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quia vir venerabilis Thomas episcopus Albensium seu Viuariensium, veniens ad nos, deprecatus est celsitudinem nostram, vt pro nostræ mercedis augmento prædictam sedem, cum fratribus ibidem Domino seruientibus, sub nostra defensione & immunitate reciperemus. Cuius petitioni assensum præbentes, per hoc nostræ autoritatis præceptum confirmare studuimus. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus iudex*

31 *publicus, neque quislibet ex iudicaria potestate, seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore iustè & rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis & territoriis, vel quidquid & iam deinceps propter diuinum amorem ibidem collatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quàm seruos,*

Digitized by Google

seruos, iniustè distringendos, siue vllas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, vllo vnquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ sunt suprà memorata exactare præsumat, sed liceat seruis Domini ibidem consistentibus, sub nostra defensione & immunitionis tuitione perpetuo tempore quietè residere, & pro nobis ac coniuge proleque nostra, seu pro stabilitate totius imperij nostri à Domino nobis collati, & eius clementissima miseratione iugiter conseruandi, Domini misericordiam exorare. Et vt hæc autoritas verius certiúsque credatur, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum domini Ludouici serenissimi Imperatoris. Datum XVII. *cal. Iulij anno* II. *imperij domini Ludouici Augusti indict.* VIII. *Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomini feliciter. Amen.*

Quo anno seu ceperit, seu desierit sedere Thomas non lego, Post eum Tengrinus anno DCCCXXXVI. Albensis episcopus subscripsit priuilegio S. Remigij Senonensis in synodo apud Vormatiam: & post Tengrinum Armannus fuit episcopus; sub illo enim dotata fuit ecclesia S. Symphoriani in Valle Vinaria anno XX. regni Lotarij, qui fuit DCCCLX. Christi. Censeo quippe Lotarium in ea dotatione memorari, quem Ludouicus Pius, non autem Vltramarinus genuit: ab Vltramarino quippe natus regnauit annos tantùm XXXI. Pij verò filium constat regnasse vltra annos XXV. statim videbimus anni ipsius tricesimum. Charta est in tabulario canonicorum Viuariensium antiquissima, sed magnam partem seu per temporum iniuriam, seu destinatò lacerata. In ea Armannus episcopus incerto mihi tempore *cum consilio Geraldi & vxoris suæ Gardamutis, & cum consilio clericorum, dat Ioanni presbitero, & Pontio, & vxori suæ Richildi, aliquid de rebus S. Vincentij apud medium Planum in Pago Viuariense, in vicaria Melatense, in villa quæ vocatur Burgalennis, in ipsa villa; hoc est pessiam de campo, & habet fines de latus terram S. Andeoli.* Hactenus charta, ceteris quæ sequebantur truncata. Hîc vide barbariem illorum temporum. *Dono pessiam de campo*, inquit episcopus de consilio clericorum suorum: *pessia habet fines de latus.* Sed cur ad istam donationem non adhibuit solos clericos; porro expetiit concilium Geraldi & Gardamutis vxoris? nemo dicat in illa non latini sermonis, sed regni ceteratumque rerum peruersitate. Pagus autem scriptus est pro Comitatu, quo in sensu postea nomen accepit Carolus Caluus in edicto Pistensi c. XXVI. *Pagenses franci* idest ingenui, seu liberi *qui caballos habent vel habere possunt, cum suis Comitibus ad hostem pergant.* Et in Siluacensi cùm diuideret regnum in missaticos, idest regiones ad quas destinabat missos, ita scripsit in titulo, *missi & pagi permissaticos destinati*, tituloque subiungit primò quidem missos deinde verò pagos, quibus fere singulis tribuit nomen Comitatus. Accipe missaticum quartum: *Folcoinus episcopus, Adalgarius, Engiscalcus, & Berengarius missi in Comitatu Berengarij, Engiscalchi, Gerardi, & in Comitatibus Reginarij.* Vicaria verò est posita pro parte Comitatus, hic enim videtur fuisse diuisus in plures Vicarias, Carolus Caluus in capitulis Pistensibus cap. XXVIII. *Comites vel Vicarij hoc eis non consentiunt.* Denique villa Burgalennis videtur esse, quam Bergogiatem quoque vocabant, vt annotaui l. super, num. LVII.

32 *Tengrinus.* *Armannus.*

33

34

Celsus successit Armanno; certè ab eodem Lotario accepit insignes tabulas. Datæ sunt anno eius imperij decimo in Francia, tricesimo in Italia. Insolens scribendi modus; quasi tum Imperio nulla sua esset, regio, & qui Imperator dicebatur, is in illa, quæcunque ipsa esset, imperium quoque haberet.

35 *Celsus.*

Sed

Sed quis iſte Chriſti annus? octingenteſimus; ſcilicet decimus à morte ac proinde imperio Ludouici patris, & triceſimus à coniugio, & per coniugium dato regno Italiæ. Accipe tabulas

In nonine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Lotharius diuina ordinatione pronidentiæ Im-
36 *perator Auguſtus. Si ſacerdotum ac ſeruorum Dei iuſtis petitionibus acquieſcimus, hoc nobis ſanè ad æternam beatitudinem peruenire confidimus. Idcirco comperiat omnium fidelium præſentium ſcilicet, ac futurorum induſtria, quia vir venerabilis Celſus epiſcopus Albenſium, ſeu Viuarienſium, veniens ad nos, quandam noſtrũ obtulit obtutibus autoritatem, domini & genitoris noſtri Ludouici piiſſimi Auguſti, qua idem genitor noſter ſub immunitatis tuitione poſuerit, & ab infeſtantium moleſtia quietam eius Eccleſiam poſuerit, deprecans idem Celſus noſtram ſimiliter eidem ſanctæ ſedi ſcilicet autoritatem, per quam deinceps ſub noſtra & ſucceſſorum noſtrorum defenſione memorata conſiſtat Eccleſia. Oſtendit etiam quandam conſcriptionem rerum ſuarum ſimiliter roboratam Canonici ſque eiuſdem Epiſcopatus publicè contraditam, quam noſtrâ expetit; ſimul cum reliquis rebus, à perſonis nobilium virorum illi delegatis, aut etiam delegandis corroborari præceptione, quatenus ſibi datas res memoratus Pontifex Celſus vná cum Canonis ſuis, abſque cuiuſque ſubtractione retinere quiuiſſet.*
37 *Cuius petitioni aſſenſum præbentes, per hoc noſtræ autoritatis præceptum concedimus, & confirmamus eidem ſanctæ ſedi B. Vincentij glorioſiſſimi Martyris abbatiam, quæ vocatur Dozera, cum cellulis ſuis, conſiſtentem in Comitatu Auraſico ſuper fluuium Rhodani ſitam. Inſulam quoque Formicariam ſecũdum antiquam integritatem, ſicuti ad Comitatũ tenebatur, omnia & ex omnibus, præfatæ Eccleſiæ, & rectoribus eius Epiſcopis concedimus, & confirmamus per hanc noſtram autoritatẽ, vt ab hodierno die, & deinceps, tam Celſus Epiſcopus, qui nunc præfatæ Eccleſiæ præeſt, quàm ſucceſſores eius, voluentibus temporibus habeãt faciantque, quemadmodũ de aliis rebus ſuæ ſedis, abſq;*
38 *vllius cõtradictione, quidquid iuſtè & legaliter voluerit. Præcipimus ergo & iubemus, vt nullus iudex publicus, neque quilibet ex iudiciaria poteſtate, ſeu aliquis ex fidelibus S. Dei Eccleſiæ ac noſtris, in Eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore iuſtè & rationabiliter poſſidere videtur, in quibuſlibet pagis & territoriis, vel quidquid deinceps propter diuinum amorem ibidem collatum fuerit, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos, quàm ſeruos iniuſtè diſtringendos, ſiue vllas redibitiones, vel illicitas occaſiones requirendas, vllo vnquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ ſuper memorata ſunt, exactare præſumat. Sed liceat ſeruis Dei ibidem conſiſtentibus, ſub noſtræ diſcretionis & immunitatis tuitione, perpetuo tẽpore quietè reſidere, & res memorato Epiſcopo à ceteris Dei fidelibus traditas, aut deinceps diuino interueniente nutu tradendas, abſque cuiuſque epiſcoporum diuina ratione diſponere, & diſponendo canonicè prout decuerit ordinare, & pro nobis ac coniuge proleque noſtra, ſeu ſtabilitate totius imperij noſtri, iugiter Domini miſericordiam implorare. Et vt autoritas veriùs credatur, & diligentiùs conſeruetur, manu propria ſubtus firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signum Lotharij ſereniſſimi Imperatoris, Daniel notarius ad vicem Halduini. Datum* XV. *cal. Nou. anno Chriſto propitio imperij domini Lotarij Pij Imperatoris in Francia* X. *& in Italia* XXX. *indict.* XIII. *Actum Gondulphi villa palatio regio. In Dei nomine feliciter. Amen.*

39 Lotarius omnino quatuor concedit Celſo, & poſt eum futuris Epiſcopis. Primò confirmat conceſſa ab Ludouico Pio patre anno DCCCXVI.

iiſdem

Digitized by Google

iſdem pene verbis cum ipſo vtens. Secundò confirmat omnia bona episcopis Viuarienſibus antè conceſſa, & à Celſo in peculiaribus tabulis enumerata. Tertiò dat abbatiam Dozeræ cum ſuis cellulis. Quartò tradit inſulam Formicariam. Nomine cellularum Dozeræ, ſignificat bona cùm paruis monachorum domibus, attributa abbatiæ in aliis præter Dozeram locis. Nam 6. capitul. 138. ita præcipitur: *Nullus monachus, congregatione monaſterij derelicta, cellam conſtruere ſine Epiſcopi permiſſione, vel abbatis ſui voluntate præſumat.* Vide Dozeram tum fuiſſe in Auraſico ſeu Araufico Comitatu. Et iſta quidem Lotarius Celſo nunc dedit, ſed poſt annos quinque vnum edixit, quod epiſcopo Viuarienſi gratumne fuerit, non ſatis video. Commiſit Rolando Arelatenſi Archiepiſcopo monaſterium Crudatenſe, quod ſitum eſt in diœceſi Viuarienſi *regendi gratia*, vt loquitur, abbate Blicodo. Puto 40
conſtituiſſe patronum & defenſorem monaſterij. Nam Roſtagnus Rolandi ſucceſſor petiit à Boſone Prouinciæ rege, vt ſibi & ceteris poſt ſe Archiepiſcopis, liceret eſſe tutoribus abbatiæ. Sic loquitur Boſo: *Adiit præſentiam noſtram Roſtagnus venerabilis Arelatenſis Archiepiſcopus, deferens obtutibus noſtris autoritatem prædeceſſorum* Lotharij *videlicet Auguſti atque piiſſimi filij, ejuſque Equinodi illuſtriſſ. Regis. Vbi continebatur qualiter idem prædeceſſores noſtri monaſteriolum in Comitatu Viuarienſi ſuper Rhodanum fluuium ſitum, quod Crudacus dicitur, cũ monachis Deo ibidem militantibus, omnibus rebus & familiis ad eos ſpectantibus vel pertinentibus, Rolando reuerendo quondam prædeceſſori ſuo, Arelatenſi ſcilicet Archiepoſcopo contulerunt, humiliter poſcens, vt eaſdem autoritates modò regali corroboraremus præcepto. Cujus non ſpernendam petitionem propter æternam* 41
remunerationem libentiſſimè ſuſcipientes, hoc ſerenitatis noſtræ præceptum fieri cenſuimus, per quod jubendo ſtatuimus, vt præſens rector ejus monaſterij Aymon nomine, omnéſque ſucceſſores ejus, cum inſuper monachis amodo ibidem Deo militaturis, cum omnibus rebus ac familiis, ſub tuitione conſiſtant Roſtagni præſulis Arelatenſis, vniuerſorúmque ſucceſſorum ejus in eadem ſancta ſede. Et quidem literæ illæ Lotarij Imperatoris ad me peruenerũt. Sed quis Equinodus rex Lotharij filius? Abs dubio is eſt, qui alio nomine ipſóque vulgari appellatur Carolus rex Prouinciæ, neque fuit olim hoc inſolens. Multos legimus binomines. *Agilulfum qui & Ago dictus eſt, ducem Taurinatium*, Aimoinus l. 3 hiſt. Franc. c. 79. *Ad domum Dadonis referendarij, qui & Audoënus dictus*, idem l. 4. c. 29. *Raimondus qui & Pontius comes Toloſæ*, chartâ anno 932. ſcriptâ pro monaſterio S. Pontij Tomeriarum. Denique Fortunatus l. 9. ſcribit carmen 10. ad Rhagnemundum epiſcopum, & illud tamen orditur his verbis. *ſumme pater patriæ dulci mihi lumine Rucco.* Atque hæc dicta ſunt de Equinodo. An potiùs *æquinoci* legendum 42
eſt, vt Lotarius filius Lotarij imperatoris intelligatur? ita Flodoard. l. 2. c. 20. ſcripſit, *Ludouicus* Pius *ab æquinoco filio ſuo reſtitutus eſt.* Hujus Caroli, ſeu æquinodi aut Lotarij regis, chartam non inuenio. Cur autem monachi Crudatenſes Arelatenſem Epiſcopum ſibi voluere defenſorem? Omnes tabulæ ſilent: ſi quid tamen aſſequi conjiciendo liceat, putauerim aliquid ipſis cum Epiſcopo Viuarienſi contentionis fuiſſe ab ipſa fundatione monaſterij, Ardulphus epiſcopus, vt in dotatione Eccleſiæ vidimus, quondã conceſſerat Epiſcopis Viuarienſibus, & alia, & *curtem Crudatis*: poſtea ſub Pipino aut Carolo magno Eubertus Theodori Comitis pater referente Ludouico Pio *in Comitatu Viuarienſi in loco qui vocatur Crudacus, qui erat ex jure*

fisci regij desertum inueniens, construxit monasterium. An episcopus Viuariensis jura suæ curtis ad desertum proferebat, aut pro limitibus ejus, cum monachis deserti possessoribus contendebat? Crudatem scilicet curtem puto esse Crudatem, seu Crudace & Crudane villam. Ita Flodoardus l. 2. c. 11. & 12. *Gerniacam curtem* scribit pro villa. Sed res omnino occulta est; igitur ad Episcopos Viuarienses reuertamur.

43 Bernoinus. Post Celsum Bernoinus videtur iniisse episcopatum, sedebat quippe anno octingentesimo quinquagesimo octauo, ex antiquissimo manuscripto miraculorum sancti Andeoli. Ecce ejus initium. *Cùm in nomine sanctissimæ Trinitatis, glorioſissimus, atque piissimus Karolus rex Burgundiæ, seu Prouinciæ Galliæ, mare vsque terminato, Deo fauente, potiretur imperio, anno siquidem Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo octauo, passionis vero Beati Andeoli* &c. *de passione namque illius, quomodo, vel qualiter gestum sit, nullum penitus arbitror ignorare. Temporibus namque beatissimi Bernoini episcopi, idem prædictus Martyr, qui diu per multa tempora latuit, sub crypta in profundo à Beata Tullia conditus, maximis, virtutibus claruit. Nam cùm frequens oratio esset cuncto populo, vt Dominus cubiculum serui sui reuelaret, Episcopus iam præfatus, spiritu incitatus diuino, cunctam suam diœcesim commouit, jejunio triduo commonito omnes piissimè exorans, vt vno voto*

44 *parique desiderio Dei implorarent misericordiam* &c. Carolus, qui memoratur, est filius Lotarij, post Ludouicum Pium patrem Imperatoris: vbi enim Ado sic locutus fuisset in chronico anno 865. *Lotarius Imperator infirmari se conspiciens, regnum inter filios diuidit, Carolo minori Prouinciam & partem Burgundiæ* &c. subjicit ad istam rem apta, etsi aliquantum autori hujus manuscripti contraria: *Hujus Imperatoris tempore ossa beatissimi Andeoli martyris ipso reuelante reperta, in loco qui antiquitus Gentibus dicitur in Viuariensi parochia sito.* Cùm legis parochiam, intellige diœcesim juxta illud l. 6. capitul. Caroli magni, *vnusquisque episcoporum habeat suæ parochiæ potestatem.* Tulliam verò arbitror dici, non antiquam illam è fabula sub Imperatore Seuero, sed quæ dederit causam fabulæ, filiam sancti Eucherij, è Galla conjuge ante sacerdotium susceptam, vt autor est idem Ado in

45 martyrol. *virginitatis gratiâ & signorum gloriâ claram* sub annum quadringentesimum vndecimum, cùm & alij toto Viuariensi tractu, & Gentibenses ad Rhodanum positi timerent sibi à Vandalis, puella potens opibus & virtute illustris, occuluit corpus sancti Andeoli, Eucherio patre, (qui postea Lugdunensis extrema ætate Episcopus interfuit Arausicano secundo) *in agro suo super fluuium Druentiam intra septa spelunceæ sponte conclusa*, vt adjungit Ado. Is ager creditur vicos Santullianum & Bellimontensem impositos Druentiæ, non procul Manuasca vrbe, complecti; & spelunca beatissimi viri, cum plures centenos annos sepulta fuisset ruderibus, saxisque temerè congestis, fertur nuper inuenta in Bellimontani collis radicibus, & nunc suum in hiatum aperta pluribus coruscare miraculis. Ceterùm vides corpus sancti Andeoli non minore pietate Bernoini pa-

46 ruisse, quàm à B. Tullia conditum fuerat. Carolus autem hic rex, Lotarij Imperatoris filius, ad preces Gerardi Comitis atque (vt loquitur) magistri sui, anno 7. regni id est 862. Christi, dat Episcopo Viuariensi Formicariam insulam. Sic loquitur.

In nomine D. noſtri Ieſus Chriſti Dei æterni.

Carolus diuina ordinante prouidentia rex, Lotarij quondam piiſſimi Auguſti & inclyti filius. Sublimitas regalis magnitudinis, quantò circa loca ſanctorum benignior eſſe reperitur, ad ſancti ſanctorum pietatem ad ſui miſerendum facilius inclinat quamobrem indictum ſit omnibus fidelibus..... venturis, præſentibus ſcilicet & futuris, quod Gerardus illuſtris Comes ac magiſter noſter, noſtram humiliter poposcit clementiam, quatenus ad animæ noſtræ & parentum noſtrorum remedium, res quaſdam ſancti Vincenti Viuarienſis Eccleſiæ, ad Comitatum pertinentes, propter inopiam rerum epiſcopalium ad epiſcopatum redderemus, ac largitatem iſtius exhibitionis, quatenus perpetualiter inconuulsè eas tenere poſſet, certo conceſſu eas Eccleſiæ, præcepto autoritatis noſtræ confirmaremus. Cuius poſtulationi, vt præfertur, rationali, aurem manſuetudinis noſtræ aſſenſibiliter inclinantes, hoc magnitudinis noſtræ decretum fieri cenſuimus, per quod ſtatuentes donamus ipſas res, hoc tenementi ad inſulam quæ Formicaria vocatur, ſecundum antiquam integritatem cum ſuis contiguis, ſicut ad Comitatum tenebatur, præfatis Eccleſiæ & ſucceſſoribus eius Epiſcopis: & conſtituimus, quatenus per hanc noſtram autoritatem, ab hodierna die ac deinceps, tam Bernoinus epiſcopus, qui nunc præfatæ præeſt Eccleſiæ; quàm ſucceſſores ejus aduenientibus temporibus habeant, quemadmodum de aliis rebus ſuæ ſedis, abſque vllius contradictione, vel renuntiatione, quidquid juſtè & legaliter voluerint poteſtatem faciendi. Et vt hæc noſtra conſtitutio in poſterum firmior, atque acceptatior habeatur, manu propriâ ſubſcripſimus & annulo noſtro ſignari cenſuimus.

Signum K S *Karoli Regis; Gerardus Cancellarius.*

Datum II. *calend. Ianuarij anno* 7. *regni D. noſtri Karoli glorioſiſſimi regis indict.* 11.

Actum Hiltauilla in Dei nomine feliciter. Amen.

Poſt Bemoinum Eucherius fuit epiſcopus. Viuebat anno octingenteſimo ſeptuageſimo tertio. Vir ingentium animorum & ſingularis prudentiæ, hoc excelſa mente inuenit, vt omnia quæ ad eccleſiam Viuarienſem pertinebant, dotationem etiam priore libro à me exſcriptam, Reges aliquando firmarent. An Celſus hoc jam curauerat à Lotario Imperatore fieri, qui *conſcriptionem rerum ſuarum* ei firmandam tradidit? puletum ſeu poletum & politicum alij appellabant; & puletum Eucherio epiſcopo confirmauit Carolus Caluus ſequentibus verbis. 47 *Eucherius.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus ejuſdem Dei omnipotentis miſericordia imperator Auguſtus. Si actis, locíſque diuinis cultibus mancipatis, emolumentum imperialis celſitudinis exhibemus, ſeruorumque Dei vtilitatibus opem ferendo contulimus, profuturum nobis ad æternæ remunerationis præmium facilius obtinendum, & præſentem vitam facilius tranſiendam fore, nullo modo dubitamus. Quapropter nouerint omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium, & futurorum, quomodo nos ob amorem Dei & Beati Vincentij 48

Digitized by Google

martyris veneratione, necnon & Bosonis carissimi ducis nostri deprecatione, concedimus Viuariensi matri Ecclesiæ, quæ edita est in honore S. Vincentij martyris, cui præest Eucherius venerabilis Episcopus, res quæ quondam fuerunt in jure eiusdem Ecclesiæ, idest quidquid sancti Vincentij in eodem Comitatu Valentinensi, cum
49 *dimidia ecclesia sancti Romani dignoscitur. Concedimus & confirmamus abbatiam quæ vocatur Dozera, consistentem in comitatu Auraſico, fundatam super flumen Rhodani, cum cellulis & pertinentiis suis; districtū quoque ex vtraque parte Melatem quoque vsque ad aquæ ductū cum Exemplatorio, sluis, & insulis, & manso Godobro, qui est de fisco nostro; insulam etiam Argentariam juxta sanctum Andeolum; & ecclesias duas sancti Iusti & sancti Marcelli; & Bernas mansum; necnon Boceſtatis; & ecclesiam sancti Remigij; & in Corconensi ecclesias duas, sancti Martini & S. Stephani, cum suis beneficiis, destructam quoque ecclesiam S. Victoris, super Rhodanum, vsque Scotadium. Hæc autem omnia supradicta, confirmamus Ecclesiæ, suisque rectoribus & confirmando perpetualiter delegamus, eo videlicet modo, vt nulla seculari potestate à gremio dictæ Ecclesiæ queant se parari: sed liceat rectoribus præfatæ Ecclesiæ easdem res quietè tenere, & pro libito suo vt ecclesiastica postulauerit vtilitas ordinare. Vt autem hoc nostræ auctoritatis præceptum, pleniorem firmitatis obtineat in Dei nomine vigorem, manu nostra illud firmauimus, & annulo nostro jussimus sigillari. Datum* III. *idus Augusti. indict.* X. *anno* XXXVIII. *regni Caroli Imperatoris in Francia, & Imperij eius* II. *Actum Vesontio ciuitate.*

Sigillum K R A V L S glorioſiſſimi Imp. Aug.

50 Districtus ex Burguitate, seu (quod idem sonat) districtus Burguitatis, est districtus, seu regiuncula Burgi. Nam Burguitas videtur dici, quam suprà vidimus Bergogiatem, Burgogiatem, Burgalennem. Portus autem ex vtraque parte, est portus Rhodani ex parte Burgi, & ex parte Dozeræ.

Melate quæ fuerit ignoratur. Olim dabat nomen vicariæ. Vicaria verò erat sedes vicarij, seu regio cui jura dabat vicarius; & Comitatus diuidebatur in plures vicarias. Carolus Caluus in literis pro abbatia Trenorchiensi, videtur confundere vicecomitem cum vicario, & vicariam proinde cum vicecomitatu. *Nullus*, inquit, *comes aut vicecomes seu vicarius, aut missus*, &c. Sub vicaria Melatensi tum erat Burgum S. Andeoli. Exemplatorium est ignotus inter Tilium & Viuarium locus ex l. 1. num. 26. quocunque fuerit situ, aquæ ductus, de quo nunc est sermo, erat ei proximum. Hinc intelligis Melatem, quæ dabat nomen vicariæ in comitatu Viuariensi, fuisse septentrionalem Viuario, & fortasse Tilium, qui nunc est vicus; quandoquidem protendebatur vsque ad Exemplatorium Tilio Viuarioque medium.

Mansus seu mansum Godrobum dicitur fuisse de fisco imperatoris, sed
51 ejus situs me later. Scripsi verò *mansus seu mansum*, quia legimus vtramque vocem. *Vnus mansus integer*, Ludouicus Pius cap. 1. *Coloni suas hereditates, id. mansa quæ tenent vendent*, Carolus Caluus c. 30. Pistensium.

Insula

Digitized by Google

Inſula Argentaria *juxta S. Andeolum* fuiſſe aſſeritur l. 1. num. XXIX. conſtituta eſt ad Burgogiates, ſeu Burgogiatem ſuperiorem. Hæc faciunt vt putem ſanctum Andeolum fuiſſe inter Burgogiates duos ſuperiorem & inferiorem; atque illum quidem fuiſſe locum vbi erat corpus ſancti Andeoli, iſtos vero non multùm, ſeu ab eo, ſeu interſe diſtantes viculos, qui in Burgum ſancti Andeoli circa ædem martyri ſacram coierint.

Denique Carolus litteris, quo ſolebat modo ſubſcripſit. Quia in ejus nomine ſunt literæ conſonantes IV. & quæ tres in eodem ſunt vocales, poſſunt in vnam figuram conuenire, huic in medio poſitæ, illas in morem crucis circumponebat. Aliquando conſonantes ex figuræ de vocalibus compactæ circumpoſitas jungebat lineolis, & tum vocabat monogramma, vt videre eſt cap. 11. Piſtenſium, ea verò de vocalibus facta, habebat ſpeciem rhombi. Quia ſuperiore parte lineola media ſcindebatur, ea quidem videbatur eſſe vocalis A, inferior autem vocalis V, tota demum ipſa circuitu ſuo quadamtenus orbiculari, malè barbaris per Gotthicum morem angulis aſperam vocalem O referebat. Ante Caluum, Carolus rex Prouinciæ filius Lotarij, in tabulis paulò ſuprà citatis, iſto monogrammate vſus eſt, Carolus Magnus etiã autore Sanjuliano in antiquit. Cabilonenſibus, & Carolus Martellus in fundatione Augiæ majoris: ſuppare verò poſt illum Carolus Simplex apud Oiſellum in commentariis Bellouacenſibus. Monachi Sandionyſiani illud inſcribebant ſuæ monetæ, magno argumento quòd jus eam cudendi habuerunt à rege ejus nominis. Sed iſta hactenus, redeundum eſt ad epiſcopos Viuarienſes. 52

Eucherio mortuo ſucceſſit Ætherius, nam fuit in concilio Pontingonenſi anno DCCCLXXVI. Patatauinis comitiis anno DCCCLXXVII. Synodo Mantalenſi anno DCCCLXXIX. deſierat ſedere Anno DCCCLXXXII. quo Roſtagnus erat epiſcopus, vt intelligitur ex donatione eccleſiæ S. Phillippi, apud Luſignatum in Valleuinaria poſitæ. Accipe tabulas Ermemburgæ donatricis pietate nobiles. 53 *Ætherius.*

S. Eccleſiæ S. Vincentij caſtro Viuarienſi conſtitutæ, vbi Dominus Roſtagnus cum ſuis Canonicis ſollicitè ſeruiunt eccleſiæ. Ideo ego Ermemburga, ſiue Moſia quondam auia mea, pro Dei timore & æterna Chriſti retributione, propterea concedimus ad ipſum ſanctum locum aliquid de rebus noſtris, quia nobis de alode parentum noſtrorum legibus obuenit. Et ſunt ipſas res in pago Viuarienſe, & in Valleuinaria, in loco vbi vocabulum eſt luſignato; hoc eſt Eccleſia in honore ſancti Philippi conſtructa, cum caſa, curte, & horto, & eximio campo, quidquid ad ipſam caſam Dei aſpicit &c Donatio iſta firma, & ſtabilis permaneat cum ſtipulatione ſubnixa, facta donatione iſta XV. *cal. Maij anno* V. *regnante D. Odone rege feliciter. S. Ermemburgis & Moſiæ, quod donatione iſta piè ſcribere & firmare roganerunt manibus eorum firmantes. S. Ennone, S. Gilberti. S. Rainoardi.* 54 *Roſtagnus.*

Qui rex dicitur Odo, is ille eſt Odo ſiue Eudo poſt Carolum Craſſum, ſeu rex, ſeu regni gubernator. Carolo Simplice puero illis regnaſſe fertur modo & jure, quibus ante ipſum & Carolus Craſſus & Ludouicus cum Carolomanno fratre leguntur regnaſſe Franciæ, vt vulgò loquimur, regentes, non reges, Sed ita tum ferebant tempora, vt appellarentur reges, regio ſcilicet diademate coronati. Odonumnus tamen ſic loquitur: *Anno* DCCCLXXXVI. *Walterius Senonenſis Archiepiſcopus vnxit Odonem in regem.* Et Autor fragmen- 55

ti Floriac. hiſtoriæ Francorum, vbi dixiſſet Odonem Carolo Simplici adoeſcenti reſtituiſſe ſua regna, addit *à quo parte regni redonatus Odo.* Certè anno octingenteſimo nonageſimo octauo ita locutus Odo eſt monachis Sandionyſianis : *Donamus ex fiſco noſtro* &c. *manſum vnum ſuprà, & ſubtus fluuio Rodono.* Rhodanumne intelligit? Id annoto vt hinc etiam intelligas non mirandum eſſe, quòd dicitur regnaſſe Viuarij. Is deſiit regnare anno nongenteſimo noño : ſed audi breue ex bibliotheca Tiliana Chronicum. *Inito conſilio Francorum electus eſt Odo in regem ad tempus. Deinceps Carolus ætate factus ſceptrum regni recepit cum aſſenſu Odonis regis. Tunc diuiſum eſt regnum in duas partes. A Rheno vſque ad Sequanam fuit regni Caroli, & à Sequana vſque ad Hiſpaniam fuit regnum Odonis, tamen in ſubjectione prædicti Caroli regis.*

Carolo in cunis poſito, regnare ceperat Odo anno DCCCLXXXVII. annus ergo ipſius quintus fuit octingenteſimus nonageſimus, primus Chriſti. Ab eo ad nongenteſimum octogeſimum tertium, per annos fere centum, omnes ſilent de epiſcopis Viuarienſibus.

56 *Petrus.* Anno 983. Petrus erat Epiſcopus ; eo anno obſignauit fundationem cœnobij S. Petri à Guigone epiſcopo Anicienſi factam Anicij. Sedebat anno 984. ex chartâ cœnobij Monaſterienſis tertiâ ab Anicio leucâ. Ejus obſignatio facta eſt *anno* 984. *indictione* 13. *epactâ* 15. *concurrente* 2. *Rege Lotario, Guinone abbate & præſule in menſe Nouembri, feriâ* 3. *Petro Epiſcopo Viuarienſi, Guigone Epiſcopo Anicienſi.* Sedebat anno 999. Ex chartâ fundationis prioratus Langognæ apud Gabalos, cui eo anno ſubſcripſit. Poſt illum Hermannus, ſiue Harmannus interfuit vnctioni ædis Sanuictorinæ per Benedictum VII. anno MXV. qui anno incerto ſcribens ad Francorum Epiſcopos ſub Roberto rege, eum illis annumerat cum Vvigone Valentino ; & Comitiis ſub Conrado Lugdunenſibus anno MXXXII. & Hermanno mortuo Geraldus reſtitutioni plurium vinearum abbatiæ Viennenſi ſancti Petri ab Hermengarde vidua Henrici ſecundi Imperatoris, cùm Gregorius abbas illam inſtauraret anno MXXXVII. Anno MLVI. interfuit Concilio apud S. Ægidium ex Baluſio in additionibus ad caput XIV. libri IV. Marcæ de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ pag. 281. Et eo ipſo mortuus eſt, ex ſepulcrali lapide in quo ſequitur iſtud epitaphium :

Hermannus.

Gerardus.

O naturæ lex, ô peccati pœna,
Si afflictus grex, ſi ploratus vena,
Poſſent homines à morte eruere,
Fleremus omnes de iſto puluere,
Girardus eſſet in præſenti vena &c.

Poſt Geraldum, aut Geraldi ſucceſſorem nobis ignotum fuit Gebonardus vt intelligitur ex cauſa 7. qu. 2. c. *in literis*, vbi Alexander ſecundus ei reſpondet ſuper ſacerdote, qui morbo caduco laborat. Alexander enim ſedit anno MLXI. vſque ad annum MLXXIII. Sed quo Chriſti anno Gebonardus tulerit reſponſum, nemo dicat omnibus chartis tacentibus.

Gebonardus.

57 *Geraldus 2.* Gebonardo mortuo ſedit Geraldus ſecundus : ſcilicet anno MLXX. dedit Petro de Chauanon fundatori, & primo Præpoſito Pebracenſi eccleſias S. Laurentij & S. Pontij, adductus ſanctitate & miraculis viri : Geraldo autem defuncto Ioannes ſecundus . anno MLXXVIII. conceſſit cœnobio Monaſterienſi

ſterienſi apud Velaunos eccleſiam S.Eulaliæ. Anno 1088. interfuit donationi eccleſiæ *de Tuech* eidem cœnobio, & anno 1092. donationi *eccleſiæ S.Martini in valle Amatis*, vulgò *Valamas*. Conceſſiones veræ hæ tres cœnobio Monaſterienſi anno ſeptuageſimo tertio, & ſequentibus factæ omnino docent literas illas falſas eſſe, quibus dicitur Gregorius anno 1073 poſt Geraldum ſcilicet, dediſſe Ioanni Cardinali ſuffraganeum in Archiepiſcopatu Ebredunenſi Oliuarium decanum Ebredunenſem.

In priore hujus libri editione dixi Ioannem Cardinalem ſediſſe annis 1073. & 1107. Chartæ Viuarienſes quas referebam, fecerunt vt ita dicerem, ſcilicet Rituale, quem vocant librum magiſtri chori, & alia neſcio quæ charta: iis ego, cùm nihil occurrebat contrarium fidem habui, neque immeritò. Nunc aio Ioannem, ſi ſedit aliquando Viuarij, omnino ſediſſe inter annos 1092 quo Guilelmum vidimus, & 1096. quo ſedebat Leodegarius.

Inuenio ſcilicet Leodegarium fuiſſe Viuarij Epiſcopum annis 96. 1108. 58
1109. 1111. 1112. 1117. Ducheſneus in probationibus hiſtoriæ Ducum Burgundiæ pagina 31. & Chifletius in probationibus diatribæ de illuſtri genere S.Bernardi pag.428.ex tabulis archetypis referunt, Leodegarium epiſcopum Viuarienſem miniſtraſſe Paſchali 2.vngenti templum S.Benigni Diuione anno milleſimo centeſimo ſexto non igitur illo anno Ioannes ſedebat Viuarij. Cœnobium Sancti Theofredi ſeu Monaſterienſe, diſſidebat abbate Vvillelmo cumm doinis *de Mezene* : conuentionibus interfuit *Leodegarius Epiſcopus Viuarienſis anno* 1096. *rege Philippo*. Anno 1108. dedit Canonicis Sanrufenſibus eccleſiam S.Andeoli. *Ego*, inquit, *Leodegarius Epiſcopus, cum conſilio clericorum, eccleſiam Sancti Andeoli in loco qui Burgias dicitur, vbi ſacratiſſimum corpus ejuſdem Martyris quieſcere videtur, temporalibus bonis quondam locupletem; nunc autem multis modis attritam committimus atque donamus ſub cura & prouidentia Leberti Abbatis S.Ruſi*. Anno 1109. dedit Priori Lingoniæ eccleſiam S. Laurentij de Balneis, anno 1110. abbati Theofredi eccleſiam S.Geruaſij, anno 1111. prioratum de Rionis & eccleſiam de Rogeris; anno 1112. *imperante* (vt annotauit) *D.Henrico rege Tentonico*, Priori de Rumpone eccleſias S. Mariæ de Exobredio, ſancti Stephani de lacu, mandamenti Sanctalbanenſis omnino ſex, ſcilicet S. Alba- 59
ni, S.Symphoriani de Senec, S.Iuliani, S.Geruaſij, S. Cyriaci, & denique capellam caſtelli quod Votta dicitur: eodem anno monachis Conchenſibus S.Fidis & S.Saluatoris eccleſias S.Chriſtophori, S.Mauritij, & S. Ioannis de Fabrias. Et iſta quidem elargitas eſt Regularibus: qua autem honore proſecutus fuerit Sanctos, accipe è charta canonicorum Viuarienſium, exſcripta ex alia antiquiſſima Leodegarij.

Inenarrabilis memoriæ Leodegarius hujus Eccleſiæ Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, cùm multas Sanctorum Patrum reliquias ad eccleſiam B.Vincentij contuliſſent, & eam multis & variis ornamentis ornaſſent, volens parietes ipſius, qui jam ruinam minabantur, in melius reformare, cùm partem illam, quæ Caput dicitur, diruere, inuenit ibi plurimorum Sanctorum reliquias, quas beatiſſ. Prædeceſſores ſui, de diuerſis partibus mundi, ad eccleſiam iſtam contulerunt: quas omnes cum magna deuotione poſuit, & eorum ſcripta conſcribi fecit. Sequitur illarum catalogus in has voces.

CATALO

CATALOGVS RELIQVIARVM Viuarienſis Eccleſiæ S. Vincentij.

DE ligno Domini. De ſepulchro ejuſdem. De pallio quo fuit inuolutum corpus ejus. De præſepi, vbi poſitus fuit. De ſpongia, qua Iudæi potauerunt eum.
De capillis B. Mariæ. De lacte ejuſdem. De pallio ejuſdem. De ſotulari ejuſdem. De velo ejuſdem. De ſepulchro ejuſdem.
De ſanguine B. Ioannis Baptiſtæ.
Digiti pars ejuſdem.
De veſtimentis ejuſdem, & pilis camelorum.
Reliquiæ Apoſtolorum 12.
Dens B. Petri Apoſtoli.
De oſſibus ejuſdem.
De cruce ejuſdem.
De Reliquiis B. Ioannis Euangeliſtæ.
S. Bartholomæi.
S. Mathæi.
S. Pauli.
S. Iacobi de Galicia.
S. Iacobi minoris.
S. Marci Euangeliſtæ.
S. Philippi.
S. Thomæ.
S. Andreæ.
De cruce ejuſdem.
De Dalmatica ejuſdem.
De capite S. Stephani protomartyris.
De lapidibus, quibus fuit lapidatus.
De pallio, quo fuit inuolutum corpus ejus.
Reliquiæ multæ S. Vincentij.
Dens S. Laurentij.
S. Leodegarij.
S. Projecti.
S. Marini.
S. Victoris.
SS. Coſmæ & Damiani.
SS. Geruaſij & Protaſij.
S. Deſiderij.
S. Romani.
De oſſibus Sanctorum Innocentium.
S. Blaſij.
S. Simplicij.
S. Georgij.
S. Chriſtophori.
S. Baudilij.
S. Arcontij Brinocenſis.
S. Cipriani.
S. Dionyſij.
S. Iuliani.
S. Theofredi.
SS. Traci & Probi.
S. Andronici.
S. Cyriaci.
S. Cyrici.
S. Iuliæ matris ejuſdem.
Digitus Sancti Adriani.
S. Alexandri.
S. Benigni.
S. Troci.
S. Mauritij.
S. Domnici.
De Legione ſancti Mauritij.
De Legione Thebæa.
De ſancto Antonio.
S. Feliciani.
S. Longini.
S. Veſterij.
S. Ignatij Antioch. epiſcopi.
S. Polycarpi.
S. Saturnini.
S. Nazarij.
S. Apollinaris.
S. Pantaleonis.
S. Mannetis.
Sanctorum Vincentij & Orantij.
S. Cæciliæ.
S. Proculi.
S. Sperati.
S. Iuſtiani.

S. Via

S.Viatoris.
S.Martini.
S.Nicolai.
S.Bonifacij p.
S.Hilarij.
S.Leonis.
S.Cannati.
S.Antonini.
S.Geruaſij.
S.Lucæ Conſtantinopolitani.
De pallio ſancti Philiberti.
Sancti Fore.
Corpus ſancti Arcontij.
Corpus ſancti Auli.
Stola ejuſdem verſificata.
S.Verani.
S.Venantij ep.Viuar.
S.Adjutoris.
S.Xenati.
S.Cleri.
S.Vrbani.
S.Tutaël.
De veſtimento S.Agathæ.
De oſſibus ejuſdem.
Caput ſanctæ Aureæ.
Reliquiæ ſanctæ Baſillæ.
S.Mariæ.
S.Pelagiæ.
S.Teclæ.
S.Eulaliæ.
S.Anaſtaſiæ.
De puluere B.M. Magdalenæ.
De ſepulchro ejuſdem.
Caput ſanctæ Florinæ V.& M.
De capite vnius vndecim millium virginum.
S.Vrſulæ.
S.Agnetis.

Has omnes beatorum exuuias, ſanctè ſeruauerat eccleſia Viuarienſis, vſque ad patrum noſtrorum memoriam, cùm Caluiniſtæ illuſas, & injurioſo pede calcatas, dederunt ignibus. Quia locus monet, addo corpus S. Oſtiani Preſbyteri, quondam fuiſſe in æde Sanmartiniana vallis Conſpienſis, ad vnum milliare Viuarij. Verùm de B. viro in omnibus tabulis magnum eſt ſilentium, vnum martyrologium Viuarienſe ita habet. *In territorio Viuarienſi, in eccleſia B. Martini vallis Conſpienſis, ad vnum milliare ciuitatis verſus ſeptentrionem, in radice montis turris S. Martini, jacet vſque ad præſentem diem, ſanctum corpus. Oſtiani preſbyteri, cum multis aliis*, &c. 61

Sed reuertamur ad Leodegarium epiſcopum, is anno 1117. interfuit concilio Trenolchiano. Poſt ipſum Hato epiſcopus fuit in concilio Rhemenſi anno 1119. quo anno plura ſuper ipſo habet Ordericus Vitalis l. 12. 62 *Hato.*

Poſt Hatonem, Petrus *natione Burgundio, vir vitæ venerabilis, ſimplex, ac timens Deum*, vt loquitur Guilelmus Tyrius l. 15. c. 15. factus eſt epiſcopus; &, ſi credimus Quercetano, anno poſtea 1131. ex epiſcopatu Viuarienſi tranſiit ad archiepiſcopatum Lugdunenſem. Petrus venerabilis lib. 2. epiſt. 2. ſic ad eum ſcribit: *De Viuarienſium colle ad Lugdunenſem montem te Diuina diſpoſitio tranſtulit.* Argutè dictum. Sanctus vir alludit ad ſitum præſentem epiſcopij Viuarienſis in colle, & antiquum Lugdunenſis in monte; vtroque excelſo, ſed hoc altiore. Petri locum Ianceranus impleuit, ſed quo anno ſedere vel ceperit, vel deſierit non poſſum aſſerere. Anno 1134. interfuit abſolutioni Guigonis Delphini ab Hugone Rhotomagenſi archiepiſcopo, Legato ſedis Apoſtolicæ, ab excommunicatione ob bellum aduerſus Eccleſiam Viennenſem geſtum. Anno 1137. dedit abbati Caſæ Dei quaſdam eccleſias. 63 *Petrus.* *Ianceranus.*

Ianceranō mortuo Galceranus fuit epiſcopus; legitur quippe anno 1147. 64 ſediſſe Viuarij, in confirmatione priuilegiorum Eccleſiæ apud Boucheum *Galceranus.* t. 1. pag. 820. Guilelmus tamē anno ab Incarnatione 1145. intereſt 21. Martij morti. Ioannis epiſcopi Valentini ex vita S. Ioannis cap. 10. apud Manriques

Digitized by Google

Guilelmus. tomo secundo Annalium Cistercienſium paginâ decimâ quartâ. Hic de nobiliſſimo genere ortus, Conradum II. imperatorem ſanguine contingebat; igitur non difficilè ſumma omnia ſibi & ſucceſſoribus ſuis ab eo accepit, monetam, pedagium, ceteraque jura regalia. Tanto nomine digniſſimus epiſcopus, qui ab Imperatore cognato non expetiit opes, cum ipſo defecturas Eccleſiam; illas ſibi voluit quæ cum omni poſterorum memoria coæquarentur in epiſcopis ſequentibus. Ecce tabulas Imperatoris.

65 *Conradus Dei gratia Romanorum rex, Vvilelmo dilecto conſanguineo ſuo, venerabilis Viuarienſis Eccleſiæ epiſcopo, ejuſdemque ciuitatis clero & populo, gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Antiqua regni conſuetudo celebris, & Imperatorum inſtituta, regum Romanorum diſcretionem ſollicitant, quatenus Eccleſiarum vtilitatibus ſtudeant prouidere, clericos defendere, bona illorum ac laudem & gloriam nominis Chriſti, illibata obſeruare, & ne aliqua impiorum tyrannide affligantur maximè operam dare, ſi quæ etiam eiſdem damna truculentè inferantur, piè & miſericorditer reſeruando eadem reſarcire. Imperialia itaque decreta non deſerentes, anteceſſorum noſtrorum clementiam imitando, tibi venerabilis prætaxatæ vrbis Vvilelme epiſcope, & per te & Eccleſiæ tuæ, & ſucceſſoribus tuis Viuarienſis vrbis, noſtra regalia concedimus, monetam, pedagium vtráque ſtratâ telluris, & Rhodani fluminis, téque quâdam prærogatiuâ conſanguinitatis animo noſtro amplectimur. Concedimus etiam tibi Dozeram, & quæcumque in regno noſtro, prædeceſſorum noſtrorum autoritas, vel quorumlibet pietas principum, Eccleſiæ tuæ & anteceſſoribus tuis, caritatis ſtudio conceſſit. Verumtamen vt donatio iſta firma & ſtabilis, poſteris tuis æternaliter permaneat, paginam præſentem ſigillo noſtro inſignire juſſimus. Si qua verò improborum temeritas, confirmationem iſtam inquietare præſumat, banno regali ſubjaceat. Hujus donationis teſtes eſſe volumus epiſcopos Orolibino Baſileenſem, Pronocardum Buccam Garmarienſem Conſtantienſem, Ancelinum, Arnulphum Cancellarium, Druyenium archidiaconum, Renicianum, ac alios multos, anno ab incarnatione Domini 1149. anno verò 10. regni.*

66 Ceterùm Guilelmus apud Boucheum in hiſtoriâ Prouinciæ tom. 1. pag. 820. dicitur ab eodem Conrado ſediſſe Viuarij anno 1146. quem ſcriptor vitæ Ioannis epiſcopi Valentini aſſerit interfuiſſe ejus morti anno 1145. die 21. Martij tu ſic intellige vt Conradus more Romanorum annum ceperit à natiuitate Chriſti quadrageſimum ſextum, quem Valentiæ totaque Gallia non orſi ſunt mortales niſi poſt menſes tres ſub finem Martij.

DE RÈBVS GESTIS
EPISCOPORVM VIVARIENSIVM
LIBER TERTIVS.

1 Thom. 2 POST Guilelmum Thomas II. fuit epiſcopus. Sedebat anno 14. Conradi II. regis Romanorum. Fuit is Chriſti quinquageſimus tertius ſupra milleſimum centeſimum, Conradus enim regnare cepit anno milleſimo centeſimo triceſimo nono. Epiſcopus memorandus in paucis. Cùm videret omnium ante ſe præſulum res obliuione ſemiſepultas vnis tabulis contineri, quæ appellabantur *charta vetus*, (& non tantùm veteres,

vt

vt ipſum nomen præ ſe fert, erant, ſed characteribus exeſis & ferme deletis oculos legentium fugiebant) conſtituit reſtituere, & opere nouantiquo luci reddere; grande ſeu poſteris ſolatium, ſeu majoribus ornamentum. Vtque ſapienter conſtituerat, perfecit animosè & fortiter, atque politicum (Carolus Caluus vocabat puletum) dixit. Audi præfationem viri. *Ego Thomas epiſcopus exemplaui iſtud politicum de aliis vetuſtiſſimis chartulis, quas inueni in chartulario S. Vincentij: & nec tertiam partem potui exemplare, propter nimiam vetuſtatem quæ ſunt conſumptæ, anno 14. regnante domino Conrado rege.* Ex iſto politico plurima attuli prioribus libris: & verò epiſcoporum ſeu Albenſium, ſeu Viuarienſium, qui ante annum milleſimum vixerunt, nulla eſſet memoria, ſi Thomas epiſcopus illud non perfeciſſet. Dignus profectò omnium recordatione laudéque ſæculorum, qui fecit vt prædeceſſorum ſuorum nomen ad poſteriora, noſtráque adeò, tempora peruueniret. Anno 1153. Thomas moritur, & ejus locum Guilelmus II. implet. Eſt charta in archiuo eccleſiæ Anicienſis, quâ illius antiſtes traditur conueniſſe cum vicecomite Podicracenſi, ex mandato Eugenij III. Romani Pontificis. Ea quidem eſt ſine anno, ſed cùm doceat Guilelmum ſediſſe tum Viuarij, & Eugenium Romæ, atque adeo viderimus Thomam ſcripſiſſe ſuum politicum anno 1153. quo Eugenius deſiit viuere, ſentiamus neceſſum eſt eo ipſo & è vitâ abiiſſe Thomam, & Guilelmum eſſe initiatum epiſcopatu. Venit in manus meas donatio quarumdam eccleſiarum Abbatiſſæ S. Andreæ Viennenſis anno 1154. Exſcriptor eam tribuit Guidoni epiſcopo: ſed errare putabam deluſum initiali nominis literâ, quam illis temporibus ferè adhibebant ſolam. Cùm G. ſcriptum eſſet, Guidonem ipſe interpretatus eſt, qui debuit dici Guilelmus, ea ſic habet. 2 3 *Guil. 2.*

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ego G. Viuarienſis Eccleſiæ epiſcopus & miniſter indignus, rogatu domini Hugonis bonæ memoriæ Viennenſis Archiepiſcopi & Bernardi Valentinenſis epiſcopi & aliorum quàm plurimorum conceſſi & laudaui eccleſiæ S. Andreæ Viennæ, & Elizabeth abbatiſſæ ſanctimonialium ſupradictæ eccleſiæ & ſucceſſoribus ejus, omnia beneficia quæ ſub ditione epiſcopatus noſtri poſſident vel poſſidere debent, videlicet eccleſiam S. Martini de Villa Dei cum appendentiis ſuis, eccleſiam S. Mauritij de Eſteclis cum appenditiis ſuis, eccleſiam S. Euſtachij de caſtro Lanas cum parochiâ & appenditiis ſuis, eccleſiam ſancti Deſiderij vltra Ardechiam cum appenditiis ſuis, eccleſiam S. Petri de Vayeas cum appenditiis ſuis, eccleſiam S. Marcelli de Bergalia cum appenditiis ſuis. Inſuper eccleſiam in honore S. Crucis Viuarij antiquitus fabricatam, cum antiquâ dignitate ſua & beneficiis. S. Letij. S. Cros canonici & archipreſbyteri. S. magiſtri Lantelmi. S. Stephani Gilij ſacriſtæ, & Martini hebdomadarij & archipresbyteri. S. Raimundi Agonis. Si quis hanc noſtram paginam temerario auſu infringere vel infirmare voluerit, cum Iuda proditore & ejus ſequacibus damnatus in perpetuum extremo ſupplicio condemnetur. Acta anno ab incarnatione Domini 1154. 4

Poſt Guilelmum ſedit Raimundus ex priuilegio quod Fridericus I. conceſſit ciuibus Viuarienſibus. Guilelmus archiepiſcopus Ebredunenſis anno 1158. Dixe in monaſterio ſancti Marcelli dat ei villam Vallis Vinariæ, cum ſuis eccleſiis & omnibus ad eccleſiam, villámque pertinẽtibus; & anno 1160. Vſſellum Bernardus de Vſſello, quod tamen poſtea recipit ſeruandum obſequio clientari. An peruenerit ad annum 1170. non inuenio. Certè vidi 5 *Raimũdus.*

Robertus Alba. ego tabulas quibus anno 1171. die 2. Nouembr. Robertus Alba anno 1. episcopatus *prædecessorum donationem confirmans*, tradit Rotberto priori S. Medardi ecclesiam S. Montani, & ædiculam S. Mariæ in eodem vico positam, cum decimis, primitiis, oblationibus, agris, domibus, & aliis omnibus ad eas pertinentibus, sub censu solidorum 10. in synodo Octobris, & denariorum 4 in synodo Maij, ac denique librarum 10. solidorum 4. & cartalli olei oliuarum dominica vicesima.

6 Robertus non fuit diu in episcopatu. Nicolaus post eum sedit annos
Nicolai. omnino 3. Quæ ab illo fortiter & sapienter pro episcopatu gesta, ad me peruenerunt, accipe. Anno 1177. habuit literas à Friderico I. quibus imperator confirmat data Raimundo episcopo, per literas mihi ignotas, & subjicit in hæc verba. *Concessimus vniuersa regalia, cunctásque possessiones, quæ vel quas ex antiqua vel moderna liberalitate regum vel imperatorum, munificentiâ principum, oblationibus fidelium, justè & rationabiliter hactenus tenuit & possedit. De quibus quædam propriis duximus exponenda vocabulis, scilicet monetam, pedagium vtráque stratâ, telluris videlicet & Rhodani, & quæcumque alia regalia ad eandem pertinent ecclesiam, saluâ tamen imperiali justitiâ. Præterea statuimus, vt præfata ciuitas & ecclesia, de libertate cameræ nostræ decretâ, nullo vnquam tempore aliquem excepto suo pontifice dominum habeat & possessorem* Nobile munus.

7 Sed vt episcopus voluit vnus dicere jus Viuarij, vt aduersarium sensit Comitē Tolosanum. Nolo ego, neque locus postulat dicere, quid veræ potestatis habuerint Comites Tolosani in illam ciuitatem. Scio Bertrandum Raimundi filium anno 1095 cùm duceret Electam conjugem (alij vocant Elenam; Ordericus Vitalis in hist. eccl. l. 13. Helam) dedisse illi in sponsalitium munus & alia, *& Viuarium ciuitatem cum Comitatu, & episcopio.* Igitur neque miror Raimundum, annis post Bertrandum 80. & quod excurrit, aduersatum Nicolao episcopo, cùm ex Friderici tabulis voluit vnus dominari Vi-

8 uario. Contentio tenuit plures annos; & alia porro erant ipsius capita. Robertus archiepiscopus Viennensis rem aliquando composuit in has voces. *Comes in perpetuū remittit episcopo Nicolao, & omnibus successoribus ejus, & Ecclesiæ quidquid petebat, vel petere poterat in ciuitate Viuarij: nec debet jus, vel feudū ecclesiæ aliquem acquirere, sine consensu episcopi & ecclesiæ. Et propter hoc Nicolaus episcopus & ecclesia donauit ei jura, quæ habent in castello de Gorepera & ejus mandamento, exceptis ecclesiis, & earum pertinentiis, & quidquid habent in castello de Aygueze & ejus mandamento. Præterea donauit ei centum marcas argenti. Et sciendum quòd de eo, quod habet Comes in villa S. Marcelli, debet facere justitiam episcopo & ecclesiæ, per manum D. archiepiscopi Viennensis ante Pentecostem. Hæc scripta sunt vltra Burgum S. Andeoli & Paludem anno 1193. mense Maio.*

9 Quoniam aliæ contentiones solent ex aliis, seu verè, seu ad speciem compositis exoriri, factum est vt qui semel dissenserant ab inuicem Nicolaus Episcopus Viuariensis & Raimundus Comes Tolosanus, etsi conuenissent inter se, non difficilè, rursus contenderint. Argenti fodinæ (argenterias vulgò dicunt scriptores veterum chartarum) diuiserunt concordes animos. Eas episcopus aiebat omnes esse sui juris, & nōnulla porro ad illas, seruando scil. argento effosso, castra; Raimundus è contrario sibi & horum aliqua, & illarū non modicam partem asserebat. Aimarus Pictauiensis & Bermundus de Andusia, appendices dissidij, sibi assumebant aliquid earumdem rerum. Lis diu

agita

agitata denique visa est componi anno 1198. cõmunissimâ omnium volun- 01
tate. Quia post aliquot annos excitata non semel est controuersia, existimaui operæ futurum non leue pretium, si tabulas compositionis recitarẽ. Ex illis intelliges, antiquam contentionem variis quondam modis sopitam fuisse; verùm ij ad me non peruenerunt: neque etiam hactenus reperi è quibus fontibus duceretur jus episcopi Viuariensis ad fodinas argenti, an ex peculiari munere alicujus viri qui eas possideret, an ex communi concessione regalium à Conrado II. & Friderico I. Fuerat equidem illi cum suis canonicis rixa, super decimis argenti effossi, & Iarentus episcopus Diensis eam porro composuerat anno MCXCVII. sed de ipsis fodinis contendisse non inuenio. Super illis decimis Iarentus ita edixerat. *Omnium ar-* 11
genteriarum quæ in toto Viuariensi episcopatu apparent, vel in futurum apparebunt decimæ, siue in parochiis ecclesiarum quas canonici similiter suas esse dicunt siue in parochiis aliarum ecclesiarum, vel vbicumque in toto Viuariensi episcopatu apparuerunt, communes sint inter episcopum & canonicos; vt in eis duas partes episcopus, canonici verò tertiam excipiant. Hugo etiam Duissel, aliquam fodinarum partem olim conferat episcopo, temporibus ignotis mihi. Sed enim verò quis primus fodinas omnes argenti, quis primus ad eas Argentariam pagum, aut Seguillerias castrum præbuerit, quæ ad me peruenerunt chartæ non habent. Hic Hugo videtur fuisse consanguineus Bernardi 12
de Vssello (si quid tamen nomini concedendum est) qui anno MCLXII. Vssellum gentilitium pagum tradiderat Raimundo præsuli, vt in episcopum pietas, dicenda sit ad illum descendisse cum sanguine. Sed veniamus ad tabulas pactorum Nicolai episcopi cum Raimundo Tolosano, Aimaro Pictauiensi, & Bermundo Anduziano. Causæ rixarum erant Argentaria seu Segualleriæ castra, fodinæ argenti in Segualleriis, Chassiers, Taurians, & aliæ innominatæ à Lende amne ad Taurians locum, & à Breuz riuo vsque ad Chassiers item locum. Ipsi per se sopiuerunt totam litẽ sequentibus articulis.

Controuersia vertebatur inter D. Raimundum Comitem Tolosanum ex vna par- 13
te, & D. Nicolaum episcopum Viuariensem & Ademarum Pictauiensem & Bermundum de Anduzia ex altera. Petebat siquidem prædictus Comes ab eis castrum de Segualeriis, & totam argentariam de Segualeriis & de Chassiers & de Taurians, hæc omnia ad se pertinere. Quod prædicti episcopus & A. & B. de Anduzia negabant. Tandem post longas dissensiones & contentiones, consensu & voluntate ipsorum, sopita est inter eos prædicta controuersia in hunc modum. Cassatis quidem priùs causa transactionis omnibus donationibus & conuentionibus, & in irritum deductis, quæ prius facta fuerant super argentariis & castro prædicto, inter prædictum episcopum & A. & B. de Anduzia, prædictus Episcopus, consensu capituli Viuariensis, præsentibus & consentibus prædictis A. & B. de Anduzia per se, & per successores suos, in perpetuum donauit, concessit, & laudauit in feudum R. Comiti Tolosano & successoribus suis, medietatem castri de Segualeriis, & medietatem totius argentariæ de Segualleriis & de Chassiers & de Taurians, & medietatem in omnibus argentariis quæ modò apparent, & in futurum apparebunt, a flumine Lende vsque ad Taurians, & à riuo Breuz vsque ad Chassiers, ita vt percipiat d. Comes medietatem omnium prouentuum, qui ex eis procedunt, & in futurum procedent, & reddituum, scilicet in hominibus, in firmanciis, justitiis, furnis, molendinis, sarnariis, bannis, toltis, tallis, & quistis, leudis, mercatis, & in omnibus exactionibus justis, seu

iniuſtis, & in omnibus omnino reditibus ſeu prouentibus, qui in eis apparent vel apparebunt, vel quomodocumque à quocumque excogitari poterunt, exceptis decimis, quas ſibi retinent Epiſcopus & Eccleſia, eas tamen accipient ſicut accipere conſue-
14 *runt, ſcilicet decimam decimarum. Sciendum verò quòd de decimis, quas aſſerunt totas Epiſcopus & Eccleſia ad ſe pertinere, non exigent amplius in argento & mina, niſi cum conſenſu capituli Viuarienſis & prædictorum R. Comitis & B. de Anduſia & A. Pictauienſ. & exceptis his quæ Hugo d'Vſſel reliquit eccleſiæ Viuarienſi, in quibus nihil ei donat. Et propter hæc d. Comes prædictus fecit fidelitatem Epiſcopo & jurauit, & debet defendere Eccleſiam prædictam & canonicos & res & jura ejuſdem eccleſiæ, & promiſit quòd non acquiret aliquod caſtrum vel partem caſtri, feudum vel partem feudi prædictæ Eccleſiæ abſque conſilio Epiſcopi & canonicorum ejuſdem Eccleſiæ, & reddet caſtrum de Argentariâ pro recognitione tantùm, mutato Epiſcopo vel Comite. Eadem facere debebunt omnes, qui ei ſuccedent in hoc feudum. Eodem pacto & eâdem lege & conuenientiâ, præſentibus D. R. Comite Toloſano & B. de Anduſiâ prædictus Epiſcopus cum conſenſu & voluntate Viuarienſis capituli in perpetuum donauit, conceſſit, laudauit in feudum Ademaro Pictauienſ. tertiam partem alterius medietatis prædictarum argentariarum &*
15 *prædicti caſtri, &c. Eodem modo & eâdem lege & conuenientiâ præſentibus & conſentientibus D. R. Comite Toloſano & A. Pictauienſ. prædictus Epiſcopus cum conſenſu & voluntate Viuarienſis capituli in perpetuum donauit, conceſſit, laudauit in feudum B. de Anduſiâ tertiam partem alterius medietatis prædictarum argentariarum & prædicti caſtri, &c. Reliquâ tertiâ medietate ejuſdem ſibi retentâ, &c. Sciendum autẽ quòd ſi Comes prædictus turrim ibi facere voluerit, prædictus Epiſcopus & A. & B. de Anduſiâ poterunt facere inſimul turrim ejuſdem altitudinis & ejuſdem ſpiſſitudinis, & è contrà. Vel ſi nollent tres conſentire, poſſent facere duo: vel ſi non duo, poſſet facere vnus ſolus. Sciendum quoque quòd de his quæ Hugo d'Vſſel dicitur reliquiſſe Viuarienſi Eccleſiæ debet dici, vt ſecundum quod jus dictauerit inter eos perſequi debeat Eccleſia Viuarienſis, & B. de Anduſiâ, & Epiſcopus & Hactafracta & P. Vvilelmi frater ejus. Item ſciendum quod quidquid habebat B. de Anduſiâ in argentariis, antequam eſſet caſtrum ædificatum, ſcilicet quod habuerat ab Vvilelmo de Baladuno, & ab Haſtafracta, & quod habebat in Fumpa, habebit hoc totum præcipuum, exceptis juſtitiis & ceteris quæ ad dominationem*
16 *pertinent. Item quidquid de cetero acquirent Epiſcopus, & Comes, & A, & B, de Anduſiâ ſimul vel ſeparatim in argentariis quocunque modo, vel quocunque titulo, communicabitur inter omnes, pretio tamen infra annum emptori, ſi emptum fuerit, reſtituto. Præterea ſciendum quòd ſi probauerit Epiſcopus eſſe feudum ſuum, quod Stephanus de Taurians donauit Comiti, habebit Comes prædictus quartam partem argenti tantùm ab Epiſcopo quod inde exibit: Quòd ſi non probauerit, habebit Comes in alodium. Stephanus tamen, ſiue probauerit Epiſcopus, ſiue non, nullum damnum patietur vel pœnam, propter donationem quam fecit Comiti. Sciendum præterea quòd propter compoſitionem iſtam, ſeu tranſactionem, nihil mutatur, vel diminuitur Comiti prædicto in denariis, qui antè percipiebantur in ſingulis marchis nomine ipſius, &c. Acta ſunt hæc omnia apud Albenacum in platea ad trabem, anno ab incarnatione Domini 1198. menſe Iulij, præſentibus B. Bonello, &c. Eodem anno & eodem menſe, poſt paucos dies, prædictus Comes propter hoc feudum, ex conuentione & debito fecit hominium S. martyri Vincentio, ſuper altare ipſius, apud Viuarium in eccleſia majori, Epiſcopo tenente catenam circa collum ejus, dum*

oſculare

oſcularetur altare; & recognouit omnia ſupradicta, & ſucceſſores ſuos omnes promiſit ita facturos & obſeruaturos, præſentibus ſupraſcriptis canonicis & B. Tricaſtrenſi epiſcopo, Iordane archidiacono S. Pauli, G. de Bordels, Guarino de Randon, P. Agulans vicario Wilelmo ..... & multis militibus & populo Viuarienſi. In 17
iſtis conuentionibus caſtrum de Argentaria euidenter traditur eſſe caſtrum, quod in ſuperioribus aſſeruerant eſſe medietatē caſtri de Segualleriis; & iam olim fuiſſe in clientela Epiſcopi Viuarienſis. Cùm autem hic Toloſanus Comes, qui Raimundus ſenior appellatur, fuiſſet poſt aliquot annos damnatus hæreſeos Albigenſium & eius res omnes cis Rhodanum proſcriptæ, iſtud caſtrum Epiſcopo Viuarienſi ceſſit ex Nogerio in hiſtoria Toloſana. Sed vide profeſſionis clientelaris genus inſolens. Raimundus Comes catenâ circumpoſitâ collo, quam manu tenebat Nicolaus Epiſcopus, & oſculo dato aræ, poſt promiſſam obſeruationem pactorum ſuperioribus articulis 18
comprehenſorum, ſe dixit clientem S. Vincentij. Cur circa collum poſita fuit illa catena? certè cápita conuentionis cum Epiſcopo nihil habent ſuper eâ. Cùm Raimundus poſt aliquot annos iterum rixatus eſſet cum Burnone Epiſcopo, & ad pacta cum eo rediiſſet, id poſitum fuit in articulis pacis, vt referam ſuo loco. Atque hoc facit, vt putem ritum inſolentem ac inauditum, principio quidem ex pio animi ſenſu adhibitum à Comite Toloſano, ſed poſtea ne quid minùs haberent poſteriores conuentiones, poſtulatum ab antiſtite. Nam ego quidem nunquàm dixerim, ſuſceptum in pœnam ſcelerati facinoris, quando nullum huius veſtigium eſt in tabulis. Peccauit equidem poſt aliquot annos Raimundus, cùm præbuit auxilium Albigenſibus, & in eorum errores abiit; ſed ad hunc vſque annum 1198. omnium eiusmodi criminum puriſſimus erat; & vbi poſt ſuſtentatam hæreſim ſeſe reddiſſet Eccleſię, nihil ejuſmodi ab ipſo vel poſtulatum, vel ſuſceptum legimus in pœnam criminis. Nam quòd pertinet ad oſculum altari Sanuincentiano datum à Co- 19
mite, ſolitum illud erat in donationibus ſacris, vt annotauit Sanjulianus in antiquitatibus Cabilonenſibus. Fuit etiam cùm terræ donatæ modicum quid, manu, vel extremo pallio receptum, ſuperponeretur altari, juuante fulcientéque munus epiſcopali manu; & donandi ritum ſcotationem appellabāt. Audi Innocentiū III. archiepiſcopo & c. Lug. habeturque c. ex literis de cōſuetudine. *Proponitis quòd in hujuſmodi donationibus modicū terræ conſueuit in manu accipere, vel in extremitate pallij, quod manu Prælati Eccleſiæ ſuſtinetur, aut ſuper altare ponendū, &c. hujuſmodi ſignū quod ſcotatio dicitur, non tā factæ donationis, quā traditæ poſſeſſionis ſit euidens argumentū.* Hìc Boſquetus ad regiſt. 13. Innocentij III. ep. 57 pro Lug. id. Lugdunenſi, Lundesē legit & Danorū fuiſſe iſtā conſuetudinē ait. Fuit etiam qui ceſpitem, cui viridis ramus infixus erat, ſuper altari poneret apud Miræum 1. diplom. c. 50. & quidem caligulâ contentum ex tabulis Beſuenſibus anno MXXXI. Nolo vnum quid prætèrmittere à 20
Nicolao epiſcopo piè pro Cartuſianis Bonæ fidei factum. Canonici de Charaix exigebant ab illis decimas, & ipſe ſoluit eos onere. Anno quidem 1129. quarto idus Oct. Rocberto priore Bonæ fidei dat *Eccleſiam de Fabras eccleſiæ de Charaix, excepto cartone decimarum & iure Epiſcopali, ſub tali conditione, vt decimas, illas quas eccleſia de Charaix, ſiue poſſeſſiones quaſcumque huc vſque poſſidebat, infra terminos bonæ fidei, tam præſentibus quàm futuris concederent,* Anno autem 1137. primo Oct. Iarentone priore dat Eccleſiam de Gene-

ſtella

quem Innocentius III.poſtea enexit ad archiepiſcopatum Narbonenſem,viſus eſt rem confeciſſe. Exſcribo pactorum tabulas, quoniam eunt per omnia offenſionis capita,neque apertioribus quàm ipſæ ſcriptæ ſunt verbis,rei totius hiſtoria proponi à me poteſt.

Controuerſia vertebatur inter D. B. Epiſcopum & Canonicos ex vna parte, 24
& D. R. Comitem Toloſanum ex altera. Conquerebatur ſiquidem D. epiſcopus & canonici Viuarienſes de caſtro de Faniau ædificato à D. Comite, quod aſſerebant in ſuo ſolo ædificatum ad ſe pertinere. Item quod feuda illorum acquiſierat, videlicet in argentariâ vnam ſetzenam à Stephano de Taurians, alteram à Pontio de Rochaſorti, caſtrum de Alſaz, turrim Petri de Vernone de Monteregali, caſtrum S. de Taurians de Monte Briſonis. Item dicebant quòd quidquid acquiſierat in Sumpa & in aliis reditibus, injuſtè poſſidebat vel percipiebat prædictus Comes: aſſerebat prædictus epiſcopus eum injuſtè,ſicut alodium Viuarienſis eccleſiæ,acquiſiſſe. Reuocabant etiam prædicti epiſcopus & canonici compoſitionem factam inter Nicolaum bonæ memoriæ quondam Viuarienſem Epiſcopum & Raimundum comitem patrem ejus: & idcirco petebant ſibi reſtitui caſtrum de Aigueze & de Gurgipetra,& de Remolinis, & ducentas marcas argenti, 25
& ſex denarios,quos in marca argenti percipiebat in argentaria,nomine compoſitionis. Aſſerebant etiam,quod pater ipſius Comitis,& ipſe Comes & bajuli eorum, & Aragonenſes in argentaria,& alibi in Viuarienſi multa damna intuliſſent,ſuper quibus ſatisfactionem ſibi fieri poſtulabant. E contrà conquerebatur D.Comes prædictus,quòd inſtrumentum,quod factum fuerat inter ipſum & D. Nicolaum bonæ memoriæ quondam Viuarienſem epiſcopum & ejuſdem eccleſiæ canonicos, ſuper compoſitione facta inter eos de argentaria, nollet,cùm ex parte teneretur, ſigilli ſui munimine roborare. Ecce contentionis ſemina,è quibus intelligis,Bumonem epiſcopum noluiſſe hactenus obſignare ſigillo,articulos conuentionis cum Raimundo Comite Toloſano,ſcriptos anno 1198. Hic ille eſt Raimundus Conſtantiæ,& aliis facinoribus, & Albigenſium erroribus nobilis: patrem habuit Raimundum Faidæ; ſic enim ad diſcrimen appellantur ex matribus. Quæ memorata ſunt capita pacis Raimundi Faidæ cum Nicolao epiſcopo, ea non inuenio: ſequuntur articuli vniuerſæ contentioni ſopiendæ conſtituti. *Tandem lite ſuper his omnibus conteſtatâ,coram Legato Romanæ curiæ V. Re-* 26
gienſi epiſcopo & magiſtro Thediſio,à Summo Pontifice delegatis,D.epiſcopus & Canonici Viuarienſes, & D. Comes prædictus compromiſerunt ſuper his omnibus in D. R.epiſcopum Vticenſem,coram quo prædicta lis in controuerſia amicabili compoſitione partibus inter ſe vltro conuenientibus terminata eſt in hunc modum.

Quando audis Regienſem epiſcopum, & Thediſium canonicum Genuenſem à Summo Pontifice delegatos,ne cogita miſſos huic liti componendæ:ad res Albigenſium cognoſcendas,& ipſi & alij miſſi fuerant,ex Italia quidem Thediſius cum Milone ingentium animorum viro; è Gallia verò,vt habes apud Valiſſarnenſem c. 48. Fulco Toloſanus, Raimundus Vticenſis (adde memoratum Regienſem) epiſcopi,& Abbas Ciſtercienſis.Cæ- 27
ſo enim Petro de Caſtronouo Legato etiam Apoſtolico,Toloſanus Comes & Abbatis illius & aliorum Legatorum acerbitatem queritatus eſt,petiítque ab Innocentio III. virum è domo pontificia ad ſe mitti:futurum aiens vt is, ſeu ex inſtitutione omnium integerrimâ,ſeu allis ex capitibus, tanto malo vnus medicinam inueniret; & Pontifex quod petebatur non negauit,

Milonemque Romanum clericum ac Thedisium Genuensem canonicum misit, ad legationem additis alio tempore aliis. Iam hi ad contentionem episcopi Viuariensis cum Tolosano comite animum necessariò admouent. Primùm Nicolaus, deinde Burno antistites sancti viri rem christianam toto episcopatu ita gerebant, multùm connitentibus suppari pietate canonicis, vt nulla Albigensium veneni vis Viuariensium vllam partem vnquam afflauerit. Tolosanus verò Comes, & Petrus Aragonum rex Tolosani vxoris frater, aduersus episcopum & canonicos insurgere; & alibi tota regione & per argentarias cladem inferre. Vno & altero etiam post hæc anno, Ademarus Pictauiensis, additamentum turbarum, sua per Viuariensem episcopatum castra, quæ non pauca tenebat, muniuit ad aliquod præsidium Albigensium: igitur cùm Milo & Thedisius venissent in Prouinciam, principio Tolosanus Comes omnibus lætitiis exultauit, arbitratus se non difficilè impositurum Italis, turbarum Gallicanarum ignaris. Sed eo gradu depulsus, per sinceras religiones sanctitatémque virorum, & illos auersatus est, & ad nulla sua negotia, res etiam Viuarienses adhiberi voluit: eaque causa fecit, vt Regiensis quoque episcopi iam cum Thedisio diu à Pontifice Legati, consilia neglexerit, maluerítque ad Raimundum episcopum legationi pontificiæ recens additum se admouere. Eo faciente conuenit cum Burnone episcopo in capita quæ sequuntur. *Conuenit siquidem inter eos, quòd D. Burno Viuariensis episcopus remisit, & garpiuit prædicto D. Comiti, & successoribus suis in perpetuum, petitionem quàm faciebat ei super castro de Faniau in feudum, secundum formam infrà scriptam. Insuper donans ei in feudum partem suam casalis, quam habebat iuxta castrum prædictum; & concedens & approbans eidem sub eadem forma quidquid à B. de Anduſiâ, seu Petro Bremundi filio, ei ab A. Pictauiensi in eodem casali poterit acquirere. Cõcessit insuper eidem Comiti, vt prædictum castrum adificare ad libitum suum valeat &c. Prætereà soluit & garpiuit prædictus episcopus prædicto Comiti petitionem, quàm faciebat ei de castro d'Aigueze, de Gurgipetra, & de Remolinis, & de ducentis marcis argenti, & de sex denariis quos percipit in marca argenti, quæ omnia habuerat ex compositione facta inter Nicolaum quondam Viuariensem episcopum & R. Comitem patrem eius, & remisit ei omnes petiones & actiones supradictas & omnia maleficia & omnia damna &c. Prætereà prædictus episcopus concessit eidem Comiti, & confirmauit, & laudauit in feudum, secundum compositionem factam inter D. Nicolaum quondam Viuariensem episcopum, & ipsum Comitem de argentaria &c. Et propter hoc D. Comes prædictus debet facere fidelitatem &c. Et debet castrum de Faniau de argentariâ, reddere prædicto episcopo pro recognitione, tantùm mutato domino hinc & inde. Ad hæc D. Comes prædictus reddidit prædicto D. episcopo vnam setzenam, quam sibi acquisierat à Stephano de Tauriãs de feudo de Taurians, retentâ sibi quartâ parte ex concessione D. Nicolai quondam Viuariensis episcopi. Item reddidit ei vnam setzenam, quam acquisierat à P. de Rochaforti de feudo de Taurians. De feudo autem Maleti, & Montis Brisonis & de feudo Petri de Vernono & de Alez debuit probare episcopus Viuariensis coram D. prædicto Vticensi Episcopo &c. ad Ecclesiam Viuariensem pertinere &c. Item D. prædictus Comes donauit, concessit, garpiuit prædicto d. episcopo etiam partem de iis omnibus quæ in suprà, vel in eius pertinentiis poterit retinere &c.* Post aliquot minutos articulos ita sequitur. *Ad hæc D. Comes prædictus, per se, & per successores suos, iurauit super sancta Dei euangelia manu tacta, fidelitatem domino B. Viuariensi episcopo & successoribus eius*

eius, adiiciens eidem iuramento pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis quòd vniuerſa & ſingula, quæ ſuprà continentur ipſe, & ſucceſſores ſui prædicto epiſcopo, & ſucceſſoribus ſuis, & Eccleſiæ Viuarienſi ſeruabunt bona fide perpetuo illibata, & quòd propter hoc feudum, hominium faciant martyri Vincentio ſuper altare ipſius, apud, Viuarium in Eccleſia maiori, epiſcopo Viuarienſi tenente catenam circa collum eius, dum oſculabitur altare &c. Adiecerunt etiam epiſcopus, & Comes prædicti, & promiſerunt ſibi inuicem, quòd pro prædicta compoſitione inuiolabiter obſeruanda, dabunt ſibi inuicem fideiuſſores Pontium de Montelauro, & Draconetum de Monte Dracone, & meliorem partem hominum de Argentaria ..... Quòd ſi alteruter prædicta pacta infregerit, & ad commonitionem &c. Prædicti fideiuſſores tenebuntur iuuare conquerentem contra infringentem, modis omnibus, donec conquerenti ab infringente 32
fuerit ſatisfactum, ad cognitionem quatuor amicorum, quos communiter ambo elegerint, & quinti quem elegerit epiſcopus Viuarienſis conſilio communi quatuor amicorum. Acta ſunt hæc omnia anno ab incarnatione Domini MCCX. *idibus Auguſti apud Burgum S. Saturnini in camera prioris eiuſdem Burrgi*, &c. ſequuntur nomina teſtium, & approbatio capituli Viuarienſis facta Viuarij XXVI. Calend. Septembris. Quare Burno ſecutus Nicolaum, Aigueſium caſtrum & alia, reliquerit Comiti Toloſano, inuenire non potui: à quo & quam ob cauſam illi ſex denarij dati fuerint, accipe ex charta à Roberto archiepiſcopo Viennenſi, ac proinde ante ann 1187. ſcriptâ Robertus enim obiit anno 1195.

Notum ſit omnibus, quòd Raimundus Comes Toloſanus, remittit omne ius quod ſibi competit ſiue iure ſuo, ſiue iure alunde ſibi acquiſito, in argentaria de Taurias, 33
& in argentaria de Sigilleriis, & in argentaria de Chaſſers; & accipit eos in fide ſua nunc & in perpetuum, quòd non decipiat eos, nec aliquam violentiam eis faciat, nec caſtra ſiue munitiones eis auferat, neque nouas in argentariis vel ſuper argentarias faciat, nec alij facienti auxilium vel conſilium præbeat, & dominos de argentariis, & res eorum & homines ibi manentes & venientes in argentarias, & redeuntes debet manutenere & defendere de ſe & de ſuis, de gentibus extraneis, nec debet aliquid acquirere de feudo Eccleſiæ per donationem, per venditionem, per pignorationem, vel alio aliquo modo. Et propter hoc Epiſcopus & domini de argentariis, donant ei ſex denarios pogiſios, in ſingulis marcis quæ percipiebantur in argentariis, exceptis decimis epiſcopi, & Eccleſiæ, & dominorum: homines tamen vltra ſex prædictos denarios dabunt quàntum facit computatio prædictarum decimarum. Et ſciendum quòd domini de argentariis, iurabunt & baiulos ſuos iurare facient, quòd prædictos denarios, ſine aliqua retentione & diminutione fideliter ei reddẽt; & quando ſuas decimas diuident, certiorare debent illum cui Comes reddi voluit. Ad huius pacti confirmationem & teſtimonium, D. Robertus archiepiſcopus Viennenſis, præſentem paginam ſuper hoc factam, ſigillo ſuo ſignauit. Raimundus hic Toloſanus Comes, fuit qui Faidæ dicitur; Raimundus enim Conſtantiæ filius adiit principatum an. 1196. Sed hactenus ſuper hac tota re dictum ſit, redeamus ad Bernonẽ epiſcopum.

Anno 1212. accipit à Le. Bremundi de Salue, & Vñ fratre eius, quæ cum ipſis erant in controuerſia: & ambo hi fratres fatentur ſe ab illo habere 34
omnia quæ poſſident in argentriâ. Anno 1214. B. Deſiderius antiſtes Dienſis adiit Fridericum II. imperatorem, vt monebam L. II. de Valent. epiſcopis num. 63. & fecit, vt Bernoni confirmaret ea omnia, quæ Fridericus I. olim præbuerat Raimundo epiſcopo Viuarienſi. Sed nolo prætermittere, in illa Bremundorum fratrum charta pro Bernone Vernonem

ſcriptum eſſe, literâ V, poſita pro litera B, vt alibi quoque factum dixi num. XXI. Denique, vt hoc addam, Honorius Pontifex Romanus Anno I. ſui pontificatus vniuit epiſcopatui Eccleſiàm S. Hilarij de Chaſſeris: ſed tertiúſne fuerit qui cepit ſedere anno MCCXVI. an ſecundus vel quartus haud ſcio, vt hîc de re ſcriberem fecit illa attenta & accurata in augendo epiſcopatu cura Bernonis, quam hactenus vidimus, & ea porro elucet in omnibus tabulis homagiorum, quæ plurima de nobilibus viris cepit. Ad ceterarum exemplum ſequentes accipe.

35 *Notum ſit omnibus hominibus præſentibus & futuris, quòd anno ab incarnatione Domini* MCCVII. *quarto non. Auguſti ego Pontius de Montelauro confiteor, & recognoſco tibi domine Burno epiſcope me tenere habere, & poſſidere nomine tuo, & Eccleſiæ Viuarienſis, caſtrum de Mazrel & totum ipſius mandamentum ſeu tenementum, propter quod ego feudatarius tuus nunc facio tibi hominium, & iuro tibi fidelitatem & Eccleſiæ Viuarienſi, eodem Sacramento promittens quòd caſtrum de Mazrel prædictum, & omnes fortias quæ ibi modò ſunt, vel in futuro erunt, vel toto ipſius mandamento, ego reddam tibi & ſucceſſoribus tuis bona fide, vel miſſo veſtro, vel capitulo Eccleſiæ Viuarienſis, vel eius miſſo ſi Eccleſia Epiſcopum non haberet, quotieſcunque & quandocunque volueritis, legem conſtituens in poſterium omnibus ſuc-*

36 *ceſſoribus meis, vt & ipſi hæc omnia ſimiliter facere teneantur. Et ego Burno Dei gratia Eccleſiæ Viuarienſis Epiſcopus, quidquid in caſtro de Mazrel modo habes, vel in futuro iuſtè acquiſieris, per me & ſucceſſores meos, tibi in feudum concedo, & laudo in perpetuum. Acta ſunt hæc apud Alanac, præſentibus, & ad hoc conuocatis teſtibus, D. B. Epiſcopo Anicienſi, D. P. Abbate Manſiade, D. Rodulfo Abbate Briuacenſi, Fratre Petro de Caſtronouo legato ſedis apoſtolicæ, B. Aſpais canonico Anicienſi, Siluio archipreſbitero Viuarienſi, P. Ademarij monacho, P. Falcone, G. de Cornilone canonico Viuarienſi, B. Lone clerico.*

Et ego Raimundus Guill. cancellarius Domini epiſcopi præſens interfui, & ſubſcripſi.

37 Vide vt omnia ad ornamentum Eccleſiæ Viuarienſis compoſita ſint, quibus verbis ſe hominem epiſcopi fateatur Pontius, quibus verbis hominem ſuum accipiat Burno: vocati etiam ſunt in teſtes viri præcipui, vnus epiſcopus, abbates duo, vnus Apoſtolicæ ſedis legatus. Hic verò legatus ille eſt rebus contra Albienſes hæreticos geſtis, & morte pro Chriſto obita celeberrimus. Audi Innocentium III. *Sanctæ memoriæ frater Petrus de Caſtronouo monachus & Sacerdos, vir inter viros vtique virtuoſus, vitâ, ſcientiâ, & famâ præclarus ad euangelizandum pacem, & confirmandam fidem* &c. *ob fidem & pacem,*

38 *quibus nulla eſt prorſus cauſa laudabilior ad martyrium, ſanguinem ſuum fudit.* Ad Fanum Ægidij cæſus, ſepultus eſt primùm in clauſtro, deinde in Eccleſia monachorum; & autore Valliſſarnenſi c. 13. cùm in hanc ex eo transferendus educeretur, conditorio efflauit ſuauiſſimum odorem integer, ac recens toto corpore, veſtibuſque. Natus Monſpelij profeſſus fuerat apud Ciſtercienſes. De viri legatione pontificia ad Occitanos, fusè agunt Petrus Valliſſarnenſis, & Guilelmus de Podio Laurentio contemporanei, deque recentioribus Catellus l. 2. de Comitibus Toloſanis. Puto Petrum Aimarij monachum, qui ſubiungitur, fuiſſe ſocium Caſtronouenſis. Quòd verò Raimundus ſe dicit cancellarium epiſcopi, facit quoque ad honorem Bernonis epiſcopi. Raimundus de Gourdan ſe maluit appellare notarium anno MCCX.

in

in conuentionibus ſuprà recitatis cum comite Toloſano; quia ſcilicet Hugo de Cabiracio ſe non cancellarium, ſed notarium Comitis appellabat.

Anno 1213. Petrus rex Aragonum, venerat Viuarium cum Hugone de 39
Baucio vicecomite Maſſilienſi, ex dote Barralæ conjugis filiæ Hugonis Gaufridi vicecomitis Maſſilienſi, & principe Arauſicano Locus fecit, vt diuturna contentio Burnonis cum Ademaro Pictauienſi finem haberet. Hic vir animorum malè potens non Valentinum modò & Dienſem epiſcopos malè habebat, vt ſuo loco fusè perſecutus ſum, ſed etiam Viuarienſem: volebat vnus dominari Barræ & Rupiſaluæ, quarum quintam partem ditione tenebat: cùm autem Meſenæ imperitaret, nolebat pro feudo ſuo dicere ſe clientem epiſcopi; demum inuito Burnone, exſtruxerat Chamaïracum caſtrum in ipſius regione: & ſecurus querelarum epiſcopi, porro jactitabat ſibi reddenda decem millia ſolidorum poſigienſium, olim data Nicolao præſuli 40
pro negotiis argentariæ. Arago & Arauſicanus edixere. Sua quinta Barræ & Rupiſſaluæ pars ſit Ademaro, toparchæ reliquas in feudum ipſius, vt appromiſerunt, ſibi ſeruent: ſed is pro totis caſtris erit cliens epiſcopi. Idem Ademarus ſibi habeat Balmam, Meſene, & Chamaïrac: ſed pro iis ſe dicet clientem præſulis, eique decem illa millia ſolidorum condonabit.

Anno 1216. epiſcopus, an Burno, an Burnonis ſucceſſor: accepit domi ſuæ 41
Bertrandum Cardinalem à Pontifice legatum, & Simonem Monfortium, acturos de obſidione Montilij & Criſtæ: in illo enim Ademarus Montilienſis, in hac Ademarus Pictauiēſis agebant pro comite Toloſano & Albigenſibus, vt autor eſt Petrus Valliſſarnenſis cap. 161. Hic vide animos & ſanctitatem epiſcopi Viuarienſis. Valentia Auenionem vſque, ſi ad Viuarium excipias, Rhodanus tenebatur ab Albigenſibus: ad oppidum etiam Sanſpiritenſe (tum appellabatur Burgum S. Saturnini) Bertrandus Pontificis Legatus ſaxis petitus fuerat; vnus Viuarienſis epiſcopus inuentus eſt, qui fidam ſtationem daret nauibus Monfortianis, & ad vltiorem ripam faceret viam; hoſtibus longiſſimè totâ, ad Auenionem etiam, regione tendentibus ne quidquam, pugnantibuſque. Ab eo anno ad 1220. grande ſuper epiſcopis Viuarienſibus, eſt ſilentium tabularum mearum.

Anno MCCXX. Guilelmus III. erat Epiſcopus, quo Alazais de Cornilon 42
dedit ei Cornilonum pagum: ſequente verò canonicis ſuis condonauit ne- *Guilelmus III.*
ſcio quos cenſus, & ſeu morte ſeu aliâ ex cauſa, id enim obſcurum eſt, epiſcopatu ceſſit. Nam anno MCCXXII. ſedebat Viuarij Bertrandus de Anduſia *Bertrandus de Anduſia.*
ex rituali canonicorum, qui liber magiſtri chori appellatur. Cùm etiam ſederet ſequente anno, minor quæ dicitur præbenda, inſtituta eſt à collegio canonicorum. Bermundum inuenio appellatum à Clemente IV. Pontifice. Hoc fuit gentilitiū nomen, Anduſianum verò illud cognomē, ex oppido paternæ ditionis acceptum. *Petrus Bermundi filius Bernardi de Anduſia dominus de Salue*, vt ipſe de ſe loquitur Innocentio III. in eius regeſto XV. epiſt. CCXX. Ante annum MCLXXXXIII. duxit filiam Raimundi Faidæ comitis Toloſani, poſt mortem regis Nauarræ prioris mariti, ex Guilelmo de Podio Laurentij cap 5. 43
Bertrandus Epiſcopus dicatur illius frater: & quidem amborum quoque fratres fuiſſe ego quidem putabam Bermundos, qui anno MCCXX. dederunt Burnoni antiſtiti ea omnia, quæ habebant in Argentaria, de quibus Bernardus pater conuenerat cum Nicolao Epiſcopo anno MCLXXXXVIII. vt non

immeritò Petrus in epistola cit. laudauerit suam gentem à pietate. Neque ea multùm erat post Tolosanam, vt ex nuptiis Petri intelligis; atque fortassis descendebat ab illo Bermundo, quem Ademarus Cluniacensis cap. XVIII. miraculorum S. Benedicti, docet datum Aruernis Comitem à Carolo magno, qui Corsonem siue Torcinum, aut Corsone remoto Guilelmum, autorem Tolosanæ gentis, imposuit Comitem Tolosatibus.

44 *Bernoinus.* Ab anno MCCXXIII. omnes chartæ de episcopo tacent per annos XI. Bernoinus episcopus, anno MCCXXXV. accepit à Friderico II. confirmationem eorum omnium, quæ ante ipsum imperatores, & reges concesserant Ecclesiæ Viuariensi. Inter alia accepit pedagium terrâ & aquâ per Duzeram & Burgum *S. Andeoli, vsque ad flumen Arduchij veteris, quod est limes imperij, & similiter per Viuarium, & per castrum de Tilio.* Anno 1236. Petrus de Vogorio confirmat venditionem omnium pascuorum, quæ pater habuerat *contra ardechiam* fluuium vsque Berc monasterio Mansiadæ, Bernoino episcopo. Hîc non debeam, nec possim prætermittere pietatem episcopi, & canonicorum. Isti anno MCCXXXVIII. illo probante constituerunt, vt ab octaua Pentecostes vsque ad Aduentum, & ab octaua Epiphaniæ vsque ad carnisprivium, singulis Sabbatis fieret officium B. Virginis in maiore choro. Sed quæ causa sapientes viros ad hoc, præter consuetudinem statuendum commouerit, non inuenio.

45 Hoc eodem anno 1238 legitur in chartario Mansiadæ Guilelmus de Mota dedisse sua in S. Andeoli de Berco prædia, cùm Bremundus sederet Viuarij. An errauit scriba, posuitque Bremundum pro Bernoino, certe illum hic præcessit; qui Bermundus Bernoino successerit, non inuenio. Maximè cùm legamus Sebastianum eo ipso anno 1236. quo Bernoinus est mortuus sedisse. *Sebastianus.* Enimuero Sebastianus Episcopus eo anno dedit baroni Albensi canes duos, & quod mireris, Petrus Ricardus scriba rem posuit in tabulis publicis. Res equidem leuissima est hæc, verùm non rarò ita fit vt leuiculæ ad grauissimarum cognitionem nos ducant. Sebastiano successisse videtur *Bernardus de Araussica.* Bernardus de Araussicâ, sedebat enim anno 1234. ex quorundam testium examine, de donatione prædij rustici ab aqua Alsonis vsque ad Bercum, monasterio Mansiadæ à Dalmatio de Vogorio. Post Bernardum Arnaudus, siue *Arnaudus.* Arnaldus fuit episcopus Viuarij vt conuentiones cum..... de pascuis alpium annis 1246. 1247. 1248. affirmant. sedisse anno 1250. docent conuentiones eiusdem monasterij de Valleuinaria; & homagium quod ei fecit Baro Albensis: sedisse anno 1251. tabulæ de nescio qua hæreditate inita per iudicem, *Aimarus.* vt habet chartarium Mansiadæ. Aimarus Arnaudo successit: dominus Rupiscolûbæ se ipsius clientem dixit anno MCCLII. Ab isto anno ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum secundum, nihil lego de Viua- *Aimo.* riensibus episcopis: isto Aimo Episcopus, an Aimari successor? dedit Baroni Albensi canes duo, & Petrus Limarin scripsit munus in publicis tabulis.

46 *Hugo de Turre.* Hugo de Turre sedit post Aimonem. Eum memorant tabulæ publicæ annis millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, millesimo ducentesimo sexagesimo octauo, millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, millesimo ducentesimo octogesimo, millesimo ducentesimo octogesimo

Digitized by Google

geſimo ſeptimo, milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, anno 1263. tabulæ docent contentionis aliquid olim fuiſſe Aimaro epiſcopo, cùm Ademaro Pictauienſi Comite Valentino. Cauſas rixarum non inuenio ſi quid ex anterioribus litibus, quas arbitrarij iudices compoſuerant, colligere licet, puto Pictauienſem turbaſſe nonnihil propter decem illa millia ſolidorum condonata Burnoni epiſcopo. Scilicet vir quietis malè cetus, atque, vt ex bellicis per ipſum tumultibus totis Valentinorum, & Dienſium regionibus intelligitur, eccleſiaſticorum opum appetẽs, pactorum iniquitatem quæritabatur; Igitur vir præcipitis ingenij eô irarum adductus eſt, vt obſideret caſtrum Mõtiſpenſerij, & alij ad facinus ingemuere, & Dienſis epiſcopus Viuarienſi fuit auxilio. Is erat Amedeus, genere Geneuenſis; publicæ tabulę docent fuiſſe fratrem Aimari: vt non mireris ad arma pro eo veniſſe, & videas Aimaro etiam fuiſſe genus Geneuenſe. Pictauiẽſis non fuit par ambobus epiſcopis fratribus, & obſidione caſtri ſolutâ diſceſſit inglorius. Sed Amedeo Aimarus ſe ſcripſit obſtrictum pro belli impenſis; cúmque per vitam non fuiſſet ſoluendo, neque poſt ipſum Aimo epiſcopus nomen omne expediuiſſet, Hugo demum illud explicuit. Legi partem huius æris alieni, ſoluiſſe Amedeo per Ioánnem Aimarum Burgenſem anno 1264. quo anno vnum aliud longè illuſtrius in 47
eodem caſtro fecit: appellatur illud & Caſtrum Montiſpenſerij, & Caſtrum nouum, ab eoque nomen acceperat, quæ olim toti dominabatur gens Caſtronouenſis. Guido ex illa progenitus, & antiquæ ditionis alia, & pedagium terrâ Rhodanóque ſibi ſumebat. Hoc epiſcopus ab ipſo, & à Laura matre, ne quid turbarum aliquando cieret dotis nomine, emit anno MCCLXIV. Iam Burgundio Mondonis filius anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio vendiderat Hugoni epiſcopo res ſuas Caſtronouenſes; & Aimo ante Hugonem antiſtes, ab eadem Caſtronouenſium gente, omnia in illud caſtrum iura emerat. Summi principatus ea iura erant. Igitur ipſorum emptio varias per plures annos contentiones peperit, quas demum Hugo epiſcopus finiit anno 1278. Gaufrido & Bertrandô filiis Manonis manſit nomen Caſtronouenſium, datáque ipſis ab Hugone nonnulla tum Viuarij, tum aliis per epiſcopatum locis iura. Sed Claudius à Turnone epiſcopus anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo vendidit regi ſupremum hoc dominium ſeruato nomine principis.

Neque inferiora peregit annis ſequentibus Hugo epiſcopus, vt ſtatim vi- 48
debimus. Nunc aduerte, anno MCCLXV. ipſum & Viuarienſe canonicorum collegium, compromiſiſſe ſuper damnis ex erecto primùm, poſtea deiecto pariete, ſub campanili ſancti Vincentij. Tria docent vixiſſe anno MCCLXVIII. exſcriptio tabularum Caroli regis quem Lotarius imperator genuit: emptio neſcio cuius rei à Creſcat & Mozelat Iudæis per Pontium Lheutardum, fundatio *maioris* (vt loquuntur) *præbendæ* in Eccleſia Sanvincentiana. Quoniam iſta fundatio habet aliquid ſingulare, iuuat de ea dicere. Capitulum, & Roſtagnus de Rhodano clericus illam conſtituerunt. Et quidem capitulum certam frumenti vinique menſuram annuatim addixit, Roſtagnus verò reditus, quos ædiculæ in ſancti Vincentij conditæ attribuerat. Eo autem conſilio ipſam coſtituerunt, *vt capellanus teneatur reſidentiam in Viuarienſi Eccleſia facere, & diuina officia continuè celebrare, & intereſſe horis omnibus in dicta Eccleſia, ſicut cantor.* Sed iſtud hactenus. Ab anno, quo iſtud ſacerdotium erectum

ctum est, ad annos omnino decem, nulla mearum tabularum meminit Hugonis Antistitis. Anno MCCLXXVIII. conuenit cum archidiacono de iurisdictione archidiaconatus. Scilicet is censetur inter ordinarios. & Alexander III. in concilio Turon. cap. VII. *ad agendas*, inquit, *vices episcoporum & archidiaconorum, & terminandas causas Ecclesiasticas* & Matth. Paris. in veter. consuet. Anglorum sic loquitur: *de appellationibus si emerserint, ab archidiacono debebit procedi ad episcopum, ab episcopo ad archiepiscopum.* In tabulis Cotteserræ lego Hugonem sedisse anno 1280. Sedebat anno 1287. ex conuentionibus monachorum Mansiadæ, cum canonicis Viuariensibus super decimis *terrarum*
49 *noualium, & aliarum*, pratorum, hortorum, &c. Grauis & diuturna Hugoni fuit contentio, cum suorum canonicorum collegio de pluribus capitibus, & potissimum de iurisdictione Viuarij & Burgi sancti Andeoli, atque iuribus in canonicos & alios qui ad capitulum pertinent. Cùm denique constituissent stare iudicio archiepiscopi Viennensis, is plurima edixit anno MCCLXXXIX. quia per innumeros illa versus benè multis tenduntur paginis, non placet fusiùs persequi ad alia properanti. Et mirabitur fortasse quispiam, nullum aut certè non vehemens & grande, ad Hugonis vsque tempora fuisse canonicis dissidium, cum suo episcopo per annos mille. At enim verò semel dissuta concordia, non facilè restituta est; & quæ anno millesimo ducentesimo octogesimo nono, prorsus instaurata putabatur videbimus sæpiuscule pollutam annis insequentibus, itaque ad noua fœdera redeundũ annis 1207. 1363. 1407. 1429. 1434. 1438. 1448. 1464. 1526. quid? quod denique anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, post multam litem ad alia pacta ventum est. Ceterà quid Hugo fecerit, post initam cum canonicis suis pacem. nemo afferat tacentibus chartis omnibus. Cùm ea digerebatur in articulos suos per archiepiscopum Viennensem, emit pedagium, quod Hugo Michalhe habebat Burgi, iam tum meditantibus episcopis congerere in vnum ea omnia, quæ imperabantur Viuarij, Burgi, Castronoui, Dozeræ, Tilij, & aliis locis in ditione antistitis. Demum eodem anno 1289. Hugo interfuit concilio Viennensi, cuius decretorum titulos recitat Ioannes le Lieure in antiquit. Viennens. cap. XVIII.

50 Post Hugonem Guilelmus de Falgario, fuit episcopus ex ordine Minorum assumptus: maiores in veteribus chartis tradunt fuisse *virum scientificum & generosum*. hoc fuerit ingentium animorum, illud singularis doctrinæ. Sedit an. MCCLXXXXIV. & MCCLXXXXVI. fuit carissimus Philippo Pulchro regi, & ab eo pro doctrina atque prudentia adhibitus ad consilium secretius. Eodem anno emit pedagium Dunzeræ à Guidone de Castronouo; & à Guilelmo de Dunzera castrum & mandamentum eiusdem Dunzeræ, resque
51 illius positas Petrælatæ. Hoc de pedagio Dunzeræ nunc affero; & illud de pedagio Castronoui empto ad Hugone. anno MCCLXIV. annotaui, vt intelligas Innocentium III. non de vtriusque antiquo & iusto portorio, sed de aliis exactionibus recèns pérque nefas inuentis, locutum anno MCCX. Abbati Cistercienssi in hæc verba regesto 12. epist. 39. *Cùm in nobiles viros Comitem Forcalcarienssem, G. Ademari, Lambertum de Montilio, dominos & dominas Castronoui & Dozere, Siluium de Crista, Alasiam de Roca, Præpositum Valentinum, Artaldum de Rossillone fratrem ipsius & quosdam alios propter pedagia, exactiones indebitas, & alias iniquitates, quas in stratis publicis & fluminibus committere non verentur,*

Raimũ. de Falgario.

verentur,à te (fili abba) de multorum Prælatorum conſilio ſententia fuerit promulgata,diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus,quatenus eundem ſententiam rationabiliter latam,faciatis appellatione remota,per cenſuram Eccleſiaſticam vſque ad ſatisfactionem condignam firmiter obſeruari. Nam ſi noua & iniqua fuiſſent ea duo portoria,& à Legato primùm apoſtolico in plurium epiſcoporum Concilio,deinde à Summo Pontifice damnata, quis putet vltra annos 90. porro perduraſſe,præſertim à non multùm illuſtri potentéque toparcha,ad plurimarum & vrbium, & regionum grande damnum inuenta, & demum ab epiſcopo ſacrarum religionum,& omnis æquitatis doctore coëmpta fuiſſe?

Guilelmo mortuo Adelbertus de Petra epiſcopatum iniit. In antiquis tabulis dicitur fuiſſe *vir nobilis & potens* ſcilicet genere: at quæ fuerit Petræa gens vnde ducebat originem,& quàm latè dominata, non addunt, neque vllibi chartarum inuenio. Hic ille eſt epiſcopus qui anno 1300. venit in pacta cum Philippo pulchro rege: ſed inuidêre nobis tempora ſapientiam tanti præſulis,& perdidere chartam conuentionum epiſcopi cum rege. Exiſtimo ego malè tum certa fuiſſe fœdera,atque (vt in maximis quibuſque rebus euenit) rudimentum magè pactorum informe,quàm vera duraturáque pacta: etenim poſteà anno 1305. ipſe cum ſuorum canonicorum collegio probauit,quæ ad regem Legati conſtituerant. Audi tabulas publicas. *Nos Adelbertus Dei patientia epiſcopus,& Guilelmus præpoſitus,& capitulum Eccleſiæ Viuarienſis notum facimus: quòd cùm ſuper jure ſuperioritatis regaliæ, & reſſorti noſtri, Eccleſiæ noſtræ ciuitatis ac temporalitatis Eccleſiæ noſtræ, ac ſubditorum Eccleſiæ ipſius in Rhodano ac circa Rhodanum, quoad ſuperioritatem attinet temporalem inter nos ex vna parte,ac gentes excellentiſſimi principis D. regis Francorum ex altera, verteretur materia quæſtionis,tandem ſuper his, & ea tangentibus, inter procuratores noſtros ad hoc ſpecialiter deſtinatos,& gentes dicti D. Regis tractatus fuit habitus compoſitionis,tranſactionis, & conditiones ſolemnes in hunc fuerunt tenorem qui ſequitur continentes.* His dictis ſubjiciunt capita conuentionis cũ rege per legatos initæ,iiſque recitatis ſic addunt: *Nos igitur viſis & diligenter inſpectis cõpoſitione,tranſactione,& conuentione prædictis per dictos procuratores noſtros,pro nobis & Eccleſia noſtra..... & ibi compoſitis cum gentibas D. Regis, prædictam compoſitionem & tranſactionem,ac conuentiones eaſdem, ad omnia & ſingula contenta,in eis modo ſuperiùs expreſſato probamus: ratas & gratas habemus,& nos ſucceſſoreſque noſtros ſolenniter promittimus ſeruare, accordare, & complere. In quorum teſtimonium & munimen ſigilla noſtra capituli & epiſcopi duximus apponenda. Actum Viuarij Februar. anno milleſimo trecenteſimo quinto.* Procuratores epiſcopi & capituli fuerant Raimundus de Conareto, Raimundus de Gorcia Viuarienſes canonici, Armandus de .....one officialis Viuarienſis, & Petrus Melheri judex Viuarienſis. Rem peregerant Lugduni 3. nonas Ianuarij, capita verò conuentionis hæc fuerunt potiſſima. *Fatemur & recognoſcimus D. epiſcopum, capitulum, Eccleſiam, & ciuitatem Viuarienſ. terram & totam temporalitatem D. epiſcopi, capituli, ac ſubditorum ſuorum in Rhodano & circa Rhodanum exiſtentes, D. regi & ejus regno eſſe ſubjectos quoad ſuperioritatem attinet temporalem. Epiſcopus, & ſucceſſores ſui, Viuarienſis epiſcopi, qui pro tempore fuerint jurare debebunt, ſe eſſe fideles de perſonis, & terris ſuis D. regi & ſucceſſoribus ſuis regibus Francor. licèt terram*

51 *Adelbertus de Petra*

52

53

Digitized by Google

suam à nemine teneant, sed allodialem habeant. Non poterit D. rex deinceps aliquid de nouo acquirere in terrâ D. episcopi vel capituli, in qua omnimodam habent justitiam, non in feudo, vel retrofeudo eorum, sine consensu D. episcopi & capituli, non aduersationes nouas vel nouas gandargias recipere. Portare debebit D. episcopus deinceps arma regia, & eis vti in vexillis. Donauit rex episcopo, quidquid de iure vel de facto acquisiuit in villâ sancti Iusti Viuariensis, eiusque territorio & districtu. Vacante sede Viuariensi non impedient gentes nostræ quominùs custodiam terræ, & beneficiorum episcopi habeat capitulum, prout ad ipsum de iure, vel consuetudine noscitur pertinere. Cetera minutiora sunt, quàm vt operæ sit alicujus ea recitare: ferme pertinent ad judicia & eorum exercendorum rationem, aliquídve suppar. Denique procuratores episcopi & capituli, finierunt in hæc verba: *Præmissa verò omnia & singula, tunc demum & non antè, vigorem, effectum, & virtutem habebunt, cùm & S. sedes Apostolica prædicta omnia duxerit concedenda: aliter autem pro nullis & infectis penitus habeantur.* Hæc illi anno 1300. Adelbertus erat episcopus anno 1303. ex homagio Petri Bernardi: anno autem 1305. ea cum rege Francorum per procuratorem pacta probauit tabulis à me lectis. Sed viri mors non multò pòst secuta fecit, vt quæ rata habuerat, suos exitus non facilè inuenirent. Scilicet vacabat sedes anno 1306. die 5. Iulij ex *iniunctione armorum hominibus* Villanouæ de Berco à monachis Mansiadæ ad defensionem domus, seu grangiæ de Berco, vt legitur in eorum chartulario.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM VIVARIENSIVM
LIBER QVARTVS.

1 *Ludouicus de Pictauia.*

IGITVR Ludouicus de Pictauia post Aldebertum episcopus, ille est qui Viuarium & omnem episcopatum Viuariensem, omnino restituit regno Francorum post annos quadringentos. Cùm Boso, imperatore Carolo Caluo, duxisset Hermengardem ex Ludouico fratre Caroli neptem, & seu imperatoris munere, seu ex dote vxoris, & alias regiones & Viuariensem regno quod fundabat inseruisset; ab eo ad alterum Bosonem reges aut Prouinciæ, aut Arelatensium, aut Burgundiæ, omnibus enim his nominibus dicti sunt, atque à Bosone altero imperatores Germanorum, sibi Viuarium cum episcopatu vniuersáque regione habuerunt. Sed alij reges Francorum aliis temporibus Arelaten, Prouinciam, Delphinatum, & reliquas fermè omnes illius regni partes reddidere Francis, Philippus verò Pulcher conuentionibus cum Ludouico episcopo & capitulo initis recepit Viuarium & omnem ejus episcopatum, etsi aliis quoque temporibus alij reges eum sibi subditum habuissent, vt de Odone & Roberto
2 suis locis annotaui. Is episcopus anno 1306. appellatur electus Viuariensis in pactionibus Guilelmi de Castronouo cum Petro Marroan. Iam episcopus anno 1307. Scripsit nobiles illos pactorum cum Philippo rege articulos, qui ad hæc vsque tempora singulis post eum regibus probati sunt. Res est in omnem partem magna & illustris, atque à me hoc loco commemoranda

Audi

Digitized by Google

Audi edictum regis. *Compoſitio, tranſactio & conuentio* cum Aldeberto epiſcopo *nondum fuerat in omnibus executa, tandem dilectus & fidelis noſter Ludouicus Viuarienſis epiſcopus, Remundus de Garcia archidiaconus & Arnaldus Armandi Vicarius pro ſe & procuratorio nomine capituli, noſtræ maieſtatis præſentiam adeuntes, viſâ & diligenter penſatâ dictâ compoſitione, & tranſactione cognoſcentes, de ea certiorati eam fore vtilem & neceſſariam vtilitati, quieti, & ſecuritati dictæ eccleſiæ, eam laudantes approbauerunt, ratificarunt, & innouauerunt, & etiam nobiſcum ipſam compoſitionem de nouo inierunt, & nobiſcum conuenerunt.* Quæ capita conuentionum Aldebertinarum nondum eſſent executioni mandata, cùm Rex ita loquebatur, non inuenio: quæcunque illa fuerint, epiſcopus & canonici ſingula nunc inſtaurarunt, firmauerunt que. præcipua retuli ſuperiore libro, num. 54. & 55. nunc addo vnum ibi omiſſum. *Erunt epiſcopi Viuarienſes de conſilio noſtro regio, & ſucceſſorum noſtrorum: & cùm ſacrmentum fidelitatis præſtabunt, non iurabunt etiam conſilium noſtrum, prout moris eſt alios prælatos de conſilio noſtro iurare* Atque iſta hactenus. Puto Ludouicum ante Pariſiis quàm excederet, dixiſſe regi ſacramentum, egiſſéque in eius conſiſtorio conſiliarium. Certè pro inſignibus ſiue armis epiſcopalibus, accepit lilia de ſcuto regio, & ipſum, hac in parte, ceteri ab illo antiſtites, ad iſtum diem ſecuti ſunt. Hoc aduerto vt Papirium Maſſonum non audias, cùm in Rhodano ſuo tradit Ioannem Francorum regem conceſſiſſe Eccleſiæ Viuarienſi *pro aquila liliis vti.* Ad eruditi viri manus non peruenerant tabulæ pactorum Philippi Auguſti Francorum regis, cum Aldeberto & Ludouico epiſcopis. 3

Archiuum canonicorum Viuarienſium haber tabulas, quæ docét Ludouicum de Pictauia antiſtitem fuiſſe annis MCCCVIII. MCCCXIII. MCCCXVII. In iſtis vltimis Capitulum fertur conueniſſe cum præcentore; ſed quid ei cum ipſo diſſidij eſſet, non addit. Demum, vt hoc non taceam, Eſmemarte Abbatiſſa de Merchoyra, Ciſtercienſis Ordinis in diœceſi Mimatenſi, anno & die incertis pollicita eſt tres libras ceræ annuatim ſoluere *in ſynodo pro ſynodatico cathedratico*, propter illa quæ Rando, & Guilelmus Randonis filius, toparchæ Luci, dederant eius apud Pontem de Vaycia monaſterio. *Cathedraticum* autem, inquit Gloſſa c. conquerente de Officio Ordinarij, *appellatur, quia pro honore cathedræ datur. Quandóque appellatur ſynodaticum, quia in ſynodo datur.* Eccleſiæ dabant pro eo ſolidos duos ex decreto Honorij III. & Bracarenſi II. *Monaſteriorum tamen baſilicis ab hac ſolutionis penſione ſeiunctis*, vt præcipitur in Tolet. 7 c. 4. & refertur c. *inter cetera* 10. qu. 3. Igitur quod lege non debebat, ad hoc ſeſe ipſa obſtrinxit Eſmemarte. 4

Guilelmus de Flauacourt, vir gente, doctrina, pietate nobilis, Ludouico Pictauienſi ſucceſſit in epiſcopatu, lectus anno MCCCXIX. vt legitur in conſtitutis à Capitulo. Poſteà fuit Archiepiſcopus Auxitanus, & abeuntis Viuario locum impleuit Petrus de Mortuo mari, ita dictus à Mortuo mari, loco in Lemouicenſibus, vbi & tria monaſteria erexit, & cum hac epigraphe tumulatus eſt, *vbi natus ibi ſepultus.* Sedebat Viuarij ann. MCCCXX. ex emptione agrorum neſcio quorum in māſo de Volec, cultorum, & incultorum: anno 1324. die 31 Auguſti, ex tabulis, quibus Guilelmus de Baladino pollicetur præſtiturum ſe monaſterio Manſiadæ damnum ex eo obueniens, quòd locus de Vazellis eſt in regis clientela, quem eâ liberū dixerat cum venderet, 5

Guilelmus de Flauacourt.

Petrus de Mortuo mari.

& ann. MCCCXXV. ex teſtamento Guilelmi de Samſone: vt ſatis mirari non poſſim Andream Fauinum l. 2. theatri cap. 12. afferre ſequentia. *Hæc fuerunt ordinata in concilio celebrato apud Aſnerias die lunæ ante Aſcenſionem Domini* 1321. &c. *Item ordinatum eſt eadem die per D. regem in conſilio ſuo, præſidentibus*
6 *D. de Valeſio, D. Roberto Atrebate Epiſcopo Viuarienſi, &c.* An qui apud Sammarthenſes Robertus, Roberti ſecundi Atrebatum Comitis filius, per hęc tempora innuptus & iunior vixit, Sacris rebus à puero addictus deſtinabatur epiſcopatui Viuarienſi, vt non rarò fit in principum virorum familiis, quem tradiderit Petro de Mortuomari, dum tamen palatinorum vulgus ipſi nomen epiſcopi tribuerat? Vt vt hoc habeat, Petrus anno poſt viceſimum quintum ſupra milleſimum trecenteſimum tranſiit ad Epiſcopatum Antiſiodorēſem, tum Cardinalatu, ac demum etiam Sabino epiſcopatu donatus eſt. Certè Aimarus ſedit anno 1327. die 15. menſis Octobris, ex quadam recognitione abbati Manſiadæ, & ex tabulis, quibus Ioannes de Vazellis & Pontius de Vaſelis vendunt Guilelmo de Rhodano medietatem Defenſi Coyrati, in loco qui vocatur *ſalauanta*. Anno 1328. ſedit ex tabulis matrimonialibus à Guilelmo Baſtidono ſcriptis & peruenit ad 1330. ex procuratione Capituli
Henricus de Villars. ſuper conuentionibus ipſius cum præcentore. Sed eodem anno Henricus de Villars ſuffectus eſt Aimaro, ex neſcio qua emptionis charta; in chartulario Manſiadæ dicitur fuiſſe Epiſcopus anno 1332. cùm emebatur neſcio quod *Defenſum*. Anno milleſimo tricenteſimo trigeſimo tertio, cepit homa-
7 gia Bernardi de Gaudioſa, Petri de Mirabello, Petri de Tilio, Hugonis de Vſſello, Rainaudi de Vogorio, Guilelmi de Taurianis, Pontij de Montelauro, Bertrandi de Chaſſalibus, Guilelmi de Baladuno, Hodilonis de Vernone, Petri de Briſone, Bertrandi Monachi, Pontij de Garda, Raimundi Bertini, Incelini de Lauraco, Audeberti de Montebriſone, Giraudi de Montealto, Giraudi Ademari, aliorúmque nobilium virorum, quæ ſinceris inſcripta tabulis, habet etiam nunc epiſcopium Viuarienſe. Eodem anno MCCCXXXIII. vnum quid memorabile geſtum eſt in capitulo. Opes illius variis cladibus multùm attritæ fuerant, neque pro tam illuſtri eccleſia ſufficiebant canonicis; igitur vbi diu ſuſtentata fuiſſet egeſtas, omnéſque rei reſtituendæ modi tentati, denique ſapientibus viris occurrit, numerum canonicorum, (erant illi ſupra quadraginta) minuendum eſſe, & quidem omnino media parte, in id omnes communiſſimo conſenſu conuenerunt Henrico antiſtite. fuerunt ad XXVII. in eo conſeſſu. Audi conſtitutionem quæ tum ab iis facta eſt.
8 *Guido de Caſtronouo Præcentor, Albertus de Caïres Sacriſta, Hugo muli Vicarius, Raimundus de Sampſone, Guilelmus de Mirabello ſcholaſticus, Dalmatius de Gorcia, Raimundus de Gorcia, Pontius de Samſone Legum doctor, archidiaconus de Seya in eccleſia Legionenſi, Guilelmus de Samſone, rector de Gurgite petra, Guilelmus Aynardi rector S. Marcelli, Reimundus de Sampſone rector S. Arcontij, Armandus de Combis rector S. Albani, Pontius Malbani rector Sancti Martini Valgorgiæ Joannes Malbani rector eccleſiæ de Gorcia, Garinus de Gaudioſa, Planſianus de planſiano operarius Viuarienſis, Petrus de Sereſcuderio iuriſperitus Vincentius Amblaudi, Raimundus Iarente magiſter in medicina, Hugo Seutre rector S. Andeoli de Berco, Petrus de Balneis rector S. Saluatoris, Pontius Maliani, Bertrandus Melheti, Raimundus Audoardi, Hugo Garbes, Beraudus Lamberti, & Pontius Breſſachij canonici Viuarienſes capitulantes* &c. *in capitulo generali* &c. Inuenio fuiſſe omnino

nino quadraginta tres. Post paucos annos Aimato de Vouta episcopo. Illorum autem constitutio æqua deinde visa est Clementi VI. anno 1. Pontificatus, 2. idus Maij. Anno 1336. Henricus è Viuariensi transiit ad Valentinam sedem, vt docui 3. de Valentinis episc. numero 55. & pro eo Aimarus de Vouta pridem Valentinus anristes adiit Viuariensem, & in ea fuit vsque ad annum 1365. vt intelligetur ex sequentibus. Scilicet viuebat anno 1337. ex nescio cujus operarij sacramento de iis, ad quæ peragenda tenebatur; anno 1338. ex vnione ecclesiæ Salauatij, cum sacristia Viuariensi; anno 1340. ex quodam laudimio abbatis Mansiadæ; anno 1341. 1342. ex *deliberatione* (Gallicè delivrance) *Luedæ ponderis*, &c. & ex homagio Prioris Albensis; anno 1344. ex tabulis, quibus *Raimundus de Marcello de Mirabello*, & Lucia vxor vendunt Petro Chautardi, & Raimundæ vxori *terram in mandamento Mirabelli*; anno 1345. ex petitione solidorum à singulis hebdomadariis, & solidorum 15. à capellanis Balmæ; anno 1346 ex vnione curæ S. Iuliani de Salauatio cum sacristia Viuariensi. An est hæc ecclesia Salauatij, jam ei vnita ab annis 8. vt ex ignoto defectu vnienda illi rursum fuerit? Anno 1347. pestis per vniuersum ferme orbem grassata est, Viuariúmque sic depopulata, vt vix decimus ciuium post eam superstes fuerit. Latrones vsi occasione vastitatis, vbi totas dies per agros tetendissent insidias viatoribus, se per noctem recipiebant ad suburbia. Igitur Tolosani senatores ista euerterunt, vt dejectis sicariorum receptaculis infesta rura non essent. Per eam pestem inclaruit pietas & charitas tum episcopi, tum canonicorum, eóque peruênit vt cùm fames ad diuturnam tabem accessisset, etiam altarium vasa confregerint, egestati ciuium subleuandæ. Porro ad B. Virginis auxilium, depellendo malo confugerunt. Vide quid constituerint. Liber ritualis, quem à magistro chori appellant, ita habet. *Sciendum & memoriter tenendum est, quòd sub anno Domini* 1348. *ante vel post dies aliquos, epidimia quædam, seu letalis ægritudo sexum vtrumque, virorum scilicet & mulierum, adolescentium crebriùs quàm paruulorum & veterum, certissimè verò dominarum prægnantium, vniuersaliter & per omnes partes sic inuasit, vt alios febris pestifera cum sputis sanguinis, alios venenosi tumores, seu bossæ apostematicæ sub axellis & inguine, alios verò diuersæ anthracis & carbunculorum species irremediabiliter affligerent, quòd vix aliquis hac peste percussus mortem euaderet. Communiter æstimantes decimam partem populi superfuisse. Ex quo tempore venerabile Viuariense collegium, pro Dei misericordia per interces-sionem gloriosæ Virginis obtinenda, hanc piè & deuotissimè consuetudinem introduxit, vt statim post Completorium, dicant in choro omnes simul, diebus singulis, vnam ejus antiphonam cum oratione modulatis vocibus. Cantatur autem seriatim & successiuè.* sed redeamus ad Aimarum de Vouta episcopum. Sedebat ille Viuarij anno 1350. ex concessione centum librarum annui reditus à Ioanne Francorum rege; anno 1351. ex annumeratione sortis earum; anno 1352. *ex reductione census cujusdam terræ, ex inuestitione diuersorum hominum* ab Abbate Mansiadæ, ex recognitione Trucheti Abbati Mansiadæ, *ex inuestitione* cujusdam terræ Vitali ab eodem; anno 1357. ex recognitione Cæciliæ Stephani Columberij vxoris Abbati Mansiadæ, & ex mutatione quadringentorum florenorum ciuibus Viuariensibus; Anno 1360. ex subhastatione furni, Leidæ, & aliorum onerum Villanouæ de Berco, atque demum an-

Aymarus de Vouta.

9 10 11 12

no milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, ex electione procuratoris canonicorum in ſuum procuratorem, & donatione octingentorum florenorum auri ſupra mille, capitulo in ſtipendium clericorum orantium pro mortuo, prima die ſingulorum menſium. Hac donatione peractâ, mortuus eſt antiſtes. omnium memoriâ ſæculorum victurus.

13 *Petr. de Sorcenaco.* Poſt Aimarum de Vouta Petrus Amelij de Sorcenaco, ſeu Sarracenaco, fuit epiſcopus ex auditore Rotæ Pontificiæ. Gallia purpurata facit Cadurcenſem è Sortenaco, ſed diſtinguit à Petro de Sorcenats, ſeu Sorcenico, quem vult ortum è Soricinio, agri Toloſani villa. Hic vbi paucos menſes, aut vnum fortaſſe annum ſediſſet Viuarij, euectus eſt ad archiepiſcopatum Ebredunenſem, anno ſexto ſupra milleſimum trecenteſimum ſexageſimum: à Pleudoclemente ſeptimo factus Cardinalis, moritur Auenione anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo. Tu non miraberis doctum, & ſapientem virum ſtetiſſe à falsò Pontifice: ſtatim videbimus hoc aliis Viuarienſibus epiſcopis & Ioanni de Bruniaco eueniſſe: infeliciſſima tempora, ſapientiſſimos vniuersâ Europâ viros habebant dubios, ſuper verò Pontifice; & alij etiam principes cum ſuis prouinciis pro alio nitebantur. Sed non poſtulat locus de re dicere; quod noſtrarum eſt partium, ſequamur annos antiſtitum Viuarienſium, & per eos ab ipſis geſta.

14 *Bertrãdus de Caſtronouo.* Petro Ebredunum eunte, Bertrandus de Caſtronouo Viuarienſem epiſcopatum intrauit: alij vocant Bertrandum de Chalanconio. Reor alterum viri nomen à gente, alterum à gentili ditione ductum eſſe; ſed earum quod ditionis, quod gentis fuerit neſcio. Chartæ Viuarienſes tradunt ſediſſe vſque ad annum milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum tertium. Franciſcus Ægidius anno ſexageſimo ſexto acceptam neſcio quam pecuniæ vim reddidit creditori, alius verò *acquiſiuit* eminam frumenti annuam à Guilelmo de Rhodano Viuarienſi: & neſcio quis aliud quidpiam emit anno ſexageſimo octauo; Anno 1371. ſediſſe legi in *recognitione medietatis totius Facti de Clus, conſtantis ex hoſpitiis* &c. *à Petro Coſtini* monaſterio Manſiadæ; demum alius Caſtronouenſis, Donzeræ anno ſeptuageſimo tertio profeſſus eſt, ſe domum à Capitulo habere in feudum nobile: & ſcribæ annotarunt ea facta Bertrando epiſcopo. Res exiguæ illæ quidem ſunt per ſe, verùm ad temporum cognitionem perneceſſarias eſſe non negabis.

15 *Beraldus.* Beraldus anno tertio ſupra milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum facit homagium Regi. Poſt Beraldum Bremundus ſedit anno 1375. ex chartâ, in quâ recitantur conuentiones Abbatis Manſiadæ cum ..... de paſcuis Alpium. Eodem anno ſedes vacat ex eâdem chartâ. Bernardus de Agrifolio prior S. Martini Pariſienſis, erat epiſcopus anno 1376. fratres, aut cognatos habuit Cardinales Guilelmum nepotem Clementis I. Pontificis, & Faiditum cognomines; quorum ille ſcientiâ juris notiſſimus Clementem antipapam juuit & auxit omnibus ingenij viribus. Anno 1376. cepit homagium Raimundi de Fabregoles, & 28. Ian. nonnullas Caſtronouenſium recognitiones, anno 1378. Domini de Bazaluc; anno demum 1379. ſacriſtiæ Viuarienſis.

Bernardus de Agrifolio.

Anno 1380. ſedere dicitur duabus in chartis. Prima eſt quâ Raimundus de Montealto aſſeritur die vigeſimâ primâ Iulij *pratum acquirere.* Secundâ Catha

Digitized by Google

Catharina de Albinachio traditur die 19. Nou. *remittere deuesium juxta crosum de Salananta mandamenti S. Andeoli de Berco & paræcie Mercoyrasij.* Ambas chartas legi ego in chartario Mansiadæ. Verùm hîc hæreo. Nam Petrus Guigonis scriba in recognitionibus sacristiæ S. Vincentij Viuariensis testatur Guilelmum sedisse anno 1379. & aliis in tabulis habetur Ioannem sedisse anno 1380. quæ scilicet agunt de *amplificatione castellaniæ Vianesij* in ecclesiâ Viuariensi S. Laurentij vt postea videbimus. In re difficili tu dic, cùm Bernardus cogitaret de deferenda ecclesia Viuariensi electum fuisse anno 1379. Guilelmum, cúmque pro morte aut aliâ ex causâ nobis ignotâ, non habuisset res suos exitus, Ioannem ejus locum impleuisse. Hac neque aliâ ratione Guilelmus & Ioannes dici potuerunt Episcopi Bernardo sedente.

Ioannes hic ille est de Bruniaco. Vir prudentiæ singularis, & ingentium animorum fuit, ac necessarius Ecclesiæ suis temporibus. Sunt qui appellitent Ioannem de Embroniaco, quia in erectione Auenionensis collegij, quod à sancto Nicolao dicitur, voluit vt inter viginti quatuor, quibus sedes parabat, essent duo Ebredunenses collegæ: addunt etiam nonnulli Embroniacum è vulgi sermone vocatum pro Ebredunensi, vt si ortus è patre Ebredunensi, fuerit natus ipse in Sabaudia. Carpentarius in historia Cameracensi vulgari lingua vocat De Brogni. Laruatus ille Pontifex Clemens dixit Cardinalem anno MCCCLXXXV. sed audi Ciaconium. Videns post Clementem *Gregorij duodecimi, & Benedicti decimitertij tergiuersationem in vnitate ecclesiæ facienda, præcipuus autor fuit, vt Cardinales Galli Benedicto deserto Pisas ad generale Concilium accederent, in quo omnium suffragiis Alexander quintus creatus est. Interfuit comitiis Ioannis vigesimitertij, & Constantiæ in generali Concilio ejus depositioni: in quo cùm esset vtriusque partis vetustissimus, magnæ illi synodo præsedit, & Martinum quintum cum illis creauit,* atque nono pòst anno mortuus est Romæ carissimus Martino, scilicet anno MCCCCXXVI. In episcopatu tamen Viuariensi vsque ad eum non sedit. Amplificatio capellaniæ Vianesij in ecclesia Sancti Laurentij agnoscit antistitem anno MCCCLXXX. sed Oliuarius Pictauiensis, ex canonico episcopus, sedebat anno MCCCLXXXVI. Pileus de Prata anno MCCCLXXXVII. Petrus de Alliaco anno MCCCLXXXVIII. Guilelmus de Pictauia ab anno MCCCLXXXXII. vsque ad annum MCCCCVI. denique Ioannes de Liueriis abanno MCCCCVI. vsque ad annum MCCCCXXXIII. An Ioannes Cardinalis de Bruniaco seruauit episcopatum Viuariensem vsque ad annum MCCCC. quo Ioannes de Nouocastro Cardinalis Ostiensis mortuus est? ex eo enim iniit episcopatum Ostiensem, & cepit dici Ostiensis etiam qui Viuariensis antè solùm appellabatur. Suspicionem auget, quòd Oliuarius & Pileus in veris atque sinceris tabulis administratores, non episcopi Viuarienses vocantur: quasi coadjutores fuerint Ioanni Cardinali, vehementer distento summis negotiis Ecclesiæ vniuersalis, per fœdum schisma tum in varias partes scissæ. Fateor equidem nomine administratoris vulgò significari aliquid aliud, sed locus tamen facit vt moneam ita fortasse illis temporibus significasse. Vtcumque hoc habeat, neque enim ego voluerim in re multùm obscura quidquam pertinacies asserere. Eo episcopo Ioannes Flandinus antistes Auxitanus, primum lapidem dejecit

16

Oliuarius de Pictauia. Pileus de Prata. Petrus de Alliaco. Guilelm. de Pictauia.

17

18

cit in fundamenta Sanlaurentiani extra Viuarium templi,anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo, vt habet etiam nunc in lapide inſcriptio illorum temporum. Is Bourea modico apud Viuarienſes pago natus, fuit primùm canonicus Viuarij, tum decanus Baiocenſis,poſtea Auxitanus epiſcopus, denique anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo nono Cardinalis. Mortui cadauer ex morituri mandato ſepelierunt in S.Vincentij, illam verò ædem S. Laurentij,eo anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo exædificatam,Caluiniſtæ patrum noſtrorum temporibus euerterunt;

19 ipſa an. 1606. Ioanne de l'Hoſtel epiſcopo reſtituta eſt intra vrbem. Eodem Bruniaco antiſtite,qui ſe Clementem VIII. Pontificem Auenione ferebat, vniuit epiſcopatui anno MCCCLXXIV. prioratum Dunzeræ, quia *reditus epiſcopi*, vt loquitur, *nimiùm imminuti fuerant per peſtem,guerram,& mortalitates*; & patriarcha Antiochenus anno MCCCCXXXVI. probauit vnionem Concilio Baſileenſi. Prioratus pertinebat ad monachos abbatiæ Trenorchianæ. Diuerſuſne fuerit ab illa abbatia Donzeræ,quam vidimus epiſcopo traditam à Ludouico Pio & Carolo Caluo imperatoribus non facilè dixerim. An abbatia primùm abſtracta eſt à cætera domo,deinde verò reliqua domus ſub nomine prioratus,cùm ad regularis diſciplinæ reſtitutionem adjuncta fuiſſet Abbatiæ Trenorchianæ,ceſſit epiſcopo?

20 Oliuarius de Pictauia ſedebat Viuarij anno MCCCLXXXVI. ex neſcio cujus rei venditione,poſtea epiſcopus Caullicenſis, & Pileus anno 1387. ex quibuſdam tabulis operarij eccleſiæ Viuarienſis. Hic natus Concordiæ in Italia, fuit comes Pratæ, & aliam aliis temporibus fortunam ſibi ipſe fecit,vir acerrimi ingenij & ingentium animorum.De Viuarienſi epiſcopo factus eſt Cardinalis ab Vrbano VI. & cùm ab eo ad falſum Clementem defeciſſet, Cardinalatu dejectus eſt: ſed Bonifacius nonus reſtituit Cardinalatui poſt deſertum antipapam,& donauit epiſcopatu Toloſano, atque Pontificio in temporalibus Vicariatu,quibus honoribus immortuus eſt anno milleſimo quadringenteſimo primo. Poſt Pileum Ioannes electus epiſcopus legitur fuiſſe, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo octa-

21 uo. Quo anno Petrus de Alliaco, ſeu ceperit, ſeu deſierit Viuarij, non poſſum dicere. Vir theologicarum rerum peritus, & quod honori ducebat diſcipulus,magiſter Ioannis Gerſonis, prius fuerat epiſcopus Anicij, poſteà fuit Cameraci, & à Ioanne XXII. eſt annumeratus denique Cardinalibus; certiſſimo argumento, ingenium & rerum diuinarum ſcientiam plurimùm poſſe ad conſequendas dignitates eccleſiaſticas. Scilicet Compendij ex infima plebe ortus fuerat. Obiit anno MCCCCXV. cùm interfuiſſet concilio Conſtantienſi, & multa ad immortalem gloriam acutè ſcripſiſſet.

22 Guilelmus de Pictauia legitur epiſcopatum geſſiſſe ab anno MCCCLXXXXII.
Guil. de Pictau. annum vſque 1407.Sed quo ceperit, quo deſierit eſſe antiſtes nullibi chartarum,quod ſciam,traditur. Anno MCCCLXXXXII. Petrus Vrſus neſcio quid ſuum clientelare profeſſus eſt; anno MCCCCVII. Iacobus de Croſco emit domum à Petro Genetta; & vtroque anno, ſcriba annotauit rem fieri Guilelmo epiſcopo.

23 Anno 1400. ſedebat ex chartâ,qua monaſterium Manſiadæ emit pedatitium à domino Alpium. Ioannes de Liueriis ſedit anno 1407. poſt Guilelmum, ex recognitione Petri Frequeræ Abbati Manſiadæ die 15. menſis
Ioannes de Liueriis.

Septem

Septembris. Sed eo anno vnum aliquid geſtum eſt, quod prætermittere non poſſum. Anno MCCCXLII. Pſeudoclemens, cùm probaſſet petitionem 23
canonicorum Viuarienſium, ex conſtitutione capitulari anni MCCCXXXII. imminuerat numerum ipſorum, & illos ad 20. coëgerat, igitur iis non defuit per aliquot annos vnde vitam honeſtè agerent. Sed quæ peſtis anno MCCCXLVIII. totis regionibus graſſata eſt, ita fortunas eorum rurſus afflixerat; præſertim bellis cum diuturna & graui fame ad illam accedentibus, vt vitam ampliùs ſuſtentare vix poſſent. Igitur vbi nihil non tentaſſent, decreuerunt agere cum Summo Pontifice, vt aliqua per diœceſim Sacerdotia donarentur capitulo in canonicos diuidenda. Omnia Romani Pontificis tum 24
vniuerſo orbe turbata erant, & pro eo Benedictus XII. tenebat Auenionem. Hic ergo Guidonem & Ioannem epiſcopos Cardinales, illum Prænestinum, Sabinum iſtum rei cognoſcendæ præficit, qui cùm à Benedicto diſcedere per eccleſiaſticas illorum temporum anguſtias non poſſent, miſerunt Stephanum abbatem Crudacenſem, qui eam cum poteſtate è propinquo diſquireret. Stephanus vt erat vir accuratæ prudentiæ, & ſpectatæ virtutis, munere ſuo diligentiſſimè functus eſt; cúmque omnia retuliſſet ad Cardinales, Benedictus iis auditis, vt Canonici poſtulauerant, ipſorum collegio addixit nonnulla per epiſcopatum ſacerdotia & quod in illa turbatione eccleſiæ fecerat Pſeudoclemens, Alexander quintus poſteà probauit. 25
Is ille eſt Stephanus abbas, qui agente Pontio de Sampſone (præcentor erat, & tum collegij ſui rerum curator) rogatis teſtibus inquiſitionem inſtituit de tabularum antiquitates de prouentibus capituli, & demum de argenteis vaſis, aliâque ſacrâ ſummi pretij in ſancti Vincentij ſuppellectile. De canonicorum reditibus dicere locus non poſtulat, tabulas à Thoma epiſcopo ante annos circiter quadringentos ſcriptas legit probauítque. Si cui eſt animus ſcire vim pretioſæ ſuppellectilis, ille eam intelliget ex parte ipſius quam non multò antè ſublatam furto fuiſſe affirmauerunt poſt ſacramentum plurimi teſtes. Suſtulerant fures pedum paſtorale, thuribula duo, Chriſtum cruci affixum cum B. Virgine & S. Ioanne ad latera, opus egregium maximæ baſi impoſitum, quam & infrà ſuſtinebant, & ſuprà muniebant leones quatuor. Hæc omnia conſtabant argento deaura- 26
to. Eripuerant porro baſim argenteam marcarum XXVII. fultam leonibus IV. ſuſtinendæ Euchariſtiæ, cùm ſupplicatio per vrbem ducta ſuis locis conſiſteret. Coronam auream pluribus gemmis inſtructam, tiaras duas, & mitras IV. lapillis graues. Vas capiendo thuri ex argento deaurato, quod encauſtes variis figuris diſtinxerat. Vas è criſtallo ingens, hinc inde fultum manibus duorum Angelorum cum ſuo tecto, cui nobilis imago B. Virginis erat impoſita, candelabra argentea duo, pondo marcarum XVIII. Quid referam thuribula, calices, carinos, aliáque eiuſmodi de argento vaſa? vt cetera taceam, impij prædatores abſtulerant calices argenteos omnino quindecim auro encauſtóque ornatos, & hæc pars tantùm erat auri argentíque facti, quod maiorum pietas in ſacrarium Sanuincentianum congeſſerat, pergamus ad alia.

Ioannes de Liueris ſedebat anno 1421. ex codicillo Ioannis Boucicantij 27
Franciæ Mareſitelli apud Iuſtellum in probationibus familiæ Turenicæ pag. CCCXXXIX. Peruenit ad annos MCCCCXXXIII. pòſt quem tabulæ de illo

Digitized by Google

ſilent. Anno MCCCCXVII. conuenit cum canonicis de chorariorum admiſſione: & in hac enim etiam parte fuit epiſcopo cum illis quondam diſſidium. Cùm ſuper aliis quoque capitibus fuiſſet nonnulla lis, pacata ea eſt anno MCCCCXXVIII. denique inuenio homagium fuiſſe Ioanni præſtitum à Priore ſancti Petri Albenſis anno MCCCCXXXIII. à quo per annos decem magnum de antiſtite ſilentium Aimarus 4. ſedebat anno 1437. Legi enim ego in chartario Grangiæ Berci Abbatem Manſiadæ, eo epiſcopo conueniſſe anno illo ipſo cum, domino Alpium de Fanno & tranſitu animalium per agrum earumdem Alpium. Anno ergo ante illum ſeptimum incertâ ſedere ceperit. Legi etiam in chartis Viuarienſibus canonicorum, Baronem Albenſem ſe dixiſſe Ioannis Epiſcopi clientem anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, & Bertrandum de Fain Oliuarij de Pictauia: eo ipſo anno igitur Aimaro, poſt an. 1443. anno incerto ſucceſſit Ioannes, & Ioanni Oliuarius; aut è contrà Oliuarius poſt Aimarum, & poſt Oliuarium Ioannes ſedit. Siue hic ſiue ille poſterior ſederit, Guilelmus de Pictauia ſedebat Viuarij anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, vt docent conuentiones canonicorum cum ciuibus Viuarienſibus; & anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, vt habet vnio capellæ de Gandoberto cum officio operarij. Moritur anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, die 1. menſis Auguſti ex chartulario annuorum ſacrorum; vocant anniuerſaria. Quis poſt Guilelmum ſuffectus fuerit, non poſſum dicere. Elias de Pompadour ex Eletenſi antiſtite fit Viuarienſis anno MCCCCLIV. erat epiſcopus anno MCCCCLVI. quo in Aruernia baptizauit Carolum B. Amedæi Sabaudiæ ducis & Yolandæ primogentium, ex Guichenono in hiſt. Sebuſiana; peruenit ad MCCCCLXXVII. tabulæ venditionis nonnullorum cenſuum anno MCCCCLXXVIII. ſcriptæ ſunt eo epiſcopo; & eodem antiſtite Antonius de Borna præcentor Viuarienſis fundauit capellam in eccleſia parrochiali B. Mariæ de Sableriis. Anno 1463. miſſus eſt Elias in Sabaudiam, ad componendas eius Ducis res, cum Ioanne Duce Borbonio. Poſt Eliam Ioannes de Monte-Canuto ſedit annos circiter XX. cùm enim eſſet epiſcopus anno MCCCCLXXIX. vixit vſque ad nonageſimum ſeptimum, ſuprà milleſimum quadringenteſimum. Anno illo 1479. M. Chaſalis neſcio quas tabulas venditionis ſcripſit, & adiunxit ſe eas ſcribere Ioanne præſule. Plures verò chartæ aſſerunt peruenisſe ad milleſimum quadringenteſimum nonageſimum ſeptimum. Scilicet collatio capellaniæ quam appellant de Pretioſa; teſtamentum duplex, alterum Antonij de Borna præcentoris, alterum Martialis Meſſes. Et huius epiſcopi gente nobiliſſimi, & aliorum res præclarè geſtas ſepeliuit obliuio; eorum tempora annotaſſe, ſuóſque in annos digeſſiſſe fuit non raro ſatis; niſi velis, quod ſuam habet veritatem, magnum prorſus & in omnem partem illuſtre eſſe, quòd & Albigenſibus, & aliis latè circùm graſſantibus Hæreticis ſacras religiones, & ſactarum rerum alia à maioribus ſanctè inuenta ſapientérque conſtituta ſeruauerunt illibata. Scilicet qui graditur per aliena veſtigia, non minoribus animis viam conficit, atque ille qui per viam primus iit. Seu morum, ſeu religionum integritate quam ſuis præluxerunt, docent ſe poſteriores tempore, non inferiores virtute illis fuiſſe, quorum ante ipſos veneramur fortiſſima facinora. Sed non poſ-

Aimarus. 4.

Ioannes.

Oliuarius.

28 *Guilelmus de Pictauia.*

Elias de Pompadour.

29 *Ioannes de Monte Canuto.*

ſum

ſum prætermittere Ioannem epiſcopum anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto, diſſidium cum Ioanne Crudatenſi abbate litem ſuper iuriſdictione his contentionibus finiiſſe. Cognitio & coërcitio ac punitio monachorum *in grauioribus & maioribus criminibus & delictis, & omnimoda & totalis* erit vnius epiſcopi : in leuioribus autem aut epiſcopi, aut abbatis primò occupantis; ſi tamen abbas cauſam primus acceperit, liceat prouocare ſeu appellare ab eo ad epiſcopum. Sed regularis correctio omnis pertinebit ad ſolum abbatem. Ioanni ſucceſſit Claudius à Turnone, & in epiſcopatu fuit annos omnino LIV. Iſtius præſulis laudes nunquam tacebit, & eius tamen munera nunquam dignis præconiis offeret Viuarienſis eccleſia. Duæ chartæ docent fuiſſe antiſtitem an. MCCCCLXXXXVIII. altera collationis capellaniæ ſancti Iacobi in eccleſia ſancti Petri Gaudioſæ, altera fundationis capellaniæ de Albignatio. Hugo Mutonis eo epiſcopo addicauit ſe capellaniâ in eccleſia cathedrali anno MCCCCXCIX. Quid alios ſummi viri annos referam ex veris tabulis? hoc fortiter egit anno milleſimo quingenteſimo decimo, quòd aſſeruit pedagium Viuarienſe; illud magnificè, quòd baſilicæ Sanuincentianæ conceſſit vitam patroni martyris in tapetibus opere phrygionico depictam ex auro, argento, ſerico, opus viſendum & nobile. Sed hæc parua cenſeantur. Is ille eſt antiſtes, qui ſuperbas, regeque dignas ædes excitauit Dunzeræ, illuſtre epiſcopium Burgi ſancti Andeoli, Sanuincentianum odeum Viuarij, munimenta demum Argentariæ. Is ille prætereà eſt, qui plurimùm auxit reditus epiſcopales, qui cathedralem eccleſiam inſtruxit modulatis & vegrandibus organis, argenteis ad omne ſacrum opus vaſis, ac denique pluribus ad preces dicendas, & peragenda ſacrificia prouentibus. Iſta perficientem mors non inexpectata excepit Dunzeræ anno 1552. Mortui corpus ad Viuarienſem eccleſiam delatum eſt. Funus illuſtriſſimum fuit, miniſtrantibus epiſcopis quidem ſeptem, ſacerdotibus verò aut clericis ſuprà vniuerſum eccleſiæ Viuarienſis clerum ad ſeptingentos. Tumulum ipſe ſibi parauerat per vitam in medio odeo, è candido marmore circum ingentem de ære Corinthio laminam, cui poſt mortem epitaphium inſcriſere, & aliis & ſequentibus carminibus.

30 *Claudius de Monte Canuto.*

31

Sponſam locupletem.....fecit, & auxit.
Veſte, ſacris, reditu, vaſe, miniſterio.
Organa magna dedit, templum hoc renouauit, & ædes
Struxit eas, quæ te Dozera nobilitant.
Oppida, fana, domos, fundos meliora reliquit
Sponſæ.....
Sæpè poteſtati laïcæ ſine iure prementi
Aut ſponſam, aut clerum, reſtitit intrepidus.

Ceterùm Claudius ante epiſcopatum fuerat canonicus & præpoſitus. Iam epiſcopus ſeruauit præpoſituram per aliquot annos, quibus elapſis eam conceſſit Franciſco fratris filio, quem poſteà vidit Gallia Ebreduni, Biturgibus, Lugduni archiepiſcopum; Venetiæ, Roma, Germania legatum regium; Roma principio Cardinalem, deinde ſacri ſenatus principem; & demum eccleſia Gallicana neceſſarium in rebus anguſtis columen. Vt enim cetera prætermittam, cùm Franciſcus rex dediſſet commeatum Philippo

32

Melanctoni & aliis hæreseos autoribus, Turnonius Cardinalis exitiosam pestem auertit à Francis, regémque per nescio quas artes pro natiua facilitate delusum, grauissimâ oratione dedocuit, deterruitque. Debeámne in vltimis Francisci pro fide catholica, Gallicanáque republica facinoribus ponere, quòd Societatem IESV vocauit Turnonum, relinquo aliis cogitandum. Certè Viuarienses, Valentini, & reliqui circum Turnonem populi, debent illius collegio, aut omnes aut maximam partem religiones sacras. vbi verò literæ siue humaniores, siue graues & summæ, cultius olim & gratius atque augustius habuere domicilium? & quidem hactenus super Francisco Cardinali non omnino aliena ad instituto meo, vtpote qui tantorum rudimenta ceptorum posuit Viuarij Præpositus, sub Claudio episcopo patruo.

33 *Carolus de Turnone.* Claudio mortuo, Carolus à Turnone fratris filius; adiit episcopatum, antea primùm archipresbyter, deinde præpositus, ac demum electus in episcopum anno 1536. Certè florebat clerus Viuarienſis sub fratribus Turnoniis Francisco præpositō, Carolo archipresbytero, & reor maximam quóque partem canonicorum è præcipua vicinarum regionum nobilitate genus tum duxisse. Neque hoc insolens erat isti ecclesiæ. Lege nomina canonicorum ante annos centum, quæ recitaui hoc l. num. II. inuenies in illis Castronouenses, Cairios, Sampsonios, Mirabellios, Gorcias, Plansianos, Serresçuderios. Aberant autem à conuentu memorato Cardinalis de Columna præpositus, Card. Belloforti archidiaconus, Guigo de Godeto, Hugo de Turnone, Petrus de Cuberiis, Guigo de Rupemoria, Rostagnus de Montealto, Petrus de Tilio, Pastor de Ranco, alij que plures è clarissimis circùm gentibus. Caro. lus à Turnone præposituram seruauit episcopus; suauissimi vir ingenij, & gratissimorum omnibus morũ fuit. Substruxit scalas lapideas, quibus è cæmeterio ascenditur suprà odeum, & ædi Sanuincentianæ dedit plurimum argenti facti, ad omnes sacros vsus supra illud quod sibi sacrificanti proprium moriens addidit.

34 *Simõ de Mailhè* Ei successit Simon de Mailhè anno quidem incerto, sed legitur tamen iurasse in priuilegia Viuarienſium anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, & primùm sacrificasse in sancti Vincentij. Anno insequente post aliquod tempus deseruit episcopatum Viuarienſem, adeptus archiepiscopatum Turonensem: & abeuntis locum impleuit Viuarij Iacobus Maria Sala Bononiensis Italus. Hic autem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, fuit episcopus, vt pote sedem assecutus à Iulio III. qui obiit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto. Auenione fuit pro Legato Romani Pontificis: & cùm iuisset ad concilium Tridentinum, illi est immortuus. Eo vita functo episcopatus Viuarienſis datus est Cardinali Farnesio, qui possessione nondum initâ abdicauit, eum transcribens Eucherio à sancto Vitali affini. Is episcopatum adiit anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, tertio calendas Iulij.

Iacobus Maria Sala.

Farnesius Cardinalis.

Eucherius à S. Vitali.

Hîc non licet mihi res episcoporum Viuarienſium scribenti prætermittere cladem à Caluinistis furentibus illatam eorum ecclesiæ. Ab ipsis episcopatus initiis, Viuarium fide, pietate, sacrarum religionum cultu viguerat: neque vt in vicinia Manichæi primùm, deinde Ariani, posteà Prædestinatiani,

35

tum

tum Petrobruſiani,& Albigenſes,denique Valdenſes aliquando radices fixerint,vllâ mali tabes ciuitatem adhuc afflauerat. S. Auxonius cum epiſcopali ſede,tantum amorem epiſcoporum & cleri in eam inuexerat,támque certam ſacrarum rerum reuerentiam, vt nulla tempora, quæ nihil non exedunt, ipſam ab Chriſtiana pietate dimouere hactenus potuerint. Piget ad vlteriora pergere,pertæſum ſuſceptæ ſcribendi prouinciæ. Anno MDLXII. 36
vnus quis demum inuentus eſt,gente quidem nobilis, ſed degeneri ſcelerum importunitate majoribus ſuis indignus, Noëmus Albertus dominus S.Albani,qui patriam pollueret,omniáque illa decora barbaris & impiis aduerſus Deum, epiſcopos,clerum,ac denique ædes, reſque ſacras facinoribus deterere & perdere contenderet. Verùm turpiſſimi prædonis,paucorúmque aſſeclarum perfidia,non eſt inurenda vniuerſæ vrbi : ingemiſcebant boni, præcipua & maxima pars : ſed ſcilicèt non multorum ſicariorum furor,potior erat in nobili,& ſuis epiſcopis jam olim addictâ, ciuitate. Igitur Albertus qui in Caluiniſtarum errores deflexerat,cùm valida latronum manu repentè poſt occupatos canonicos,ingreſſus ædem S.Vincentij,primùm imagines omnes dejecit,tum fregit organa, ſanctorum reliquias veſano pede calcauit, protritáſque dedit ignibus, omnem quæ occurrit argenteam ſacrorum ſupellectilem ſibi arripuit, improbo auſu,furiata mente. Illa die perdi- 37
dimus corpora ſanctorum Auli, Arcontij, & aliorum præſtitum, qui cùm olim per hanc vitam antiſtites, ſermonibus & exemplis ſeruaſſent vrbem, poſt mortem beati,pergebant ſuſtentare precibus ad Deum in cœlo fuſis. Perdidimus partes præſepis,pallij,& crucis Chriſti ; partes capillorum,lactis, pallij Beatæ Virginis, & ſotulare porro ac velum ; perdidimus digitum Sancti Ioãnis B.& S.Adriani,dentem B.Petri & S.Laurentij,atque aliorum ſanctorum exuuias, quæ à majoribus in ædem S.Vincentij, de omnibus terræ partibus,tam multæ congeſtæ fuerant,vt cœlo ſuppar, eorum ferme omnium aliquid de corpore videretur habere,quorum animas illud tenet. Sed rudimenta malorum hæc fuere. Anno pòſt quarto, ſæculi ſexageſimo ſep- 38
timo, Santalbanus ſe deterior, veluti fera guſtato ſanguine ad prædam animoſior ſæuiórque, vltimò venit ad S.Vincentij,& dejectis ad latera ædiculis pronaon euertit. Sepulcra tum violata ſunt, & humana quoque omnia polluta ; cogitauit etiam homo barbarus dejicere odeum illud nobile à Claudio Tumonio exædificatum,ſed non potuit, ceteris ad vnius interitum ſibi metuentibus latomis, qui foramen in medio fornice apertum ampliare tentabat. Is è ſummo decidens,in varias partes ſciſſus fuerat ad grãde, par aliquid auſuris exemplum. Quid ? quòd domo Dei tam malè vexata, paucis pòſt diebus domos quoque totius cleri,præter quatuor aut quinque, quarum incolæ præcipuos de hæreticis ſanguine contingebant, affixâ priùs epigraphe diripiendas dat,deinde incendit euertítque. Sed antè omnia ſacram ſuppellectilem ſpecioſam illam & diuitem rapit, bibliothecam canonicorum,egregiis plurimíſque voluminibus inſtructam, & omnia tabularia, dat in ignes,majore neſcias impetu,quàm veſaniâ. Enimvero ſi vel ad momentum temporis ſeſe ipſe conſuluiſſet, ſuſtinuiſſet profectò manum in medio facinore. Cur non ita peragebat cum animo ſuo ; quid ſuſcipis Alberte,quid tendis? canonici non pereunt cum ædibus & libris ; vt qui nunc vi-

uunt, etiam ipſi moriantur; quid tum? exorietur aliquis de mortuorum cineribus, qui iſta doleat, quærat, vlciſcatur. Non hac ipsâ vi concidunt regij iudices. Putas non futurum qui temeraria damnet auſa. Sed ſcilicet maior à dæmone furor mẽtem peruaſerat tenebátque, quàm vt aliquid cogitaret cõpos ſui. Igitur vbi tumultus deſæuiit, & quod ſeu diriperetur, ſeu incenderetur nihil prætereà rerum ſacrarum fuit, Albertus neceſſariò quieuit póſtque aliquod tempus reddita ab hæreticis toti regno pax fuit; & aliis enim ciuitatibus, neque paucis, ſua quoque fuerant turbamenta. In vrbem, qui alij aliò fugerant, rediere canonici, in mediiſque ruderibus excelsâ animi firmitate conſtantiáque, & habitarunt, & ſolitas Deo preces dixerunt. Sed enim verò non multò pòſt queſti ſunt de iniuriis & clade ſacrarum rerum, apud ſenatores Toloſanos, qui auditis quæſitoribus, de Sanctalbano Viuarienſi, Monrufo Delphinate, paucíſque aliis latrocinij ſociis, morte illatâ meritas pœnas ſumpſere. Placet vnum addere, vt videas dæmonis mage, quàm hominis, fuiſſe illum furorem Alberti. Tumulus Claudij Turnonij quondam epiſcopi violatus eſt, viríque cadauer ab vnguentis, quibus ſecundum mortem infecerant integrum, per plateas caſtri (ita appellant regionem vrbis) in rupis faſtigio poſitam, quæ habet cleticorum omnium domos, injuriosè tractum eſt, habitúmque ludibrio; & ſi Turoniæ gentis reuerentia monitos minimè deterruiſſet ſicarios, grauiùs aliquid paſſum eſſet: fuit ergo qui è media platea tum deferret domum ſuam, & poſteà de nocte in ſacram ædiculam, mulctatóque Santalbano redderet ſepulcro ſuo. Sed diu jam tædet iſta perſequi: & omnia lubens prætermiſſem, ſi per hiſtoriæ fidem licuiſſet ſcribenti.

39

40

41 Cùm ea gerebantur Viuarij, aberat epiſcopus ante annum quidem 1563. aut nullus, aut in Italiâ tantùm electus; anno autem 65. Auenione Eucherius, qui vt futuræ tempeſtatis argumenta notauit, vt in Pontificiam ditionem ire maturauit, vbi ſecurus malorum, quibus occurrere non poterat, ſe melioribus temporibus ſeruaret. Ea dum votis opportuna vel expectat, vel deſperat, moritur, vir gente, ſcientia, humanitate præcipuus anno 1571. die 5. menſis Ianuarij. Erat tunc temporis Auenione Franciſcus à Balma Comes Suſæ, & pro vicinia opportunum ſuæ genti videns epiſcopatum, petit à Carolo rege, vt Pontifici ſuorum aliquem præficiendum dicat. Poſtulatio placuit regi; & Franciſcus is erat cui res negari non poſſet. Scilicet antiquiſſimâ ſtirpe progenitus, majorum ſuorum nomen implebat; & ſuis ipſe fortiter pro publica re geſtis, vt Chriſtianæ fidei & religionum priſcarum apprime amans erat, cenſebatur in illis regionibus ferme vnus eſſe, qui opponeretur hæreticis, & Eccleſiam Viuarij reſtitueret; fuerat quippe primùm dux centum leuioris armaturæ equitum, deinde pro ſummo vniuerſi exercitus in Delphinatu duce abſente, quam vtrámque præfecturam ingenti cum laude peregerat. Igitur hic annuente rege facit, vt Petrus d'Vrre affinis epiſcopatum adipiſcatur. Sed eo poſt annum mortuo Ioannem de l'Hoſtel ei præficiendum curat. Hic antiquæ ſimplicitatis, ſinceritatis, & probitatis ſacerdos, erudiebat liberos comitis ad omne virtutis genus. Sedit in epiſcopatu ab anno 1573. vſque ad annum 1621. quo mortuus eſt ſexto Aprilis: cúmque deficeret ſenio, viderétque Roſtano Franciſci filio Comiti Suſæ, Ludouicum

42

Petrus d'Vrre.

Ioan. de l'Hoſtel

Franciſ

Franciſcum liberis omnino,cùm per ætatem liceret,idoneum gerendo epiſcopatui, memor beneficiorum,quæ plurima per omnem vitam acceperat, poſtulauit à rege & per regem à pontifice, vt ſibi liceret eum habere operis adjutorem.

Ioanne antiſtite non vna fuit Viuarij,& circumpoſitæ regionis facies. Anno MDLXXVI. Hæretici Gaydano homine ignoto & obſcuræ originis duce, per noctem dolúmque intrant caſtrum (quæ regio eſt vrbis in faſtigio rupis clerohabitata) omnéſque domos diripiunt,effuſo in cæcam barbariem furore;& canonicos in cellam vinariam vi adactos internecione deleuiſſent, ſi Gaydanus faciens impetum in ciues, pro clero ex ſolitâ majoribus pietate certantes,non fuiſſet in humero brachióque vehementer pulſatus,mortario æneo per feneſtram dejecto à muliere in majore,vt loquuntur,vico: is enim fracto ita corpore cecinit receptui,& verò ſcilicet cum ſuis receſſit ex vrbe. Sed non diuturna fuit canonicis quies. Guido hæreticus, ſe baronem Villanouæ Berci appellitabat, poſt Gaydanum occupauit caſtrum Viuarienſe,muniuítque, & ſua feritate primùm omnes clericos, deinde ceteros ciues dedit in fugam; perrexiſſétque tyrannum agere homo ferox & projectus ad omne facinus, ſi per cæcam noctem ſeu cœleſtia, ſeu alia viſa (id enim obſcurum eſt) horrore incuſſo non pepuliſſent tota regione canonicorum. Secuti ducem ij etiam qui vrbem tenebant, vt fit,monſtrorum inſolentiâ in majus auctâ,conciti præcipitéſque abſceſſerunt. 43 Sed lamentabilis profectò & catholicis durus fuit annus ſeptimus ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimum. 44 Hæretici interceperant Montem Aimari, & ex eo non Donzerâ modò & aliis epiſcopi pagis, ſed ceterâ etiam per Delphinatum & Viuarienſem prouinciam circùm regione prædas agebant. Catholici contrà cogebant copias;& receptâ vrbe,cùm per vltimam rerum deſperationem è caſtro erumpentibus obſiſterent, ducem, atque adeo vrbem & omnia amiſerunt. Præerat vehementer pugnantibus Franciſcus comes Suſæ bello notiſſimus:vir fortis pro patria & Eccleſia ſupra hominem manu agens cecidit,& cum eo catholicorum omnis ſpes, quæ gladiis bellatorum non cecidetat; multa nobilitas venit in manus Caluiniſtarum,& Arauſicam deportata eſt,ipſéque Roſtagnus Franciſci comitis filius.

Franciſco Suſano mortuo,timebatur rurſum Viuarij ab hæreticis, & primùm comes Turnonius illi fuit præſidio,deinde dynaſta Ventadurius, adhibitis ducibus catholicis & probis. 45 Verùm ſuſtulit omnem metum Henricus IV.eccleſiæ redditus,& per eum pax toti regno; tum enim verò reſpirare canonici,& cum Ioanne epiſcopo cogitare de reſtituēda baſilica S.Vincētij. 46 Perfectum eſt opus anno MDLXXXXIX.curante Franciſco Monerio Præcentore, viro in paucis pio, modeſto, & ad omne genus virtutis facto, impenſis epiſcopi & capituli. Ioannes verò antiſtes reliquam vitam quietè duxit: 47 peruenit ad annum nonageſimum quartum. Aliquoties, per hebdomadam toto anno jejunabat,omnem ferme diem ponebat in oratione,cúmque præ ſenio caligarent oculi, neque precibus legendis pares eſſent, nihilo tamen minùs ſolitis temporibus agebat cum Deo,illa ſæpiuſcule repetens quæ fideli,ex plurima olim oratione, memoriâ retinebat,& roſarium maximè Virginis præcipuâ pietate percurrens:ceteroqui cùm vigebat ætate, fecit Deo ſingulis diebus, & horis omnibus canonicorum quotidianis ſummo etiam

diluculo

diluculo interesse perdurauit. Sed eo Episcopo res gesta est, à me non prætermittenda hoc loco. Anno hujus sæculi tertio Societas Iesu posuit Albenaci prima sui Collegij fundamenta. Res Viuariensi prouincię in paucis grata, & jam magnis expetita diu votis, atque ex eo etiam non sine conuitio postulata, cùm Iacobus Salesius, vir omni virtutum, & scientiarum genere clarus, Turnoníque professor Theologiæ, Albenaci pro Christo Caluinistarum manibus cum Guilelmo Saltamochio Coadjutore cecidit. Igitur ad Societatis in eam vrbem aduentum vniuersa exultare, lætámque agere diem, Casserianum etiam & Argentariæ ciues, solemni cum prece supplices adire Albenacum. Supra ceteros eminuit pietas Mottæi toparchæ Venesacij. Hic vir, vt opibus & animis respondebat antiquitati nobilissimæ stirpis, acceptis à suo collegio duobus Canonicis Viuariensibus, cum præclara cantorum manu, & comitatus viginti millibus hominum, quos sui ad quindecim circum Albenacum milliaria Sacerdotes bonâ cum prece ad Deum, piáque ducebant, intrauit Albenacum, voluítque Christiana sacra fieri in mediâ plateâ, quando alius tot hominum millia locus non capiebat, quæ Iacobi Galterij sapientis ex Societate Iesu Theologi de rebus diuinis sermo excepit, attonitis ad eruditionem dicentis, & audientium ab pietate fiduciam catholicis, & nequidquam frementibus hæreticorum, cum vniuersâ ferme vrbe, quam errores suos docebant, *Ministris*.

48 *Ludou. Francisc. de Suse.* Ludouicus Franciscus de Suse, principio episcopus Pompeiopolitanus, & adjutor Ioannis de l'Hostel fuit anno 1618. die 14. mensis Maij, postea Ioanne mortuo adiit episcopatum Viuariensem anno MDCXXI. die VI. mensis Aprilis. Hic Rostagni Comitis Susani & Magdalenæ de Medullione Bressieux filius illos omnes animos in ecclesiæ suæ vsus impendit, quos gente ex alto ductâ, dedit sanguis & paternus è Susanis, Leuiis, Bauciis, Salassis; & maternus è Medullionensibus, qui ante quadringentos annos pagis ad minimum XXXV. dominabantur, vt annotaui III. de Valent. episc. num. 25. & per Medullionenses, Pictauiensibus, Delphiníque Viennensibus: eósque adhibet ad episcopale officium pietate, modestiâ, populorum carita-
49 te gerendum. Nihil dico ex amore tam illustris episcopi, quas per scholasticum puluerem in puero auditore facilitatem, sinceritatem, natiuámque (vt ita loquar) virtutem dilexi, eæ per maturiores ætates incrementis latentibus ad illam peruenerunt firmitatem, quam laudamus omnes, & ego quidem emiror ac deosculor. Pietas non morosa, grauitas non seuera, facilitas non leuis, omnes ad se alliciunt, detinentque. Hic Franciscanos, qui Recollecti appellantur, deduxit Argentariam, & Dominicanas virgines Viuarium. Cùm pararetur istis monialibus templum, vbi quondam stetit ædes sacra Beatæ Mariæ de Rodano, effoderentúrque rudera, triste Caluiniani furoris exemplum, & alia occurrerunt, & sepulcralis ingens lapis cum sua epigraphe. Fert ista potentem virum sub illo tumulatum fuisse, qui ex hæ-
50 resi eductus plurimos secum traduxerat ad fidem Trinitatis. Si memineris Gothos Arianos quondam Viuario totíque Occitaniæ dominatos, & Gothicis characteribus constat inscriptio, non difficilè cogitabis conditorium antè annos mille excitatum fuisse; & gaudebis non aliter apud Viuarienses cognosci majorum hæreses, si quod malum illos afflauit, quàm per earum abjectionem, cum non paruo fidei incremento. Sed

ad

Digitized by Google

ad Ludouicum epiſcopum redeamus;ejus ſeu dignitati,ſeu amori vnum aliquid à Deo datum eſt. Anno 1636. tanta murium multitudo Viuarienſibus agris inſidebat,vt tertiam partẽ tritici depaſta,ingentem mœſtitiam inferret omnibus colonis. Dei manum ſenſit epiſcopus,& de conſilio canonicorum ſuorum,primùm quidem voluit illum exorari ſupplicationibus publicis omnino tribus,primâ ad B.Mariæ Magdalenæ in Xenodochio,alterâ ad B.Virginis de Rhodano vbi nunc ſunt Dominicanæ virgines,tertiâ ad S.Laurentij. Deinde verò juſſit,vt agri luſtrarentur aquâ,per hebdomadarios benedictâ. Denique per eoſdem maledixit importunis,humanóque generi infeſtis animantibus. Probauit Deus ingenioſam Præſulis pietatem. Mures ſeu aliò delati,ſeu terrâ ſepulti fuerint (hoc enim obſcurũ eſt)clam omnibus repentè deſierunt. Hoc Dei erga Ludouicum amoris fuerit argumentum.Sed ego quidem ſupplicibus; accuratíſque viri religionibus redditum puto. Quid alia afferam? Sua pro Deo & Eccleſia opera viuenti ingerenda non ſunt.

Superiore anno Canonici vnum aliquid ſuſceperant, in cujus commemoratione placet operi finem imponere.Anno ſæculi triceſimoquarto ſtatua B.Virginis ab eremitâ,pio viro,vel inuenta, vel exciſa cepit inclareſcere Rupeforti,pago inferioris Occitaniæ non multùm ab Auenione ciuitate, & ædem eidem virgini ſacram nobilibus prodigiis illuſtrare. Celeberrimum, & ad populorum famam clariſſimum fuit, quòd Ioannis Sicardi filia, ſeptem menſium infans, perpetuo capitis motu repentè ſub ſacrum curata eſt die viceſimâ quintâ Martij. Canonici Viuarienſes, vt ſunt pij, & ad omne virtutis publicæ genus populo duces, decreuerunt ad imaginem Virginis ire ſupplices. Igitur anno triceſimo quinto die quartâ Septembris, ſe Rhodano frequentiſſimi committunt: ſuum Clerum ſequitur de ciuitate & pluribus circùm pagis innumera hominum vis.Rupemauræ exſcenſionem faciunt omnes,& ſingula vrbis templa, vniuerſámque ab vrbe viam Rupemfortem vſque,bini,ſequentibus tota regione populis, piiſſimo ſimul & ſuauiſſimo concentu implent. Sed Rupefortianam ædem ingreſſi, Marianam imaginem tam concinnâ & ad veram pietatem, per Alamelli ſcilicet ſui modulos,factâ prece ſalutant, vt omnium adſtantium animos vehementer commoueant,& in vberes lacrymas ſoluant. Iacobus à ſaltu Præcentor Viuarienſis rem ſacram ceteris ſuccinentibus fecit. Neque minor in ſuam ciuitatem redeuntium pietas fuit. Omnes ibant pedites; quâcumque incedebant, omnia caſtis complebant precibus,agros, compita, pagos,vrbes, obſtupeſcentibus ad ſinceram, & parem antiquæ pietatem Canonicorum Viuarienſium per omnes regiones mortalibus. 51

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM VALENTINORVM ET DIENSIVM LIBRI QVATVOR.

Illuſtr^mis & Reuerend^mis Patribus

ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS

Eccleſiæ Gallicanæ.

IACOBVS CAROLVS GELASIVS LEBERON.

Epiſc. Valent. & Dienſ.

AM eſt diu,illuſtriſſimi Præſules,quod apud vos,& in publicis Cleri Gallicani comitiis & in priuatis cœtibus querelas meas depono. Non ſemel audiuiſtis referentem longis ſermonibus,& non ſine grauibus lamentis recitantem damna mearum eccleſiarum Valentinæ & Dienſis. Quod integerrimorum antiſtitum erat,doluiſtis & vos mecum, bonámque etiam manum adhibere malo tentaſtis. Sed omnia ſcilicet veſtra,meaque irrito conatu ceciderunt. Igitur denique cogitaui rem,vt eſt, omnibus non Galliarum,non Europæ,ſed vniuerſalis Eccleſiæ populis,palam facere per recitationem bene longam,neque inaccuratam de rebus geſtis & meis,& eorum qui ante me, ſeu Valentiæ,ſeu Diæ fuerunt Epiſcopi. Ex ipſa intelligent vniuerſi florentiſſi

florentiſſimarũ quondam Eccleſiarũ Antiſtes ſummum geſſiſſe principatũ Valentiæ, Diæque, ambarum citatum poſſediſſe comitatus, omnia vtroque epiſcopatu & loca tẽperaſſe judiciis, & regalia ſibi habuiſſe jura, pagos demum ditione plurimos, clientelâ plures ducentis tenuiſſe. De tantis ſiue opibus, ſiue honoribus, ſolum penè Comitis nomen vix mihi reliquum eſt. Atque ſummum quidem principatum Ludouicus Pictauienſis Epiſcopus conceſſit Ludouico primùm Delphino, deinde Francorum regi vndecimo, non omnino malis conditionibus. Sed hæ pene omnes paucis pòſt annis euerſæ ſunt, neque tamen Epiſcopo ſuus redditus principatus. Quid? quòd quæ reſtabat & mihi clientum turba, & meis judicibus poteſtas, magnam partem acciſa nuper eſt. Vt non fallar, ſi dicam viuidam illam & robuſtam, ac veluti maſculam, ſuccíque plenam, Eccleſiarum mearum ſpeciem omnino concidiſſe; quod ejus ſupereſt formæ, ſuo nomini par non eſſe; antiquarum exſucca potiùs, vt ita loquar, cadauera videri, quàm vera viuáque corpora. Ecce materiem voluminis, quod fideli veráque manu Ioannis Columbi è Societate IESV Profeſſoris Theologiæ conſcriptum, publicam do in lucem. Id autem ad vos defero, Chriſtianiſſimi Præſules, vt videatis cùm cetera reſtituendis meis Eccleſiis opportuna animosè & fortiter ſuſceperim hactenus, quod publicarum aperta malorum in vulgus propoſitione vnicum ſupererat querelarum, hoc etiam vehementer ac magnis viribus præſtare.

AVCTOR LECTORI SVO.

DE rebus geſtis Valentinorum, & Dienſium Epiſcoporum tibi ſcribo, mi Lector. Cur te hic ſiſtam, & priùs appellem, quàm ad legendum Opus accedas, faciunt eius ab illis hinc nobilitas, inde obſcuritas, non tacenda hoc ipſo in limine. Antiquiſſimarum Eccleſiarum Epiſcopos tibi repræſento, maximam partem gente illuſtres, ſapientiâ claros, ſanctitate venerandos. Videbis Sabaudos, Lotharingos, Geneuenſes, Salaſſos, Pictauienſes, Turnonios, Cruſſolios, magna Nomina; & de Innico Bearnio Caſtellanorum, Aragonum, Nauarræorum Regum parente Nepotes Monlucios, ac Leberonios, vt taceam fratrem Boſonis, Arelatenſium Regis, Ratbertum, et filium Iſicij Senatoris Apollinarem. Miraberis Ragnoaldum, Aredium, Vldricum, Eſpinaium, certos

profligatores hareſeon,& fidei curatores attentos. Quam animi firmitatẽ præſtitit Hugo per Gallias Legatus Sedis apoſtolicæ? De Gallicanis vnus Nicaſius fuit in priore Nicena Synodo. Venerabere Saturninum, Vlphinum, Petronium, Marcellum, Stephanum, Ioannem, aliòſque plures, ita Deo gratos, vt Apollinari fontem aperuerit leuandæ ſiti; ita ſuorum præſtites, vt Iſmidonis mortuum corpus tactu excitauerit ad vitam alienum cadauer. Debuerant profectò Majores noſtri tantorum Virorum ſingula decora literis commendare; & quorum voce ac exemplo informati ſunt ad omne vitæ officium, eorum fortiter geſta ad poſteros deducere. An fecêre illi quidem grati ac memores; verùm alia aliis temporibus barbararum gentium incurſiones, importunus variarum hareſeon furor, ipſum tempus rerum edax, & ignauia atque inſcitia identidem temporum comites, omnia perdiderunt? Certè laborandum mihi fuit in eruendis è puluere ac ſordibus, & in vnum colligendis, ex infinitis aliud agentium chartis, quæ affero. E tabulariis Caroli Iacobi Leberonij penè omnia deſumpſi. Qualiacunque ſunt, tanta firmitate conſtare inueni, vt quibus temporibus geſta ſunt, iis conſcripta fuerint manu publica ferè omnia, & ſummorum Virorum ſigillis munita. Atque tam vera fide refero, vt nihil reponam non meis luſtratum oculis, meáque manu diligenter verſatum. Sed in Tabulariis illius Epiſcopi non omnia habentur: deſiderantur nonnulla, quæ in aliorum Bibliothecis latere non dubito. Sicuti enim Chartis, quas innumeras volutaui, multa pro temporum, officij, negotiorum varietate ſunt immixta aliena; ita extraneis puto aliqua noſtrorum Epiſcoporum inſita. Alia omninò amant ad alia adhareſcere, imo ad diuerſa & pugnantia quoque, non in rerum modò corporearum, mundíque adeò ipſius ſerie; ſed in omni etiam Hiſtoriarum genere. Hiſpanus in Galliarum monumentis legit Luſitanorum Regum origines, & prima Maurorum in Celtiberis excidia; Anglus natales ſuorum regum; Italus perfugia Summorum Pontificum; Siculus, Hungarus, Syrus, Sarmata Principes ſuos. Et nos viciſſim miramur in antiquis Romanorum, & Græcorum Annalibus, Maiores noſtros iam tum olim, etſi in media barbarie natos & educatos, tantùm non cepiſſe Romam, & ſuum nomen dediſſe Galatis. Hiant alicubi, neque ſibi aptè cohærent Epiſcoporum tempora præcedentium cum ſequentibus: aliqui de Valentinis circunferuntur incerti, plures Dienſium omninò exciderunt. Tu, mi Lector, ſi potes hos excitare, illos aſſerere, omnes alios aliis ex vero admouere, facies, vt quæ non ingrata tibi fortaſsis erit de Valentinis, & Dienſibus Epiſcopis mea Tractatio, ſit etiam integra, ſuíque ſucci, & ſui roboris per omnes artus plena.

DE

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM VALENTINORVM

LIBER PRIMVS.

VALENTIA, prænomine Iulia; Πάρα Græcis, magnum apud omnes hiſtoricos nomen; Segalaunorum ciuitas, colonia Romanorum; amœna ſitu, irrigua fontibus, ſtudiis legum humanarum nobilis, potens arce, Rhodano flumini poſt Iſaræ amnis confluentem impoſita eſt. A quo fidem Chriſtianam acceperit non facile dixerim. Sanjulianus in Antiquitatibus Matiſconis paginâ 269. ex antiquiſſimo Lugdunenſium ad S. Irenæi canonicorum de charta pergamena libro, recitat beatum Paulum, cùm tenderet in Hiſpaniam Lugduno deſcendiſſe Valentiam, *& in ea reliquiſſe Rufum filium Simonis Cyrenæi.* Vtcunque habeant cetera illius libri, neque enim ea ſingula placet excutere, hoc de Rufo magnam habet ſimilitudinem veri. Ado ante annos octingentos ſcripſit ſequentia in Chronico. *Creditur Paulus ad Hiſpanias peruenisſe, & Arelate Trophimum, Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.* Iam cur negabis, cùm iret Arelatem Viennâ, exſcendiſſe Valentiæ, vt conſueuerunt nauicularij; & ſerendæ fidei Chriſtianæ diſcipulum in florentiſſima &, vti Proſper anno 19. Arcadij & Honorij loquitur, *nobiliſſimâ Galliarum ciuitate reliquiſſe*, ſicuti Creſcentem reliquerat Viennæ, & cogitabat Trophimum Arelate relinquere? Iſta ſi non negaueris, propè eſt vt fatearis Rufum Simonis Cyrenæi filium eſſe, quem ei doctorem impoſuit, qui ſcilicet poſt aliquot annos Auenionem (primo illa gloriatur antiſtite) profectus fuerit relictâ Valentiâ, quemadmodum Creſcens relictâ ex eodem Adone Viennâ rediit in Galatiam. Neque nihil ad hoc facit, quòd Irenæus libro 1. cap. 9. autor eſt fuiſſe Chriſtianos in regionibus ad Rhodanum non longè à Lugduno poſitis ante Marcum Valentini Gnoſticorum principis diſcipulum, ac proinde ſub tempora S. Rufi. Nam cur in illarum vna non reponemus Valentiam, & ſcriptori illius antiquiſſimæ apud Sanjullianum chartæ negabimus eam à S. Rufo edoctam fuiſſe? verùm iſtud quiſque, vt viſum fuerit, æſtimet, certè ipſe idem Irenæus Polycarpi quem Ioannes Apoſtolus erudierat diſcipulus, Lugduno Valentiam miſit Felicem, Fortunatum, & Achilleum, qui fidem Chriſtianam ciues edocerent vt mirari non debeas quæcunque à Caluiniſtis per ſeditionem & turbas (bella quippe non dixerim contra Deum geſta & regem) procellæ fuerint

excitatæ, ruentibus in hæreſim vicinis populis, Valentinos ſtetiſſe immotos in Chriſti fide: Irenæi diſcipulos audiuerunt, & per eos à ſanctiſſimo viro odium hæreticorum hauſerunt. Chenutius aſſeruit fuiſſe Valentinos epiſcopos aduerſus Bedam, Vſuardum, & omnes alios ante ipſum ſcriptores. Eodem anno, eadem die in carcerem miſſi, & poſt vincula perempti, quomodo alius ab alio epiſcopatum gerere potuerunt? Ado in Martyrologio tradit Felicem fuiſſe preſbyterum, & Fortunatum atque Achilleum diaconos, additque ſequentia, *qui à beato Irenæo Lugdunenſi epiſcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei miſſi, cùm maximam partem ſupradictæ vrbis ad fidem Chriſti conuertiſſent, à Duce Cornelio in carcerem truſi: dein duriſſima neruorum flagellatione diutiſſimè verberati: poſt etiam reuinctis poſt terga manibus, cruribuſque contractis, circa rotarum vertiginem adſtricti, fumi quoque amaritudine ſuppoſitâ, die ac nocte continuatâ equulei extenſione ſuſpenſi, ad*
3 *extremum gladio conſummati ſunt.* Feruntur humata cæſorum corpora, vbi poſtea fuit Prioratus ſancti Felicis, vnde Remegarius epiſcopus tranſtulerit in templum olim Cornelio & Cypriano, nunc Apollinari epiſcopo dicatum. Eſt princeps vrbis eccleſia; habet collegium nouen canonicorum ſupra Decanum, Præpoſitum, Abbatem S. Felicis, Archidiaconum, Theologum. Adjunctam regit parœciam S. Stephani; & ante centum annos, quam à figurâ vocabant Rotundam, ædem Virgini ſacram, habebat in propinquo. Euerterunt hæretici. Eccleſia S. Ioannis vetuſtiſſimo epiſcoporum Concilio nobilis, à canonicorum, quod memorani, collegio accipit curiones duos. Erat etiam olim in ciuitate parœcia S. Martini: nomen à Caluinianis euerſæ hæret nunc quoque in aliquot vrbis regionibus. Hæ ſunt quatuor Valentinorum parœciæ, niſi quòd Rotundæ & Martinianæ onus, ex quo deſierunt, incubuit in Sacerdotes S. Stephani. Ad illas quondam accedebat extra vrbem ad Turdeonis portã quinta. A S. Vincentio nomen acceperat Euer-
4 tere Caluiniani. Cùm ſtaret, habebant Hoſpitalarij. Burgum, vt loquuntur, Valentiæ impoſitum eſt Rhodano ad Septentrionem vrbis. In eo præterea viſitur ædes Petro ſacra, canonicorum collegio nobilis, quibus trans fluuium eccleſiæ Marcelli, Bartolomæi, & Apollinaris ſubjacent. Reſtituerunt ſuper ruderibus Catharinææ parœciæ cum ipſa ab hæreticis dejectæ Ad ejuſdem vrbis meridiem ſtabat olim ad Rhodanum abbatia S. Rufi. Antiquiſſimam & ſanctiſſimam domum ſuſque deque verterunt Hugonotti. Erecta fuerat poſt annum milleſimum centeſimum quinquageſimum octauum, quo Raimundus abbas ei conſtruendæ coëmit aream ab Odone epiſcopo. Poſt ejus excidium abbas in vrbem deportauit ſuos canonicos, cum omnibus, vt appellant, Officiis, Sacriſta, Priore clauſtrali, Eleemoſynario, Camerario, Correario, Infirmario, Operario, Præceptore, Subſacriſta, Priore collegij ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Sedet in vrbanâ domo prioratus S. Iacobi. Ad colligendos peregrinos conſtructa fuerat. Ante Caluiniſmum, ciuitas habuit quoque extra muros, prioratum S. Felicis ex eodem S. Rufi canonicorum ordine: habet verò noſtris quoque temporibus, Dominicanos, Franciſcanos conuentuales, Minimos, Capucinos, Recollectos; & de ſacris Virginibus, illas quæ, ſeu à Viſitatione B. Mariæ, ſeu à S. Vrſulâ ſibi nomen fecerunt. Petrus Andreas Leberonius antiquæ pietatis antiſtes, deduxit in vrbem mo-
5 niales, Benedictinas quidem Subdione, Bernardinas autem Vereeſone. Sed

vt

Digitized by Google

vt ad felicem presbyterum, Fortunatum & Achilleum diaconos aliquando redeam, veneritne Valentiam cum illis episcopus, non inuenio. Certè cùm *maximam partem* florentissimæ *vrbis ad fidem Christi conuerterint*, omnino asseramus oportet, si non venerunt subsidio episcopi post Rufum, Rufique successores, laborantis, non multo post ipsorum mortem tempore Valentiam episcopum venisse qui recomponeret Ecclesiam, furore Cornelij Ducis turbatam. Quicunque is fuerit, & post ipsum alij, Æmilianus tum sedebat Valentiæ, cùm Eusebius Vercellensem gerebat episcopatum; hujus enim mandato Marcellinus Æmilianum ad sui in episcopũ Ebredunensem vnctionem adhibuit, vt tradit qui de ejus vita scripsit. Saussaius in episcopis Aurelianensibus paginâ 70. docet Nicetium qui anno 374. interfuit Concilio Valentino, fuisse Valentinum antistitem. Chorerius 7. historiæ Delphinatus sectione 7. Æmilianum vocat, qui ei Valentinus interfuit. Maximus anno 419. gerebat episcopatum Valentiæ, & cùm accusatus fuisset manichæismi à suis clericis, Bonifacius Pontifex noluit causam cognosci ab episcopis septem prouinciarum, vt habetur in illius epistolâ 2. Putabam absolutum in amplissimo Concilio: tanti enim Præsulis damnatio reliquisset alioqui fœda vestigia in scriptoris alicujus volumine impressa. Septem illæ Prouinciæ sunt Viennensis, Aquitania prima & secunda, Nouempopulania, Narbonensis prima & secunda, Alpes Maritimæ.

Æmilianus.

Nicetius.

Maximus.

Post Maximum annis incertis beatus Apollinaris vniuersâ Gallia celeberrimus sedit Valentiæ. Hic vir Isicio primùm Senatore, postea Viennensi Archiepiscopo, ex Audentia conjuge natus, fratrem habuit sanctum Auitum Viennensem quoque Archiepiscopum & Fuscinam sororem, ad quam Auitus frater ita de laude castitatis scribens cecinit.

S. Apollinaris.

Edidit vt quartam genitrix Audentia prolem,
Téque dedit generi partu fœcunda supremo,
Confestim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus castum seruare cubile,
Constituit votis carorum cura parentum.

Post multa addidit, cùm Fuscina soror virginitatem Deo vouisset, se & Apollinarem fratrem, illius ad exemplum sæculo renuntiasse.

Iunior ortu,
Religione prior viuendi jura dicasti.
Conuersio fratrum
Exemplo debenda pio.

Fratribus deinde Isicium patrem addidit, & ipsorum trium insulas episcopales memorauit:

Te meruit primam cognatio tota patronam,
Iam te signiferam sequimur.
Pontificem sacris assumptum respice patrem.
Suscipe quos humiles patrum ad consortia fratres,
Officio similes nectens Ecclesia junxit.

Apollinaris anno quadringentesimo nonagesimo tertio postulatus est à Valentinis in Episcopum. Subdione quippe, quam ex hæreditate paterna dominus tenebat, cùm degeret, monachumque ageret, atque suas opes vel profunderet in pauperes, vel construendo sacras ædes refunderet Deo, veneratione 7

rationi omnibus erat; & præſule mortuo viſus eſt, non ſine volente Deo, propoſitus illis proximè vrbem, qui legeretur in epiſcopum. Domi ſuæ templum erexerat Geruaſio & Protaſio martyribus; atque vt ſecuturis Præſulibus daret exemplum amplificandæ Eccleſiæ, Subdionem illi epiſcopatum iniens dedit. Ea per plurimos annos fuit in Antiſtitis ditione, cùm autem aliquando ad moniales peruenisſet, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto rediit ad epiſcopum. Anno quingenteſimo nono, interfuit Concilio Epaunenſi. Infracti antiſtes animi, regem quoque cùm de diuinis legibus agebatur, non dubitauit offendere. Stephanus vir opibus potens, regnóque neceſſarius, duxerat ſororem conjugis mortuæ, & Apollinaris autor fuit epiſcopis in Synodum coactis arcendi hominem ſacris; neque imperato exilio potuit à ſententiâ dimoueri. Longè à ſuis ouibus deportabatur, & febris regem inuaſit. Iram Dei vindicis interpretata regina, cucullam epiſcopi Valentini ægro impoſuit: fugatus eſt morbus; reuocatus eſt exul. Aliis etiam prodigiis, ipſiſque innumeris, ſanctitatem viri teſtatus eſt Deus. Sitienti per immodicos æſtus, fons erupit juxta Lugdunum. Et plures curauit ægros, & ex Aliphij corpore dæmonem pepulit. Denique ſic locutus eſt Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus Ludouico Pio Imperatori, trecentis poſt ipſum annis. *S. Apollinaris Eccleſiæ Valentinæ, quantus fuerit & ſit, non ſolùm geſta de eo, ſed & crebra ejus miracula vſque hodie ſublimiter teſtantur.* Poſt Agobardum Ado Archiepiſcopus Viennenſis ſequentia ſcripſit in chronico. *Auitus quoque Viennenſis epiſcopus, eloquentia & ſanctitate præcipuus, & ejus frater Apollinaris Valentiæ epiſcopus, miraculis inſignis, Iſicij primùm Senatoris, tum Viennenſis epiſcopi, duo lumina, clariſſimi filij.*

8 Poſt S. Appollinarem Chenutius ordine ponit Æmilianum, Saluium, Antonium; eos Robertus poſt Ingildum conſtituit: neuter habet antiquum ſententiæ ſuæ autorem. In muſæo Salignonis olim Sacriſtæ Dienſis, inuentus eſt catalogus Valentinorum antiſtitum, ab innominato ſcriptore concinnatus. Quia non omnino ineptè conditus eſt, nonnulláque habet ceteris autoribus ignota, eum ego teſtem aliquando afferam rerum propoſitarum, & quidem ſub nomine Salignonis quando ipſe vnus, quod ſciam, illum habuit. Saligno igitur longè alia à Chenutio & Roberto affert. *Beato Apollinari ſucceſſit Maximus ſanctitate ac virtutibus pollens. Inde Æmilianus vir ſanctiſſimus. Poſt hunc Saluius nimiæ ſanctitatis epiſcopus, quem ſecuti ſunt Antonius, Antoninus, Gallus, Rainaldus, & Elephas.* Ego autem in Conciliis Galliæ, poſt Apollinaris mortem habitis ante annum ſexcenteſimum, lego Gallum, Maximum, Ragnoaldum epiſcopos Valentiæ, ceteros ſeu à Salignone, ſeu ab alio allatos, nullis in libris, ſeu typo, ſeu manu ſcriptis, lego. Sunt ergo mihi certa quæ ſequuntur, pono alia omnia in incertis. Gallus anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, interfuit Concilio Aurelianenſi quinto: Maximus (ſecundum appellabimus, vtpote poſteriorem illo, quem vidimus anno quadringenteſimo nono) ſubſcripſit Lugdunenſi primo per Aſtemium diaconum, anno quingenteſimo ſeptuageſimo: Ragnoaldus ſedit anno octogeſimo ſecundo in Matiſconenſi primo, octogeſimo ſeptimo in Lugdunenſi ſecundo, octogeſimo octauo in Matiſconenſi ſecundo, octogeſimo nono in Valentino ſecundo.

Gallus.

Maximus 2.

Ragnoaldus.

Ab anno ſexcenteſimo vſque ad ſeptingenteſimum tres tantùm inuenio

uenio epiſcopos, Agilulfum, Ingildum, & Bobonem. Agilulphus, nonnullis Aigulphus, ſedebat Valentiæ anno quarto Clodouei ſecundi Francorum regis, autore Aimoino libro 4. hiſtoriæ Francorum capite 40. cùm enim adhæreret Vvilelbaldo Vltrajuranæ Burgundiæ patritio & is cum Flaucato, quem Nantildis regina præfecerat palatio Burgundię, contenderet, ait Auguſtodunum perrexiſſe, *vt quæ in regiâ aulâ agerentur cognoſceret, atque ad Willebaldum referret.* Idem Aimoinus ſequenti capite ſcripſit ſequentia. Clodoueus anno regni quarto & decimo *argentum quo genitor ſuus abſidem ſupra ſepulcra martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij prominentem operuerat, auferri mandauit, & Aigulpho loci illius abbati tradi, vt ipſe illud egenis & neceſſitatem patientibus (quia fames eo tempore totam pene occupauerat Franciam) diſpartiretur.* Annus Clodouei decimus quartus eſt Chriſti nonus & quinquageſimus: ſi Aigulphus hic abbas Sancti Dionyſij eſt idem cum Agilulfo Valentiæ epiſcopo, aſſeramus oportet illum eo anno ſediſſe Valentiæ. Hoc ego ſecutus ſum in editione ſecunda iſtius libri, nunc aduerto Aigulfum ab Aimoino dici abbatem, & non multis ante lineis agentem de epiſcopo Valentiæ appellaſſe Agilulphum, eô igitur inclinat animus, vt abbatem diuerſum ab epiſcopo fuiſſe putem. Vtcunque hoc habeat, Ingildus epiſcopus Valentiæ ſedit in Concilio Cabilonenſi, cujus annus incertus eſt. Sunt qui velint habitum circa quinquageſimum à ſexenteſimo, alij octauo & quinquageſimo poſt ſexenteſimum, ego in prioribus iſtius libri editionibus illos ſecutus ſum qui ad ſexenteſimum ſexageſimum ſecundum referunt, Bobo poſt ſeptuageſimum hujus ſæculi fuit epiſcopus & à ſede ſuâ dejectus eſt poſt annum ſextum & ſeptuageſimum. Homo malæ fidei, ac militaris ingenij, & alia grauiter peccauit, & Ebroino ad omne ſcelus projecto ſeſe adjunxit, & Sanctum Leodegarium Auguſtodunenſem epiſcopum vehementer inſecutus eſt, afflixitque. Hic in vita ſancti Leodegarij Auguſtodunenſis epiſcopis dicitur occupaſſe Valentiam, vt ſui juris. Sequuntur Saluius ſecundus, Lambertus, Bonitus, apud Scriptores nouitios de epiſcopis Valentinis. Eos ego apud antiquos non inuenio, ſi Bonitum excipias. Hic interfuit Concilio Narbonenſi anno ſeptingenteſimo octogeſimo octauo, ex actis ipſius Concilij, quæ recitat Baluſius ad caput vigeſimum quintum libri ſexti, de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, autore Petro de Marca Archiepiſcopo Pariſienſi. Lupicinum ego in editione ſecunda libri iſtius ſubjunxi Bonito, & de eo hæc addidi: *ſubſcripſit indicto Caroli Magni, ſuper Sanctorum reliquiis Aquiſgrani repoſitis ab imperatore, cum Felice preſbytero & Fortunato diacono, ex Doubleto in Antiquitatibus Sandionyſianis*; Sed è quo ea acceperim non inuenio. Ex aliquo habuiſſe me non dubito, ſed quis ille fuerit nunquam occurrit diligenter & occuratè quæritanti. Certè Doubletus ipſe in Antiquitatibus Sandionyſianis ipſa non ſcripſit.

9 *Agilulphus.*

Ingildus.

Bobo.

10 *Bonitus.*

Placet hîc afferre Salignonem. *Vvaldus familiaris fuit Carolo Magno imperatori, manifeſtans ei primordia religionis Chriſtianæ in vrbe & diœceſi Valentiæ. Quapropter religioſus imperator inter cetera dona dedit ei in epiſcopatu Regenſi eccleſiam vnam cum appenditiis ſuis, in qua beati confeſſores Maximus Regenſis epiſcopus & Apollinaris conuenire ſolebant de rebus diuinis tractaturi. Eo tempore legati prædicti imperatoris diuinâ prouidentiâ oſſa*

11

Beati Cypriani epiſcopi Carthaginenſi & martyris ab Africa ſecum detulerunt vſque ad vrbem Arelatenſium, quæ à præfato imperatore Laidrado Archiepiſcopo Lugdunenſi data fuerunt in cuſtodiam, quoadvſque reliquias beati Cornelij Romani Pontificis & martyris coadunaſſet, & templum SS. martyribus condignum ædificaſſet. Cúmque in hoc ſancto propoſito intenderet, Aquiſgrani in Domino obdormiuit: cujus piam voluntatem ſequentes epiſcopi Siluius & Lambertus executioni mandare curauerunt. Hæc Saligno. Vvaldum Bonito ſubjungit. Vt cetera veritatem habeant, certè quod de Sanctis Maximo & Apollinari falſum eſt, niſi dicamus hunc in adoleſcentia, aut juuentute poſitum, acceſſiſſe ad illum jam ætate grauem, vt ab eo virtutis omne genus ediſceret, cujus nomine, ex monaſterij Lerinenſis præfectura collecto, clariſſimus erat totâ Galliâ.

12 *Druſtanus.* Ægidius Lacarry Societatis noſtræ anno 1665. die 30. menſis Auguſti ad me ſcripſit ſequentia. *Druſtanus fuit epiſcopus Valentiæ.* Poſtea multis aſſerit fuiſſe etiam abbatem ſancti Theofredi annis octingenteſimo trigeſimo nono, & octingenteſimo quadrageſimo nono, ante epiſcopatum: ſed non affert annum, quo ex abbate euaſit in epiſcopum, neque tempus quod in epiſcopatu poſuit. Cùm tamen addat Galterum, qui abbas erat anno 863. ei ſucceſſiſſe in monaſterij præfectura, intelligis epiſcopatum adiiſſe ante illum annum: ſed abs dubio illum addit ante quinquageſimum octauum; Ratherus enim apud Claudium Perry in hiſtoria Cabilonis legitur ſediſſe Valentiæ anno decimo octauo Caroli Calui, qui fuit Chriſti octauus & quinquageſimus ſupra octingenteſimum. Charta eſt in illius hiſtorię probationibus pag. 31. quâ Ionas Æduenſis epiſcopus dat canonicis ſuæ eccleſiæ Simponiacum villam. Scripta eſt illa in epiſcoporum Synodo, & his verbis concluditur. *Teſtes adfuerunt infraſcripti, quos Synodalis celebritas conuocarat. Remigius Gratianopolitanus &c. Remigius Dienſis, Ratherus Valentinenſis.* *Rathe-rus.*

13 *Rather-tus.* Rathero ſucceſſit Ratbertus, Raſpertum etiam & Robertum vocant. Fortaſſis erit qui neget ei ſucceſſiſſe, ac eundem faciat cum Rathero. Donec aliquid occurrat quo euincatur non eſſe ab illo alius, ego quidem exiſtimo diuerſũ ab eo eſſe. Ratbertus ego fuit anno octingenteſimo quinquageſimo nono in Concilio Tullenſi, & ſequente, atque in Pontigonenſi octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, & in Mantalenſi octingenteſimo ſeptuageſimo nono. Vir ſanguine ſummus ac virtute, anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Cariloci conſtituit abbatiam, probante Concilio Pontigonenſi, & in ea Gauſmarum abbatem. Nunc eſt prioratus Ordinis Cluniacenſis. Charta quâ ipſum Eudrado (Eduardum nonnulli vocant) cum fratre jam mortuo ſe erigere ait, recitatur verbatim à Seuertio in Aureliano epiſcopo Lugdunenſi, qui Concilio præfuit pag. 186 Patre Boſone, ſeu Boue. Ac Buuino Ardennarum Comite natus, Boſonem Mantalæ anno 879. electum in regem habuit fratrem. Et Thietbergam Caroli Calui vxorem ſororem. Hic ipſe Ratbertus anno 875. confirmat bona & jura monaſterij Trenorchienſis, in S. Marcelli Cabilonenſis, cum aliis epiſcopis, teſte Chiffletio in probationibus hiſtoriæ Trenorchienſis pag. 217.

14 *Iſaac.* Iſaac anno octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, interfuit Concilio Cabilonenſi, & poſt nonageſimum ſecundum Viennenſi. Fertur Eilardus eum præceſſiſſe, & poſt ipſum ſediſſe Aimarus, Ado, Brocardus, Archimbertus,

Digitized by Google

bertus, siue Archimbaldus, Agildus seu Ainus, Robertus, Isaac secundus; Saligno istis addit Nicolaum secundum. Sed nullum ego istorum episcoporum lego, seu in antiquioribus chartis, seu in libris qui peruenerunt ad meas manus.

Remegarius accepit à Ludouico quarto Imperatore Saxiacum, Adgentiolum, & Saonem ex charta sincera ab ipso Ludouico subscripta sine anno & die; quæ habetur in episcopio Valentino. Ludouicus autem cepit imperare anno nongentesimo, & quadriennio pòst oculis & imperio priuatus est à Berengario Forojulij Duce. Pius Imperator ait se pro animabus Bosonis & Hermingardis parentum dare ea castra Sancto Cypriano martyri & S. Apollinari confessori, quibus scilicet princeps ecclesia Valentiæ sacra erat illis temporibus Charta sic habet. 15 *Remegarius.*

In nomine Domini æterni & Saluatoris nostri Iesu Christi. Hludouicus diuinæ ordinatione prouidentiæ Imperator Augustus. Sacris locis emolumentum nostræ imperialis celsitudinis exhibemus, profuturum nobis id ad præsentem vitam facilius transeundam, & ad æternam facilius obtinendam confidimus. Grande comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quam quidem nos pro remedio animæ genitoris nostri Bosonis, ac piissimæ genitricis nostræ Hermingardis, atque ad deprecationem inclyti Ducis, ac Marchionis nostri Hugonis, videlicet propinqui nostri, comperimus Deo, & Sancto Cypriano glorioſissimo martyre, ac Sancto Apollinare eximio Confessore, atque Pontifice Valentinensis Ecclesiæ, vbi Remengarius reuerendus noster, atque fidelis Præsul esse dignoscitur, res sitas in Comitatu Deensi, villam scilicet quæ vocatur Saxiacum, cum castro desuper similiter nominato, cum Adgentiolo, atque Saone. Hæc itaque omnia cum ecclesiis, vnâ in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ dicata; aliâ in honore sancti Ioannis; tertiâ quoque in honore sancti Tiertij martyris, cum familiâ vtriusque sexus, cum vineis, pratis, syluis, pascuis, molendinis, aquis, aquarúmque decursibus, & cum omnibus ad prædictam villam, Saxiacum videlicet, pertinentibus, totum Deo, sanctisque jam dictis donamus: vt faciat exinde Remegarius Præsul, suique successores ab hodie & deinceps, sicut ex aliis rebus à piissimis Regibus & Imperatoribus inibi (ideſt abs dubio in Comitatu Deensi seu Diensi) collatis. Vt autem hæc nostra largitio, nostris futurisque temporibus, inuiolabilem in Christi nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter firmauimus, & de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludouici serenissimi Imperatoris Augusti.

Non hic est ille Remegarius, sed secundus, qui anno nongentesimo duodecimo recepit ab ipso Hugone qui postea fuit rex, Villanouam, quam à Carolo Magno concessam, & à Bosone ac Hermengarde regibus confirmatam eripuerat Ecclesiæ Valentinæ, vt ex ipsa restitutionis ab Hugone factæ charta docet Chorerius libro decimo historiæ Delphinatus sectione 13. 16

Aimo fuit Archicancellarius Conradi Pacifici, interest donationi, aut potiùs restitutioni quorundam prædiorum Viennensi monasterio sancti Petri à Ratburno Conradi genero & Vicecomite Viennæ, vt autor est Chorerius libro citato sectione 18. ex ipsa restitutionis charta scripta anno 975. 17 *Aimo.*

Guido. Guido Valentinus episcopus, & præpositus Anicienſis anno nongenteſimo nonageſimo tertio interfuit fundationi eccleſiæ S. Petri Monaſterienſis in vrbe Anicienſi à Guidone Anicienſi Epiſcopo, vt legitur in Bibliotheca M S. Philippi Labbé tom. 2.

18 Humbertos duos lego apud Guichenonum in hiſtoria Sabaudiæ pag. 159. *Hũbertus.* Guigonis ſecundi Comitis Albonenſis fratrem alterum, alterum filium. Hic anno 991. dicitur interfuiſſe donationi Vizilæ &c. Cluniacenſibus ab Humberto patruo epiſcopo Gratianopolitano: ille anno 27. interfuiſſe conſenſui Summi Pontificis in donationem prædiorum ruſticorum Campiſauti à Guigone auo iiſdem. Chorerius libro 1. hiſtoriæ Delphinatus libro 11. paginâ 795. poſt Ducheſnium libro 4. hiſtoriæ Burgundionum cap. 54. memorat Humbertum epiſcopum Valentiæ & ait ipſum anno 1025. interfuiſſe conceſſioni prioratus Burgeti Cluniacenſibus ab Amedeo Comite Maurianenſi, addit fuiſſe nepotem Humberti epiſcopi Gratianopolitani ex Guigone II. Albonenſi Comite fratre. Scio Chorerium nihil ſcripſiſſe de Gratianopolitanis epiſcopis, quod ex veris chartis non acceperit, in eam igitur venio ſententiam vt Humbertus Guigonis illius ſecundi filius ſederit Valentiæ anno 1025. & qui ſedebat ex Guichenono anno 1127. non fratrem, ſed filium quoque ejuſdem ſecundi fuiſſe. Si quis Humbertus fuit epiſcopus Valentiæ anno 991. putauerim fuiſſe fratrem Humberti epiſcopi Gratianopolitani, non nepotem ex fratre. Certè qui ſedebat Valentiæ Humbertus Guigonis ſecundi filius annis 1025. & 1027. non ſederat anno 991. quandoquidem anno 993. ſedebat Guido vt vidimus, non Humbertus. Adde quòd Lambertus frater Aimari Pictauienſis, qui Valentiæ Comes erat, ſedebat anno 1011. vt Ægidius Lacarry ex S. Theofredi tabulario ad me ſcripſit, eò quippe anno tradidit monachis S. Theofredi eccleſiam S. Victoris ad Valentiæ muros tum poſitam, nunc euerſam, *pridie idus Martij anno* 1011. *regnante Rodulfo*, quemadmodum habetur in chartâ ab eo ſubſcripta. *Lãbertus.*

19 Illo ipſo vndecimo poſt milleſimum Lamberto ſucceſſit Remegarius ſecundus, ſic enim legitur in breuiario Valentino. *Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo vndecimo, defuncto ſanctæ Valentinenſis Eccleſiæ epiſcopo, Remegarius natione Francus in eâdem Eccleſiâ ſubrogatur Epiſcopus.* His verbis ſubjunguntur miracula duo S. Apollinaris quondam epiſcopi. *Hic dum in jam dictam Eccleſiam aduentaret, accidit vt ad oſtium B. Apollinaris puella nomine Richildis jaceret, quæ multis annis contracta jacebat, nec omnino ambulare poterat. Neceſſitate autem Agarenorum inſtante, præfata baſilica, in quâ beatus Pontifex jacebat, plena erat vaſculis, in quibus vinum atque annona recondebatur. Eliminatâ autem omni ſpurcitiâ eccleſiæ à præfato Præſule, ſtatim prædicta puella laudans Deum erecta, & ſic incolumis facta eſt, quaſi nunquam renum ac crurium dolorem ſenſiſſet. Eodem namque tempore puella quædam nomine Ermengardis ex patre Ragebarto malè à dæmonio vexabatur. Hanc eccleſiam intrare ſpiritus malignus nullatenus ſinebat* &c. Curata eſt voto facto; quod cùm frater non impleret, rurſum à dæmone arrepta eſt, ad lectúmque glorioſi Pontificis ductam in catenis ferreis, omnino deſeruit dæmon. *Remegarius.*

20 Remegario ſecundo ſucceſſiſſe videtur Guigo ſiue Vvigo. Robertus enim *Guigo.* illum legit in literis à Benedicto octauo datis anno milleſimo decimoquinto, & attigit annum milleſimum quintum, quo fuit in Anſana Synodo;

&c

& eo ipso anno Guigoni successit Humbertus Guigonis secundi Comitis Albonensis filius, Chorerius enim vt in superioribus domi vidit cum in tabulis anno 1025. scriptis. Erat is Romæ anno 1027. vt etiam suprà ex Guichenono retuli. *Humbertus 2.*

Pontius anno millesimo quadragesimo, interfuit vnctioni basilicæ Sanuictorinæ ad Massilliam per Benedictum vndecimum, eo ipso Pontifice teste, in chartâ quam de ea vnctione edidit. Peruenit ad annum quartum à millesimo quadragesimo ex Roberto. Interfuit Victore secundo Pontifice restitutioni quorumdam prædiorum monasterio S. Petri Viennæ, vt docent tabulæ de ipsa scriptæ: Victor autem pontificatum adiit anno millesimo quinquagesimo quinto, mortuus est 1057. Incerto inter vigesimum septimum & trigesimum secundum à millesimo interfuit fundationi Taluuriarum monasterij (vulgò dicimus Taloire) in Geneuensi comitatu à Rodulpho tertio & Hermengarde Regibus Alemanniæ, Burgundiæ, & Prouinciæ ex Guichenono in historiâ Sabaudiæ paginâ 189. Incertum dico annum, quoniam fundationis tabulæ illum non habent, neque potuit, aut Pontius ante annum vigesimum septimum esse episcopus, quandoquidem illo anno sedebat Humbertus, aut Rodulfus post trigesimum secundum fundare monasterium, qui trigesimo secundo mortuus est. 21 *Pontius.*

Quis Pontio successerit non inuenio. Audio chartam esse in tabulario canonicorum Romanensium in Delphinatu, quæ docet Gontardum fuisse episcopum Valentiæ anno millesimo octogesimo secundo. Legi ego in chartâ episcopij Valentini sedisse Valentiæ, & excepisse domi suæ anno nonagesimo quinto Vrbanum II. euntem ad Concilium Claromontem. Saligno addit vnxisse principem vrbis ecclesiam recenter ædificatam & *martyrum Cornelij ac Cypriani ossa supra majus altare collocasse, vnà cum corporibus martyrum Felicis, Fortunati, & Achillei, ac Apollinaris episcopi.* Liceat mihi vnum hîc adjungere. Gontardi tempore viuebat ille Bernardus Valentiæ natus, qui post Claromontanum Concilium, secutus est in Syriam episcopum Anicien sem. Vir profectò magnus, quo ciue glorietur Valentia: fuit principiò Artasiensis episcopus, postea primus Latinorum Antiochiæ Patriarcha, ex Guilelmo Tyrio libro sexto belli sacri capite vltimo. 22 *Gontardus.*

Eustachius de Anicien si canonico episcopus Valentiæ, sedebat anno millesimo centesimo vndecimo ex Odone Gissey in Virgine Anicien si libro decimo capite decimotertio, & trigesimo quarto ex chartulario Sancti Bernardi Romanensis ac centesimo trigesimo septimo, vt videbimus n. 38. Post illum Eustachius alter occupauit episcopatum, & Ioannes Abbas Bonaualli s prope Viennam eo pulso electus est in episcopum anno millesimo centesimo octauo; vt tradit Manriquez tomo 1. annalium Cisterciensium. Non placuit, Eustachio præmittere Henricum qui in libro rituali Ecclesiæ Viuarien sis dicitur Valentinus episcopus anno 1107. ministrasse Paschali secundo, vngenti principem ecclesiam Viuarij cum Ioanne Viuarien si & Petro Dien si episcopis. Scriptor hujus libri errat in episcopis Viuarien si & Dien si; illo enim anno sedebat Viuarij Leodegarius, & S. Ismido Diæ: fortassis etiam errauisse putandus est, in episcopo Valentino. Certè nemo negabit fidem in episcopi Valentini nomine non meren. 23 *Eustachius.*

S. Ioannes ex primo Bonæuallis prope Viennam abbate electus est in epi- 24 *S. Ioan.*

ſcopum Valentinum. Habet hic vir magnum nomen apud monachos Ciſtercienſes, quorum inſtituta ſecutus eſt à prima iuuentute. Gaufridus S. Bernardi diſcipulus, & Ioannis ſocius, ſcribit de viro in ſuis ad Apocalypſim commentariis. *Cùm prima*, inquit, *noſtri Ordinis Ciſtercienſis jacerentur fundamenta, erat in eccleſia Lugdunenſi quidam clericus honeſtus & honorabilis Ioannes, qui rumore celebri noſtri Ordinis compunctus, tacitus ſecum propoſuit in noſtro ſe collegio ſociandum. Quod propoſitum poſt paucos dies, ſubeunte aliâ cogitatione mutauit, & pro recompenſatione talis propoſiti peregrinationem S. Iacobi aggreſſus eſt: quâ deuotè completâ rediens, à domeſticis gratulabundè ſuſceptus eſt, & fatigatus ex itinere in cubiculum ſe recepit; quieſcentique mox affuit in viſo Deus Ieſus Chriſtus, cum duobus Apoſtolis, beatis Petro & Iacobo, quorum Petrus in manu librum tenebat, quem præcepit Dominus aperiri. Erat autem ſcriptus aureis literis, continens nomina prædeſtinatorum. Iuſſus ergo Apoſtolus cepit legere: & cùm ibi legeret nomen Ioannis illius; Tolle, ait Dominus, tolle, dele eum, dele, quia meum ſe futurum promiſerat, & reſiliit à promiſſo. Accedens autem propiùs beatus Iacobus, & obſecrans, dicebat: Nomine, meus eſt peregrinus; ne deleas, obſecro, nomen ejus. Cui Dominus; Meus, inquit, non peregrinus, ſed ciuis eſſe debuerat. Nonne melius eſt ciuem eſſe meum, quàm tuum peregrinum? Apoſtolus autem Iacobus perſiſtens in ſupplicatione, ne deleas, inquit, Domine piiſſime, ne deleas eum, obſecro; ego tibi pro eo fidejubeo; faciet, quod propoſuerat. Et Dominus ad eum: Quando faciet? Apoſtolus autem: Infra quindecim dies. Excitatus ad hæc verba Ioannes ſolo proſternitur, & fidejuſſori ſuo cum vberrima lacrymarum effuſione gratias egit dicens, Faciam proſus Apoſtole, faciam quod tam miſericorditer pro me pollicitus es. Non multò poſt fletum magnum, iterum obdormiuit: iterumque Dominus cum duobus Apoſtolis prædictis affuit, juſſitque iterum librum aperiri, in quo audiuit idem Ioannes ſanctum Petrum legentem, Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Mox Ioannes ſurgens, & præfixum diem præueniens, adimpleuit votum. Hic fuit primus abbas Bonæuallis, & poſt Eccleſiæ Valentinæ, antiſtes, cujus vita & mors multis meritis & miraculis claruit.* Hactenus Gaufredus. S. Ioannes fuit Abbas Bonævallis ab anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, ad octauum & trigeſimum illius ſæculi: fuit epiſcopus Valentiæ à trigeſimo octauo ad quadrageſimum quintum, quo mortuus eſt, quia verò mortuus eſt eſt die prima, & vigeſima menſis Martij, & Conradus ſecundus confirmauit jura Eccleſiæ Viennenſis ante diem quintum, & vigeſimum menſis illius, Boucheus tomo 1. hiſtoriæ Prouinciæ libro ſeptimo, paginâ 820. dicit mortuum anno quadrageſimo ſexto poſt milleſimum centeſimum. Scilicet annus tempore ſancti Ioannis epiſcopi incipiebat à die vigeſimâ quintâ Martij, qui nunc incipit à die primâ Ianuarij. In Bonavalle hoc vtiliſſimum Eccleſiæ fecit abbas, quòd Petrum Ciſtercienſibus ſuis adjunxit, & poſtea anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo dedit abbatem Stamedio quod erigebat, qui ad Tarentaſienſes inſulas euectus, grauiſſimas ex Iſdraëlis Pſeudoëpiſcopi fraude víque, totâ regione turbas compoſuit. Dicunt jam epiſcopum multa paſſum Valentiæ; multa egiſſe; pulſatum etiam fuiſſe pro pietate. Manriques tomo 1. annalium Ciſtercienſium paginâ 73. non pauca refert ex libro de ejus vita, quem ſcripſit Anonymus coætaneus & habetur Bonavalle: & tomo 2. paginâ 14. *Hujus epiſcopi vitam ſanctiſſimam miracula crebra teſtantur, quæ per ipſum & cum ipſo ad tumulum ejus*

omnipo

omnipotens operatur. Inquit scriptor vitæ S. Amedei apud Manriquem tom. 2. annalium Cistercienſium pag. 76. Anno quarto & quadrageſimo ſæculi conuênit cum Siluione Clariacenſi, agentibus Stephano Viennenſi & Hugone Dienſi Præſulibus. Alexiacum, de quo lis erat, ei ſtetit. Nobiliſſimæ Clariacenſium gentis arma habes in alterius Siluionis ſigillo addito ad tabulas anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo ſcriptas. Equum gerebat, & ab vtráque ſcuti parte extra ipſum clauem erectam.

S. Ioanne epiſcopo mortuus eſt Guigo de Caſtro, ſiue vt alij volũt, de Pinu, quintus Cartuſiæ Prior, *quinquageſimum agens annum*, vt loquitur Sutor lib. 2. de vita Cartuſiana cap. 5. *conuerſionis verò triceſimum, prioratus ſui viceſimum ſeptimum vel circiter, non ſine ſanctitatis opinione, anno Domini triceſimo ſeptimo ſuprà milleſimum centeſimum, ab inchoatione verò Ordinis quinquageſimo quarto.* Hic vir natus Valentiæ à me prætermitti non debuit. Scripſit vitam ſancti Hugonis epiſcopi Gratianopolatani; meditationes de ſacris rebus, apud Petrum Cluniacenſem epiſtolas, libros de contemplatione, de laude vitæ ſolitariæ, de quatuor gradibus ſpiritualibus, de veritate & pace. Sed audi Dorlandum in Chronico Cartuſ. libro 4. cap. 3. *Guido clarus quidem fuit genere, clarus ingenio, eloquio, ſed longè clariore ſcientiâ & ſanctitate. Hujus memoria tenax, ſermo dulcis, efficax adhortatio erat. Sub hoc patre domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Siluæ benedictæ, Majoreui, Arueriæ, Montis Dei ortum & progreſſum ſumpſere conſpicuum. Hic poſt magnum in temporalibus fructum, libris perquirendis, deſcribendis, emendandiſque operam multam adhibuit. Hic beatiſſimi Hieronymi epiſtolas, ſcriptorum vitio corruptas, ad primam veritatis lineam reuocauit.* Audi quoque autorem vitæ beati Antelmi epiſcopi Bellicenſis capite 5. *Guido hanc obtinet prærogatiuam, vt bonus prior vocetur ab illis qui de eo loquuntur. Is Cartuſienſi inſtituto modum, certoſque limites ſtatuit: regulam enim ipſe conſcripſit, quam conſuetudines voluit appellari.* 26

Orilbertus ſedebat anno decimo Conradi regis, vt habent ſinceræ tabulæ epiſcopij Valentini, quibus octauo Maij dedit rerum ignotarum mihi præſtariam Giborno de Auriolo, *viro*, ſicuti loquitur, *inclyto*, & facultatem ædificandi caſtrum in pago Valentino. Pagus illis temporibus fere ſemper pro epiſcopatu ſcribebatur. Tamen cùm aliquando tribuatur vrbi, etiam in qua non ſedebat epiſcopus; exiſtimo nunquam non ſcriptum eſſe pro regione ſubjecta vrbi cui tribuitur, ac proinde pro Comitatu aut Ducatu. Pagus ergo Valentinus eſt comitatus Valentiæ. Præſtaria principio erat charta qua vſusfructus alicujus rei dabatur, poſtea dicta eſt ipſe illius vſusfructus. *Karolus Pipini filius*, inquit Flodoardus libro 3. cap. 20. *Deduciatum villam apud Tilpinam epiſcopum obtinuit in præſtariam.* Illi opponitur precaria ſeu precatoria: igitur Flodoardus libro 2. cap. 1. ſic loquitur; *Mapimius Remenſis Præſul Theudechildi Suauegottæ reginæ filiæ tertiam partem villæ Viriſiaci vſufructuario, per precariam, ſaluo eccleſiæ jure conceſſit.* De precaria vide Marculphum libro 2. cap. 41. & de præſtaria cap. 40. Hic Conradus eſt ſecundus, qui creatus eſt anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono, mortuus eſt quinquageſimo ſecundo: non poteſt dici primus, anno enim decimo primi, qui fuit Chriſti milleſimus trigeſimus ſeptimus, Pontius erat epiſcopus, vt vidimus. Orilbertus demum anno Conradi ſecundi decimo epiſcopus, videtur ille eſſe, quem S. Bernardus epiſtola 248. reſtatur electum ex priore Caſæ Dei circa annum 27 *Orilbertus.*

ſæculi

ſæculi quadrageſimum ſextum, & de quo ſic loquitur Eugenio Pontifici epiſtola 270. *Dominus Valentinus conualet, & vbi valet operatur bona: propterea amatores boni diligunt eum, & ipſe diligit bonos; in hoc apparet, quia bonus eſt. Veſtrum eſt tales diligere & fouere.*

28 *Bernardus.* Bernardus erat epiſcopus Valentinus anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, vt intelligitur ex chartâ Guilelmi Viuarienſis epiſcopi eo anno ſcripta. Sic habet. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ego G. Viuarienſis epiſcopus & miniſter indignus, rogatu domini Hugonis bonæ memoriæ Viennenſis archiepiſcopi, & Bernardi Valentinenſis epiſcopi, & aliorum quàm plurimorum, conceſſi & laudaui eccleſiæ Sancti Andreæ Viennæ, & Elizabeth abbatiſſæ Sanctimonialium ſupradictæ eccleſiæ, & ſucceſſoribus ejus, omnia beneficia quæ ſub ditione epiſcopatus noſtri poſſident* &c. *Acta ab incarnatione Domini anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto.* Anno incerto confirmauit quod Euſtachius & Ioannes, ante ipſum epiſcopi conceſſerant Ciſtercienſibus fontis Leonciæ ſeu Lioncelli. Tabulæ ita habent. *Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quòd Euſtachius epiſcopus & Comes Valentinenſis dedit jure perpetuo Deo & B. Mariæ fontis Leonciæ & fratribus ibidem commorantibus in manu Falconis pedagium & leidam ſuarum rerum apud Valentiam: quod etiam domnus Ioannes, qui poſt eum in epiſcopatu ſucceſſit, laudauit: & domnus Bernardus, qui poſt eos Valentinenſem rexit Eccleſiam, vt ratum in poſtmodum maneret, ſuo ſcripto & ſigillo in præſentia domni P. Abbatis confirmauit.* Porro ex iſtis tabulis intelligis duo. Primum eſt Euſtachium, ſanctum Ioannem, & Bernardum ſediſſe deinceps Valentiæ. Secundum eſt Euſtachium ſediſſe anno ſæculi trigeſimo ſeptimo. Eo anno cepit monaſterium Lioncelli ad illud Bonavalle deductis Ciſtercienſibus ex Manrique tomo 1. Annalium Ciſtercienſium: igitur qui dediſſe ei dicitur Euſtachius, illo ipſo dedit, atque adeò ſedit; nam, vt ſuo loco docui, Ioannes fuit epiſcopus anno trigeſimo octauo.

29 *Odo.* Odo gente nobilis, nobilior moribus, de cujus laudibus nunquam conticeſcet Eccleſia Valentina, factus eſt epiſcopus ex decano. Patrem habuit Guidonem de Chaponay, vt Humbertus de Chaponay qui ab Hectore Odonis fratre quintus & decimus rectâ gradatim linea deſcendit, mihi ex chartis domeſticis aſſeruit. Quoniam vir hic pro magiſtratibus, quos à primâ juuentute ſapienter ac ſanctè geſſit, magiſterio maximè libellorum ſupplicum, & pro perpetuo veritatis amore is eſt, cui nemo prudens negare fidem poſſit, placet de ejus gente hic ſparſim dicere quæ ab vltimis initiis ex fidelibus tabulis repetita ad me detulit. Igitur Guido Odonis epiſcopi pater per Leonardum deſcendebat à Guilelmo Chaponaij, Mareniarum, Aueniarum & Brangonis domino, matrem verò habebat Annam de Bellomonte Fretæ, ſanguinéque proximus erat Berengariis & Groleis, nobiliſſimis etiam nunc in Delphinatu gentibus. Leonardus enim auus anno ſexageſimo ſexto ſupra nongenteſimum duxerat Catarinam Geraldi Berengarij & Ainardæ Roſſilionææ filiam, Guilelmus autem Alanus Luciam de Grolea. Odo epiſcopus is ille eſt, qui poſt S. Apollinarem, auxit eccleſiam Valentinam plurimùm, opibus propriis, & alienis. Anno ſæculi quinquageſimo ſeptimo accepit à Fiderico primo *Valentinam ciuitatem, & quidquid intra ambitum ejus continetur, vel extra comitatum, videlicet eccleſias, abbatias, monaſteria, cum*

omnibus

omnibus poſſeſſionibus eorum,forum,mercatum,duella, monetam, naulos, telonia, pedagia,caſtra caſtella, villas, (ſunt verba Imperatoris,) *vicos, areas,ſeruos, ancillas, tributarios, decimas, foreſta, ſyluas, venationes, molas, molendina, aquas, aquarum decurſus, campos, prata, paſcua, terras cultas & incultas & commune forum agentium & ſuſtinentium cauſas, tam ciuiliter, quàm criminaliter; & poſſeſſiones ſequentes,caſtrum Alexiani,Montiliſij,Montilij, Balmæ,Finciacij, Liberonis,Aureoli,Caſtrumnouum,Caſtrumduplum,Montis-Veneris, de Stella,Aliſij,Saonis : in ſupradictis verò omnibus,& in toto Epiſcopatu ordinariam juriſdictionem.* Hactenus ſunt Friderici verba,in litteris datis Biſuntij, octauo Calendas Decembris, qui addit ſequentia: *Ne quis à flumine Iſaræ ad caſtrum Montilij,& à caſtro Creſci ad villam de Subdione, & in Epiſcopatu Valentino pedatiuum accipere præſumat: ne quis baronum Valentini epiſcopatus habeat facultatem beneficium regni,* (id eſt, res, quæ regni erant, & datæ ſunt epiſcopo,) *vel Eccleſiæ alienare: nullus Comes,aut Iudex legem in iis facere præſumat.* Cùm legis imperatorem ea quæ retuli conceſſiſſe Odoni, ne cogita dediſſe quibus antè carebat epiſcopus: edicto firmauit pridem poſſeſſa. Et verò ante annos tredecim Alexianum, ante ducentos & ſeptuaginta Sao erant in epiſcopi ditione ſuperioribus; ante nouem facultas epiſcopi neceſſaria erat nobilibus viris ad extruenda caſtra demum comitatus, pedagium ſeu portorium & leida Valentiæ erant epiſcopi igitur Fredericus ſecundus primi hujus nepos ex filio, poſt vnum & ſeptuaginta annos ſcitè annotauit auum iſta ponentem in ſuo edicto, ſecutum alios ante ipſum reges & imperatores. Ad Odonem epiſcopum redeamus. Eodem anno cal.Decembris interfuit donationi plurium rerum epiſcopo Auenionenſi Gaufredo à Friderico Lex Noguerio libro de epiſcopis Auenionenſibus pag.48. & 49.

Sequente anno ſiue octauo & quinquageſimo poſt milleſimum centeſimum Odo vendidit Eſparueriam inſulam Raimundo abbati S. Rufi Regio eſt agri,Rhodano adjacens:& per latè fuſam planiciem porrigitur meridiem inter & Occidentem,diſtincta riuulis,læta ſitu, opima paſcuis. Inſula dicitur, quia per fontanos riuos à reliquo agro diſtinguitur,quà Rhodanus non alluit.Ducentis argenti marcis eam Odo vendidit.Venditionem probauere Adrianus IV.Pontifex,olim abbas,& Carolus etiam IV. Germanorum imperator. Conuenerant ad Raimundum abbatem priores frequentiſſimi emptioni faciendæ,Iſoardus Viennæ,Andreas Combæ,Raimundus Pairaudi,Guilelmus Annoniaci, Petrus Diæ, Guilelmus Claëllarum, Ademarus Voluentæ,Stephanus Valentiæ,Guigo Lugduni, Vicardus Buxi & alij. Hos recenſere volui,vt videas jam tum latè ſparſos fuiſſe canonicos.Odo ad maguum pondus fecit vt res coram Legato Pontificis gereretur.Stephanus erat Viennenſis archiepiſcopus:vitum comitabatur Hugo Præſul Dienſis. Illa in inſula ſedem poſuit abbas. Canonicorũ regularium per Gallias,& reliquum orbem Chriſtianum moderator generalis. Anno 1488. regebat monaſteria centum octoginta nouem ex Innocentij octaui literis. Sunt qui aſſerant Odalgerium iſtis canonicis primum abbatem præfuiſſe, & iis ego etiam olim aſſenſus ſum, nunc autem aſſentiri non poſſum, qui lego Odalgerium ſeu Oldegarium ex abbate S. Rufi epiſcopum Barcinonenſem principio, deinde archiepiſcopum Tarraconenſem primum, admiſſum fuiſſe in

Ordinem canonicorum S.Rufi à Bertrando poſtea epiſcopo Barcinonenſi. Ex abbate epiſcopus anno 1116.juſſu Paſchalis ſecundi, moritur *Barcinone*, ex Tarrapha libro de regibus Hiſpaniæ in Alphonſo octauo, *anno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto die quarta Martij.* Hîc vnum miror.Vincentius Domeneccus libro 2.de ſanctis Cataloniæ fol.75.ait Oldegarij tempore abbatiam canonicorum Sanrufenſium fuiſſe *in Magalonenſi non procul à Montepeſſulano ditione.* Hoc apud alium ſcriptorem non lego.Abs dubio cœpit iſte canonicorum Ordo Auenione anno milleſimo trigeſimo nono, vt ſingulari de ea ipſa re libro docui; videtur ergo abbas principio ſediſſe in Auenionis agro ad Druentiam fluuium,vbi nunc etiam ſunt monaſterij rudera: quo autem tempore ſedem mutauerit,aut quem in locum eam ex illo deportauerit non inuenio.

31 Anno 1573. Odo conceſſit nonnulla Ciſtercienſibus Lioncelli, quæ ipſe enumerat in tabulis ejuſdem anni,quas placet hîc recitare. *Ego Odo Valentinenſis epiſcopus, dilectis filiis & fratribus abbatiæ Lioncelli in epiſcopatu noſtro ſitæ,Pontióque ejuſdem loci abbati, quem ſicut proprij pupillam oculi veneror ſimul ac diligo,& omnibus ibidem Deo ſeruientibus* &c. *dono conſilio totius capituli Valentini,quidquid ad Eccleſiam Valentinam pertinens poſſident, de quibus in præſentiarum, anno videlicet ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio inueſtiti fore noſcuntur,ideſt grangiam de Blanchia, vtrumque Cognerium,grangiam de Palaranges, grangiam de Baceia; necnon & omnia quæ ad eccleſias de Burgo,ſanctique Felicis pertinentiá poſſident* &c. *vſus rerum ab eis apud Valentiam emptarum vel venditarum,vt ſicut à peccati jugo ſæcularium comparatione liberi creduntur exiſtere, ita ab exactione fiſci præter morem ſæcularium immunes valeant permanere* &c.

32 Poſt annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum lis plurima,& apud Fridericum multiplex Valentinorum de Odone epiſcopo fuit querela. Anno ſeptuageſimo octauo, vigeſimo calendas Auguſti, ſequentia Imperator conſtituit, è quibus peruenies ad totius contentionis fontes. *Mortui ſine teſtamento,& hæredibus bona,tam mobilia quàm immobilia ſint epiſcopi.Proditores, homicidæ,adulteri,fures, & omnes qui ſunt conuicti criminis alicujus, ſacrilegi,& falſarij puniantur, tam corporaliter, quàm pecunialiter pro arbitrio epiſcopi Valentini:non faciant juramentum,neque ſocietatem jurent, ſine arbitrio & conſenſu epiſcopi ſub pœna centum librarum,mediam partem dandarum epiſcopo,mediam fiſco imperatoris, Exactionem non faciat epiſcopus neque in ciuitate,neque in aliis regalibus,niſi quando vadit ad curiam, vel facit manifeſtum imperij ſeruitium.Epiſcopus non accipiat vltra ſexaginta ſolidos pro multa,ab homine damnato in cauſa pecuniaria: nihil accipiat de mutuata pecunia, ſi mutuatarius fuerit damnatus in lite mota inter ipſum & mutuatorem. Viduis liceat nubere,neque cogantur inde dare pecuniam.* Hæc Fridericus.Non placuerunt Odoni conditiones,jura regia minuũt,quæ non reſtricta nõ truncata jam olim habebat, & non ante plures annos ei firmauerat imperator.Neque bene ominatum antiſtiti in conſequentia tẽpora duxit,quòd ad primam cum Valentinis contentionem,deciſum fuerat aliquid de illius dignitate.Vt ſummo erat ingenio,intellexit reſarciendum damnum; ruituram alioqui partem autoritatis aliam alio tempore.donec vniuerſa deficeret.Hoc in ædibus,hoc in familiis,hoc in imperio videmus: vbi ſemel fatiſcunt, niſi ſuſtentas tota peſſum eunt

Digitized by Google

eunt Nont stat, quod sui parte jam cecidit. Igitur reliquam vitam in eo allaborauit, vt rem instauraret. An ipse restituit, an post ipsum ante Falconem alius? Certè Innominatus anno millesimo centesimo octogesimo octauo perfecit apud Henricum sextum : nisi quò tributum viduis imponi vetuit pro repetitis nuptiis. Humbertus post Falconem antistes, ab Henrico imperatore facta probauit Philippo I I. vt omnia majore firmitate constarent.

Eodem anno octauo & septuagesimo post millesimum Odo episco- 33
pus dedit ecclesiæ Valentinæ Bellum-castrum. Gentilis trans Rhodanum fluuium pagus, de patena hereditate portio ad eum peruenerat. Annus quem iniquum Antistes ex Friderici edicto patiebatur, facit vt cogitem, dedisse hoc castrum Ecclesiæ suæ, aut testimonium non malè gestæ rei, aut solatium episcopis post eum futuris. Monumentum certè ac pignus veræ æternæque caritatis hoc fuit. Atque igitur fortasse hoc illud est, quòd Deum commouit, vt ab eo ad nostra vsque tempora gentem illustrissimi Præsulis per viros pietate, opibus, militari virtute claros perduceret, quos per capita censere nunc placet. Humbertus de Chaponay Libellorum supplicum magister. Ex domesticis tabulis illam à Guilelmo de Chaponay domino Caponaij, Mareniarum, Aueniarum, Brangonis & Lucia de Grolea repetit. In superioribus ab Humberto ad Odonem episcopum vsque deduxi, accipe reliquam ab eodem Odone ad nos vsque. Hector Odonis episcopi frater, Bartholomeum ex Magdalena Allemanda seu Allemanna genuit, qui à vulnere in obsidione Damasci accepto claudus, de Bernardina Poisiaca dedit Gasparem Clementiæ Bellouisanæ conjugem. Hic consiliis & manu potens Ludouicum postea Francorum eo nomine octauum regem in Angliam secutus, cepit Vicestram. Ab eo natus Bartholomeus secundus de Huguetta Rufa sustulit Phillippum, ex Maria de Bonne Patrem Petri, qui sub Guigone Lusignano in Hispania pugnans anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto, ingentes præ se animos tulit in obsidione Gerundæ. Iste Guigonam Portæam duxit è Rosselino descendentem, qui post annum millesimum sibi Caponaium pagum, vnde genti nomen, acceperat in dotem Helenæ conjugis amitæ Odonis episcopi. Humbertus Petri filius habuit in matrimonio 34
Beatricem de Sachenay. Natus ex ea Bernardus anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio fortiter egit aduersus Anglos ; & cùm ingens in oculo dextero vulnus accepisset, reliquit Antonio filio hereditatem virtutis. Nam hic auis atauísque non minor, adhæsit Pothoni Hiræo heroi totâ Galliâ celeberrimo, diuque pro rege aduersus eosdem pugnauit ; & cùm ab ipsis anno millesimo quadringentesimo vicesimo quarto, captus fuisset in obsidione Vernulij, maluit Ponsonatium majorum à Petro abauo hereditarium vendere, quàm in Anglicano pro rege cæcere inglorius perdurare. Patrem æmulatus Ioannes ex Catarina Villanovana filius, contra Burgundiones chiliarca Ludouico vndecimo rege decertans *Validi* cognomine donatus est. Ex Catarina verò Pompetrana genuit Philibertum Faisini dominum, & Franciscæ Villariæ conjugem qui ex eâ sustulit Ioannem secundum. Hic Ioannes ille præses computorum apud Gratianopolitanos curiæ primus, ad

bellicam maiorum ante omnem memoriam fortitudinem adiungens, scientiarum decora, magnum vnus post Carolum Hectoris filium, & Delphini sub annum millesimum trecentesimum cancellarium, posteris exemplum ad omne virtutis genus reliquit. Ab eo stirps in duo scissa est per Soffredum & Nicolaum filios. Nam ille Aibeni & Bressonis dominus per Laurentium, Petrum, Bernardum dedit Octauianum, qui ex Ludouica de Loras Chamanieu Gasparem, alióque liberos edidit. Nicolaus verò, per Ioannem & Nicolaum secundum rursus in duo capita gentem partitus est. Ioannes enim ex Anna Torueona Franciscum habuit, qui cum de Ioanna Gaultia Nerium & Eleneorum Alexandrum genuerit, pro rerum humanarum vicibus, illum præproperâ morte dolet extinctum, hunc curiæ Gratianopolitanæ senatorem in omnium oculis esse lætatur. Nicolaus autem secundus Humbertum reliquit filium. Hic & aliarum, & Meanni ad Fasianum insularum Rhodani dominus, fuit supplicium libellorum magister, & apud Lugdunenses primùm, deinde Boios rei forensis, politicæ, & ærariæ præfecturam per difficilia tempora sapienter gessit. Cúmque meminisset Philibertum Atauum, Franciscam è nobilissimo Villariorum genere, sibi supra centum quinquaginta annos vxorem accepisse, & ipse de ea Eleonoram plurium Viennæ archiepiscoporum cognatam duxit, deque ipsa Baltasarem Metensis curiæ senatorem, & aliam sobolem numerosam dedit. Vides quàm frequens illustribus viris gens, ad nos ab Hectore Odonis episcopi fratre, per quingentos annos descenderit. Neque opulenta minùs fuit. Caponaium, vnde viris nomen, ante annos septingentos ditione tenebat: an erexit ipsa fundauítque? Ad illum pagum alios aliis temporibus, qui per filias parentum heredes in varias familias enubentes plurimi sparsi sunt, adiunxisse scimus, Marenias, Auenias, Brangonem, Lessinum, Augustam, Ponsonatium, Fasianum, Aibenum, Bellam-Gardam, Bressonem, Fanum Vincentij, Meani demum, & alias ad Fasianum rhodaninas insulas. Sed iis longè plures tenuisse ex eo intelligis, quòd Odo episcopus Bellum-Castrum, vt suprà memorabam, ex hereditate paterna pagum concessit Ecclesiæ Valentinæ.

36 Nam cetera generis decora tacere iuuat. Quid enim memorem magistratus, seu militares, seu politicos; quid affinitates cum Artaldis, Anceduniis, Montainardis? Iam supra quadringentos annos iunxit connubia cum Balmanis de Suza, Vrræis, Podiis, Claromontanis, Andelotiis: ante annum etiam millesimum cum illis totâ Prouinciâ potentissimis Agoutiis. Addam tamen, quod hereditariæ Caponaiorum pietatis non vltimum argumentum est, Sofredum antistitem Gratianopolitanum, quem libro secundo .....afferam, Odonis pronepotem fuisse, & Guilelmum Humberti quidem filium, Bernardi verò, nepotem, sancti Nicolai apud Andegauenses Abbatem. At Rhodios seu Melitenses Equites profectò non possum prætermittere. Nobilissima gens omnino quatuor dedit, cunctos ab hostibus Christianæ fidei cæsos in prælio. Hugo enim anno millesimo trecintesimo octauo à Saracenis, Philibertus anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, & Humbertus anno millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto à Turcis, omnes Rhodi, ac denique Robertus magnæ spei

iuuenis

iuuenis anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, ab Hugonottis contra Eccleſiam & regem agentibus Mallij ad Antiſiodorum peremptiſunt. Verum iſta de Odonis epiſcopi gente hactenus dicta ſint; ad ipſum orationem referamus.

Quid non poſſunt exempla præſulis? Lumen eſt in ſublimi loco accenſum: quà ſpargit radios, eunt greges Chriſtianorum illo perfuſi. Aliena quidem virtus ſpectatores adducit ad æmulationem ſui; quæ ab antiſtite proficiſcetur, rapit victrice illecebra: paterna eſt, cum ſanguine vitáque deſcendit ad filios. Quos, putas, mortus excitauit totâ Valentinâ diœceſi donatio Bellicaſtri Eccleſiæ ab Odone. Mirata nobilitas vniuerſa eſt: ad ſuppar aliquid agendum excitati non pauci. Anno ſæculi octogeſimo Guilelmus Pictauienſis Valentinus Comes dedit Eccleſiæ Monmerani decimas, & autore Chorerio lib. 11. hiſtoriæ Delphinatus numero 17. confirmauit datas Odo. Humbertus autem de Monteueneris anno tertio & octogeſimo, dedit pagos epiſcopo Montemueneris, vnde genti nomen, ac Bellimontem cum omni iure fructuque. 37

Falco ſederere cepit Valentiæ anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono, deſiit viuere nonageſimo nono *quarto nonas*, vt habet funeralis Sanrufenſium liber. *Ianuarij*: Hoc vtrumque lego in tabulis, quas ſtatim referam: medios quoque nonageſimum, nonageſimum tertium, nonageſimum ſextum, inuenio ſcribam aliena ferentem notaſſe. Res per ſe niodica, non parum ſæpenumero facit ad ſummi viri ætatem oſtendendam. Anno ſæculi nonageſimo Vvilelmus Antonius emit ab Hugone de Petragorda ſeniore, & Vvilelmo fratre quidquid poſſidebant Mottæ, iis libris Valentinis quas dederat Hugoni iuniori, in apparatu itineris Ieroſolimitani patre Hugone ſeniore probante. Iacobus epiſcopi notarius tradit ſe rem ſcripſiſſe coram Falcone. Anno ſecundo & nongeſimo Falco dat Ciſtercienſibus Lioncelli & alia, & Valentiæ paſcua. Anno nonageſimo tertio Iarentus Dienſis antiſtes conuenit de Aurello pago cum Ademaro Pictauienſi, vt lego in veris ac probis tabulis, ex docent Falconem rei præfuiſſe. Anno ſexto & nonageſimo Falco firmauit ſigillo ſuo ſententiam Bernardi Cardinalis ſancti Petri ad vincula Legati ſedis apoſtolicę, ſuper contentione Dienſis epiſcopi & prioris ſancti Medardi cum epiſcopo Anicienſi & Abbate S. Rufi de eccleſiis Criſtæ. Iſte annus dicitur octauus Falconis in chartis Ciſterienſium Lioncelli. Demum anno nonageſimo nono ipſe Falco fatetur ſe accepiſſe mille ſolidos à canonicis Valentinis Placuit minuta hæc ſequi ad tempora Falconis aperienda tendenti. Et quidem probaui ego ſemper atque ſuſpexi viros, illos, qui res bello paceue ſapienter ac fortiter geſtas literis mandant. Ætati conſulunt futuræ, præſentique. Cùm viuos laudant, condunt victuris exempla præceptáque. Sed nunquam tamen exiſtimaui humile opus abiectumque ſuſcipere, qui temporibus notandis allaborant, & quis quo anno vixerit docent. Semina iaciunt fusè dicendorum ab aliis; & præterea dant hiſtoriis artus oſſaque, alioqui iacentibus ac neſciis conſiſtere. Viri principes ſunt in republica ſeu ſacra, ſeu profana, quod ſidera in cælo, tellure fontes fluuiique, vt aliud non agant, ortu curſuque ſuo diſpenſant orbem. Spiritus quoque ſanctus multus fuit in cenſendis illorum virorum annis, per quos ab Adamo ad Chriſtum tempora peruenerunt. Igitur neque ego indecora putauí 38 39

taui operæ eſſe Falconis, & aliorum epiſcoporum aperire dies, & è veterum ſcriptorum monimentis eruere. In illa cautione pecuniæ à canonicis numerata adiungitur fieri anno epiſcopi nono: ſed perfectum intellige; decimus enim iam ceptus erat, & nono ac quinquageſimo Falco iam erat epiſcopus, cùm Vvilelmus Beldiſnarius ad æmulationem Humberti Monuenerij conceſſit epiſcopo Caſtrumbucum, Balfram, & omnia prædia quæ Noſo & Ereone modicis amnibus concluduntur. Felices profectò viri, qui rerum conſcij futurarum præſentibus non adhæſerunt, & pro cœleſtium deſiderio non duxere terrenas amore dignas. Alij maria, terram, aëra fatigant opibus, vt auaræ libidini per malè ſana imperia famulentur; aut congeſtâ pecuniâ faciunt ſibi gradus ad honores immeritos. Quod facinus adeò inſolens eſt, quod crimen adeò importunum, vt auro vel affuſum illice non blandiatur etiam aſperæ ſeueræque virtuti, vel victrice tentandum, non habeat viam facilem cupiditati effræni ac duræ? Pauci opibus & fortunis conantur ad virtutem. Dum erit Eccleſia Valentina, præconiis omnibus efferet Monuenerios & Beldinarios. Ambitioſi virtutis amatores, cùm prædia, caſtra, & à maioribus cumulatas opes Eccleſiæ tradiderunt, ciſiis veluti aureis perrexerunt ad Deum.

40 *B. Hubertus de Mirabello.*

Beatus Humbertus de Mirabello epiſcopatum adiit anno milleſimo ducenteſimo, vt intelligitur ex charta quæ fert Euſtachium de Saone & Iarentonam ſororem, vendidiſſe anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio prædia Valentina, & Caſtronouenſia Romano de Monte-mirato. Nam ſcriba addidit rem geſtam fuiſſe quarto & decimo epiſcopatus Humberti. Hinc vides, quod ſuprà dixi Falconem deſiiſſe anno nono & nonageſimo poſt milleſimum centeſimum. Humbertus de Priore Cartuſianorum ſiluæ Benedictæ aſſumptus, intrauit epiſcopatum. Tumultu turbiſque ac bellis, & ſubditorum rebellione impeditum: tympanis omnia perſonabant, & lituis, totis campis pagiſque errabat miles. Vir ſapiens non erubuit militarem Eccleſiæ ſuæ faciem, memor in Sulamite choros caſtrorum eſſe; & ſacerdotes fuiſſe qui clangerent olim tubis in Hebræorum exercitu. Audierat Auguſtinum dicentem libro vigeſimo ſecundo contra Fauſtum cap. 74. *quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quandóque morituri, vt domentur in pace victuri; hoc reprehendere, timidorum eſt non religioſorum.* Non pugnauit ille quidem manu, neque criſpauit enſem, aut torſit lanceam, militibus ſua arma ceſſit, ipſe cum Moyſe pro pugnam agentibus orabat: non dubitauit tamen quantum ſatis fuit pecuniæ profundere legendo ſeruandóque militi, ſentiens ſe principem eſſe, cui, vt docet idem Auguſtinus loco citato, *ad hoc tributa præſtantur, vt propter bella neceſſario militi ſtipendium præbeatur.* Sed nominibus hoſtium pepeccerunt maiores. Et verò quid honoris viro gentiue nobili à bello in ſuum præſulem? domiti illi ſunt, Humbertus anno 1202. rationes bellicas poſuit cum canonicis ſuis Euſtachio Præpoſito, & Lamberto Decano. Quæ verò ſeditionis, turbarum, ac belli cauſæ? omnino quæ alibi gentium atque locorum, dominatio aliena, Epiſcopi iura partem, vt vidimus, corrupta reſtitueras Odo: Labefactare iterum conati non Valentiæ tantùm ciues, ſed tota regione viri etiam nobiles: Fridericus quæ quondam conceſſa

41

fuiſſent

Digitized by Google

fuiſſent confirmauerat epiſcopis, vt in ciuitate quidem juribus regiis frueren-
tur, in agro autem ſummi viri eſſent in eorum clientela ; nullus præter an-
tiſtitem jus indicendi vectigalis haberet. Sic conſtituta conuellere auſi plu-
res vi, dolóque. Neque ſemel victi deſtiterunt : inſtauratiuere fraudes ; & pu-
gnam identidem alij alio tempore. Summo ingenio fecit Humbertus vt
Philipus Imperator ſuo firmaret aſſenſu conceſſa à Friderico, eludendis om-
nibus aduerſariorum artibus. Contra vim parauit ſocios belli, & inſtruxit
exercitum. Philippus anno quinto ſupra milleſimum ducenteſimum, octa-
uo cal. Februar. juſſit literas Friderici anno milleſimo centeſimo quinqua-
geſimo ſeptimo ſcriptas Veſontione, ſuam habere vim, & ſuprà caſtra in illis
enumerata addidit epiſcopo Vrram, Pelafollum, Copium, Aguſtidinum,
mediam Vpiani partem. Edixit quoque ſigillatim querelis omnibus exſcin-
dendis de jumentis clitellariis, quid è ſingulis antiſtiti cederet in vectigal.
Demum, inquit, *prohibemus ne aliqua occaſione ciuibus Valentinis licitum ſit inter*
ſe aliquam communiter jurare ſocietatem, vel aliquando contra aliquem vel aliquos
ordinare conſpirationem, niſi id ſpecialiter de arbitrio & conſenſu ipſius epiſcopi.
Anno milleſimo ducenteſimo octauo, repetiit ſexto idus Ianuarij & rurſus
confirmauit illam edicti partem quæ eſt de vectigali pecunia ; & inſuper
eam ipſam tulit, ſanciuítque anno ſequente calendis Ianuarij, atque adjun-
xit vt vni epiſcopo liceret probare aurum argentúmque Valentiæ : abſ-
que ejus conſenſu probanti pœna fuit centum auri pondo. Hæ Philippi
leges valuerunt illæ quidem, vt Valentini ſemel atque iterum quieſcerent
à turbis, facere tamen non potuerunt vt viri nobiles ceſſarent totâ diœceſi à
turbis.

Anno milleſimo ducenteſimo nono Chriſti, & (vt legitur in Ciſtercien- 42
ſium Lioncelli chartulario) decimo epiſcopatus, quinto calendas Februarij,
denique conuênit Humbertus cũ Valentinis pro vectigali, agentibus Hum-
berto Archiepiſcopo Viennenſi, V. ideſt Vmberto ſiue Humberto Dienſi, &
V. ſeu Vurnone ac Burnone Viuatienſi epiſcopis, quos ambos eſſe quoque
canonicos Valentinos ſcriba aduertit. Habebat noſter Humbertus in con-
ſilio Priores Cartuſianos A. Syluæ benedictæ & P. Vallis S. Mariæ, atque Ar-
naldum Priorem S. Rufi. Hoc aduerto, vt non mireris contentionem lon-
gam & difficilem habuiſſe bonos & faciles exitus. Viri pij omnia quietè
moderati ſunt. Neque parum virtute regularíque diſciplina tum florebant
canonici Sanrufenſes, ex quibus accepit epiſcopus, quem non inferiores Car-
tuſianis diceres.

Cum viris per agrum nobilibus diuturna magis fuit contentio, neque 43
vllo fœdere componi potuit, nunc his, nunc illis, vt ferre tempora videban-
tur, pugnam cientibus. Igitur Humbertus belli ſocios aſciuit & alios ; &
Bernardum Anicienſem epiſcopum, atque Guigonem Turnonis domi-
num, & Giraudum Baſtetum pollentes opibus, & clientum magna vi. Certa
putauit auxilia quæ de regione trans Rhodanum poſita peterentur : laborate
duxit accepta de Valentino cis fluuium tractu, quem vniuerſum non leuiter
offendebant jura à Friderico & Philippo imperatoribus accepta. Cum Ber-
nardo epiſcopo conuênit in has leges. Alterum injuriâ pulſatum (erãt illi etiã
hoſtes ſui) alter juuabit milite propriis ſumptibus cõducto ; & quidẽ per obſi-
dionẽ caſtri, aut vincula canonici, quàm multũ ſuccẽturiare poterit. Guigonẽ

dynaſtam

dynaſtam ſibi adjunxit conceſſione Drunſtallij pagi anno ſeptimo & decimo ſupra milleſimum ducenteſimum : Beldiſnario Charmium dedit Baſteto cedendum, vt Giraudus intelligeret cum pago accipiendam in epiſcopum, charitatem, quam à multis annis præſtaret Beldiſnarius. Taceo prælia cum ceteris. Memorabilis fuit pugna cum Guntardo Cabeoli domino. Vir gente illuſtris, potens opibus, auxiliis ferox, Cabeoli vectigal imperabat, Copij & Vopilleriarum clientelam negabat Humberto. Faciebant animos dynaſtæ Roſſilionæus, Briſſiacus Boſſerellus, Oſeſerra, Durantius. Certatum eſt ad Cabeolum. Captus in Prælio Guntardus, & in carcerem actus Valentiæ, luiturus pœnas rebellionis atque turbarum, ſi Monfortius Comes Simon
44 & Delphinus non fuiſſent epiſcopo autores veniæ, paciſque. Carcere ſolutum compellauit his verbis coram multis proceribus & magna clientum turba. Quod liber es, Guntarde, Monfortio debes atque Delphino. Plus valuit apud me illorum ſanctitas, quàm tua perfidia. Debueram certè pro clientelâ violatâ mihi habere Copium & Vopillerias : volo hoc quoque illis dare, vt maneant tibi æternum meæ benignitatis exemplum. Vide vt tuâ modeſtiâ ſerues, quod alienâ facilitate tenes. Non eſt quòd vltrà, vel exultes juuentute; vel copiis, gente, auxiliis ferocias. Quoties Valentiæ recordaberis; & in conſpectu Cabeoli eſt ; toties carcerem in ea, ſi quid præterea mouetis, eſſe intelliges. Vectigal Cabeoli poſthac non imperabis. Caſtro Copio quæſitus cedes mihi cliens. Super Vopilleriis pago ſatisfacies foro meo. Meis omnibus rependes damna per bellum illata. Noli pœnam criminis interpretari quæ impero. Illa debebas ante ſeditionem tuã; atque vt non penderes, bello, turbíſque facere cogitaſti : iſta immeritis abſtuliſti. Dicenti applauſere omnes. Guntardus juſſis ſtaturum pollicitus eſt. Si mandata violaret, ad careeres reditum ſanctè jurauit. Et Durantius addidit ſe in carcere ſocium Guntardo futurum : Roſſillionæus autem Briſſiacus, Boſerellus, Oſeſerra hoſtes perfido, atque aduerſus eum vel pugnaturos cum Humberto, vel militi legendo pecuniam daturos. Hęc ipſa Monfortius & Delphinus appromiſere Ceterùm (vt hoc non taceam) Guido Turnonius à Guichenono in Bugiacenſium nobilibus familiis pag. 117. tacitus, fuit filius Odonis primi, qui ſe dixerat clientem Philippi Auguſti anno milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, & pater Guilelmi I. anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo mottui. Nolo etiam prærermittere B. Humberto Præſule plures longè pagos fuiſſe in antiſtitis Valentini ditione, quàm nunc ſunt. Dominabatur is tum Charmio & Drunſtallio, vt vides, Vrræ, Pelafollo, Copio, Aguſtodino Saoni, Adgentiolo, Saxiaco ſuperioribus. An graues cauſæ fecerunt vt, ſicuti Drunſtallium Humbertus donauit Guinoni Turnonio, & Charmium Baſteto, ita alij epiſcopi aliis temporibus cõcederent aliquos pagos nobilibus viris?
45 Canonici quoque Valentini (hoc vnum fortiſſimo antiſtiti reliquum erat ad gloriam) nonnihil turbauerunt. Sunt in eorum collegio præcipui quatuor ; vocant Dignitates : Decanus, Præpoſitus, Abbas S. Felicis, Archidiaconus. Voluerunt ipſi illos per ſe conſtituere. Neque injuriâ ſibi videbantur ita ſentire. Ipſi (aiebant) Præſulem nobis eligimus ; Præpoſitum, Decanum, aut etiam ipſis inferiores aliis nobis imponet? Qui antiſtitem ſoli, & nobis, & Eccleſiæ Valentinæ damus, non ij ſumus qui Archidiaconum conſtituamus? Canonici ſunt Decanus, Præpoſitus, Abbas, Archidiaconus: qui nullum

alium

alium creat, cur iſtis collegij principibus faciendis ſeſe immiſcebit? Hi ſi aliquando accipiunt ſedes ſuas ab epiſcopo, vt gratias ei referre debebunt, totum collegium pro autoritate ſua ad ipſius nutum moderabuntur & diſpenſabunt. Vacillabunt igitur res noſtræ, neque noſtris ſingulorum vſibus commodíque, ſed epiſcoporum libidini ſeruient: qui ſi, vt in ſumma dignitate pronum eſt, vel familiam ſuam augere, vel ſuo genio indulgere amauerint, ſua peſſum omnia, noſtráque dabunt. Obſiſtent autem, & murum pro domo Dei opponent ſe Præpoſitus. Decanus, Abbas, Archidiaconus, ſi nihil ab eo vel habeant, vel ſperent. Hæc illi, vt ferebant, ex amore rerum ſeu epiſcopi, ſeu ſui collegij; vt plures interpretabantur, & ſentiebat epiſcopus, ab hoſtium Eccleſiæ ſuorúmque conſiliis. Nam ſeu cognatione ſanguinis, ſeu affinitate malum ſerpebat ad canonicos & ad nobiliſſimas tota regione gentes. Humbertus quâ erat prudentiâ compeſcuit omnem motum. Abbatem (edixit) & Archidiaconum Antiſtes ipſe conſtituet per ſe vnus, Præpoſitum & decanum electos à collegio. Creati dicent ſe & hi, & illi Præſulis clientes: cùm ſedes vacabunt, & ipſæ, & earum jura vniuerſa erunt epiſcopi. Annus erat 1216. cùm hoc egit. Diune poſtea vixerit haud ſcio. Viuebat ille quidem anno conſequente, ſed magnum de ipſo deinde ſilentium Cartuſianorum tabulæ habent mortuum anno 1220. Necrologium Sanrufenſe 3. cal. Maij.

Gerondus, nonnullis Giraldus, de Abbate, antea Moliſmenſi, tum Cluniacenſi epiſcopus anno 1222. cum Hugone Lingonenſi antiſtite quæſiuit de vita & ſanctitate Roberti Moliſmenſis olim abbatis. Viſus eſt Honorio III. Pontifici is eſſe, qui omnium certiſſimè poſſet rem cognoſcere, quando monaſterium rexerat vbi ille vixiſſet. Placet hîc partem literam Honorij recitare. *Cùm ad id vt aliquis habeatur vt ſanctus in Eccleſia militanti*, inquit Pontifex Moliſmenſibus monachis, *neceſſe ſit vt veræ fidei quæ per dilectionem operatur, merita cũ perſeuerantia finali præcedant, & clara etiam miracula ſubſequantur, neque alia ſine aliis plenè ſufficiant ad judicium ſanctitatis, eò quòd nonnulli faciunt opera ſua vt videantur ab hominibus, & nonnunquam angelus Satanæ transfiguraus ſe in angelum lucis hominibus frequenter illudit, ſicut de magis legitur Pharaonis. Cùm itaq; inquiſitores prædicti*, Gerondus & Hugo, *nobis ſuper his pleniùs reſcripſerint veritatem*, &c *quia licèt nobis quædam miracula quæ poſt mortem fecerat intimarunt, de his tamen quæ in vita feciſſe dicitur fidem plenariam non fecerunt, nos ne precibus veſtris videremur omnino deeſſe, concedimus vobis vt eum tanquam ſanctum in veſtra eccleſia veneranter, ejus apud Deum ſufragia fiduciaaliter imploretis.* Hæc attuli, vt videas beatificationem, quam dicimus, illis temporibus à canoniſatione diſtinctam fuiſſe. 46 *Gerõdus*

Ann. 1224. Gerondus accepit à Guidone Ademaro Mirmandam pagum. Guido noluit Ademaros inferiores eſſe Monueneriis & Beldiſnariis, duxítq; ſi Montilium, plures pagos, caſtráque & prædia non pauca in ſpes hujus vitæ relinqueret ſuis heredibus, è re ſua futurum ſi certè Mirmandam pagum parandæ æternitati daret ſuo antiſtiti. Guidonis exemplum ſecutus eſt de Ademaris Guigo cognatus 80. pòſt anno, qui Montilij ſuam, ideſt quartam partem, Montem-Bocharium, Sauaſſiam, Cleſenſaïcum, Roſſacium, & Montem-Pauſium poſuit in epiſcopi clientela. 47

Gerondum excepit Guilelmus, Thomæ Comitis Sabaudiæ filius, ante epiſcopatum monachus, vt ipſe ſcribit in omnibus tabulis quæ ab ipſo obſignatæ peruenerunt ad manus meas. Vbi monachum profeſſus fuerit non 48 *Guil. de Sabaudia.*

lego. Robertus addit adjunxiſſe Leodienſes inſulas Valentinis. Se dicit in tabulis anni 1126. miniſtrum Eccleſiæ Valentinæ, electum Valentinum ceteræ vocant. Quo anno ceperit ſedere Valentiæ non inuenio. Guichenonus ait cepiſſe anno 1224.

49 An. 1226. accepit à Siluione de Criſta decano partem caſtri de Criſta, Auguſtam & Diuaiuam caſtra. Tabulæ 3. idus Martij de reſcriptæ ſic habent. *Ego Siluio de Criſta, decanus Valentinæ Eccleſiæ, donatione inter vivos donaui, & cõceſſi & tradidi, me deueſtiendo & te inueſtiendo, vſumfructũ mihi retinendo, tibi Guilelmo miniſtro Eccleſiæ Valentinæ, & ſucceſſoribus tuis epiſcopis Valentinis, in perpetuum meam partem caſtri de Criſta, & caſtrum de Auguſta, & caſtrum de Deuaiua, & quidquid juris habeo vel habere debeo in prædictis caſtris, & mandamentis, & pertinentiis ipſorũ, videl. munitiones* &c. *Ego verò Vilelmus miniſter Eccleſiæ Valentinæ, attendens liberalitatem & deuotionẽ prædicti Siluionis de Criſta, decani Valẽtini, in recompenſationem prædictæ donationis donaui, & conceſſi eidem in beneficiũ perſonale caſtrum Montis-Veneris cum mandamento & pertinentiis ſuis, & villam Bellimontis cum mandamento & pertinentiis, & obuentionibus eorumdem, ſi fortè aliquæ proceſſu temporis obuenirent, & centum libras in pedagio Valentino, ſingulis annis quoad vixerit, percipiendas* &c. *Iuraui etiam prædicto Siluioni, quòd debita ſua perſoluam, de clamoribus ſatisfaciam, eleemoſynas quas erogauit reddam vſque ad ſummam* 32000. *ſolidorum. Acta ſunt hæc Valentiæ in domo epiſcopi,* &c. *anno* 1226. *menſe Martij,* 3. *idus ejuſdem, domino Papa Honorio præſidente, & Frederico Romanorum Imperatore regnante.* Hactenus tabulæ profectò memorabiles.

50 Majoréne Guilelmi epiſcopi, quàm Siluionis decani laude conſcriptas dixerim? Decanum epiſcopus eò adduxit, etiam labantem & mentis incertum oratione adegit, vt Criſtæ mediam partem (alteram dititione tenebat Guilelmus Pictauenſis) Auguſtam, & Diuaiuam donaret Eccleſiæ. Quid enim, aiebat, vel ad gloriam illuſtrius, vel ad beatitatem opportunius facias Siluio? Qui clero nomen dedimus, vt cenſemur in hæredibus ſortéque Domini, ita Deum ſcribere debemus hæredem, & ponere in ſorte noſtra. Nihil nobis cum gentilibus noſtris, ex quo cenſemur in Eccleſiæ familia. Non ille videtur tibi abdicare ſe pietate, & Criſtum abjicere, qui prædia & caſtra, quibus per vitam clericum geſſit, dat fruenda poſt mortem ſuam hominibus ſæculi? Omni ſermone apertioribus factis clamat ſe, ſi poſt mortem ſuperſtes foret, non Deo, ſed carui & ſæculo ſtipendiis ſuis militaturum. Non quidem gloriæ quidquam, aut honoris ab hominibus ſperare debemus ex rebus pro Deo geſtis; tamen ſi ſuam partem Criſtæ, Auguſtam, Diuaiuam Criſto das in epiſcopis Eccleſiæ tuæ, parabis tibi immortale decus. Cognati & affines, vbi per aliquot annos in hæreditate fuerunt, fere obliuiſcuntur eorum per quos profecerunt. Quis noſtrum meminit illius viri, qui in noſtram familiam contulit quam omnes ſuſpiciunt, opum vim ante centum, vel etiam pauciores annos? Si quod ſuadeo facias, poſt me epiſcopi, atque adeò Valentina Eccleſia nomen tuum cum omni poſteritate coæquabit: Et ego quidem, ſi hæc placent, dabo tibi Montem-Veneri, & Bellimontem caſtra per vitam habenda: addam de vectigali Valentino centum libras annuas; ac demum te omni ære alieno expediam, & quæ in pauperes erogaſti reponam tibi ad duo ſolidorum millia

&

& triginta, vt videas non meis commodis, ſed tuæ meæque in cœlis beatitati ſeruire cùm hæc loquor. Siluionem commouerunt hæc verba, & fecerunt vt in pacta cum Guilelmo deſcenderet.

Anno 1227. pugnauit cum Aimaro Pictauienſi ſeniore. Qui Pictauienſes jam moleſti erant diu epiſcopis Dienſibus, neque dubitauerant exercitum in eos ducere, non aggreſſi hactenus Valentinos, ceperunt turbare Guilelmo epiſcopo. Aimarus auus multa caſtra ſuſtulerat ab Aimaro nepote. Illa in epiſcopi clientela erant, ipſo tamen inſcio ea ſuſtulerat. Igitur Flotta pueri mater Ademaro Briſſaco & Eraclio Monlaurio tutoribus juncta, implorauit opem Guilelmi patroni. Voluit ſapiens antiſtes, vt junior Aimarus ſacramento diceret, Vpiam & Montaiſonem habere ſe ab ipſo beneficiaria, addérétque quadraginta quinque millia ſolidorum Viennenſium aut Valentinorum olim debita. His conditionibus pugnauit in Aimarum ſeniorem, armíſque reddidit officio ſuo. Sed Præſulis caritati junior non reſpondit; poſt annos octo mouit aduerſus ipſum in magnam ſuorum perniciem, ſi certæ victoriæ Guilelmus non prætuliſſet arbitrorum judicium.

Longè alium exitum habuit ſeditio Valentina. Ciues poſt pacem ab 51
Humberto epiſcopo factam multa querebantur, hoc maximè quòd omni clam epiſcopo ſocietate, publicóque conuentu prohibuerant tum Fridericus, tum Philippus ſecundus imperatores. Indigna res, inquiebant, ciuibus Valentinis. Sua quiſque prædia moderatur proprio nutu, domos, familias; neque iis conſtituendis præeſſe vult epiſcopum, niſi vecors & malè ſanus. Valentina ciuitas id non præſtet quod ſinguli facimus, neque ſuarum quidquam rerum ſine Præſule poterit moderari? Imponunt ego ſibi rectorem, & judicem, quibus adjungunt conſiliarios; hunc cognoſcendis cauſis, illum curandæ publicæ rei. Additus eſt præco pronuntiandis vtriuſque edictis. Inſolentia facti aduertit omnium circà mortalium animos. Epiſcopus, clerus, regularium vniuerſæ familiæ, quiſque pro ſua virili occurrere malo, ponere ob ciuium oculos literas imperatorum. Furor, potiſſimùm qui publicus eſt, ſemel conceptus ſuſtineri nunquam poteſt: cæco impetu prorumpit in effrænem licentiam. Pellunt vrbe epiſcopum, clerum pulſant, & regulares, poſt eorum direptas domos. Giraudi Baſteti antiqua in antiſtitem pietas juueneſcere viſa eſt, & ſuprà quàm dici poteſt enituit. Quid non ille conſilio? plurimùm enim mente poterat; quid non manu armíſque tum ſuis, tum affinium & cognatorum auſus eſt, geſſitve? Sed vicit malum omni remedio majus. Domum excitant habendis conuentibus publicis, Confratriæque nomine vocant; vt doceant rem communibus ceptam animis, fraternâ à ſingulis pietate ſeruandam eſſe. Cogunt frequens concilium. At enimvero populorum ſeditio, torrentis in morem aut turbinis ſæuit, non diu datura ſtrages. Hoc habet omnis impetus; quando vehementiſſimum putas, deficere incipit. Et hoc cogitauerat multò antè Guilelmus. Ceſſit furori lecturus in agro militem, & auxilia non contemnenda de fœderatis ad Valentiam populis coacturus. Iamque inſtructo exercitu imminebat vrbi, cùm reſides ciuium animos componit ſpecies præſentis periculi, obſidio, & poſt mœnium expugnationem deprædatio domuum, proſcriptio capitum ſeditionis, aut

cædes, aliæque id genus pœnæ. Hoc ſapienter denique conſtituerunt, vt veniam ab epiſcopo peterent infimis precibus, & dicerent prudentes viros, quorum arbitrio ſtarent de omni controuerſia & crimine. Hîc benignitatem ſuam Guilelmus aperuit; injuriarum oblitus, fremente nequidquam milite prædam ſibi eripi, vota Valentinorum audiit. Volumus Comes Geneuenſis, Raimundus Berengarij, Rogerius Clariacenſis, Petrus de Bucione, Pontius Duranti dixerunt ſententiam Rupe de Glues decimo calendas Nouembris, diſtinctam in plures articulos: confrariæ domum euertêre; prohiberunt omni clam epiſcopo conuentu ciues; iiſdem impoſuerunt marcas argenti ſex mille. Geſta res eſt anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono. Cúmque Valentini non eſſent ſoluendo, Guilelmus ſequente anno, mutauit pro arbitrio Petri Dominicanorum Anicienſium prioris, marcas argenti libris Viennenſibus.

53 Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo octauo, Comites Prouinciæ & Toloſæ mittunt auxiliarem militem ad Fridericum ſecundum in Italiam, duce Guilelmo. Imperator Mediolanum obſidebat, & nobilem chartam ſcripſit menſe Nouembri Cremonæ de juribus Eccleſiæ Valentinæ in hæc verba. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus II. diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator ſemper auguſtus, Ieruſalem & Siciliæ rex. Si bene meritis ac expertis fidelibus retributio redditur juxta votum, ſalubriter ex hoc conſulitur profectibus largientis; quoniam eò fortiùs virtus roboratur principis, quò pleniùs per eũdem ſubjectis prouidetur. Venientem itaque ad curiam noſtram Guilelmum, Valentinenſis Eccleſiæ venerabilem procuratorem, ſeu electum, debitâ honorificentiâ ſuſcepimus, & conſuetâ benignitate tractauimus, ipſumque de omnibus regalibus, caſtris, munitionibus, & vniuerſis poſſeſſionibus ciuitatis Valentinæ, & totius epiſcopatus pleniſſimè inueſtiuimus. Cùm per priuilegium inclytæ recordationis Friderici aui noſtri plenè conſtiterit, hæc eadem ab ipſo prædeceſſorum ſuorum veſtigiù inherente conceſſa fuiſſe prædeceſſoribus ipſius electi, epiſcopis ſcilicet Valentinis apud Biſuntium nono calendas Decembris indictione quinta anno Domini 1157. regnante Domino Friderico Romanorum imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus ſexto, imperij verò tertio. Quam conceſſionem ratam habentes, & etiam innouantes, conceſſimus præfato Electo, & per eum omnibus ſucceſſoribus ſuis epiſcopis Valentinis, in perpetuum ciuitatem Valentinam cum ſuis ſuburbiis, & territorio, & quidquid infra ejus ambitum, & extra in toto epiſcopatu Valentino continetur, comitatum videlicet, abbatias, monaſteria cum omnibus poſſeſſionibus eorum, forum, mercatum, duella, monetam, ſtratas, naulos, telonia, pedagia, caſtra, caſtella, villas, vicos, areas, ſeruos, ancillas, tributarios, decimas, foreſta, ſyluas, venationes, furna, molas, molendina, aquas, aquarum decurſus, campos, prata, paſcua, terras cultas & incultas, & commune forum agentium & ſuſtinentium cauſas tam ciuiliter, quàm criminaliter. Quaſdam etiam poſſeſſiones duximus exprimendas, caſtrum videlicet Alexiani cum appenditiis ſuis, caſtrum Montiliſij cum appenditiis ſuis, caſtrum Montislagerij cum appenditiis ſuis, caſtrum Balmæ cum appenditiis ſuis, caſtrum Faiciaci cum appenditiis ſuis, caſtrum Leberonis cum appenditiis ſuis, caſtrum Aurioli cum appenditiis ſuis, Caſtrum-nouum cum appenditiis ſuis, Caſtrum-duplum cum appenditiis ſuis, caſtrum de Stella, caſtrum Aliſij, caſtrum Saonis, caſtrum de Vrre cum appenditiis ſuis, caſtrum Vpiani cum appenditiis ſuis, caſtrum Coperij cum appenditiis ſuis, caſtrum Aguſtudini cum appenditiis ſuis, caſtrum*

Marmandæ

Marmandæ cum appenditiis ſuis, Baſtiam de Confluenci cum appenditiis ſuis, Baſtiam de Liſigniaco cum appenditiis ſuis. In ſupradictis verò omnibus, & in toto epiſcopatu Valentino ordinariam præfato Electo, & per eum omnibus ſucceſſoribus ſuis electis vel epiſcopis Valentinis conceſſimus juriſdictionem; ſcilicet vt tam in ciuitate, & ſuburbiis, quàm in caſtris & villis propriis Eccleſiæ, cauſas tam ciuiles, quàm criminales, per ſe vel per officiales ſuos audire, proditores, homicidas, adulteros, fures, latrones, perjuros, & quoſcunque in criminali cauſa conuictos, vel confeſſos, & quoſcumque falſarios, inter quos cenſemus omnes illos, qui non legitimo pondere, vel menſurâ, vel cannâ vtuntur, tam corporaliter, quàm pecunialiter punire poſſit; & banna ponere, & à tranſgreſſoribus pœnas exigere, & omnia quæ ad ordinariam juriſdictionem pertinent exercere; hæc etiam omnia poſſint idem Electus & ejus ſucceſſores per omnia alia loca epiſcopatus Valentini, exercere per appellationem ad ipſum factam, vel in defectu dominorum. Decernimúſque & omnimodo mandamus obſeruandum, ne quis hominum præter Electum, vel epiſcopum Valentinum à flumine Iſaræ vſque ad caſtrum Montilij, à caſtro Criſtæ vſque ad villam de Subdione, & in toto epiſcopatu ſuo pedagium vel quidagium accipere, ſeu ſtratam publicam diuertere, vel æliquomodo impedire præſumat. Concedimus quoque, & imperialis majeſtatis donatione ſancimus, vt memoratus Electus, ejuſque in perpetuum ſucceſſores Electi vel Epiſcopi apud Valentiam, vel Liberonem, vel alibi in epiſcopatu habeant accipiendi facultatem liberam, in onere cujuſlibet equi, ſiue muli per terram, vel aquam deportato duodecim denarios: ſimiliter in onere verò aſini quod eſt in ſale, vel in ferro, vel in ejuſmodi, quatuor denarios. Ad honorem quoque ſupradicti Electi, omniúmque ſucceſſorum ejus communem vtilitatem, imperiali diſtrictu inhibemus, ne aliquâ occaſione ciuibus Valentinis, vel aliquibus aliis de toto epiſcopatu Valentino, licitum ſit inter ſe communem aliquam jurare ſocietatem, vel aliquando contra aliquem vel aliquos ordinare conſpirationem, niſi id ſpecialiter de arbitrio vel conſenſu ipſius Electi vel epiſcopi, qui pro tempore illic præſidebit, fiat. Ceterùm vt prauas conſuetudines ratio vincat, & illicitos vſus legum ſoluat autoritas, imperiali autoritate in poſterum interdicimus, ne aliquis baronum vel alius Valentini Epiſcopatus habeat facultatem, beneficium, ſeu feudum imperij, regni, vel eccleſiæ alienare, vel in alterius dominium ſine ipſius ſpeciali mandato transferre. Quod ſi factum eſt aliquo tempore, illud irritum reuocamus: & ſi deinceps factum fuerit, legis vigore carebit. Caſtra igitur ſeu poſſeſſiones ſic alienatas, dictus Electus & ejus ſucceſſores, tanquam eis commiſſas, valeant vendicare. Interdicimus quoque ne aliqua perſona ciuitatis vel epiſcopatus Valentini, alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſæcularis, caſtellum nouum, baſtiam ſiue munitionem aliquam facere præſumat. Caſtra etiam vel munitiones, quæ intra limites epiſcopatus Valentini ſine ſpeciali mandato noſtro, vel prædeceſſorum noſtrorum, à tempore coronationis Diui Auguſti Friderici aui noſtri conſtructa fuerunt, ad requiſitionem ipſius epiſcopi, tanquam conſtructa contra prædicta Eccleſiæ priuilegia, deſtruantur: quod ſi caſtrorum vel munitionem domini ad mandatum ipſius Electi vel ſucceſſorum ejus facere recuſauerint, ipſa caſtra, ſeu munitiones, eidem Electo & ſucceſſoribus ſuis incidant in commiſſum. Concedimus etiam ſupradicto Valentino Electo & ſucceſſoribus ejus, vt ſi quando ipſos cum armis, vel ſine armis, ad præſentiam vel exercitum noſtrum, de mandato noſtro, ſeu

54

55

56

pro negotiis noſtris vel Eccleſiæ venire cõtigerit, pro expenſis ab eis in aduentu velin ſeruitio noſtro factis ſubuentionem omnes homines epiſcopatus, tam feudatarij, quàm alij, ſecundum quantitatem & qualitatem expenſarum, & facultates hominum
57 *prædictorum præſtare teneantur. Ne verò prædicta omnia aliquâ valeant refragatione conuelli, ſed debitâ ſtabilitate Eccleſiæ Valentinæ debeant inconcuſſâ manere, omne autboritatis noſtræ robur accommodamus, & præſentis priuilegij munimine ſæpedictæ Eccleſiæ confirmamus, ſaluâ per omnia imperiali juſtitiâ. Nulla igitur in ſupradictis omnibus infeſtatio ſæuiat Tyrannorum, nulla poteſtas ibi per violentiam irruat, nullus Comes aut judex legem in his facere præſumat præter epiſcopum Valentinum, cui ſoli volumus hoc licere. Sit illa ciuitas Valentina, totus & epiſcopatus liber ab omni alia poteſtate. Statuimus inſuper, & imperiali ſancimus edicto, quòd nulla perſona, alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſæcularis, prædictum Electum, vel ſucceſſores ſuos contra præſentis priuilegij noſtri tenorem auſu temerario impedire vel moleſtare, ſeu in aliquo contrauenire vel perturbare præſumat. Quòd ſi præſumpſerit, indignationem noſtram ſe nouerit incurſurum, & centum libras auri..... pro pœnâ, quoties in toto, vel in parte contrauenerit, accompoſiturum; medietatem ſcilicet camerę noſtræ, & reliquam medietatem dicto Electo, vel ejus ſucceſſoribus perſoluendam. Ad hujus autem conceſſionis, ratihabitionis, innouationis noſtræ memoriam & robur perpetuò valiturum, præſens priuilegium fieri, & bullâ aureâ..... noſtræ majeſtatis impreſſâ juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt Herbipolenſis, Wormatienſis, Vercellenſis epiſcopi, dilecti principes noſtri &c. Acta ſunt hæc apud Cremonam, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo octauo menſe Nouembri &c.*

58 Eodem anno Guillelmus ab Honorio tertio Pontifice legatus eſt in Galliam, & euectus in gubernatorem patrimonij ſancti Petri, autore Guichenono in hiſtoria Sabaudiæ paginâ 256. qui, repugnante Matthæo Pariſienſi, addit Guilelmum hoc eodem anno electum fuiſſe in epiſcopum Leodienſem; eſt conſequente captus ab hoſtibus Eccleſiæ, venenóque mortuus Aſſiſij in carcere. Corpus in Sabaudiam delatum jacet in monaſterio Altæcombæ cum hoc epitaphio. *Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, tertiâ nonas Maij, delatus fuit de curia Romana illuſtriſſimus vir dominus Vuillelmus de Sabaudia Electus Valentiæ.....*

59 Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, Bonifacius de
Bonif. de Sabaudia. Sabaudia Guilelmo fratri datus eſt ſucceſſor ab Innocentio quarto, ſub adminiſtratoris nomine, ſcilicet Bellicenſis erat epiſcopus: adminiſtratoris verò nomen reliquit Philippo fratri anno quinto & quadrageſimo, cùm Archiepiſcopus Cantuarienſis electus eſt. Moritur anno ſeptuageſimo in Sabaudia; die decima quarta menſis Iulij, jacet Albæ-combæ cum hoc elogio *Hîc jacet Bonifacius de Sabaudia Cantuarienſis Archiepiſcopus, operibus bonis & virtutibus plenus.* Ante epiſcopatum fuerat Cartuſianus, vt intelligitur ex literis Hugonis ſecundi Cartuſiæ Prioris, quas Guichenonus recitat in probationibus hiſtoriæ Sabaudiæ. Ex eodem certum eſt Amedeum fratrem fuiſſe quoque Cartuſianum, qui poſtea Mauriennenſem geſſit epiſcopatum.

60 Philippus à Sabaudia Archiepiſcopatum Lugdunenſem adjunxit ad epi-
Philip. à Sabaudia. ſcopatum Valentinum, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, & vtrumque rexit vſque ad ſeptimum & ſexageſimum, quo iis abdicatis, cùm

cùm ſacros Ordines non ſuſcepiſſet,duxit Aliſſam ſeu Adelaidem Hugonis Comitis Cabilonenſis viduam ex hæreditate paterna Comitem palatinum Burgundiæ. Anno quinto & quadrageſimo accepit Subdionem,à Bernarda abbatiſſa cum arce,& ceteris præter portorij tertiam partem,& jura venandi, piſcandi,aliaque paucula. Anno ſecundo & ſexageſimo mutauit hemina ſextarium frumenti, quem Subdionis incolæ pondebant abbatiſſæ pro agrorum cultura.

Huic Epiſcopo perpetuum fuit cum Aimaro Pictauienſi bellum. Gui- 61
lelmus Philippi frater, viderat non fida pangi anno trigeſimo quinto, neque certa & duratura fœdera cum viro vehementis ingenij,& inſanæ cupiditatis. Igitur pro ſuâ prudentiâ addiderat tribus pòſt annis vt Fridericus ſecundus Imperator probaret literas, quibus ante ipſum Imperatores Valentiam & plurima caſtra, juráque in ipſis regia conceſſerant Epiſcopis, vt paulò antè vidimus in ejus tabulis. Imperatoris jura Aimarum commouerunt, fecerúntque vt per aliquot annos ceſſaret à turbis. Decimo pòſt duxit exercitum,& prædas egit per regionem Epiſcopi. Sed Philippus virum ætate, armíſque ferocem voluit frangere patientiâ ſuâ, dictitans Chriſtianâ modeſtiâ,non enſe,haſtáque, dum liceat,pugnandum Epiſcopo; ac juribus nonnullis cedendum potiùs quàm pugnandum, quando in ſubditorum maximè commoda peruenerint ea ad Præſules: atque longè major vis auri profundatur alendo militi ac inſtruendo,quàm illa æſtimentur.Ipſe cum Aimaro conuenit die quinta Octobris, anno incerto,de Criſtâ, Aleſio, Leſignano cauſis bellt. Epiſcopus eam Criſtæ partem habebat,quæ fuerat Siluionis Criſtenſis; alteram tenebat Aimarus: ſed tanta non erat tum Criſta, vt ſatis ad dominium eſſet duobus potentiſſimis viris,iiſque non omnino amicis. Philippus ergo conſtituit,vt ciues quidem eſſent illius in poteſtate, in cujus parte habitarent, neque vlli ab alterâ in alteram migrare liceret; in aduenas verò ei jus eſſet,in cujus ditione hoſpitarentur: in quo peccaret quis loco, reus ſiſteretur domino loci: tertæ prouentus,quiſque peteret,ex ea regione quam coleret. Hactenus ſuper Criſta conuenerunt: trifariam verò dimiſerunt Aleſium; tertiam partem juſſerunt eſſe Epiſcopi, ceteras duas Aimari. Totum Leſignanum addixerunt Philippo. Miror quod Antiſtes adjunxit (ſed tanti erat quies) ſibi non vltrà licitum exædificare arcem Valentiâ Liberonem vſque,quâ viam inter publicam & Liberonem jacent campi. In hæc fœdera jurauit tum Aimarus, poſtmodum abjuranda: nam per epiſcopatum Philippi pugnare perrexit homo inquietus & pactorum infidus. Interceſſere pugnantibus ſæpenumero Baucius,Briſſacus, & alij dynaſtæ,cum Ioanne Archiepiſcopo Viennenſi; ſed irrito conatu. Fuit tamen, cùm in pignus certæ pacis daret Pouſſinum caſtum; fuit,cùm adderet Gigortium, & Pontaiſium pagos, Philippo concedente Fanum Marcelli, & Caſtrum-nouum Iſaræ impoſitum. Deteſtabantur omnes circùm dynaſtæ perfidiam Aimari,& obſtinatum bellare animum,niſi fortè ſi quos conjunctio ſanguinis,aut rei domeſticæ difficultas ad eum admoueret. Plures Philippo ſe adjunxerunt. Inſignis fuit pietas Rogerij Anduſiani: Voutam quoque dedit epiſcopo. Munus illuſtre: ſed Antiſtes clientelæ profeſſione contentus,reſtituit caſtrum Rogerio. Non omittendas à me voces voluit adſcribi tabulis: ſe ductum pietate in Deum,& non immemorem beneficio-

rum

rum à Præſule acceptorum,dare Philippo Voutam. Modeſta nobiliſſimi viri oratio auxit munus magnum per ſe.

Philippo epiſcopatum abdicante cura belli canonicos vrgebat, Aimarus enim omnia rapinis peragrabat & cædibus. Putauerant olim opponendos viro Antiſtites gente clariſſimos, ſi fortè ab alto ductum genus vereretur, qui tot Præſulum virtutem & ſapientiam offendere hactenus non dubitauerat. Verùm nulla eum tetigerat reuerentia Guilelmi & Philippi Principum Sabaudorum,gentis claritate ſuperiorum & opibus.

Guido de Montelauro de Anicienſi canonico,& Bertrandus de Auenionenſi Epiſcopo fiunt antiſtites Valentini anno ſeptimo ſæculi & ſexageſimo, malè pacatis canonicorũ comitiis. Laborabant ſcilicet viri ſapientes pro difficultate temporis,neque ſatis cogitare poterant, quem Aimaro darent aduerſarium animis,prudentia, gente illuſtrem. G. Præpoſitus,& aliqui de Canonicis,Guidoni palam aduerſantes,prouocaueruñt ad Sedem apoſtolicam ab cæterorum in eum conſenſione: ipſe 9. Calendas Februarij, Romam miſit Ycterum de Rupeforti, & Iordanum Frollum, rerum curatores & cauſarum,ac præſertim quæ erat de electione in Epiſcopum Valentinum.

63 Sed Clemens IV. pro Bertrando tulit ſententiam; hoc maximè ſapienter,& ad publicam quietem opportunè,quòd ſanguine junctus erat Pictauienſibus,jamdiu certis Epiſcoporum hoſtibus. Ita ſcribit Aimaro de Bertrando, vt ex epiſtolarum pontificiarum codice accepit Polycarpus de la Riuiere; non Guidoni,vt alij voluerunt: *Ecce jam, ni fallimur, tuo laudabili deſiderio ſatisfecimus,dum Eccleſiæ Valentinenſi prouidimus de perſona prouida,& diſcreta, & tibi ſanguinis proximitate conjuncta.* Sed fefellit Pontificem ſua ſpes. Aimarus bellum indicit, poſt paucos annos ab eo in epiſcopatu geſtos, vt videas cæcam eſſe dominandi cupiditatem,& inuerecundam; neque vllâ,ſeu virtutis & ſapientiæ, ſeu ſanguinis gentíſve reuerentiâ cohiberi ab procaci-

Bertrãdus.

64 bus cœptis. Criſta,Auguſta,Deuaiua belli cauſæ. Iam olim Siluio dederat ea caſtra Epiſcopis: & cum Philippo Antiſtite conuenerat de Criſta etiam ipſe Aimarus. Sed homini inquieto,& rei alienæ appetenti, nulla pax fida, nullum jus certum. Occupare quoque tentauerat Leſignanum,& Aleſium. Vrebat maximè virum principem, & ingentis ſpei dynaſtam, totámque ſupra centum annos gentem ejus malè habuerat vectigalis per diœceſim prohibitio, Comitatus Valentini nomen datum Epiſcopo, & ſcilicet ſolemnis profeſſio obſequij, & clientelæ eidem faciendæ. Igitur alia ex aliis bella ſerebat. Res Bertrando viſa eſt importuna. An Epiſcopo ſemper pugnandum

65 erit? Igitur pedum enſe, templum caſtris, Clerus milite mutabitur? Deo populis,ſibíque placando, non Pictauienſibus debellandis Ludouici, Friderici,Henrici ac Philippi Imperatores;Monuenerij,Beldiſnarij, Ademari potentes viri ac nobiles; Apollinares,Odones,Guilelmi Epiſcopi, hanc opum vim Eccleſiæ conceſſerunt. Quid? Siluio ipſe Criſtenſis, caſtra hæc Decanus ab affinium numeroſa gente,ſuáque illuſtri,& militares animos ſpirante familia abſtulerit, vt nos militiam geramus ſacerdotes? Ergo Aimarum priuat Chriſtianorum ſacris, omnémque illius tota regione ditionem. Hominem impium dementarunt. Eccleſiæ fulmina, non ſanitati reddiderunt. Sacra miſcet profanis,Præſulémque ipſe agit: clericos prohibet crucibus, & ære campano,concionatores ambonibus, archipreſbyteros viſitatione templorum.

Digitized by Google

plorum. Tanta rerum omnium conuersio, in regione ad Italiam posita, non potuit latere diu Pontificem Romanum: mittit V. Prænestinum, & B. Sabinensem, Episcopos Cardinales qui æqui boníque, & arbitarij Iudices, nonis Iulij tulere sententiam Lugduni pro Bertrando, omnibus in Aimarum occlamantibus, vímque, & perfidiam, ac immensam ambitionem homini exprobrantibus: & sanguini tamen iuncto dedit pacem Bertrandus, meliorem precatus animum in res sacras, & profanas, mortuúsque fecit locum Guidoni de Montelauro, qui anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, electus rursus in antistitem, cùm esset in comitatu Romani pontificis, obiit extremum diem Tarascone, vt scribit autor vitæ Amedei Rossilionæi post Guidonem episcopi; quo vehementer annitente, Gregorius decimus videns agi rem cum animi impotente viro, fideíque malè certo, & bella per Episcopatus Valentinum, & Diensem singulis penè annis ciente, ducentéque, cogitauit aliquando antistiti vtrámque Sedem concedere, quod in Concilio generali propositum fuerat, & ab Gregorio IX. quondam tentatum, vt maioribus ei viribus obsisteretur,, quâcúmque auderet facere impetum. Igitur anno 1275. Viennæ 7. calendas Octobris, vniuit ambos Episcopatus & voluit, vt de duobus Præsulibus, alteri superstes haberet vtrumque: quo mortuo Valentiam alternâ vice, Diámque canonici Diensis simul & Valentini, qui intra prouinciam Viennensem essent, conuenirent electuri Episcopum; exordio tamen ab ciuitate Valentia facto. Literæ Summi Pontificis ita habent. *Guido de Mõtelauro.* 67

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS 68 *seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam.

VAlentinensem, & Diensem Ecclesias, in eadem, Viennensi videlicet, prouincia constitutas, & non absque diœcesium contiguitate vicinas, subiectósque ipsarum, iamdudum adeò grauis tyrannis oppressit, & ab olim infesta continuatur oppressio, vt ad felicis recordationis Gregorij Papæ IX. prædecessoris nostri aures vehemens illarum clamor ascendens, ad eum lacrymabili conquestione detulerit, quòd sic nobilium, & populorum ipsis subditorum malitia ebullierit in easdem, vt non erubuerint insurgere in parentes, multiplicato frequenter Patris exilio, & per direptionem bonorum, ac alias persecutiones innumeras in Matris excidio frequentato. Adiecit præmissis dictarum Ecclesiarum miseranda conditio humilis supplicationis instantiam, vt cùm hostilis eorumdem subditorum insania, contra ipsas non desisteret ab inceptis, nec ad sui defensionem earum aliqua sufficeret per seipsam, illas, cùm id exigeret vrgens necessitas, & euidens suaderet vtilitas, dictus prædecessor vniret quatenus ipsarum sub vnius & eiusdem Rectoris moderamine vnita potentia, sufficientiùs resisteret dictorum persecutorum insultibus, & commodiùs eorum violentas molestias, & molestas violentias propulsaret. Iam verò prædecessor horum consideratione commonitus, certis personis suis, sub certa forma dedit literas in mandatis, vt de necessitate, ac vtilitate prædictis sollicitè inquirentes, si expedire ipsis Ecclesiis inuenirent, illas eius autboritate vnire curarent contradictores per

censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescerent, sicut in ipsius prædecessoris literis perspeximus pleniùs contineri. Licèt igitur eodem prædecessore morte præuento, & propter alios incidentes euentus, ad id non fuerit ipsius authoritate processum; quia tamen super his, quæ idem prædecessor per alios inuestigari mandauit, & nos iámdudum, maximè circa Valentinensem Ecclesiam, dum nos minor status haberet, & Fratres nostros, qui vnà nobiscum nuper circa partes illas aliquamdiu conuersati, eadem quasi manibus tractauerunt, & euidentiùs notitia experimentalis instruxit, quò huiusmodi persecutionis diuturnitas, in hæc vsque producta tempora, ea magis reddidit manifesta, cum eisdem Fratribus nostris perpensa deliberationæ præhabita, memoratas Valentinensem, & Diensem Ecclesias propter vrgentem necessitatem, & euidentem vtilitatem ipsarum, de quibus nobis & eisdem Fratribus nostris constitit euidenter, de ipsorum Fratrum consilio, præsertim cùm ad hoc etiam vicinitas locorum inuitet, & de apostolicæ plenitudine potestatis vnimus authoritate præsentium. Statuentes, vt statu Præsulum, qui nunc præsunt eisdem, sine immutatione aliqua remanente integro, tandem quouis ipsorum cedente, seu etiam decedente, sic vna sit earumdem Ecclesiarum episcopalis dignitas, quòd superstes sit Episcopus vtriúsque, Valentinensis, & Diensis Episcopus nominandus, ac deinceps Ecclesiæ: ipsas vno & eodem Antistite simili, quin potiùs eadem intitulatione vsuro, perpetuis temporibus gubernante. Cuius electionem in ipsis Ecclesiis alternis vicibus, sed in Valentinensi primò ab vtriúsque Canonicis, vocem in eadem electione quasi cõrpus vnum, seu Collegium pariter habituris, decernimus celebrandum. Quoties autem noui Pastoris creatio imminebit, illorum sit eorundem Canonicorum vtriúsque Ecclesiæ vocatio, quibus in ea Ecclesia, ab ea vice, sortem electionis huiúsmodi vicissitudo concesserit, ius vocationis eiúsdem anteà competebat; & Canonici alterutrius Ecclesiæ, dum in illa, in qua tunc est electio facienda, propter hoc præsentes fuerint, distributiones in ea quotidianas percipiant, & in omnibus aliis pro ipsius Canonicis admittantur. Sed aliàs quoad Canonicatus, præbendas, & obuentiones quaslibet, Canonici earumdem Ecclesiarum in discretione, seu diuisione remaneant consueta. Cæterùm, ne consuetudinum in eorundem Canonicorum vocatione diuersitas, occasionem aliqam inter eos altercationis inducat, illos tantummodò Canonicos ad electionem vocari statuimus, qui tunc temporis fuerint in eadem prouincia Viennensi. Per hæc autem venerabili Fratri nostro Viennensi Archiepiscopo ipsarum Ecclesiarum Metropolitano, eiúsque successoribus, seu etiam Viennensi Ecclesiæ, nullum præiudicium generetur, quominùs in eisdem Valentinensi, & Diensi Ecclesiis habeant aliàs omnia, & percipiant sicut priùs. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viennæ, 7. Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno 4.

69 70 71 72

DE

Digitized by Google

DE REBVS GESTIS EPISCOPORVM DIENSIVM LIBER SECVNDVS.

DIA, siue Deia, vrbs est in Alpium radicibus, non procul à Droma fluuio, secundo & vigesimo lapide ab ejus fontibus. E castello quondam nobili, & muris valido, quod saxeus collis habet, descendit orbiculatim in planitiem, situ firma, frequens incolis, agro potens, amœnaque, vt non immeritò primùm Vocontij vrbem suam esse voluerint, tum Romani coloniam, ac demum sedem Comites, latè dominantes à Valentinis ad Treuienses. Cingitur illa montibus præaltis omni parte, nisi quâ Dromam flumen agro accipit, emittítque. Diceres se, suósque campos diuites pingui glebâ, ad inuidiam ostentare posito circùm theatro. Sunt illi ferè prærupti, niuosique; sed rigorem sustinent tamen, neque ad rura demittunt jacentia: potiùs non vno in Septentrionem & meridiem flexu, auras, & solem ita dispensant, vt hominum, & frugum vni salubritati seruiant. Tellus itaque ferax frumenti, ac vini, pomorúmque varij generis, & aliarum fere omnium rerum, quibus vita non tantùm honestè, sed etiam cũ voluptate agitur. Has illa opes ad speciem quoque, veluti exultabunda proponit: fluuiis enim, & riuis passim distinguitur, atque tota pene in tumulos colliculósque protuberat, si partem excipias, quam Droma fluuius curuat in plures sinus. In paucis opima est vallis, quam intersecat Meirossa amnis salutari memorabilis latice. Primùm hortis, ad vrbem scilicet, tum pratis, vitibus, omníque segetum genere pro situ nitet. Morbos etiam vulgò nesciunt, seu rure coloni, seu ciues in vrbe; & ad effœtam ferme senectutem perueniunt, sine omni langore. Numerant familias supra mille: neque multi sunt anni, cùm longè plures censebant: inuenio quippe tria fuisse suburbia, Sanmauritianum, Pilosum (ita vocabant à gente nobili & inclytâ) & Sanmarcellinum; eáque pluribus distincta vicis, ac summorum virorum ædibus ornata, vt affirmant quæ de domo sua professus est anno millesimo trecentesimo primo Petrus Moterius vir clarus & diues. Sanmarcellinum paucis domunculis indecorè aggestum vix sustinet nunc nomen suum, duo alia omnino desiere. Ferunt euersa latrocinio, à nescio quibus hominibus ante aliquot centenos annos, vagis quidem, sed specie militari per malè certos ordines grassantibus. Omnino tamen ignota est res, neque barbari nomen ac effrœnis exercitus ad nos peruênit. Excitata profectò fuerant post extinctum totâ Galliâ nomen Romanum, ciuitate scilicet jam quietâ, post multiplicem ac immanem Vandalorum, Gothorum, Saracenorum, Hunnorum depopulationem, & restituente sibi, atque pro antiqua magnitudine modicam; è ruderibus reficiente vrbem murísque concludente. Romanis quippe totâ Galliâ vigentibus Dia excreuerat in amplitudinem visendam, & coloniâ dignam. Dabat illa sedes fidas, & opportunas venientibus ex Italiâ in Galliam Ebreduno. Atque nisi rupes ingens, terræ motu excussa de summo monte, viam intercluderet ad

1 2 3 4

Lucum pagum, facto lacu de Fontanis & torrentibus aquis, nunc quoque frequens eſſet populis ex omni Gallia Romam euntibus. Quæ vrbis porta à S.Marcello nomen accepit, floribus inſcripta, capútque bouis gerens in medio coronicis, habet ſpeciem arcus triumphalis, ab imperator eexercitus profectò erecti, qui vrbem incoleret, aut eâ non procul viciſſet hoſtem. Et agrum ciues duobus, Pedonis ſcilicet, ac Iuſtini, caſtellis munierunt: ſed illius quidem etiam locus ignoratur nunc, hujus verò ingentes ruinæ viſuntur in confragoſi montis ſaxeo vertice.

5 Religionibus quoque ſacram eſſe vrbem juſſerunt; & quam Vocontij Diam vocabant, appellauerunt Deam, vt legitur in Antonini Itinerario (Deam Fortunam interpretatur Maſſonus in notitia epiſcopatuum Galliæ) vt ne patriam quidem ſine ſenſu pietatis memorare, aut meminiſſe poſſent. Diuam non pauci deinde dixerunt ex vocis affinitate, ac Diuiam. Diniam quoque appellauit autor Bibliothecæ Cluniacenſis colum.1732. *Prioratus, S. Marcelli Diniẽſis:* & poſtea, *Prioratus de Tribus mœriis diœceſis Diniẽſis:* & infrà, *Prioratus de Perſico Dinienſis.* Scimus quippe Tria mœnia, & Perſicum eſſe pagos in regione Treuienſi diœceſis Dienſis, Sanmarcellinum verò monaſterium in vrbe Dia. Tantis demum honoribus ceteras circà colonias antecellere rati ſunt, vrbis ſitu, multitudine ciuium, agrorum vbertate, ſanctitate ſacrorum, vt Deam Auguſtam nominauerint, ſicuti habent antiqui lapides; atque adeò auxerint Comitatus dignitate; Deenſem appellauit Ludouicus 4. Imperator ſub annum nongenteſimum. Poſt regni Arelatenſis in varias partes diuiſionem, is Boſone mortuo fuit pars Prouinciæ, Mediterraneo mari, Rhodano, Iſara, & Alpibus comprehenſæ. Raimundus Toloſæ Comes ſub annum milleſimum octogeſimum nonum, petente Ademaro auulſit ab ea Prouinciæ parte, quam Faïda in Alfonſum Toloſanum enubens acceperat à Guilberto & Tyburga parentibus. Anno demum quadringenteſimo circiter ſuprà milleſimum Ludouicus Caroli VII. Francorum regis filius addidit Delphinatui ſuo.

6 Quo potiſſimùm ſæculo fides Chriſtiana Diam peruenerit, quo Epiſcopus habere ceperit, non liquet. Princeps eccleſia dicitur à Virgine Dei parente: ſcilicet in Aſſumptæ honorem dicata eſt. Decani Sede, pluriumque canonicorum collegio nobilis, tantam præterea preſbyterorum vim ante Hugonotorum hæreſim habebat, vt Deo laudes eâdem horâ, junctis tamen à canonicis diuiſi ædibus canerent, ex quo aucta fuerat prioratu S. Mauritij. Eâ porro tunc mole ſurgebat è quadro lapide, vt ſeu longitudinem, ſeu latitudinem ſpectares, viſenda omnino eſſet, vixque ampliorem toto Delphinatu haberet. Sed omnia ornamenta dejecerunt hæretici tantâ, ſeu cæcitate, ſeu impudentiâ, vt decuſſo fornice, euerſo odæo, parietes interiore parte decruſtauerint. Itaque hiant vndique fracturæ, cæmentáque horrentia vix
7 ſe ſuſtentant.

In extremâ æde, ad templi fores læuâ ingreſſo portâ occurrit. Ducebat olim ad eccleſiam infantium, ſeu baptiſmalem. Vtrâque voce appellant chartæ veteres, quòd eam infantibus & baptizandis, & ſepeliendis curaret ſuus Sacerdos. Vide ſingularem Dienſium quondam pietatem. Nolebant innocentium puellorum ſancta de baptiſmo corpora, miſcere poſt mortem corporibus, quæ per majorem ætatem ſeruire potuerant immunditiæ & iniquita

Digitized by Google

quitati ad iniquitatem. Dicata erat Ioanni Baptistæ. Quatuor aris surgebat. Nunc omnino jacet, vixque illius etiam ruderum aliquid supereſt. Quinque insuper sacras ædes in antiquis tabulis lego, quarum omnis me- 8
moria excidit, S. Vincentij, S. Magni intra vrbis muros; S. Laurentij, S. Saturnini, S. Ferreoli in agro. Ad portam cognominem Sanuincentiana stabat: ædes S. Magni erat parochia. Hanc, impietate duce, furore comite, non exciderunt modò Caluiniani; sed super excisæ ruinis, in sanctissimo fano, synagogam Satanæ (templum vocant) excitarunt, trophæum hæresi de fide; & excitatum, proh dolor! seruant sustinántque. Demum in ipso ferme vrbis pomœrio, extra portam S. Petri, fuit domus, quam vocabant recluſoriam. Inclusia dicitur à Foguardo in libro statutorum & consuetudinum ecclesiæ S. Pauli Lugdunensis, vbi etiam fusè recitat ritum, quo includebatur olim Inclusus sanctorum Bartholomæi & Epipodij ab Obedientiario. Recluſoriæ juncta erat olim ædicula, sacra B. Mariæ de eleemosyna. Habebat ea suum Sacerdotem. Quondam erant etiam Diæ plures & variæ Regularium domus, scilicet canonicorum Sancti Rufi, Hospitala- 9
riorum Sancti Antonij, monachorum & sancti Mauritij, & sancti Marcelli, Mendicantium sancti Dominici & sancti Franciſci, Militum templi. Horum Militum ædem lego fuisse juxta S. Vincentij. Ne nomen quidem ejus nunc extat. Quid? quòd cæteræ vi, & vesaniâ Hugonottorum dirutæ sunt. Antonianorum fundamenta quoque eruta, nomenque sepultum æternâ obliuione. Putatur horum domus ad arcem fuisse: vocabatur ecclesia de castello, & Sanctæ Agathæ, ac sancti Marcelli: fuit parœcia ad annum vsque nonum & sexagesimum supra millesimum quadringentesimum. Canonici sancti Rufi, quos à sancto Petro appellant, & monachi tum sancti Mauritij, tum sancti Marcelli, habitabant extra vrbem. Desiere Mauritiani anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quo illorum omnia cesserunt collegio sanctæ Mariæ: Cluniacenses de sancto Marcello Dien- 10
sium episcopo, domo in vna vrbana omnes incolunt. Dominicanorum nemo in vrbe est. Vnus Franciscanorum & alter in magnarum quondam ædium ruderibus incolunt. An Cistercienſium abbatiam, quæ à situ loci appellatur Vallis crescentis, censere debeam, animi pendeo. Sanè in agri finibus est, & qui eam habent coloni, sacramenta petunt ab vrbe. Olim quoque pro sepeliendis fidelibus egit certâ lege, conuenítque Abbas cum canonicis sanctæ Mariæ. Sed sacris ædibus cur Hospitales non adjungam, in quibus maximè sacrum opus, salutis nostræ cardo, sanctæ mentis fundatissimum argumentum, eleemosyna, & eleemosynę prȩcipua pars, ægrorum pauperúmque cura sedem habet? Vt ergo pręteream duas leprosorum 11
ędes, septem fuerunt Dię ante coortam Caluini hęresim, numerosę plebis non leue argumentum, S. Petri, S. Iacobi, S. Marcelli, S. Magni, sanctæ Crucis, Sacristæ, Posorij, seu Posoni, aut Poserij. Et hanc quoque pietatis partem afflixerunt Caluiniani, vixque vnam de tot sacris pauperum domibus nobis reliquerunt. Erit fortasse aliquando illa dies, cùm redibit in suam ciuitatem sincera fides, suúmque templi cultum restituet, sua pauperibus tecta, suas regularibus sedes. Vtcunque id eueniat, fuit olim profectò Dia, sicut populo grauis, & origine vetus; ita religionibus sancta, vt Augustam jure cognominent antiqui lapides.

Digitized by Google

12 Episcopum nunc habet eumdem cum Valentiâ;quondam habebat proprium. Quo anno,quibus ex causis , ea mutatio per summum Pontificem inducta sit referam suo loco. Nicasium Diuionensem , aut Diuiensem de prouincia Galliarum Episcopum, interfuisse Nicenæ Synodo, testantur hujus Concilij tabulæ. Diensem fuisse docet Vlphinus,Diensis & ipse antistes, in vitâ S.Marcelli.Diam enim vti Deam,ita Diuam , antiqui appellauerunt, & Diuiam, aut Diuionam quoque,vt ex hoc loco intelligis. Vixit circa annum trecentesimum vigesimum , & quinto pòst anno se contulit Niceam Bithyniæ, Gallorum vnus Pontificum. Magna laus illa ætate ! scilicet de Gallra primus in Orientem penetrauit,pro Christianâ fide tuendâ,nouo ausu,magno exemplo. Scio esse,qui Nicasium velint fuisse Dinienſem episcopum:& verò in quibusdam Concilij Niceni codicibus,Nicasius *Dinienſis* subscriptus legitur. Sed in ea subscriptione *Dinienſis* positus est pro Diensi, non aliter quàm in Bibliotheca Cluniacensi, vt annotaui numerò quinto. Certè si Nicasius eripiendus erat Diensibus, & Dinienſibus concedendus, quis hoc facere magis,& pro eruditione potuit, & pro ecclesiæ suæ amore debuit, Gassendo Dinienſis ecclesiæ Præposito ? ipse tamen,& Nicasium fatetur Diæ sedisse,non Diniæ,in notitia Dinienſis ecclesiæ capite 8.& id comprobat ex epistola Gregorij septimi ad Hugonem episcopum Diensem anno 1076.

13 Ante Nicasium Polycarpus Lariuierius sedisse Diæ S.Martium,Higerium, Leonem, Seruilium,ad me scripsit anno hujus sæculi septimo & trigesimo. Quoniam iisdem literis etiam recitat plures post Nicasium, placet omnem epistolam hîc exscribere. Ea sic habet. *Cùm ex Prouinciali omnium ecclesiarum,in quo à B.Dionysio Papa,anno à sede Petri Romæ conditâ ducentesimo vigesimo primo* (ducentesimum sexagesimum sextum Christi intelligit, & sextum Dionysij , cùm Petrus fixerit sedem Romæ anno Christi quadragesimo quinto) *singulæ metropoles & diœceses Galliarum describuntur,constet Deam,siue Diam Viennensis prouinciæ ciuitatem, jam à multis annis habuisse episcopum frustra dubitari posse videtur , S. Martium, qui primus ejus sedis antistes recensetur, ante conscriptum illud Prouinciale Dionysianum,quinquaginta saltem annis resedisse in eâ. Itaque conjecturâ haud inani,sed quam facile erit mihi æquo probare judici,ductus,circà annum 220.beati illius statuo pontificatum Diensem ; & exin successores quos nanciſci licuit,enuntio. In ordine ergo ordine sunt isti.*

14
1. *S.Martius circa annum Christi 220.*
2. *Higerius.*
3. *Leo.*
4. *Seruilius.*

} *Quatuor hi ex vitâ S. Marcelli episcopi Diensis,carmine editâ.*

Nicasius 325.

Celsus 356. *in annalibus nostris Ecclesiæ & ciuitatis Auenionensis, cum Nestario Viennensi, Metiano Auenionensi , Eradio Arausiensi,& aliis magnis Viennensis prouinciæ episcopis aduersus Saturninum Arelatensem.*

Constantinus 419.

Projectus 440.

S.Petro

S.Petronius,cui fatalis annus 463. *contigit.*
S. Marcellus ejus frater.
Sæculatius *anno* 517.
Præſtantius 739.*in diplomate Caroli Martelli,*
Aramandus 776. *in Valeſiorum hiſtoriâ.*
Deſideratus 788.
Vlfinus 800.
Emico 876.
Giſenodus 943. *in Octodorenſibus noſtris cum Sabone Viennenſi, Boſone Ebredunenſi, & aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis regni Burgundiæ.*
Iſardus,vel Iſarnus 981.
Petrus 1037.
Hugo 1076.
Iſmio 1103.

Et ceteri,de quibus nihil non lectum reuerentiæ veſtræ nuper animaduerti.Porro ex fide omnia,& ex animo voueo teſtatiſſimis veterum auctorum,vel tabularum monumentis explorata & probata.

Ieſus amor noſter, doctrina, virtus, ſalus, & gloria noſtra.
Atque in eo humillimus ſeruus, & frater

Polycarpus de la Riuiere
Cartuſianus.
20. *Iulij* 1637.

Quod prouinciale Dionyſianum memorat Polycarpus, jam expectamus diu : quam enim lucem non dabit omnium gentium, & locorum hiſtoriis, notitia adeò antiqua vniuerſorum totius Chriſtiani orbis epiſcopatuum ? Vitam S.Marcelli vtrâque oratione in veteſtiſſima membrana conſcriptam habuit Pariſiis. Vlfinus Marcelli ſucceſſor,auctor eſt ſolutæ numeris. Seruat etiam Polycarpus nomina martyrum & confeſſorum, qui ſub Eurrico Gothorum rege paſſi ſunt in Gallia Narbonenſi. Hæc omnia typis aliquando mandabit,& à ſe recenſitos epiſcopos ſuis firmabit auctoribus,redeamus ad epiſcopos Dienſes. 15

S.Martius ergo ſit eorum primus ex Polycarpo. Hic ex eodem ſederit circa annum 220. Poſt Martium ſederunt deinceps Higerius,Leo, Seruilius teſte S.Vlphino epiſcopo Dienſi,in vita S.Marcelli. Nicaſius interfuit Concilio Niceno an. 325. Æmilianus anno 374. Valentino,vt ex Polycarpo Lariuierio aduertit Gaſſendus in notitia Eccleſiæ Dinienſis capite 2.Conſtantinus ſedit anno 419. & Projectus 440.vt vidimus in epiſt. Lariuierij.Innominatus anno poſt quadringenteſimum ſexageſimum incerto, vnctus eſt à S. Mamerto archiepiſcopo Viennenſi in epiſcopum Dienſem Hilaro Papâ, vt ipſemet Hilarus docet epiſtolâ 9. & 11. 16 *S. Martius. Higerius. Leo. Seruilius. Nicaſius. Æmilianus Conſtãtinus. Proiectus.*

Sancti Petronius & Marcellus poſt eum geſſerunt epiſcopatum. Fratres Auenione nati apud breuiarium Dienſe,& ante Sacerdotales infulas monachi loco ignoto ; fortaſſis Lerone ad extremam Prouinciam, vbi poſt Honoratum florebant ſcientiâ & virtute inſignes Vincentius, Hilarius, Cæſarius ? Lego Petronium per vitam,& poſt mortem inclaruiſſe miraculis.Diuinarum 17 *Petronius.*

narum rerum cognitione,& dicendi vi etiam illustrem fuisse docent ista verba,quæ canit Ecclesia Diensis: *Diam dies illustrauit, per verbum quod prædicauit in eâ Petronius.* Addit in breuiario mortuum die morbi septimâ,vt prædixerat; *Exitum suum Christo reuelante prædixit*; &, *ægrimonia membra carpit languida, diéque septimâ cœlum felix conscendit anima.* Mortuus est autem anno quadringentesimo sexagesimo tertio vt vidimus, ex Lariuierio. Altare,in quo faciebat, seruauere canonici, vsque ad sacræ ædis per Caluinistas excidium. Episcopi, primùm vrbem ingressi, jurabant ad illud in exemptiones ciuitatis, & cleri. Lego id sacramenti dixisse anno octauo & sexagesimo supra millesimum quadringentesimum, 14. calendas Octobris Geraldum de Crusseolo, & quadragesimo quarto supra millesimum quin-
18 gentesimum 7. calendas Augusti Iacobum Turnonium. Marcellus Petro-
Marcellus. nio fratre mortuo electus est in episcopum ex diacono. Cùm eligebatur in Præsulem, fugit vltra Dromam fluuium, & superato monte, qui Dromæ imminet,latuit dies 12.in tugurio *Mellis* dicto,*vt probaretur* (sunt verba breuiarij Diensis) *esse dulce quod saperet,quibus semper de corde puro diuina eloquia, super mel & fauum dulcia, de ore proferens, fidelium transmissa faucibus inferebat. Interea prehensabat episcopatum* alius nescio quis, *vt illius ambitio calcaretur, & Marcellum eligeret fuga nobilior. Igitur vicit non caterua numerosior, sed illa quæ melior*;& demum Marcellus electus est, secundum præcedentes in ipso prophetias: columba quippe eligendum monstrauit, & electum secuta est vsque ad sedem pontificiam.Rex Burgundionum Arianus, misit episcopum in exilium (Dia quippe tum suberat illi genti) neque ab exilio reuocauit, nisi post filium letali morbo curatum. Anno sæculi quinquagesimo sexto interfuit Concilio Agathensi. Iterum postea exul, mortuus est in Prouinciâ, non longè Barjolis oppidulo, & corpus incorruptum ad eas delatum, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto,datum est ignibus à Caluinistis. Osticulum modò pollicis, nunc è busto reliquum seruant. Fama est non arboris, non fruticis,non herbæ vllum genus in loco nasci,in quo crematum est. De illâ beati corporis translatione sic habetur in Missâ,quam Massilienses Ecclesia in suo missali quondam reposuit. *Sanctus Marcellus peracto tempore, cuidam presbytero,qui assiduus erat in basilica S.Mauritij*, tribus,aut circiter,leucis à Bariolis,*nocte in pontificali apparuit. His auditis presbyter in loco Bariolarum peruénit, nuntians visionem* de transferendo sancti viri corpore in celebriorem locum. *Quo audito* à presbytero, petente vt reciperetur Bariolis,*& facto jejunio triduano,verè Bariolenses iuerunt festinanter ad locum,vbi in ecclesia Sancti Mauritij corpus erat*;
19 *& honorabiliter eum deduxerunt.* De sancto Marcello denique ita scripsit Gregorius Turonensis libro de gloria Confessorum capite 70.*Fuit autem & Marcellus Diensis vrbis episcopus,vir magnificæ sanctitatis, ad cujus nihilominus tumulum*, abs dubio iu illa S. Mauritij basilica, *Lychnus accensus diuturno spatio lucere solet. Præstat ex eo oleo virtus Domini medicinam infirmis.*Hæc Turonensis. Vlphinus & ipse Diensis antistes scripsit de vita sancti viri. Habet librum Polycarpus Lariuierius; addítque in eo,& alia præclarą conteri, & legationem Nicasij Diensis ad Concilium Nicenum,atque Nicenorum Pa-
Auentinus. trum responsa Gallis episcopis per Nicasium data. Auentinus,Roberto Antonius anno quingentesimo septimo interfuit Synodo Aurelianensi primę.

Se

Digitized by Google

se metropolitanum in ea scripsit: an error potiùs est hic typographi? Qui idcirco negauerit fuisse episcopum Diensem, næ ille significabit ignorare se datum aliquando episcopis metropolitani nomen: Tolosanus episcopus in eâdem Synodo accepit illud, qui pluribus pòst sæculis adeptus est à Ioanne XXII. Pontifice nomen archiepiscopi. An quod Proculo Massilienſi concessum fuerat in Taurinensi Concilio circa annum 400. vt in prouincia secundâ Narbonensi haberet per vitam nomen metropolitani, hoc Auentino datum est? An metropolitani nomen accepit, & jura, per Romani Pontificis sententiam in episcopum metropoleos, vt Constantius Vticensis ab Hilaro contra Hermem Narbonensem dicente, & antiquissimus prouinciæ à Leone, aduersus cedentem alteri jure suo?

Seculatius post Auentinum episcopus interfuit Epaunensi Concilio anno 509. Quæ fuerit Epauna prorsus ignotum est. Qui ponunt ad Auregeram fluuium in diœcesi Tolosanâ, multùm errant. Fuit istud episcoporum prouinciæ Viennensis Concilium, vt docet ipse Auitus archiepiscopus Viennensis epist. 80. quâ illos vocat ad Synodum: *Supplicat per me, si dignamini, Ecclesia Viennensis &c. Cunctos simul poscimus fratres, vt Deo fauente, 8. iduum Septembrium in parochiâ Eponensi adesse dignemini.* Quis autem animum inducat antistites illius prouinciæ, vltra Tolosam, ad montes Pyrenæos conuenire voluisse? atque, vt cogitassent, profectò Sigismundus Burgundionum rex, non passus fuisset extra regnum coire, in vrbe Gotho principi tum & Ariano subjectâ. Synodum Epaunensem pro Agaunensi vocatam existimauit Papirius Massonus, & tantùm non docent Aimoinus, & Fredegarius. Ille sic loquitur libro 3. cap. 50. *Synodum 40. episcoporum aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi regis ab Auito, & ceteris episcopis illius temporis institutus fuerat, in cœnobio quod ipse fabricarat, teneretur, efficeret.* Hic autem habet ista in Chronico. *Synodum 40. episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis monasterij SS. Agaunensium, quæ temporibus Sigismundi regis ab Auito & ceteris episcopis, ipso jubente principe, fuerat firmata, idemque & hujus Synodi conjunctione, monasterij Sancti Marcelli Guntramnus institutionem firmandam curauit.* Lariuierius vidit Lënnæ in Sabaudiâ non procul Rhodano lapides inscriptos Deæ Eponæ, quia verò ab Eponâ ad Epienam facilis est deflexio, facilior etiam deformatio Lënnæ ex Epiena, priorem syllabam, vt fere cetera, deterentibus sæculis, eò cogitatione, neque immeritò, deuênit, ex Dea quam colleret, loco fuisse nomen Eponæ, & in eo Synodum habitam Eponensem, seu Epaonensem. Profectò ab ingentibus magnâ agri parte domorum ruinis intelligere est, vrbem olim non contemnendæ magnitudinis fuisse, qui modicus nunc est pagus. Vtcumque tamen hoc de Epaunâ habeat, Seculatius qui anno 509. fuit in Epaunensi Concilio, sedebat Diæ anno etiam 517. ex Lariuierio, vt ex ejus ad me epistolâ in superioribus retuli.

20 *Seculatius.*

Aredius anno 552. fuit in Synodo Aurelianensi quintâ, & anno 559. in Parisiensi secundâ. Cùm autem in Aurelianensi dicatur Diuiensis episcopus, ex in Parisiensi Diensis, vides eamdem vrbem tum passim vocitatam esse Diam, & Diuiam. Lucretius anno 570. per Vincentium presbyterum fuit in Concilio Lugdunensi primo, & an. 573. per se ipse in Parisiensi quarto? Heraclius an. 582. in Matisconensi primo, Paulus an. 588. in Matisconensi secundo.

21 *Aredius. Lucretius. Heraclius. Paulus.*

22 *Præſtantius.* Præſtantius habetur in diplomate Caroli Martelli ex Lariuierij in epiſtolâ ad me datâ, quam in ſuperioribus recitaui; & ſedebat Diæ anno 189. & *Aramandus.* Aramandus anno 788. ex eadem epiſtola. *Deſideratus.* Deſideratus eodem anno ſedebat ex Concilio Narbonenſi, cuius acta recitat Baluſius ad librum 6. Marcæ de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ cap. 25. Igitur illo amborum alter cepit, deſiit alter ſedere: quis autem eorum ceperit, deſierit quis, non poſſum dicere. Nam Concilium quidem illud inchoatum eſt quinto calendas Iulias ignotum verò mihi eſt an Aramandus ante illum diem geſſerit epiſcopatum.

23 *S. Vlphinus.* S. Vlfinum Lariuierius ſediſſe vult anno octingenteſimo. Eodem nono ſæculo ſediſſe lego Diæ Remigium, Aurelium, Emiconem. *Remigius.* Remigius octauo illius & quinquageſimo, menſe & die ignotis, interfuit inſtaurationi monaſterij Sancti Andochij Heduenſis, & Concilio Lingonenſi 13. calendas Maias, quo die Ionas Heduenſis antiſtes in eo dedit Simponiacum villam ſuis canonicis. *Aurelius.* Aurelius anno quinto & ſeptuageſimo in S. Marcelli Cabilonenſis, cum aliis epiſcopis in Concilium coactis confirmat omnia jura, & bona cœnobij Trenorchienſis, vt autor eſt Chiffletius in probationibus hiſtoriæ Trenorchienſis pag. 218. *Emico.* Emico anno ſexto & ſeptuageſimo ſedet in Pontigonenſi, & tertio poſt anno in Mantalenſi.

24 *Giſinodus.* Giſenodum vidimus in ſuperioribus ſediſſe Diæ anno 943. ex Lariuierio. Eo ipſo ſæculo 10. *Achideus.* Achideus, Vvlfadus, & Iſardus fuerunt epiſcopi. Achideus *menſe Maio, anno* 20. *regnante Conrado* conceſſit eccleſiam *de Carauols* cœnobio ſancti Theofredi, ſeu Monaſterij, vt Ægidius Lacarry è noſtra Societate ſcripſit anno 1665. die 30. Auguſti ſe legiſſe in tabulis autenticis. Annus autem Conradi vigeſimus fuit Chriſti nongenteſimus ſexageſimus, vt intelligitur ex iis quæ docui de annis ejuſdem Conradi libro ſecundo de epiſcopis Siſtaricenſibus numero 1. *Vvlfad.* Vvlfadus ſiue Golfadus ex abbate monaſteriij S. Theofredi, quod rexerat annis 955. 960. 970. Epiſcopus, autore eodem Ægidio Lacarry fuit. Addidit autem ſe id accepiſſe ex *Iſardus.* libro ante annos 500. ſcripto qui in eo habetur monaſterio. Iſardus demum, ſiue Iſarnus ſcribitur in illâ ad me epiſtolâ ſediſſe anno nongenteſimo octogeſimo primo.

25 *Petrus.* Petrus annis 1012. & 1023. geſſit epiſcopatum, ex tabulario S. Barnardi Romanenſis. Geſſit quoque anno milleſimo trigeſimo ſeptimo ex illâ Lariuierij epiſtolâ & Roberto in Gallia Chriſtianâ? Geſſit demum Petrus anno 1036. ex Romanenſi tabulario, & 1059. ex Roberto. Si vnus & idem Petrus illis omnibus eum geſſit, dicendus eſt ſediſſe annos certè 50. quod cur aſſeram, aut rejiciam non occurrit.

26 *Hugo.* Hugo ingentium vir animorum, & infractæ virtutis; *religione* etiam, vt loquitur Iuo Carnotenſis, *prudentiâ, & autoritate mirabilis*, anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo quarto fit Epiſcopus non ſine prodigiis teſtantibus vim præſentis, ac veluti ſuffragium ferentis Dei. Videtur natus in Viennenſi diœceſi: cur enim alioqui jam epiſcopus Dienſis, dictus eſt filius Eccleſiæ Viennenſis? Romani vrbe poſitâ in ejus prouincia fortaſſis natus fuerat, qui ab eodem Pontifice Romanus appellatur, & negatur tamen Romæ natus, & educatus. De viri in epiſcopum electione ne, ita loquitur Paulus Bernriedenſis. *In electione tantum lumen cœlitus deſcendit, vt diem vinceret, & corda omnium qui aderant adueniſſe Spiritum*

Digitized by Google

Spiritum sanctum non dubitarent. Guilelmus Comes Diensis vnctionem Præsulis electi turbare cogitauit, & ipso, longè ab hominis irâ vi, Romam profecto, prædas egit de ciuibus contrà nitentibus: commouerat scilicet populum quoque Diensem cœleste portentum. Clericum etiam misit in carcerem. Probauerat ipse tamen Hugonis electionem; vt quid enim lumen illud, & alterum veluti solem dicere falsum ausus fuisset? eique *fidelitatem fecerat* (vt verbis vtar Gregorij Pontificis) quæ profectò dicenda est professio clientelæ. Res importuna visa est Romæ. Igitur Pontifex vngit Hugonem in Episcopum; castigat verbis Guilelmum Comitem, sique pergat in scelere, intentat resectionem à sacris Ecclesiæ Christianæ. Sed cùm Hugo 17
Flauiniacensis abbas, Hugoni Episcopo coæuus & carus, dixerit fusè de illius electione in chronoco Virdunensi, non contemnendum erit operę pretium, si illam ex eo referam. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo quarto, præsidente Romanæ Ecclesiæ Papa Alexandro, Giraldus Ostiensis Episcopus, Romanæ sedis Legatus in Galliis, Concilio habito Romam rediens, & apud vrbem Diensem hospitatus, cum clericis in Ecclesia de vtilitate Ecclesiæ loquebatur. Erat enim in eâdem vrbe Lancelinus Simoniacus, dictus Episcopus, qui vocatus ad audientiam, cùm venire recusaret, & se in domo episcopali manu militari defenderet, & episcopatum retinere tentaret, tractabat Legatus cum ciuibus, canonicis scilicet, & plebis majoribus, quid de episcopo agerent, &c. Cùm ergo de his inter eos tractaretur &c. ecce personuit ad aures eorum, aduenisse illuc, & ecclesiam quâ tenebantur, intrasse dominum Hugonem Lugdunensem Camerarium, præcinctum, & paratum ad equitandum; ibat enim Romæ ad sanctum Petrum. Nec mora, Spiritus sancti gratiâ corda suorum illustrante, fit clamor, & concursus fidelium; ocreatus cum calcaribus inuenitur, rapitur, tenetur in conspectu Apostolicæ sedis vicarij, summo omnium fauore & gratiâ deducitur, quòd dignus sit qui possit Ecclesiæ præesse, & prodesse acclamatur. Reclamabat ille, & votis populi parabat obsistere, quasi qui non posset, nec deberet, sponso legitimo viuente castitatem Ecclesiæ fœdâ scissione corrumpere. In hac deuotâ contentione, placuit diuinitati beneplacitam suæ præsentiæ voluntatem, in ostensione lucis suæ fidelibus declarare. Nam cùm esset nubilus dies, lux in modum sphæræ per aliquot horas in gremio, & facie splenduit ecclesiæ, quæ sic accendit cunctos qui aderant & viderant, ad laudandam propitiationem diuinæ clementiæ, vt clamaretur ab omnibus, Benedictus Dominus Deus respexit defectionem Ecclesiæ suæ, vt visitaret eam, & illuminaret tali Pontifice. Sic clamores & vota omnium, judicium probauit cæleste, & electus ille, qui nec valuit, nec voluit tot præcurrentibus judiciis voluntati Diuinæ contraire. Compulsus est autoritate Apostolicâ remorari, & confirmata est super eum electio cleri, & populi. Quo audito, ipse qui Ecclesiam per simoniam inuaserat, & armis retinere tentabat, dolens vnanimem esse assensum ciuium, & timens populi gaudentis, & ad pia vota incalescentis animo, si intumesceret, impetum ferocissimum, demum episcopatum deseruit, & recessit &c. sublimatus est electus noster &c. Inuenit itaque ciuitatem angoris plenam, tribulationibus circumseptam, vigilantiâ multâ egentem, resque episcopij direptas, ita vt non inuenerit, vnde vel vno die de reditibus domus episcopalis viuere potuerit. Ita omnia attriuerant, qui ante eum fuerant, adeò vt de omnibus totius episcopatus ecclesiis, vix vnam haberet domus episcopa-*

lis, aut mater eccleſia, cùm fere omnes poſſiderentur à militibus, & à quibuſlibet ſæcularibus &c. *Obierat ipſo anno Papa Alexander in ipſo Apoſtolorum Petri & Pauli natalitio, & ſuſtitutus erat vnanimi electione cleri & populi Gregorius ſeptimus* &c. *Hugo ſolam clericatus tonſuram habebat, deteſtabatur enim ſimoniacorum ordinationes. In menſe Decembrio, per manum eius* (ſcilicet Gregorij ſeptimi) *vſque ad presbyteratus gradum promotus eſt,* &c. *in quadrageſima verò Sabbato in presbyterum, & ſequenti Dominicâ ad Miſſam in Epiſcopum conſecratus eſt. Sic poſt octonos conſecrationis dies affatim imbutus diuinis dogmatibus, & vbertim roboratus eccleſiaſticis ſanctionibus, benedictione perceptâ dimiſſus eſt ad regendos filios* &c. *Poſt ipſam ſuam electionem, quæ facta eſt menſe Octobrio die decimâ nonâ ad ſuſcipiendos ordines Romam menſe Decembris veniſſet* &c. Gregorius VII. *commiſit ei ſuas vices in Gallia* &c. *quia perrari illic erant, qui non eſſent aut ſimoniaci, aut à ſimoniacis ordinati, aut*
28 *per manum laicam inueſtiti* &c. Hactenus Hugo Flauiniacenſis abbas in Virdunenſi chronico de electione, vnctione, & per Gallias legatione Hugonis Epiſcopi Dienſis. Hîc placet addere, non eſſe nihil, cur miremur Hugonem ab eo ſemper appellatum, etiam cùm Lugdunenſis Camerarius erat, Diámque vênit, ſi ante epiſcopatum dicebatur Rollandus Humbaldus, vti voluit ſcriptor chronici Malleacenſis ad annum 1083. Certè hoc nominis Hugo monachus ignorare non poterat, de quo ipſe jam è Dienſi Lugdunenſis antiſtes, cùm Flauiniacenſibus dediſſet abbatem, ſcripſit Haganoni epiſcopo Heduenſi, *quem nobis aſſumpſeramus, cujus nos ſedulitati credebamus imo cujus lingua vox noſtra erat.* Vnum aliud non tacebo. Sanmarthani de Hugone Dienſi agentes, habent ſequentia. *Columbus libro 2. epiſcoporum Dienſium, ex genere principum Burgundionum procreatum affirmat, nepotem ſcilic. Hugonis filij Odonis primi ducis: ſed nihil de eo reperies in ſtemmate regio principum Burgundionum.* Ego Petri Frizonis fidem ſecutus ſum, qui libro 2. Galliæ Purpuratæ ita ſcripſerat, Hugo Dienſis epiſcopus, *nepos Hugonis filij Odonis primi Burgundionum ducis.* Neque Sanmarthani videntur non legiſſe clariſſimi viri verba. Non addidi tamen ex eo rem accepiſſe me: ſcilicet non ſolemus addere, nos ex autoribus repetere quæ gentis ſunt; & ipſi, puto, Sanmarthani fere non addunt. Erit fortaſſe, qui, poſt Frizonem, ex veris tabulis addat ſtemmati regio principum Burgundionum Hugonem epiſcopum Dienſem, Sanmarthanos imitatus, qui & illi ipſi ſtemmati, & ceteris quæ Francorum reges attingunt, ſecundis, & tertiis lucubrationibus plurimos ex vero inſeruere. Vtcunque hoc habeat, an. 1109. *obiit Hugo archiepiſcopus de Diis,* ex chronico Malleacenſi. Sed ad illa accedamus, quæ ante archiepiſcopatum Lugdunenſem peregit cùm epiſcopus ſedebat Diæ.

29 Anno 1075. renuntiatus eſt Legatus Gregorij ſeptimi Pontificis per Gallias. Magna per ſe dignitas, ſed plena inuidiæ illis temporibus, & periculi. Plures Gallorum antiſtites tum ſimoniâ laborabant, aliiſque criminibus; neque illi contemnendæ authoritatis, vt quos ſupra decus antiquiſſimarum ſedium, admouebat ſummis Comitibus, Ducibus, Regibus, vel amor & voluntatum conjunctio, vel ſanguis & familiarum nobilitas. Tantorum virorum ſcelera quis aduerteret certus opum, honorum, vitæ; diſſimularet ſecurus æternæ ſalutis & Dei? Hîc igitur Hugo ſe probauit fortem virum, & judicem mentis inconcuſſæ. Suſpendit Hugonem Biſuntinum, Richerium

Seno

Senonensem, Rodulphum Turonensem Archiepiscopos: deposuit Stephanum Anicien-
sem, Rainerium Aurelianensem, Gotfredum Carnotensem episcopos. Animaduertit in
episcopum Teruanensem, nequidquam contrà agente Roberto Comite Flandriæ: & in
Dolensem Archiepiscopum qui se tuebatur autoritate & opibus Guilelmi regis Anglorum.
In Humberto Teruanensi hoc singulare fuit, quòd ad simoniam adjunxerat hæresim
(agebatur annus millesimus septuagesimus nonus) Berengarianam profectò, quam enim
illis temporibus, aliam? Manichæismus ex Italiâ in Galliam Aurelias deportatus per
insanam mulierem, & agentibus Heriberto ac Lisoio propagatus, jam ceciderat manu
Roberti regis anno millesimo vigesimo. Nondum excitauerat Sabellianismum ille apud
Anselmum, qui ex magnâ rerum sacrarum ignoratione dicebat vnam non esse naturam
trium diuinarum personarum, si prima & tertia carnem non acceperunt humanam cum
secunda: cepit enim homo impius errare anno millesimo nonagesimo quarto; Berengarius
autem anno millesimo septuagesimo nono damnauit vltimùm suam hæresim. Tum agebatur
moderatè in hominis sequaces, vt non mirere Hubertum, de illis vnum aspirasse ad epi-
scopatum. Rupertus post annum millesimum centesimum decimum septimum, libro
septimo in Ioannem asserit toleratos ab Ecclesiâ sed in pontificia sede ferre non potuit
noster Hugo. Causa Manassis archiepiscopi 30
Remensis tenuit plures annos Legatum summi Pontificis. Ea est, vt videatur res alicujus
operæ totam fusiùs exequi, ad aperiendam Hugonis patriam, autoritatem, vim mentis
atque prudentiam. Manasses malè audit apud Gregorium summum Pontificem: cúmque
aliæ ab aliis querelæ, tum ab ipso, tum contra ipsum contentiosè consurgerent in dies,
neque Hugoni Legato jussus se sisteret, denique damnatus est anathemate, suáque sede
pulsus magno disciplinæ ecclesiasticæ bono, & grauissimo pontificij vigoris argumento.
Prima seges malorum fuit vexatio monachorum sancti Remigij. Obierat abbas nobilissimi
monasterij: cúmque Manasses alium, vt in mandatis habuerat, non sufficeret; potiùs
ejus facultatibus immineret, ac turbaret quietem, & pietatis officia; atque monachi
Romam profecti vehementer expostularent apud Pontificem, indoluit scilicet Gregorius
inde mala monachorum & disciplinæ regularis damna orirı, vnde virtutis omnia decora
sanctitatísque petere debuissent; & quam domum Remigius optimis legibus constituis-
set, à sancti viri successore illam diripi & euerti. Iubet igitur præficere abbatem, atque
vt hominem vrgeat, acerrimósque stimulos ægrè agenti adhibeat, intentat excommuni-
cationem gerenti segniùs rem, & literas ad ipsum pontificias ad Hugonem Cluniacensem
abbatem mittit, qui reddat Manassi, déque viri, vel morâ in parendo, vel diligentiâ
referat ad Pontificem. Præcepta Gregorij pupugere hominem. 31
Metis euocat abbatem sancti Arnulfi, virum præstantem literis, & insignem virtute, eúmque
præficit monasterio Remensi, vt videas metum esse non leuem officij magistrum. Sed qui
abbas scientiâ, & pietate valebat, neque alterum, scilicet Merense, Monasterium regere
fugiebat, vtrique regendo parem se omnino diffitebatur: atque vbi Romam venisset,
probauit Gregorio mentem suam. Alium

ergo iussus est Manasses dare abbatem Sanremigianis monachis eumque ad Beati Benedicti leges priùs exigere. Hìc arbitratus est iam se Pontifici fecisse satis, & abbatis Metensis euocatione tantum nomen pietatis ac obedientiæ collegisse, vt si nunc indulgeret sibi aliquid, minúsque probum monachis daret Præpositum, non vltrà querelis eorum atque criminationibus aurem Gregorius præberet. Præficit abbatem sine literis, sine pietate hominem: nihil ex legibus S.Benedicti; affectu omnia proprio, impetúque dispensat. Quod temerario ausu perfecerat, in eo tuendo ferociter obstinauit. 32 Neque enimuero monachi piis & sapientibus præpositis assueti, ferre potuerunt hominem literarum omnium rudem, & totius virtutis indigum. Alium abbatem postulant: negatur ipsis: queritantur creatum contra monachorum leges; vis reponitur pro querelis, excommunicationem intentat, inferítque demum Manasses, etiam prouocantibus ad sedem apostolicam Roberto & Lamberto monachis, atque fratri cuipiam laico, eique cæco. Dignus hic profectò erat, cuius non taceretur nomen, vir oculatissimus mente. Res tanta non potuit latêre diu Gregorium. Iubetur ab illo Ioffredus episcopus Parisiensis rem è propinquo cognoscere, ne contentio latiùs serpat, atque totum negotium ad Hugonem episcopum Diensem deferre conficiendo iudicio, & accipiendæ super graui controuersiâ sententiæ. Neque solos Remenses monachos vexabat Manasses, de clericis quóque suis nonnullis abegit in exilium; & tamen multa super Laudunensi, & Suessionensi episcopis, multa super Vvormundo archiepiscopo Viennensi queritabatur apud Pontificem: illos ipso metropolitano inconsulto imposuisse manus aiebat Ambianensi episcopo, quem de manu laica sedem accepisse addebat. Iactabat Vvormundum deiecisse gradu presbyteros in diœcesi Remensi, & ordini suo postea restituisse. Hæc aliáque id genus memorantem, sistere se Hugoni Legato Pontifex imperat, qui dirimat vniuersam litem. Vide fastum hominis: reponit sibi archiepiscopo Remensi iudicem vnum illum esse, qui Petro Apostolo successisset, aut à Petri successore Româ Legatus adesset, qualis in media Gallia natus Hugo dici non possit. Quasi Legatus, qui Romanus appellatur, non à Romano Pontifice, qui eum delegat id nominis, sed ab origine patriáque sortiatur. Episcopum Diensem non morantur inanes tricæ, Lugduni cogit amplissimum episcoporum concilium: vocat ad illud Manassem: non venire obstinantem damnat de communissimo assensu omnium Gallicanorum antistitum. Nam & alia prudenter, & hoc fecit excelso ingenio, vt neminem damnaret, aut absolueret, nisi in magno Patrum concessu; vt non ab ipso vno, sed ab omnibus Galliarum præsulibus ageretur quod susceperat, atque scilicet communis abs re iudicatâ, non eius esset singularis vel acerbitas, vel inuidia.

33 Quid eam per cetera viri facta? nihil fuit in vniuersâ Galliâ, quod non exigeret ad Ecclesiæ leges. Atque putauerim ego visum Gregorio, è Diensi sede ad Lugdunensem euehere virum excelsi animi, & virtutis in omnem partem accuratæ anno 1082. ex Chronico Virdunensi, vt quò altius emineret fastigio dignitatis, eò latiùs panderet exempla sapientiæ. An potiùs nobili, & facto ad summa quæque ingenio vir Lugdunum appetiit, neglectâ Diâ? Certè accusatur summi etiam pontificatus prehensati post Gregorium, & Victorem. Neque illo fuit indignus, quem ceteris post Desiderium

Abbatem

Digitized by Google

Abbatem Caſſinenſem, qui fuit Victor tertius, præferendum iudicauerat ipſe Gregorius. Diu vixit in archiepiſcopatu Lugdunenſi. Iterum fuit Legatus Apoſtolicus Vrbano ſecundo Pontifice. Pro Galliarum primatu, & legatione pontificiâ longam habuit, eamque difficillimam contentionem cum Iuone Carnotenſi, & aliis epiſcopis. Hæc, quia non ſunt inſtituti mei, prætermitto: volui attingere ſuſcepta ab epiſcopo quondam Dienſi.

34 *Potius.* Quis Hugoni ſucceſſerit Diæ non inuenio. Pontius fortaſſe ſucceſſit: is Diæ ſedebat anno 1088. ex charta donationis neſcio cuius eccleſiæ pagi, cui nomen *Tuech*, in Viuarienſi prouinciâ. Ea deſinit in iſtas voces: *Factum eſt hoc pactum, cum autoritate Geraldi epiſcopi Viuarienſis, & Pontij nepotis eius, epiſcopi Dienſis.....anno 1088. menſe Iulio feriâ 5. Lunâ 4. Vrbano Papa, regnante Philippo rege.*

35 *S. Iſmido.* Sancto Iſmido (Iſmeonem, & Iſmionem etiam vocant) canonicus Lugdunenſis, vehementer renitens ante milleſimum centeſimum anno ignoto datus eſt adiutor epiſcopo Dienſi, plurimum ex ignoto mihi morbo laboranti. Gente nobilis primam ætatem per omne virtutis & ſcientiæ genus egerat Valentiæ in patrui (cuius nomen excidit) domo. Hic ille epiſcopus eſt, qui bis adiit Ieroſolymam, & ex ea ſanctorum reliquias deportauit, annuâ Dienſium veneratione celebres. Robertus in Galliâ Chriſtianâ autor eſt ſediſſe anno milleſimo centenſimo decimo tertio; Vrbanus verò Pontifex anno 1099. 7. cal. Maij, eius meminit ſcribens ad Hugonem archiepiſcopum Lugdunenſem his verbis: *Cùm ad Apoſtolorum limina* &c. *præſentibus Legatis tuis Iſmeone Dienſi epiſcopo, Girino decano* &c. iſtam epiſtolam fere omnem verbatim recitat Petrus Bulliodus in hiſtoriâ Lugduni M. S. Multa Deus per virum fecit prodigia. Puerum vocabat lupus, & Iſmido beſtiam imperio fugauit illæſo puero. Fur epiſcopi rem clam omnibus rapiebat, & peremit homĩnem è cœlo Deus. Corpus quoque Iſmidonis mortuum, animam eius in cœlo viuere docuit, excitato à mortuis alieno, quo contingebatur, cadauere. Neque immerentem igitur ornauit laudibus auctor libri de vita Sancti Petri Tarentaſienſis cap. 19.

36 *Stephanus.* Stephanus anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo interfuit vnctioni Eccleſiæ Cartuſianorum Durbonis à Leodegario Viuarienſi Epiſcopo, ex Sammarthanis tomo 3. pag. 126. Sedebat quarto & vigeſimo illius ſæculi, ex tabulario Eccleſiæ Romanenſis: vigeſimo ſeptimo literas dedit ad Seuerum abbatem ſancti Rufi, quibus firmabat donationem quarumdam Eccleſiarum monaſterio, ab Hugone, & Iſmidone epiſcopis. In illis memorat eccleſias Calorconis, Voluenti, Tauliniaci, Amaionis. Tauliniacenſem lego conceſſam ab Iſmidone. Stephanus addidit ſe ſcribere anno epiſcopatus ſexto, & Iſmidonem paucis antè annis mortuum appellauit ſanctum.

37 *Vldricum.* B. Vldricus, ſiue Odolricus ex decanatu Gratianopolitano peruênit ad inſulas Dienſes anno incerto. Iam epiſcopus veſtem Cartuſianam induit anno 1132. ex tabulario S. Barnardi Romanenſis. Vldrĩco ſucceſſiſſe videtur Boſaranus, & Boſarano Cuſno, ſiue Cuno: lego enim in tabulis Romanenſis Eccleſiæ ſediſſe Diæ illum anno hujus ſæculi trigeſimo quarto, iſtum 37.

Vldricus

Vldricus autem traditur apud Cartuſianos mortuus quinto & quadrageſimo. Petrus venerabilis ad eum epiſcopum Dienſem ſcripſit nobile contra Petrobruſianos opus.

38 Hugo II. ſedebat Diæ 1144. ex conuentionibus S. Ioannis epiſcopi Va-
Hugo 2 lentini cum Siluione Clariacenſi, quibus eo ipſo præerat, & quas ſuo ſigillo firmauit. Sexto & quadrageſimo iſtius ſæculi interfuit confirmationi jurium Eccleſiæ Viennenſis apud Boucheum in hiſtoria Prouinciæ tomo 1. pag. 820. Eodem anno Arnaudus de Criſtâ, vir gente nobilis, & potens opibus, ſe ſuáque omnia volens tradidit Hugoni. Grande pietatis facinus, & in omnem partem illuſtre! Epiſcopus laudatâ viri mente, reſtituit Arnaudo vniuerſa quæ dederat, ſeruato ſibi (vt vocant) majore dominio; addidítque vexillum ſuum, in ſingulare grati animi argumentum. Dominabatur Arnaudus Criſtæ, Auguſtæ, Vaneæ, Betonæ, Fano Medardi, Fano Benedicti, & aliis pagis. Quæ cauſæ fecerint, vt Hugo ad Fridericum imperatorem iret non inuenio. Illum adiit anno 52. ſæculi, & interfuit ſententiæ per ipſum latæ contra Guigonem de Baucio pro Berengario juniore, ſuper contentione de Comitatu Prouinciæ. Demum octauo & quinquageſimo ſubſcripſit venditioni Eſparueriæ, vt vocant, inſulæ in agro Valentino, non procul Rhodano fluuio, Raimundo abbati Sanrufenſi per Odonem epiſcopum Valentinum. Petrus Craſſus Prior S. Petri ad Diam aderat abbati ſuo. Vide quàm antiquæ ſit ea Sanrufenſium Diæ domus.

39 Petrus III. anno 1167. accepit (vt loquuntur) homagium Luci caſtri per
Petr. 3. Iſoardum id habes in tabulario epiſcopij Dienſis, elegantiſſimis characteribus exaratum. Hîc placet exſcribere chartam vetuſtate nobilem. Habebis veluti formulam, ex qua illius ſæculi homagia concepta intelligas.

AVDI PETRE DIENSIS EPISCOPE.

EGo Iſoardus filius Iaucerandi & Beatricis, non te decipiam, nec Eccleſiam tuam, de munitionibus, vel firmitatibus veſtris: te, vel clericum tuum non capiam, nec capi faciam: & ſi quis hoc facere attentauerit, ego omnibus viribus meis vindicabo. Ciuitatem Diam, nec poſſeſſiones ejus, conſuetudines, vel jura, ſiue regalia, ſiue ſacerdotalia, caſtella, villas, poſſeſſiones, quas tu vel Eccleſia tua impreſentiarum habetis, vel alius nomine veſtro in antea juſto titulo acquirere poteritis, ego non auferam, nec auferri permittam: & ſi quis hæc auferre, vel aliquo modo infeſtare præſumpſerit, ego tibi, & ſucceſſoribus tuis, & Eccleſiæ tuæ pro viribus meis fidelis adjutor & defenſor ero: & ſi qua vobis vel ſucceſſoribus veſtris ablata fuerint, & ea aliquando recuperare potero, vobis ſine omni contradictione reddam. Caſtrum de Luco quoties tu, vel ſucceſſores tui, vel nuntij tui quæſierint, ego cum munitionibus, quæ in eo modò ſunt, vel in antea ædificatæ fuerint, ſine omni contradictione reddam: & dum illud tenueris, non auferam, nec auferri faciam; & ſi quis illud tibi abſtulerit, ego fidelis adjutor, donec recuperetur, ero. Hæc, inquam, omnia tibi, & ſucceſſoribus tuis, & Eccleſiæ tuæ, ſi quando paſtore vacauerit, fideliter per hæc ſacramenta obſeruabo. Et hoc quidem faciendum ad omnes poſteros meos tranſmitto, & ad hoc ſacramentum præſtandum omnes heredes meos obligo. Et tibi, & ſucceſſoribus tuis in omnibus, & per omnia fidelis ero ſecundum juſtitiam. Et per te, & per Eccleſiam tuam, me in feudum tenere confiteor, quidquid in ciuitate Dienſi, & in mandamento ejus habeo, vel alius nomine meo, & caſtrum de Luco

cum

Digitized by Google

cum mandamento ſuo. Huius pacti & ſacramenti obſides & fideiuſſores dedi Hugonem D'Aù, Eſcaffinum, V. de Guſans V. de Luzerans, Gerardum, & Odonem, & Umbertum de Quinto, Gau de Verona, Armaricum de Aucelone, Le. Rameriȷ de ora, Arbertum de Monteclaro; Lon. de Romeier, Petrum Monachi, Vgonem Rameriȷ, Jſoardum Mearie, Fideiuſſores tantùm & teſtes, Nicolaus Dienſis decanus, & Jarentus de Quinto. Teſtes ſolummodo Berengarius de Borna, Stephanus ſacriſta, Ar. de Buſti, Le. Pineti, Le. de Borna, Guigo Lumbardi, Philippus Eliſiardus, W. Arberti Prior S. Marcelli, Acelenus, Stephanus Vicariȷ, Vgo Vicarius, Saramannus de Borna, Vv. Perdrix, Vv. Longauilla, Siluio de Mirabello, Vv. Rameriȷ, Vv. Mauris, & G. filius eius, Be. Lantelmus &c. Factum eſt autem hoc pactum & ſacramentum, anno ab incarnatione Domini 1167. Alexandro ſummo pontifice in ſua ſede quietè viuente, Friderico Romanorum imperatore regnante, idibus Januariȷ, anno 4. epiſcopatus Petri Dienſis epiſcopi.

Quos Iſoardus ſcripſit obſides, ſi contra fidem egiſſet, debuerunt permit- 40
tere ſe Petro, fideiuſſores præſtare damna epiſcopi. Vide autem quam multæ nobilium virorum familiæ illis temporibus erant in vrbe finibúſue Diæ. Perierunt ferme omnes: ad nos peruenere vna & altera, Aiſienſis ſiue Artauda, & Perdricencis. A paucis annis vrbem iſta deſeruit, procul in pago degit. De Hugone Aiſienſi loquar ad annum 1212. ſub Longueuillio Priore canonicum regularem in S. Marcelli profeſſus eſt, conſanguineo fortaſſis Vvilelmi. Nomen Eſcafini in Dienſibus magnum erat; neque Aiſienſibus, Gotis, Pictauienſibus minor ipſe erat: ſimul cum ipſis recitauit Henricus imperator, cùm ſuſtulit vectigalia per diœceſim Dienſem à dynaſtis impoſita. Memoria Sacriſtarum maneret in Hoſpitali, vt vulgò loquimur, domo, quod ptochotrophion Græci dicunt, ſi Hugonotorum furor ſancta omnia non violaſſet. Sacriſtanam inuenio vxorem Fromundi Berengarij anno 1284. qui dominabatur Morgiis, Tribus-mœnibus, Trafortio, Fano Martini, aliiſque pluribus pagis. Quis verò eſt Iſoardus, qui Petro præſtat homagium? An viri proprium nomen fuit, an commune genti? Fridericus 2. in literis ad Deſiderium epiſcopum datis anno 1214. memorat nobilem feminam Iſoardam, & eius filios. Putabam eſſe matrem Iſoardi Crepiaſij, & Gaufredi Bordellenſis fratrum. Gaufredus genuit Iſoardum, Remundum, Albertum, Amphiliſam, Fyam, & Gaufridam ex Ryſſendice Gornelia. Gens Iſoarda habuit in armis tres ad ſacra loca peregrinantium ſcipiones, ſuis pro more inſtructos globis, & illos gerebant Creſpiaſius ac Bordellenſis fratres, poſt Laucerandi filium dominatorem Luci, cuius homagium Petro antiſtiti præſtitum modò vidimus, vt non hominis, ſed gentis nomen Iſoardum fuiſſe hinc etiam intelligas.

Bernardus ex Cartuſiæ Portarum priore epiſcopus Dienſis Alexandro 41
tertio Pontifice, ſedit incertis annis. In aliis editionibus iſtius libri Bernardum Priorem Portarum negaui ſucceſſiſſe Vldrico epiſcopo Dienſi: id nunc etiam nego. In illis ipſis addidi nuſquam epiſcopum fuiſſe: nunc contraria ſentio. Vt ſentiam ſediſſe Diæ Alexandro tertio Pontifice faciunt hæc codicis M. S. Portarum verba, quæ mihi ad hanc diem ignota fuerunt. *Sub Pontifice Alexandro tertio nobis ereptus eſt Bernardus, Prior quondam noſter, verè vir Dei, & ſanctus, & epiſcopus Dienſis.* Sed ego quidem non facilè dixerim annum, quo Alexander eum Dienſibus dedit antiſtitem. Sequentia ta- *Bernardus.*

men afferre mihi viſum eſt, vt non omnino taceam in re vehementer obſcurâ. Alexander præfuit Eccleſiæ ab anno 1159. ad 1181. Iam lego Petrum ſediſſe Diæ anno 1164. ad annum 1167. & Robertum anno 1178. atque ſequentibus; non lego qui per ceteros huius pontificis annos ſederint. An ergo Bernardus dictus eſt ab Alexandro epiſcopus, vno aliquo eorum, qui ab anno 1167. fluxerunt vſque ad 1178. Hic vnum mihi certum eſt. Bernardus 42
non fuit epiſcopus Diæ ante annum 1164. fuit poſt annum 1173. Nomenclatura Priorum Cartuſiæ, antiquis ſtatutis & ſcriptis manu, & typo editis annexa, quæ ad iſtam vſque diem me latuerat, hoc euincit. Ea ſic habet. *Sub Guigone ſecundo priore Cartuſiæ circa annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſextum, floruit Bernardus olim prior Portarum, poſtea epiſcopus Dienſis.* Iam Guigo ſecundus iniit prioratum Cartuſiæ anno 1174. deſiit eum gerere, mortuus anno 1177. qui ergo floruit ipſo Priore circa annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſextum, videtur fuiſſe epiſcopus Dienſis poſt annum 1173. non autem ante annum 1164. Sed non poſſum dicere quo anno inter 1174. & 1177. euaſerit in epiſcopum, ſi quid tamen ſuſpicari licet, ad hoc inclinat animus, vt anno ipſo milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, circa quem floruiſſe fertur, fuerit ereptus Cartuſianis à pontifice, impoſitúſque Dienſibus antiſtes. Commouet ceterà minùs certum animi, ſanctus Stephanus, qui è priore Portarum fuit etiam epiſcopus Diæ. Clariſſimus inuenis natus anno 1150. acceſſit ad Cartuſianos Portarum anno ætatis ſexto & vigeſimo, ac proinde Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto. Vt Portarum cœnobium adiret, fecit eximia virtus duorum virorum, qui in illo vixerant, Bernardi monachi, & Antelmi ex monacho epiſcopi Bellicenſis, vt traditur in eius vitâ. Illorum duorum virtus adeò illuſtrem totis circùm religionibus claritudinem habebat, vt in hanc cogitationem venerit, futurum quoque, vt aliquando ſinceram ipſe virtutem in Portarum monaſterio coleret, quam illi communiſſimis omnium mortalium ſermonibus in eo ſecuti fuerant. Iam peto ſi Bernardus noſter ereptus eſt Cartuſianis Portarum ab Alexandro pontifice, cùm iſta Stephanus fouebat animo, cur ipſius quoque nomen quod Portis Diam vſque celeberrimum volitabat, non venit in mentem optimi inuenis, vt ad cœnobium currentem incitaret? an virtutis exempla præſentia, & veris ob ipſos oculos veſtigiis impreſſa, non potuerunt, quod antiqua, & à pluribus ante ipſius ortum annis data, fecerunt apud attentum & æquum æſtimatorem rerum. Donec ergo aliud quid ex veteribus tabulis & vtrum afferatur, placet, neque omnino, mihi quidem videtur, iniuriâ dicere Bernardum, paucis poſt acceptum domo Stephanum diebus, à Portarum Cartuſianis ad Dienſes abiiſſe epiſcopum anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto.

43 *Roberſus.* Robertum lego ſediſſe annis 78. 79. 80. iſtius ſæculi: vt Bernardus vix duos in epiſcopatu annos poſuiſſe dicendus ſit. Robertus igitur anno 1178. imperatorem adiit Arelate, & apud eum fecit, vt antiſtes Diæ diceretur princeps imperij, comésque Dienſis quarto calendas Auguſti, acciperétque *Diam ciuitatem, cum ſuâ propriâ monetâ, mercatu, plateis, furnis, molendinis, & huiuſmodi omnibus, quæ ad imperialem ſpecialiter coronam pertinere noſcuntur, ſtratam publicam in omni epiſcopatu; & vt nullus pedagium*

in

in eo accipiat, medietatem Cristæ, & mandamenta, & domaria; & Augustam, & castrum S. Medardi cum mandamentis suis; & quidquid Guilelmus de Pictauia habet in episcopatu, excepto castro quod dicitur Quintum; & insuper Aupegue, Mirabel, Marinhac, Iusti, Romerei Montem-maiorem, Menglo, Rocasuram, Auribel, Luc, Foilas, Parabois, cum omnibus mandamentis suis; Vallem quæ dicitur Tresmenich cum suis munitionibus, medietatem Toranæ, Bellimontis, & Leo, cum medio mandamentorum eorumdem, tertiam denique partem Aisij. Anno 1179. interfuit concilio Lateranensi sub Alexandro tertio; 1185. fecit vt Lucius 3. non seiungeret ab episcopatu præposituram Diensem, quam Alexander 3. cum illâ vniuerat. Hîc tacere non possum duo. Quod Fride- 44
ricus asseruit anno millesimo centesimo septuagesimo octauo, se dare Lucum antistiti, suadet non accepisse pagos omnes alios Robertum ab illo, quos in imperialibus literis enumeratos vidimus. Hoc primum est, Enimuero Lucus anno 1167. erat in episcopi potestate, vt intelligitur ex Isoardi homagio, quod non multò antè recitaui. Quos dederit pagos, quæ seu castra, seu prædia, non priùs ab antistite possessa; quæ dare se dixerit quod gratam haberet in ea dominationem episcopi, nemo asseueret in tantâ illorum temporum antiquitate. De Dia ciuitate lis est. Verum si episcopus non ei ante Fridericum dominabatur, quid ille ipse Isoardus aiebat, se à Petro episcopo tenere in feudum illa omnia, quæ *in ciuitate Diensi, & in mandamento eius* habebat? cur anno 1073. Guilelmus comes Diensis *fidelitatem*, vt Gregorius VII. loquitur, *fecit* Hugoni in Præsulem electo? Alterum etiam in Friderici literis aduerto. In iis primùm occurrit nomen Pictauiensis, nonnulla imperio in episcopatu tenentis Ducheſnius existimauit primum de illa apud Dienses gente, fuisse Aimarum anno 1189. qui aliunde ad eos venerit. Sed vides Guilelmum Friderico teste apud illos ipsos latè dominatum fuisse anno 1178. lego etiam eumdem anno 1168. accepisse Taurini die decima Ianuarij, potestatem imponendi vectigalia per suum omnem agrum, quam postea & iste, & anno 1239. Fridericus II. reuocauit.

Ann. 1085. aut mortuo, aut cedente Roberto, Petrus Diæ sedit episcopus. 45
Scil. Fornerius in historiâ MS. Ebreduni sic loquitur. *Secunda contentio Præpositi* *Petr. 3.*
Ebredunensis & canonicorum, cum Raimunda archiepiscopo, de argentariis Curegi, & Farauelli, fuit Lucio Pontifice. Hic Petrum episcopum Diæ, & Guigonem Reuellum abbatem Boscaudoni, qui postea Diniæ fuit episcopus, rei cognoscendæ præfecit; & eorum sententiam suo corroborauit judicio; excommunicationem quoque intentauit illi ex contendentibus, qui ipsam violasset. Cùm ergo Robertus, sederit Diæ anno quinto & octogesimo sæculi, atque Lucius Pontifex eo ipso mortuus fuerit, profectò qui Petrus episcopus Diensis, datus fuit à Lucio judex, illi canonicorum & Præpositi cum Archiepiscopo suo liti, non potuit ante annum quintum & octogesimum, non potuit post annum quintum & octogesimum sæculi, ponere sui episcopatus initia.

Inuenio præterea Petrum episcopum conuenisse de decimis cum priore 46
Sancti Mauritij, annum quo conuênit non lego. Sed fuerîne is tertius, aut qui ante Robertum sedit secundus non possum dicere. Conuentorum tabulæ ita habent. *Contentio super decimas orta est inter episcopum Petrum Diensem, & sancti Mauritij priorem A. nomine, quæ sapientum virorum maturiori consilio terminata est fine optato hoc modo: vt episcopus*

habeat decimam à riuo S.Ferreoli vſque ad ſeirum de cruce ſuper ſtratam publicam; monachi à jam dicto riuo infrà vſque ad ciuitatem. Hujus concordiæ teſtes ſunt ij ſubſcripti, Petrus Pineti, Aubertus de Pellafol, Vmbertus procurator, canonici; Girardus Perdicis, Uv. Pagani, G. Monachi, Falco capellanus, Pontius capellanus Sancti Petri: Uv. Chabaudi. Arnulphus capellanus S.Ferreoli.

47 Vnum aliud lego factum ignoto mihi antiſtite, quod tamen factum videtur, vel Petro, ſeu tertio, ſeu ſecundo, vel Roberto epiſcopo, vtpote cui pro ſuo collegio interfuerunt Petrus Pineti & Aubertus de Pellafol canonici, teſtes memoratæ Ebredunenſi à Petro III. concordiæ. Raimundus Berengarius, clericus Dienſis, epiſcopo ſimul & canonicorum collegio dederat Praboiſium, Toronam, Treſmenios, Foilas, Treuienſes pagos epiſcopalis feudi. Euellendis contentionum radicibus, & ſinceræ paci ſeruandæ procul ſuſpicione ac dolo, viſum eſt è re futurum vt inter ſe ſortirentur. Foilaſum epiſcopo & canonicis commune tamen manſit, peræquandis aliis partibus: Praboiſium ceſſit in partem epiſcopi: cetera fuerunt canonicorum collegij. Res acta eſt in templo B.Mariæ, intra chorum, ante majus altare. Pro collegio ſuo aderant Iarentus decanus, Arbertus Sacriſta, Petrus Pineti, Petrus Rainaudi, Humbertus de S.Boneto, Philippus & Arbertus de Pellafollo, Aimo, & Petrus Durre canonici.

48 Iarentus ex decano epiſcopus poſt Petrum III. fuit. Quo anno ceperit, *Iarẽtus.* non liquet. Sedebat anno 1193. quo per Robertum archiepiſcopum Viennenſem, Falconem Valentinum, Ioannem Gratianopolitanum epiſcopos, & Fr.Berengarium arbitros diuiſit Aurellum pagum cum Aimaro Pictauienſi. Partem ſuam is emerat à Vvillelmo de Aurello. Celeſtinus III. eodem anno 8. idus Nouembris epiſcopum Iarentum, monet, vt Artaldos duos, & illum ipſum Aimarum prohibeat impoſitione vectigalium per diœceſim, juxta conſtitutiones Concilij Lateranenſis ſub Alexandro tertio. Vide quàm tum illuſtris erat Artalda gens: Artaldos memorat duos, ante Aimarum Pictauienſem. Nobiliſſima gens imperabat Aiſio, Caſtellioni, Tribus canutis, Noneriis, Archianæ, Bellagardæ, Eſtableto, Bornæ, Glandagio, Moleriis, Reuello, aliiſque pluribus pagis. Etiã nomine Comitatus erat inſignis ex rubri-

49 cis archiui canonicorum Dienſium *litera C.* Diuturna & grauis contentio de eccleſiis Criſtæ fuerat epiſcopo Dienſi & canonicis S.Medardi, cum epiſcopo Anicienſi, & canonicis S.Rufi. Illam denique compoſuit Bernardus, Cardinalis S.Petri ad vincula anno 1196. Criſtæ tum erant hæ ſacræ ædes, S.Saluatoris, S. Andreæ, S. Iacobi, Creſcelonis, Briſanorum; & in agro ad vrbis muros parœcia. Bernardus ita edixit. Abbas S.Rufi habeat in eccle- S.Saluatoris, quod ante hæc tempora poſſidebat epiſcopus Anicienſis, præter tertiam partem decimarum, & jus omne diœceſanum, cenſumque annum, & ædiculam: hæc enim erit canonicorum S.Medardi, cetera Dienſis epiſcopi; curio tamen non ſit canonicus regularis, & epiſcopo ſiſtatur ab abbate. Eccleæ Sancti Andreæ & & Sancti Iacobi, atque parœcia in agro poſita, ſint epiſcopi Dienſis; Creſceloniam ille idem partiatur cum abbate Sancti Rufi. Briſanorum clerus nulli decimas pendat, & ſibi habeat oblationes fidelium pro mortuis, niſi quòd abbati dabitur canonica portio pro ſepultura. Hæc Legatus ſummi Pontificis. Aduerto canonicam portionem pro ſepultura defunctorum dicere, non vnam aliquam, ſed tertiam eorum

quæ

Digitized by Google

quæ ponis in tumulando primo de familia; quartam illorum quæ in ſepeliendo ſecundo impendis; atque ita deinceps : & tacere nomen epiſcopi tum Dienſis. Anno 1197. Iarentus compoſuit litem Nicolai epiſcopi Viuarienſis ſuper decimis argenti effoſſi *in toto epiſcopatu*, vt annotaui libro 3. de Viuarienſibus epiſcopis numero 11. obiit autem anno incerto, & illius vt amici & benefactoris memoriam ſeruat necrologium S. Victoris ad Lutetiam Pariſiorum, ex tomo 1. libro 2. pag. 447. Antiquitatum Pariſienſium.

Humbertus anno 1197. illi ſucceſſiſſe videtur, eo enim ſediſſe memorant tabulæ Lioncellenſis monaſterij. Anno 1201. concedit Siluioni de Criſtâ, vt homagium Andreæ Delphino faciat eorum caſtrorum, quæ ab epiſcopo cliens habet, ex Iuſtello in hiſtoriâ gentis Aruernæ, pag. 167. probationum. Peruênit ad annum 1202. quo Lambertus de Egleu firmauit aſſenſu ſignóque ſuo, à parentibus conceſſa monaſterio Lioncelli (appellatum quoque inuenio monaſterium Fontis Leonciæ) ipſius conſiliis. 50 *Hũbertus.*

S. Stephanus patre natus Berardo (Hugonem dicere maluit Guichenonus de Sebuſianorum hiſtoria parte 3. pag. 119.) Caſtellionis prope Lugdunum domino, dicitur apud Surium de priore Portarum, ſub Iocelino priore Cartuſiæ factus epiſcopus, & poſt ſextum epiſcopatus annum mortuus anno 1213. errore inſigni. Nam ex ſinceris tabulis Humbertus II. gerebat epiſcopatum annis 1109. 1110. 1112. Putabam vtrique Humberto medium ſedere cepiſſe anno ſecundo, deſiiſſe octauo ſæculi. Atque id voluit ſcriptor de illius vita, ſibi contrarius hac in parte, cùm addidit aſſumptum in epiſcopum Dienſem duobus fere annis poſt mortem S. Hugonis Lincolnienſis, quem conſtat mortuum eſſe anno 1200. atque euidenter docuit ſcriptor miraculorum ejus, quæ archiepiſcopus Viennenſis & ipſius ſuffraganei, miſerunt ad Gregorium IX. anno 1231. his verbis. *Anno ab incarnatione Domini 1208. octauo idus Septembris, Stephanus Cartuſienſis monachus & prior Portarum Cartuſienſis ordinis & diuinâ gratiâ Dienſis epiſcopus, tranſiens ab hoc ſæculo migrauit ad Dominum.* Quid referam viri pietatem, integritatem morum, modeſtiam, aliáſque virtutes, ſiue in domo paternâ ante regularem vitam exercitas, ſiue in eremo cum Cartuſianis, ſiue in epiſcopatu? Ab ipſo vtero infans nutricis vbera nunquam duxit feriâ ſextâ, vt cum Chriſto jam tum pateretur, & tantùm non doceret, ſe illâ die non poſſe viuere, quâ Dominus eſt mortuus. Cùm pueritiam exuiſſet, ſtudiis litetarum, orationibus, & omni virtutum genere caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat: atque vt intelligeres, non ſuo, ſed Dei ſpiritu agi, carne omnino abſtinebat, in Cartuſianæ vitæ magnum rudimentum; nam vt eam primùm inaudiit, annum ætatis ſextum & vigeſimum agens, eam iniit in Portarum domo. Sex autem & viginti totos annos in ſolitudine poſuit, ne pauciores in Dei, quàm in parentum familiâ exegiſſe videretur. Anno ætatis quinquageſimo ſecundo poſtulatus eſt in epiſcopum à canonicis Dienſibus tanto ſuo dolore, vt iteratis Innocentij III. literis auelli ab eremo non potuerit. Dedit priori Cartuſiæ Iocelino, vt ſe pateretur epiſcopum. Et alia antiſtes, & hoc ſingulare, ac in omnem partem inſigne fecit Diæ, vt teterrimâ ſpecie dœmonum, quos videndos præbuit, populum deterreret à violatione feſtarum dierum. Surius ita loquitur in viri vitâ à ſe caſtigatâ. *Inuenit gentem illam miſeram, & execrabili conſuetudine cæcam, non honorare diem dominicum; immo verò contra* 51 *S. Stephanus.* 52 53

Dei præceptum diabolo illum dedicare, quòd illo ſolo die exercerentur nundinæ, taberna, choreæ, ludi, luxus, & pernicioſa ſpectacula. Quamobrem ad populum concionatus, blandis & mellitis verbis apertiſſimiſque rationibus, oſtendit eis peccati illius enormitatem, diuinæque majeſtatis offenſionem & contemptum; ſed gens belluina & cæca, non ſolùm non admiſit ſermones ejus, ſed etiam per contemptum eos audire recuſauit. Dolens autem ſeruus Dei tam proteruos illos ad corrigendos mores, ad ritus impios tam pleuè barbaros, tam erga Chriſtianam religionem inſolentes, tam vitâ profanos, acriùs inſiſtendum exiſtimauit. Itaque intelligens ſe non mercenarium eſſe, ſed paſtorem, conſtituit opportunè prædicationi incumbere, ſi fortaſſis poſſent reſipiſcere à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur. At ſurdas illorum aures ſermo diuinus minimè penetrabat: tum verò magno animi dolore concepto, apoſtolicum virum referens, & ſui apoſtolatus ſigna euidenter oſtendens, præcepit dæmonibus, qui ad ea quæ diximus, facinora illos incitabant, & quorum voluntati parebant, vt ſine vlla cujuſquam læſione ſe eis videndos exhiberent. Mox parent illi dæmones, quem homines peruicaces audire nolebant. Videre tum licebat horrendum & terribile ſpectaculum, dæmones procerâ ſtaturâ & immani, nigerrimos, cornutos, fœtorem & flammas ſpirantes, ad viri imperiũ apparere cunctis, rurſumque recedere, nec quemquam lædere poſſe. Cepit ergo occæcata gens aperire oculos, vitam & mores corrigere. Per cetera ſancti ſacerdotis ire non placet. Ita
54 Deo gratam & virtute nobilem vitam egit, vt variis tota regione prodigiis, etiam poſt mortem inclaruerit. Aurea fuerunt, neque prodigio minora verba, quæ proximus morti dixit. *Vrgentibus autem* (inquit Surius) *Eccleſiæ ſuæ filiis, vt teſtamentum faceret; non eſt, inquit, neceſſe, cùm omnia ſint ſponſæ meæ, quam gubernandam ſuſcepi.* Sed vnum tacere non poſſum, quod publicus ſcriba poſuit in ſuo chartulario. Iſtius antiſtitis corpus, plures centenos annos adeò frequentibus illuſtre fuit miraculis, tantáque populorum & cleri veneratione celebritatem habuit, vt in epiſcopum electus deduceretur antè ad preces ſub ejus tumulum fundendas, quàm Præſulis ſedem occuparet. Iacobus de Baternay anno 1472. die 11. Decembris, viam monſtrante Petro Richerij decano, ad Stephani ſepulcrum acceſſit orationis causâ: tum ad altare S. Petronij jurauit in exemptiones ciuitatis & canonicorum collegij; denique ſedit in cathedrâ pontificiâ. Marmoream lego fuiſſe, & retro al-
55 tare poſitam. Sed, vt fit, deficientem ſenſim aliquando viri memoriam reuocauit, quod tumulus apertus eſt anno 1557. Serpebat hæreſis, & per incrementa latentia occupabat Diam, neque ſolitus honor habebatur exuuiis Stephani; potiùs, vt proteruus eſt Caluiniſmus & procax, non longè contemptu erant cilicium, ſcapulare, calcei, zona, eremiticus ſcipio, monimenta & pignora ſanctæ inter Cartuſianos vitæ, ac in auiis locis procul mortalibus quondam actæ, quæ majorum pietas ſepulcro educta propoſuerat ſpectanda plebi. Tetigit altè Monlucium epiſcopum effrœnis & importuna licentia: quâ erat prudentiâ, & in res ſacras veneratione, duxit ſancta viri ſpolia non diutiùs *permittenda eſſe degenerum filiorum oculis ſubſannantibus patrem. Iubet corpori ſuo reddi*, & rurſum condi ſepulcro. Dies erat octaua Iulij. Humbertus Faucher canonicus juſſa Præſulis deferebat. Spectante frequentiſſimo populo ſepulchralis tollitur lapis: de vrbe principes viri caueam intrant: vident inſolentis portenti rem, tractántque corpus in mediâ calce integrum, ſuccíque plenum: Pontificia veſtis videtur, tractatúrque

omnis

Digitized by Google

omnis sincera & incorrupta, alba quoque, casula, mitra, sandalia, post annos à morte Stephani nouem & quadraginta supra trecentos. Sed quarto pòst anno, scilicet Christi primo & sexagesimo post millesimum quinquagesimum, busto in mediâ plateâ structo imposuerunt hæretici, cremauerúntque; impius, & Hugonottorum furor desæuiit in sacrum corpus flammis edacibus, quod absumere tot sæcula non potuerant. Iuuat eruere ista omnia ex publicis tabulis, quæ tum scripta sunt, cùm ipsa gerebantur. Primò spiritus Dermenon tabellio regius ita scripsit de apertione tumuli quam videbat. *Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, die tertia mensis Iulij &c. Iacobus Vacherius, & Ioannes de Croux jussi, aperuerunt conditorium domini Stephani quondam Diensis episcopi.* Secundò idem tabellio addit sequentia de corpore S. Stephani, quod in aperto tumulo inuentum est. *Aperto tumulo occurrit omnium oculis corpus albâ indutum, & casulâ. Sub hac vtrimque pendebat. Capiti, cui hærebant sui capilli, sacerdotali coronâ distincti, imposita erat mitra. Brachiorum alterum alteri superimpositum jacebat, Manus chirothecis opertæ erant. Tertium seu medium dexteræ digitum ornabat annulus aureus, cujus splendentis palæ insita erat insignis gemma. Pedes atque tibias muniebant caligæ episcopales.* Tertiò pedes, tibias, manus, brachia, pectus, caput, totum denique corpus suis ossibus stetisse, suáque viguisse carne, hinc intelligis, quòd carne sua, suisque ossibus constabat, cùm post annos quatuor combusserunt, vt statim referam. Quartò B. Stephani corpus in mediâ calce repertum est. Dormedon enim scriba regius hæc adjungit: *Toto conditorio quàm longum & latum erat, vim maximam calcis, & subjecerant, & superposuerant corpori, pontificalibus induto vestibus.* Quintò denique idem corpus, quod calx plurima non potuerat annis omnino 360. & quod excurrit absumere, impositum busto, & crematum est anno 1561. in mediâ Diæ vrbis plateâ, vt quæsitori de sacrarum omnium rerum euersione, quem Gratianopolitanum dederat parlamentum, responsum est anno 1573. Ceteris enim facinus quidem referentibus, sed de tempore tacentibus, vnus in hæc verba testatus est cum sacramento: *Anno 1561. incredibilem chartarum ecclesiasticarum vim in bustum, media platea erectum dejecerunt, cum S. Stephani corpore, quod carne suâ, ossibúsque constabat.* Cùm publicæ tabulæ sic habeant, doceántque corpus S. Stephani crematum esse an. 1561. & eo ipso anno episcopus Diensis, se ad Concil. Trident. viæ cum aliis Francorum episcopis & Cardinale Lotharingo, Caroli regis jussu commiserit, vt Carolus rex ipse scripsit anno 1567. qua veritate scriptor Indiculi Sanctorum Lugdunensium, homo alioqui eruditus, sine teste, sine tabulis, vnus in quibusdam illius exemplaribus nuper asseruit corpus S. Stephani crematum fuisse episcopo in lupum verso? sed ad vnum aliud de sancto viro referendum accedamus. Ad meas manus peruenit epistola Episcoporum prouinciæ Viennensis de canonizatione S. Stephani scripta ad summum Pontificem anno 1231. eam, quia longior est, postea in appendice recitabo. 56

Humbertus II. post S. Stephanum episcopus, anno 1209. interfuit conuentionibus Humberti episcopi Valentini cum suis ciuibus, vt libro superiore scripsi num. 52. Anno millesimo ducentesimo decimo, die 12. Martij composuit litem quæ diuturna fuerat Eliæ hospitalario præceptori Ricobelli cum Bertrando Misonio & Luzerana Bertrandi vxore. Eodem anno mense Iunio, agente B. episcopo Viuariensi conuênit ipse cum Aimaro 57 *Hũbertus 2.*

Picta

Pictauienſi de Aurello, Baſtidâ Vvilelmi Piloſi, ædificatione Villæ Paoneti per Guidonem Ademarum defructæ, Fano Ferreoli, Mota Bordellorum, Turri quam Saramannus habebat Spennæ, & iis quæ Almaricus de Vaeſco Cumſiis poſſidebat. Hic primum occurrit epiſcopo Dienſi cum Pictauienſibus bellum. Ceperat ſub Hugone contentio, lis diu concepta eruperat in apertum diſſidium Larento antiſtite, nunc denique pugna aduerſus Humbertum fuit. Dia, Aurellum, alij plures pagi, vectigalis per diœceſim prohibitio; ſed enimvero maximè homagium, ſedes magna bellorum. Dolebant ſe ſub epiſcopi dominio viros principes, deque Toloſano, & Pictauienſi comitibus, archiepiſcoporum dominis, ducentes originem. Durauit malum ducentos aut plures etiam annos. Pugnæ dux & auctor Guido tenebat ditione Montilium, Sozas, Condiliacum, Lachanum, Turretas, & alia loca. Neque parum amabat Eccleſiam qui Valentino antiſtiti poſſidendam dedit Mirmandam, ad æternum decus Ademarorum. An quid fuerat, vnde læſum ſe à præſule Dienſi quereretur? an potiùs fecit affinitas ſanguinis, vt ſta-
58 ret pro Aimaro? Anno milleſimo ducenteſimo duodecimo, quarto idus Februarij, Humbertus epiſcopus dedit priori ſancti Marcelli eccleſiam ſancti Bartolomei de Greſſa, cum decimis, primitiis, oblationibus; & decimas Baſtidæ Graſſi, ac totius Greſſæ quas, iure ſuas querebatur ab alio poſſeſſas. Seruauit in illâ eccleſiâ *epiſcopalem* (vt ferunt tabulæ *reuerentiam* in omnibus, & jus *diœceſani*; atque de prouentibus ejus aliquam vim auri ac frumenti. Hugo de Aiſio poſſeſſor decimarum Baſtidæ, & Greſſæ, illas eidem priori jam dederat anno 1211. menſe Septembri, quâ die canonicum regularem in S. Marcelli profeſſus fuerat, Hugone Longueuillio priore, magno in omnem partem exemplo. Neque enim Cluniacenſium. vti nunc, monachorum, ſed canonicorum regularium erat tum ea domus, Anno etiam 1232. ſecundo calendas Martij obiiſſe legitur in lapide ſepulcrali Guigo Virgiliis, ſacerdos & canonicus S. Marcelli. Habes lapidem affixum muro vrbis, non procul portâ S. Vincentij, quâ itur ad S. Petri. Hugo autem Aiſius de gente Artalda, ante religionis ingreſſum ſuſtulerat ex vxore Guigonem & Guilelmum: Guigo ex Dalmide genuit Hugonem; Guilelmus ex innominatâ vxore Iſoardum. Guigo jam obierat: Guilelmus, Hugo, & Iſoardus firmauerunt aſſenſu, ſigilláque donationem illarum deci-
59 marum ab Humberto epiſcopo. Mirari autem ſæpenumero venit in mentem, quid exciſæ fuerint ab imâ ſtirpe tam multæ, ac fere omnes virorum nobilium familiæ, quas in agro Dienſi ea ætate fuiſſe lego; & Artaldorum gens ad hanc diem perduret vigeátque. Piloſi, Quintenſes, Veronenſes, Sacriſtæ perierunt; Iſoardi etiam dynaſtæ, Montalbani, ac Pictauienſes, deſierunt à multis annis aut omnino, aut certè vniuerſis per Delphinatum, proximáſque prouincias, regionibus. Arbitrabar Hugonis Aiſij pietati hoc datum eſſe. Voluerat latere inter canonicos vir ſanguine rebuſque geſtis clariſſimus; fecit Deus, vt poſteris ad quingentos vſque annos & noſtra tempora, innoteſceret piiſſimi viri, ac illuſtriſſimæ gentis decus & ſplendor. Nam Iſoardus Hugonis ex Guilelmo filio nepos fratrem habuit Petrum Iſoardi, qui Guilelmum progenuit, Guilelmus autem Petrum Iſoardi ſecundum, & Hugonem ſecundum. Ab hoc Hugone gens ad nos propagata peruenit. Scilicet Guilelmum ſecundum anno milleſimo trecenteſimo no-

nageſimo

Digitized by Google

nagesimo septimo, scripsit heredem. Guigo ex vxore sustulit Guilelmum tertium, cui fuerunt filij duo, dicti ambo Ioannis ndmine. Istorum primogenitus ex filia Atnaldi Montalbani sustulit Iustinam conjugem supraru-pensis toparchæ, & Lucretiam vxorem Pompeij Espatronij sorores ex Rainaudo Montalbano patre. Secundogenitus reliquit Spiritum & Laurentium Artaldos, fratrum filios, qui viuebant anno millesimo ducentesimo tertio. Ille per Gasparem filium, & Guichardum nepotem, habuit Ludouicum patrem Renaudi; hic ex Guilelmo filio sustulit Claudium patrem Nicolai & Franciſci; Nicolaus genuit Spiritum, & Franciscus Laurentium. Scutum antiquissimæ gentis gerit castella tria, quæ singula surgunt in turres tres; duobus subjunctum est tertium: Petrus Isoardi tamen vnum in scuto castellum habebat, non tria.

B. Desiderius Comitis Forcalquerij filius, ex Cartusiano episcopus, post 60
Humbertum II. sedit. Cujus Comitis filius fuerit non inuenio. Si ex Adelaide, Guilelmíque junioris & vltimi de Forcalquerienſium gente Comitis sorore, non est progenitus (ejus enim & conjugem, & filios, ac nepotes scimus se Forcalquerij Comites appellitasse) abs dubio nepos fuit Guigonis, qui Manuascam vallem Hospitalariis dedit anno millesimo centesimo quadragesimo nono, frater Bertandi, patruúsque Guilelmi junioris illius. De Guigonis hujus filio, qui fortasse Beati Desiderij episcopi pater fuit nonnihil scripsi in Guilelmo juniore numero tertio & quarto. Vtcumque hæc habeant, Beatum Desiderium sedisse Diæ lego annis sæculi 14. 16. 20. Anno millesimo ducentesimo decimo quarto Basileam iuit ad 61
Fridericum secundum imperatorem, & in eâ peregit sequentia. Primò fecit vt Fridericus Aimarum Pictauiensem prohibe ret exactione vectigalis per diœcesem Diæ. Secundò obsignauit tabulas testis, quibus imperator plurima donabat Humberto Viennensi ex Cartusiano præsuli, vt videre est in Bibliotheca Floriacensi xysto læuo paginâ nonagesimâ primâ. Tertiò obtinuit à Friderico, vt posset *castrum in monte Pedonis ædificare, munire, & habere*, accepítque Quintum castrum supra illa omnia, quæ Fridericus I. Robertos episcopo ante annos 36. concesserat. Sedes opportuna Aimaro ad excitandos tumultus & prædas agendas seruandásque, debuit esse in episcopi fide. Mons est in finibus agri Diensis, aduersus inuiis rupibus, quas sibi continuas apperuisse videtur ad accipiendam sinu Dromam vnam: iter quippe quod viatoribus præterea suspendit medius, modico & infido calce tenditur per saxa lubrica, humúmque fatiscentem. Monti castellum inposuerant insana turrium mole visendum; Quintum vocabant: tenebat Aimarus: non ita pridem jussu regis euersum est. Imperator suis in literis addit sequentia. *Concedimus præterea vt nulli hominum liceat acquirere feuda tua, & Ecclesiæ tuæ, nisi consilio & permissione tuâ* &c. *Concedimus tibi, vt in toto mense Augusti, in Diensi ciuitate nulli liceat vinum vendere, nisi tibi soli, & successoribus tuis, vel illi cui mandaueris, distrahendum* &c. *Præterea vallem de Torena, & quidquid nobilis mulier Isoarda in episcopatu tuo tenebat, & quidquid filij ejus in eodem adipisci poterunt, sicut ipsa coram prædecessore tuo Humberto recognouit* &c. *de dominio tuo esse volumus & concedimus.* Anno 1216. conuênit cum Raimundo Berengario, qui turbabat nonihil super pagis à Raimundo Berengario fratre concessis episcopo & ecclesiæ, vt vidimus nu. 47. Desiderius ad cer-

tam rei firmitatem voluit conuentiones comprobari à Bertramo archiepiſcopo Viennenſi. Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo Deſiderius conceſſit Ricobellum Roberto Miſonio in feudum; neque poſtea diu vixit. Ferunt mortuum anno 1221.

62 B. Deſiderij ſucceſſor ignotus eſt. Quicunque fuerit, omnino videtur alienâ manu cecidiſſe. Charta eſt in epiſcopij Dienſis tabulario antiqua quidem, ſed priuata, neque manu publicâ, ſigillóve munita. Memorat occiſum epiſcopum tanto canonicorum dolore, vt anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio, die tertiâ Septembris decreuerint magno conſenſu, nullum ad quartam vſque progeniem, de illorum gente qui præſulem peremiſſent, admittendum totâ diœceſi ad beneficium eccleſiaſticum. Omnino ſede vacante ita conſtituerunt: neque diu antè ceciderat epiſcopus. Scilicet videtur pœna recentiſſimi facinoris. Digni laude canonici! Cùm pro Chriſtianâ modeſtiâ nolint fundere parricidarum ſanguinem, aut tamen illis dicere fugiunt ex præcepto Apoſtoli, & de Domini diſciplinâ excludunt domo, gentéque ſuâ filios impiorum, ad quartam vſque generationem. Et incautum profectò antiſtitem ſuperauerunt ferro, vti à majoribus traditum eſt, ad lateralem portam Sanctæ Mariæ. Si egrediebatur ſacra æde Sacerdos, exemplo Chriſti extra portam paſſus eſt, vt populum ſanctificaret per ſuum ſanguinem: ſin templum ingrediebatur, cecidit Deo victima, & Chriſto ſanguinem reddidit. An hic ille Humbertus eſt epiſcopus, quem in veteribus tabulis lego *pulſatum* à Dienſibus *per ſeditionem*? annum quo pulſatus eſt; cauſas irarum & furoris in eum; nomina denique ſicariorum non inuenio. Igitur donec occurrat aliquid ex veteribus chartis certius, dicatur Humbertus III. ſucceſſiſſe Deſiderio, & cecidiſſe per populi ſeditionem ad lateralem portam S. Mariæ anno 1222. circa Septembris initium.

Hũbertus 3.

63 Bertrandus, vt tempora videntur ſignificare, Humberti à Dienſibus perempti ſucceſſor ſedebat annis 23. 24. 26. 35. poſt milleſimum ducenteſimum. Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio, cùm Guilelmus Artaudus negaret homagium vt loquuntur, res arbitrariis judicibus commiſſa eſt. Vvilelmus de Bordellis decanus Dienſis & Rambaldus Oſáſicca Guilelmum damnauerunt. Agebatur de Glandagia, Borna, Moleriis, Reuello, Lunis, & Aiſij parte mediâ. Hugo Aiſius, Arnaudum de Criſtâ ſecutus poſuerat illos omnes pagos in epiſcopi fide. Guilelmus Hugonis filius negabat jure poſitos, ſed an. 1224. clientẽ ſe dixit epiſcopi, qui hoc ſapienter addidit, vt Iſoardus Guilelmi filius (ne quid aliquando poſt mortem patris moueret) comprobaret clientelæ profeſſionem à patre factam. Frequens quoque canonicorum collegium, & viri nobiles plurimi, interfuerunt dicenti ſe clientem epiſcopi, ad majorem rei celebritatem ac firmitatem. In canonicis cenſetur *Magiſter Artaudus*, ſanguine & ſapientiâ illuſtris, cujus & Iacobi de Monte canuto Cantoris Viennenſis conſilio, Soffredus epiſcopus Gratianopolitanus, tranſtulit Gratianopolim Præpoſitum & canonicos Campaniaci poſitos, à Delfino, in templum S. Andreæ, quod Euſtachius prior S. Martini illis donabat anno milleſimo ducenteſimo octauo, calendis Februarij, ad petitionem Andreæ de Burgundiâ ſucceſſoris Delphini, & primi ſecundæ Delphinorum gentis. Neque verò vlla diuitiarum, aut honoris cupidi

Bertrãdus.

Digitized by Google

cupidine adductus Bertrandus, Artaudum adegit ad professionem clientelæ: 64
jura episcopi neglecta noluit. Quàm non parcus opum esset, non appetens honorum, affirmant quæ cum Hospitalariis, & S. Mariæ canonicis peregit. Anno 1226. donauit Hospitalariis ecclesias, prædia, census, & quidquid rei habebat Valle Dromæ: seruauit tamen sibi *sextarios centum frumenti, & centum bladi*; solidos seu Viennenses seu Valentinos annuos octo; & jura episcopi, scilicet (vt ipse in tabulis exponit) *visitationis, procurationis, altarium consecrationis, collationis Ordinum Ecclesiæ.* Hinc intelligis antistitem latè dominatum in Dromæ valle, qui sub grauissimo censu annuo daret sua Hospitali sancti Ioannis, in prouentus abs dubio non contemnendos. Pro Magistro Hospitalis rem gesserunt Pontius de la Montagna, & Gitaudus Auricula Hospitalarij, Girardus Vallis-dromæ clericus & Giraudus prior sancti Ægidij. Tabulas publicas scripserunt Diæ decimâ sextâ Iulij in domo episcopi, juxta ecclesiam Sancti Nicolai. Ecclesiam appellat scriba sacellum episcopij, quod sancto Nicolao (fuerat cum eo Nicasius in Concilio Niceno) sacrum esse tradunt chartæ vetustissimæ. Anno 65
millesimo ducentesimo trigesimo quinto finem dedit tertiâ idus Maij, diuturnæ contentioni cum collegio canonicorum sanctæ Mariæ de juribus episcopi; an potiùs sub pacis specie longam contentionem induxit? Certè ab illo ad nos vsque vix aliquando conuênit bene canonicis tum episcopo; illis aientibus se non esse in episcopi jure, hoc nitente canonicos subjicere suo vtrique foro. Et non rarò in apertum dissidium, neque occulta odia, res erupit sub Guilelmo Rossilionæo, Ioanne Iofeurio, Amedeo Cardinali de Saluciis, Ioanne Monlucio. Nuper etiam canonici cum Carolo Iacobo Leberonio contenderunt. Quoniam causa peruenit ad iudices, non est meum super ipsa pronuntiare: neque igitur referam seu Bertrandi literas, seu conuentiones Guilelmi Rossilionei, aut Amedei Salassi cum canonicis; seu in canonici crimine vel reciprocam missionem rei ad Iofeurium, & collegium, vel edicta senatus Gratianopolitani pro Monlucio, & Petro Andrea Leberonio. Certè quieti suæ consulere voluisse Bertrandum, questi sunt ex eo præsules, & dignitatem antistitis nimiâ facilitate corrupisse; canonicis ex aduerso laudantibus benignitatem parentis, & erga filios æquitatem interpretatis.

Humbertus IV. post Bertrandum episcopus, attigit annum sæculi quin- 66
quagesimum. Nobilis & clarus est ab homagiis illustrium virorum, *Hüber-tus 4.*
Isoardorum maximè, & Artaudorum. Res cuipiam fortasse videbitur tenuis, neque commemoranda: sed non modicum quid honoris confert in Ecclesiam Dei, qui subjectos illi docet, quos ceteri mortales venerantur. Ioannes tacere noluit principes christianarum tribuum deponere diadema de capite, & illud abjicere ante thronum Dei, & Agni. Anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo, mense Aprili, Gaufridus de Bordellis, ex gente Isoarda, se dixit clientem Humberti pro Chalancone, Podio acuto, Villaperdrice, Crepiasio, Leone, Mota, Fano Ferreoli: anno millesimo ducentesimo trigesimo octauo, 9. cal. Martij Vvilelmus Artaudus pro Tribus-canutis, Noueriis, Archiaua; & anno millesimo ducentesimo trigesimo nono, pro Castellione. Gaufridus in homagij tabulis profitetur

Digitized by Google

Isoardum patrem accepisse ab episcopo Crepiasium, Leonem, Motam, & Fanum Ferreoli. An hic ille est Isoardus, de quo dixi ad annum 1167. Idem Gaufridus ad tabulas adjunxit sigillum, & (quod nusquam aliàs factum inuenio) scutum posuit in sigillo transuersum. In scuto visuntur Isoardorum scipiones tres æquè alti, sub capite reticulato. Isoardus Chalanconius, Gaufridi filius, medium scipionem tulit ceteris altiorem, & in capite
67 reticulato fasciam. Rem verò suam Humbertus feliciter, & pro episcopatu sapienter, egit apud Fridericum nomine secundum imperatorem. Tres ab ipso literas habuit anno 1238. Primis imperator comprobat, & corroborat tabulas, quibus tum ipse Desiderio antistiti anno 1214. tum Fridericus, Roberto plures pagos donauit anno 1178. & varias exemptiones. Secundis tollit à Dia vrbe omne jus publici clam episcopo concilij; additque Humberto sequentia. *Mandamus quatenus in ciuitate Diensi legales mensuras & iustas, & legalia ac justa pondera statuas firmiter ordinari, vt vendatur, mensuretur, & ponderetur ipsis ponderibus & mensuris.* Tertiis imponit Diensibus octo millia solidorum pro militibus per Ioachimum Spinolam mandato episcopi ductis in Longobardiam. Fridericus Brixiam obsidione cinxerat: Spinola erat Vicarius imperatoris per *regnum Arelatense*, & (sicut ferunt literæ) *Viennense*. Hoc regnum Viennense ab Arelatensi omnino diuersum, excitare contendit Humbertus II. Delphinus, eo teste qui gallicè scripsit de toparcharum per Delphinatum juribus; & anno 1335. accepit literas à Ludouico Comite d'Oxiegen, quibus nomine Ludouici Bauari imperatoris euehebatur in regem Viennensem. Harum literarum exemplaria duo autentica sunt in tabulario regio Delphinatus, vt addit idem scriptor, qui etiam ad-
68 uertit Humbertum nunquam tamen sibi accepisse nomen regis. Quid fuerit cur Veronam, & Aquabellæ Bastidam Humbertus venderet, nullibi chartarum inuenio. Dederat episcopo vtrumque castrum Petrus de Verona. Omnino pietas commouit sapientem antistitem vna. Dedit illa Petro de Cigoterio Priori Salientis: & venditionis tabulæ ad solam speciem sunt factæ. Et verò quis putet ambo venire potuisse libris tantùm 80. Viennensibus, aut Valentinis, quot libris ab Humberto emisse recitatur Petrus? Optimus Præsul noluit videri pietate & liberalitate inferior ante ipsum episcopis. Desiderius dederat Misonio Ricobellum; Humbertus II. Sanmarcellinis canonis ecclesias Gressanas; Bertrandus Hospitalariis ecclesias, agros, & census Vallisdromæ; Hugo I. Ismido, Stephanus I. Sanrufensibus ecclesias Calorconis, Volventi, Tauliniaci, Arnaionis. Amabat ipse monachos Salientis, igitur concessit, illis Veronam, & Bastidam Aquæbellæ. Nobile munus! nequis dilapidationem rerum episcopalium queritaretur, donationem
69 obuelauit nomine venditionis. Hoc pietatis fuerit, & largitatis. Vt pacem amauerit, & quàm sollicitâ seduláque prudentia quæsiuerit, & seruauerit, docent quæ cum episcopo Sistaricensi, & Aimaro Pictauiensi gessit. Monasterium S. Marij est in finibus Sistaricensis diœcesis, quà Diensem attingit. Humbertus asserebat esse in sua non infirmis neque leuibus exemplis: sed vicit quieta caritas, vt ad insulam Barbaram, Sanmarianorum caput monachorum adiret, cum Sistaricensi Præsule. Prior Insulanus ex publicis fidelibúsque chartis docuit, monasterium esse in diœcesi Sistaricensi. Humbertus acquieuit Priori, & omni in Sanmarianos jure cessit. Res gesta est anno 1247.

Aurellum

Aurellum Humberto II. præbuerat cauſam belli cum Pictauienſibus: grauioris quoque mali cauſa huic quarto fuiſſet, ſi Aimarum ipſe non adduxiſſet in vera (vt tum videbatur) & duratura fœdera anno 1250.

Amedeus de Geneua (appellabant *de Gebenna*) vltimus eſt epiſcoporum, qui ante vnionem epiſcopatuum Dienſis cum Valentino ſederunt Diæ. Patrem habuit Vvilelmum Comitem Geneuenſem, & matrem Aleſiam Alberti domini Turriſpini & Mariæ Aruernæ filiam. Sedebat anno 1252. ex tabulis, quibus eo anno Vvilelmus pater *confirmauit* & *ampliauit* fundationem Cartuſiæ Pomerij. In illis ita legitur apud Guichenonum in Bibliothecâ Sebuſianâ, centuriâ 2. cap. 14. *Nos Vvilelmus Comes Gebennenſis, & Aleſia Comitiſſa vxor mea, & Rodulphus filius noſter primogenitus, cum ceteris filiis noſtris, ſcilicet Amedeo venerabili viro, epiſcopo Dienſi, Aimone Cantore Gebennenſi, Henrico-Roberto canonico Viennenſi, Vvilelmo, Guigone* &c. *confirmamus.* De Geneuæ Comitibus natus antiſtes ſanguinem probauit virtute, auxitque. Cum Guigone Delphino contendebat de Riuo-Sicco, Reuello, Rancurello, Orma Baſtidâ, Caſtelutio; Anno 1253. decimo ſeptimo calendas Nouembris, agentibus archiepiſcopis Ioanne Viennenſi, & Philippo Lugdunenſi, cum eo conuênit in hæc pacta. Riuus-Siccus, Reuellum, Baſtida Ormæ ſint epiſcopi: Guigonis ſint Rancurellum & Caſtelutium, ſed beneficiario jure ab epiſcopo; nihil præterea poſſidere poſſit in illis tribus pagis. Anno incerto Bertrandus de Medullione dedit Amedeo ea omnia quæ poſſidebat in valle Dromæ. Quæ fuerint illa, tacuit ſcriba publicus. Dignum certè Bertrando cenſebam munus, claro dynaſta. Scilicet noluit Medullionenſes debere quidquam Iſoardis, Artaudis, Berengariis, Veronenſibus, quos largitionibus in antiſtitem ſuum inſignes extitiſſe retuli ſuis locis. Iſoardus quoque Chalanconius conceſſit Motam, ſed Nilleto mutatam voluit Amedeus. Gaufredi Bordellenſis filius is erat. Literæ permutationis finiunt in iſtas voces. *Nos dictus epiſcopus, & ego dictus Iſoardus, ſigilla noſtra appoſuimus, & rogatu noſtro & mandato, Dienſis Eccleſiæ, & S. Mauritij Capitula, ſigilla ſua appoſuerunt in veritatis teſtimonium in hac chartâ.* Ex verò literæ ſcriptæ ſunt anno 1255. Sanmauritianorum monachorum pietati hoc datum eſt. Neque tacuerim emiſſe clientelam Iſoardi libris 18. & Gaufredi patris 40. Laude dignus antiſtes, qui firmandæ ad ſacrarum rerum venerationem autoritati, non exaturādæ libidini in Sacerdotum probra & dedecus, impendit ſuas opes. Iſta feciſſe recitatur in homagio Iſoardi pro Crepiaſio, Villaperdricè, Fano Ferreoli. Scriba addidit præſtitum id in domo Guiniaſiæ, olim. Fratum Minorum Dienſes domum nunc ignorant, commemorare tamen volui, vt intelligas fuiſſe tū in vrbe Fratres minores, etiam à nonnullis annis; vtpote qui ſedes jam mutaſſent. Cùm hęc res geſta eſt, erat annus 1267. Quādo locus patitur, adjungam iſtud etiam, apud ipſos fuiſſe poſtea ſanctiſſimum virum, nomine Electum, referente Bartolomeo Piſano: *In conuentu Dienſi*, inquit, *jacet F. Electus, homo ſanctiſſimus valde.* Quid egerit Amedeus ex illo tempore non inuenio, niſi quòd anno 1268. cepit 16. calendas Septembres homagium Raimundi de Agouto, & Iacobi de Entrauenis fratrum pro Luco. Cetera vel majores non ſcripſere, vel ſibi tradita poſteri neglexerunt. Mortuus eſt anno 1276. die 22. Ianuarij. *Eodem anno* ideſt 1276. *menſe Ianuario, in feſto S. Vincentij* (inquit ſcriptor vitæ Amedei Roſſilionæi qui tum erat epiſcopus Valen-

70 *Amedeus de Geneua.*

71

72

73

tinus) *venerabilis pater Amedeus de Gebenna, Diensis episcopus, vir pius & pacificus migrauit ad Dominum, & in ejus transitum adfuit Amedeus de Rossilione Valentinus episcopus, qui & sepulturæ exequiis ministrauit. Vnde accidit illud rarò contingens, quod filiolus patrem, nepos auunculum, Amedeus Diensem episcopum sepeliuit.*

74 Anno 1275 septimo calendas Octobris, Amedeus Valentinus episcopus, vt in ejus vita legitur, *de consensu omnium Cardinalium obtinuit Viennæ à Papa Gregorio X. priuilegium vnionis* episcopatuum Valentini & Diensis, quod recitaui in fine libri primi, mensibus fere quatuor ante mortem Amedei episcopi Diensis. Certè adeò multa grauiáque nunc Valentino, nunc Diensi antistiti damna, à pluribus annis intulerant Pictauienses, latissimè per vtramque diœcesim domini, pergebántque inferre, vt non aliud visum sit opportunius tantæ ecclesiarum cladi remedium. Et verò cùm in omni contentione belóque vires spectentur, & opes pugnantium, non eæ Pictauiensium erant, vt qui Valentinus simul & Diensis foret episcopus, suppar, aut etiam par non esset. Cùm latissimè omnium de illa gente dominabatur Aimarus III. tenuit castra 82. vti habent tabulæ professionis cliêntelæ, quam fecit Ademaro Voutensi episcopo, spectante Ioanne XXII. Pontifice anno 1332. tenuia fere omnia & ignobilia; nullum oppidum nobile, nullum insigne. Eorum prouentibus gloriabatur cæca dominandi gens, eorum armis terrebat, premebátque nunc Valentinum, nunc Diensem episcopum, vt mage imparatus ab auxiliis & militibus, alter, vt irruptioni magis obnoxius videbatur. Præsul autem vtrique diœcesi præpositus, habiturus erat in sua potestate oppida, seu pagos, & castra ad 40. & in iis Valentiam, atque Diam vrbes, eo tempore graues opibus, frequentes incolis, opere firmas, & tantæ totis regionibus dignitatis, vt si opponeres aduersarij pagos, mapalia diceres, aut Valentinorum prædia, vel Diensium: neque milites militibus objecturus Pictauiensis putaretur, sed colonos dominis, & seruitia ciuibus. Nam quid paganis illis fieret, vtrâque ciuitate ad arma ruente? Vbi primùm amburerentur segetes, vites euellerentur, exscinderentur arbores, agri latè vastarentur, vicatim gemere, armáque indignari: neque jam cogitare læti victoriam, sed perditos labores, vitámque afflictam miserabiliter plangere. Iam si spectes auxilia, vt Pictauiensis affinitate teneret vicinis quoque regionibus nobilissimas gentes, non par, sed fere superior foret episcopus. Quando enim haberet ille, quos opponeret hujus clientibus? Vt enim Valentinum taceam, Diensi Præsuli pagi omnino ad 5. & 90. sunt beneficiarij. Iam canonicorum collegia duo, jam clarissima vtrâque diœcesi monasteria, jam frequentissimus clerus, quas non familias sanguine, opibus claritate non cieret per proximas diœceses ad arma, cogerétque ad episcopi signa?

DE

DE REBVS GESTIS VALENTINORVM, ET DIENSIVM EPISCOPORVM

LIBER TERTIVS.

HACTENVS Valentinos, & Dienſes Epiſcopos diuiſim perſecutus 1
ſum: res operis non parui. Antiquitas obliuione deleuerat penè omnia eorum fortiter & ſanctè geſta, non paucorum etiam nomina. Operæ duxi alicujus vendicare nonnullos, & eorum ſaltem tempora annuatim notare, per quorum facta ire non licebat. Igitur alioqui minuta retuli: ſatis erat ſæpenumerò ætatem digerere, aut ſignare. Nunç ad Valentinos ſimul & Dienſes aggredior. Nullus eorum mihi excidit.

Valentina, & Dienſis Eccleſiæ, armis jamdiu fatigatæ, preſſæque, reſpira- 2
re ſunt viſæ per conjunctionem in vnum Epiſcopum, factam à Gregorio X. Et perculit Aimarum ea res: ſed enim verò Regulus malè ſanus, quod auſu temerario cœperat bellum, in eo vi obdurauit; maximè, quia duxit, ex imbecillitate animi factum interpretaturos omnes, ſi tum ceſſaret ab armis. Guidone Monlaurio factam Sedium vnionem, ait Robertus. Tu in re multùm antiqua & per ſe obſcura, ſequere innominatum autorem vitæ Amedei Roſſilionæi. Is tradit Guidonem de Montelauro, cùm Belliquadri creatus fuiſſet epiſcopus Valentinus à Gregorio decimo, Taraſcone mortuum eſſe anno 1274. & Amedeum inuitum atque vehementer obſiſtentem factum *Amedeus.*
pro eo antiſtitem, ab ipſóque Pontifice vnctum Viennæ, priùs Valentiam quàm adiret, obtinuiſſe literas vnionis epiſcopatus Dienſis cum Valentino à me recitatas libro primo. Amedeus autem patria Delphinas, gente Roſſi- 3
lionæus, Abbas tum erat Sauigniacenſis ſeu Sapiniacenſis monaſterij, ita dicti, vt volunt, à ſapinis quibus regio abundat, per Adalbertum ſub Carolo magno Abbatem primum. Et alia fortiter egerat Abbas, & hoc præcipuè quòd regulum Belliocenſem pepulerat neſcio quo caſtro ſui monaſterij per vim occupato, & monachos regulari diſciplinæ reddiderat. Itaque Gregorius cùm reluctantem cogeret ad epiſcopatum, ſpiritu diuino actus prænuntiauit reſtituturum eccleſiam Valentinam priſtinæ gloriæ. Vt Valentiam intrauit Antiſtes, vt Amedeus Geneuenſis epiſcopus mortuus eſt Diæ anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, menſe Ianuario; igitur Roſſilionæus ex literis pontificiis à me relatis libro primo Dienſem adiit epiſcopatum, Valentinóque primus vnitum tenuit. Vnionem verò epiſcopa- 4
tuum minùs decoram certámque arbitratus, quamdiu canonici eorum diuiſi ab inuicem eſſent, vniuit eorum collegia, & fecit vt ipſorum ſinguli ſeu Diæ, ſeu Valentiæ miniſtrarent, eſſent Valentini ſimul & Dienſes canonici. Inuenit etiam vnum quid aliud ſeruandæ eorum concordiæ. Criſta oppidum inter Valentiam, & Diam medium eſt: in ea collegium inſtituit de Valentinis & Dienſibus canonicis. Illa collegiorum vnio diuturna non fuit,

deſiit

desiit quippe anno nonagesimo octauo supra millesimum ducentesimum: tertium istud collegium stabat anno eum consequente sub Petro Galberti Præposito, & vigesimo nono supra millesimum quadringentesimum Guilelmo de Pictauia filio Ludouici Chalanconij etiam Præposito. Rossilionæus gerebat vtrumque episcopatum anno 76. & 77. ex tabulis, quibus scribitur fuisse Saliente, pago per bellum cum Aimaro Pictauiensi cœptum fido, & opportuno: multáque ciuibus, multa Aînardo Priori, concessisse. Probauit venditionem Veronæ, & Bastidæ Aquæbellæ, Petro de Cigoterio Priori ab Humberto III. an IV. Diense Episcopo anno 1244. Addidit velle se, vt incolis Salientis liceat vti syluis, pascuis, aquis, tum Veronæ Priori venditæ, tum Mirabelli spectantis ad Episcopum. Pollicitus quoque est, non venturum se ad pacis fœdera cum Aimaro, priús toti Salienti, quàm præstitisset ille omne damnum ab proximo bello: nam alioqui de suo repensurum, quod contra eum pro ipso pugnantes amisissent. Denique adiunxit, fateri se Priorem habere Saliente *ius omne, merum & mixtum imperium, altum & bassum dominium.* Hactenus Amedeus anno septuagesimo septimo, decimo septimo Calendas Februarij. Rigaldus Prior Druciaci, & Guilelmus Rector Ecclesiæ abbatialis, III. Cal. Apriles Diæ iurarunt, Abbatem Auraliacensem (ab eo pendet Prioratus Salientis) firmaturum suo assensu acta Saliente ab Episcopo: & omninò rata habuit 13. Cal. Iunij. Res tentata fuerat anno LXXVI. & Guilelmus Abbas III. Cal. Aprilis commiserat vni Rigaldo suas vices: sed (qua ex causa non inuenio) dilata est in annum sequentem. eòque perfecta, & Rigaldo additus Guilelmus Abbatiæ Curio. Eo ipso anno, Amedeus Episcopus accipit ab Isoardo, solemne obsequium clientelæ, pro Crepiasio, Villaperdrice, fano Ferreoli. Rem exiguam prætermittere nolui: quia, quç tabulæ illud habent, addunt emptum ab Humberto Diensi Præsule libris XL. pro Crepiasio, & Chalancone: atque Crepiasium ab Amedeo Geneuensi occupatum quia Isoardus patronum adsciuerat Aimarum pro ea parte, quæ fuerat Castronouensium. Noster quoque Amedeus Foilanis pepulit Guigonem Berengarium IV. Nonas Ianuarij, anno 1278. An se negabat clientem eius? Sed pro Foilanis iam asseruerant Berengarij; Raimundus anno huius sæculi LIX. & alter Guigo XVIII. An stabat ab partibus Aimari? tanta quippe tum contentione pugnabat cũ Amedeo, vt Philippus Rex Francorum paternæ pietatis hæres, miserit, qui res eorum componerent. Monarcha sapientissimus dolebat bellandum Episcopo tam longa tempora, nullàmque malo medicinam ab vicinis circà Dynastis, Summo etiam Pontifice, tota vi allaborantibus, afferri potuisse. Archiepiscopus Narbonensis, & Rodulfus Salassus Franciæ Marescallus, ab Rege Legati fecerunt, vt de omni controuersia starent sententiæ Guilelmi Episcopi Lingonensis, & Humberti de Belloioco Conestabilis. Quid secutum sit, tacent antiquæ tabulæ: nihil certi ab illis constitutum putabam: vt quid enim quatuor pòst annis, iterum ad iudices arbitrarios deducta fuisset tota causa? Nullâ tamen armorum cogitatione, nullâ turbarum, potuit Amedeus ab eo diuelli, vt iura Ecclesiæ illibata non seruaret, ducens, quod est, firmitate animi res geri, imbecillitate corrumpi. Neque nobilibus viris discerpenda dedit, vt non accederent ad Aimarum. Giraudus, vir gente clarus & potens, nescio quid tricabatur super professione clientelæ: Episcopus quà minis, quà blando sermone fecit, vt

arbitra

arbitrario iudicio tota controuerſia ſolueretur. Ipſe Giraudus Montilij, quod ditione tenebat voluit, arbitros, eóſque indigenas Franciſcanos, Guichardum, & Aimarum. Hi Giraudum damnauerunt ſolemnis obſequij Amedeo, & Amedeum Giraudo quinque millibus ſolidorum Viennenſium. Solidum 10
eundem fuiſſe groſſo, affirmatur in teſtamento Chriſtophori de Saliente Præpoſiti Valentini per Cluſetum, Valentiæ anno 1510. die 15. Septembris: anno tamen 1478. florenus cápiebat ſolidos 24. ex tabulis, quibus recitatur venditio penſionis pecuniariæ, Collegio ſancti Nicolai de Anneſſiaco apud Auenionem, per Antonium Armandi, & XII. tantùm groſſos anno MCCCCLXXXII. ex iis, quibus Antonius de Balſaco Epiſcopus recitatur emiſſe Diæ prædium auroræ, ab Iacobo Albenaci. Tabulæ venditionis illius habentur Valentiæ, iſtius emptionis Diæ; ambæ in Archiuo Antiſtitis. Anno etiam 1417. conſtabat groſſis 12. ex conuentionibus Ioannis Botarin Antoniani Curionis Pontaiſij, cum Iacobo Maſſardi Theſaurario Ioannis de Pictauia Epiſcopi. Quod arbitri edixerant, fecit Giraudus anno proximo: 11
dicit ſe clientem Antiſtitis pro ſua parte Montilij, & caſtis Soz, Condiliaco, Lachano, Turretis, Deuaiiùa, quæ Guigo Ademari quondam poſuerat in patrocinio Præſulis Valentini: non præſtitit Amedeus morte præuentus; ſed pro Amedeo, Ioannes Geneuenſis anno 1285. Epiſcopus numerauit Giraudo quinque millia ſolidorum. Fuit etiam Amedeo pugnandum cum Auguſta, Eſpenello, & Pontaiſio: fuit & arx imponenda Criſtæ. Deníque addidit, vt cum Artaudo Abbate S. Rufi conueniet de Abbatia S. Medardi, ſede ad Criſtam oppidum opportuna Antiſtiti per bella cum Pictauienſibus, pro Criſta ipſa, & Auguſta ac Deuaiiùa caſtris non multùm remotis. Artaudo conceſſit omnes Eccleſias, quæ ſuberent Prioratui S. Marcelli ad Diam, & S. Medardi non procul Criſta: accepit ab Artaudo Abbatiam cum onere librarum c. pro cenſu Anicienſis Epiſcopi. Quòd de Prioratu S. Marcelli ſuſtulit Eccleſias inferiores, & tradidit Santufenſibus, facit, vt putem, monachos Cluniacenſes nondum eius temporibus in illum immigraſſe; atque vt canonicis regularibus non dicatur peperiſſe damnum, fuiſſe ipſorum ædem in Epiſcopi poteſtate. An Præſul Dienſis fundauit Monaſterium, quod anno 1212. Humbertus II. appellabat filiam ſuam ſpiritualem? Epiſcopo dignum profectò opus; nónne alius alio tempore Præſul Diæ, multa & infinita penè incredibili ſua laude conceſſit Hoſpitalariis, Santufenſibus, Sanmarcellinis, Auraliacenſibus? Neque prędia ſolum donabant ſancti Antiſtes, aut Eccleſias; 12
ſed caſtra, ac pagos Veronam, & Baſtidam Aquæbellæ: quid magnum eſt, ſi quis eorum dicitur canonicis regularibus ex ædificaſſe monaſterium Sanmarcellinum? Atque hactenus dicta ſint, quæ Amedeus Roſſilioneus pro ſuis præclarè geſſit. Non minora ſuſcepit pro alienis. Guidone Archiepiſcopo turbatum eſt aliquid Viennæ. Amedeus occurrit naſcenti malo, & arces latrocinio occupatas recepit. Compoſuit æquus arbiter litem Lamberti Montilienſis cùm epiſcopo Viuatienſi erupturam in bellum de Caſtronouo Montiſpenſerij ad Rhodanum: Marchionem Monferratenſem cepit, & in carcere tenuit, donec reſtitueret Taurinum Comiti Sabaudiæ, neglectis Archiepiſcopis Aquenſi & Ebredunenſi, à ſummo pontifice legatis qui neptem Monferratenſi coniugem dederat: denique pro canonicis Romanenſibus duxit exercitum anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo

primo & è bello redux obiit diem extremum Diæ ex tertiana febri decimo sexto die mensis Semtembris.

13 Placet vnum addere. Isto anno die quintâ idus Iulius *Ludouicus de Sabaudia, & Aimarus de Pictauia Comes Valentinensis iurant se iuuare mutuò in placitò, & in guerra, contra Aimarum de Rossilione archiepiscopum Lugdunensem, Amedeum Rossilionæum episcopum Valentinum & Diensem, ac Artaudum dominum Rossilionis Viennensis diœcesis, & omnes de genere ipsorum descendentes*, vt habet charta illo die scripta apud Iustellum; Ex qua intelligis Rossilionem è qua & Amedeus episcopus & eius gens nomen duxerunt positam esse in episcopatu Viennensi.

Quis Amedeo successerit, asseuerare non possum. Non inuenio qui Valentiæ, Diæque sederit reliquo anno 1281. à die 17. Sept. ad finem vsque, qui anno toto 1281. Anno 1282 sedes vacabat, & pugnabatur tamen cum Aimaro Pictauiensi: quare putauerim contentionis aliquid tum fuisse de electione Episcopi. Pridie Calendas Octobris G. de Chasta Decanus Valentinus, P. Rostagni Præpositus item Valentinus, G. de.....esio Præpositus Cristæ, & P. de Quinto Sacrista Diensis Curatores Ecclesiarum, atque Aimarus conueniunt in arbitros Rogerium de Clariaco, & Arnaudum de Asseduno, ignoto exitu. Vacante profecto Sede conueniunt, ídque in tempus incertum; scilicet, per litem super Antistite electo: qui enim Canonici conuenerunt creandis Ecclesiarum curatoribus, nunquid potiùs eligendo Præsuli coiissent? Quem Præpositum Cristæ lego, arbitrabar fuisse quoque Decanum Diensem: vt quid enim alioqui præcederet Sacristam S. Mariæ, & cum eo regeret Episcopatum? Omninò vt Valentini Collegij Principes, Decanus, & Præpositus; ita etiam Diensis ad eam curam vocati dicendi sunt. Petrus Galberti, Cristæ quóque Præpositus, fuit Canonicus Valentinus anno 1299. Porrò non contemnendam fuisse Præposituram ex eo intelligis, quòd anno 1429. Guilelmus de Pictauia, filius Ludouici Chalanconij, & cognatus Ioannis tum Episcopi, eam gerebat.

14 *Ioannes Geneuẽsis.* Anno 1283. Ioannes Geneuensis Episcopus, ingentium vir animorum, vocauit ad professionem clientelæ Rogerium de Vouta Andusianum, Guigonem Ademari, Giraudum de Guisandis, Percellanum de Rosanis, & alios vtráque diœcesi proceres. Chartas de re feliciter gesta integras, & illibatas, nobile opus venerandæ antiquitatis, videre est in tabulario episcopij Valentini. Membrana est pergamena, pluribus foliis distincta, scripta synceris & venustis chararacteribus. Ante sacerdotales infulas professus fuerat monachum; sese ipse Cœnobitam scribit. Quo in monasterio vixerit, quàm castè virtutem coluerit atque vt excelsâ animi vi spes rerum humanarum omnes cœnobio mutauerit, præciderit ue, nullus memorat. Omninò malè posteris consultum voluêre antiquis illis temporibus Scriptores, qui (vt alios taceam) de Valentinis, & Diensibus Episcopis, tam pauca, & penè nulla dixere. Omnibus sæculis memoranda susceperant, perfecerántque Apollinaris, Remegarius, Ioannes Mirabellius Valẽtini; Vltinus, Exuperius, Saturninus, Vldricus Diẽses. Ante annũ millesimum pauci noti, dubij multi ferũtur. Quanto in omnem partem exẽplo, Ratbertus, Bosonis Arelatensium Regis frater, calcatâ purpurâ sacerdotem egit Valentiæ; quanto Desiderius, Reguli Forcalquerienſis filius, Carthusianam eremum adiit, è qua vocatus est ad infusus Dienses? silẽt ista literæ omnes,

Digitized by Google

omnes, commemoranda ſermonibus omnium populorum. Igitur ſæpenumerò venit in mentem cogitare, non paucos ignorari Antiſtites, qui & ſanguine, & rebus geſtis, & integritate vitæ conſpicui, debuiſſent cum omni poſteritate coæquare memoriam. Dia decem omninò numerat in Cœlitibus, Martium, Higerium, Petronium, Marcellum, Vlfinum, Exuperium, Saturninum, Vldricum, Stephanum, Deſiderium: quàm multò plures poſitura tibi videtur, ſi poſſet omnes cenſere, & per ſingulorum facta ire? Monachum egerat Ioannes filius Reguli Geneuenſis, magno exemplo. Vt alia tacita ſint, hoc certè inuida ætas condere non potuit, è Cœnobio ad Epiſcopatum detuliſſe inſignem pietatem, modeſtiam, æquitatem. Fortaſſe monachum profeſſus eſt Nantuaci, cujus prior triceſimus octauus renuntiatus eſt anno 1276. Ex Amedei olim Dienſis Epiſcopi fratre genitus, Amedeum Roſſilioneum, vtriuſque Sedis primum Epiſcopum ſanguine contingebat. Supra viri ſanctitatem, fecit fortaſſis vtriuſque Antiſtitis memoria, vt à canonicis expeteretur, & à Monaſterij latebris educeretur in tanti ſacerdotij lucem anno 1283. Ille ipſe annus nobilis eſt à fine belli cum Aimaro 16
Pictauienſi per nouem annos geſti: tædióne turbarum, an ſceleris conſcientiâ? ceſſit ille Ioanni, jure omni in partem Criſtæ oppidi, quæ fuerat Siluionis Decani Valentini, Auguſtam, & Deuaiüam; atque vergebat in ſenectam. Sed malè certa, neque diuturna fuit quies. Multa poſteri mouerunt, neque ab armis, tumultúque ceſſarum omninò fuit, donec Bordellis, ac Beſauduno, & ducentis in ſingulos annos florenis aureis, Criſtæ ſuam partem mutauit Epiſcopus ex mandato Summi Pontificis. Vt mirari ſubeat animum conſtantiam noſtrorum Antiſtitum, animóſque, & certiſſimam virtutem, qui per magna vitæ diſcrimina, majorémque in cogendos, & ſuſtinendos exercitus profuſionem pecuniarum, amauerunt bellare potiùs ducentos, aut etiam ampliùs annos, quàm permittere, vt pars Criſtæ, totius mali ſeminarium auelleretur ab Epiſcopatu. Digniſſimi profectò 17
æternâ laude viri, & ij quibus ſua Chriſtus commiſſa vellet. Atque ſummo conſilio fecit Ioannes, vt in vera tum fœdera cum Aimaro conueniret, cæteram quippe vitam ingenij quidem mitiſſimi vir, ſed infractæ conſtantiæ, egit in turbis Valentiæ, Dięque. Si Aimarus ſe addidiſſet hoſtibus, næ importuna, & incredibilis fuiſſet vexatio, neque tumultui par eſſe, aut tot aduerſariis occurrere, tantus potuiſſet Antiſtes. Primùm canonicis cum Valentinis fuit negotium. Tribunal epiſcopi jam fugiebant diu, & ante omnem memoriam, atque forum vtrumque: neque hoc tantum, id juris ad familiam ſuam, imò ad totam gentem protendebant. Durauit aliquod tempus contentio: agente Guilelmo, Archiepiſcopo Viennenſi, hoc indulſit Ioannes; & voluit haberent ſibi Iudicem, præterquàm in cauſa hæreſeos, falſæ monetæ, machinationis contra Epiſcopum, & ejus facultates. Seruauit ſibi jus prouocationis, & diligentiâ in coërcendis criminibus imperauit: alioqui ſe, per eorum negligentiam, illa caſtigaturũ ſanctè jurauit. Quod de gente addiderant, non omninò negauit: fratres, fratrum filios, conſanguineos Canonicorum fecit ejuſdem juris. Hoc ipſum dedit familiæ tum collegij, tum ſingulorum: familiæ verò nomine complecti ſe dixit Clericos, Scutiferos, Notarios, Scriptores, ſeruos, ancillas, & eos omnes, quos propriis ſumptibus alerent. Quia ve- 18
rò Dienſis Epiſcopatus nuper additus fuerat Valentino, eam immunita-

tem conceſſit vbicumque locorum vtriuſque peccarent. Cum Guilelmo Archiepiſcopo laboraverant Artaudus Abbas S. Rufi, & Guilelmus Firmini
19 Canonicus Valentinus; arbitrarij cognitores totius cauſæ. Neque à ſolis Canonicis turbas patiebatur epiſcopus ſed toto tractu Valentino naſcentibus occurrit benignitate ſua: Giraudo Ademari numerat quinque millia ſolidorum, pro clientelæ profeſſione, olim promiſſa ab Amedeo Præſule: componit diuturnam cum Montilienſibus litem de decimis, & quarta parte omnium terræ prouentuum: Montelerium mutat Caſtro nouo ad Iſaram, cum Gumiſio Caſtronouenſi: alia id genus non pauca (quid enim eam per ſingula?) ſuſcipit perficítque, conciliandis ſibi omnium animis, & litibus quà ſopiendis, quà interuertendis. Nolo vnum tacere, quoniam poſteà tetendit ad judicium, & peruenit ad Imperatorem. Vendit baliuiam Valentinam Ioanni Macellario libris D. Tabulas venditionis probauit poſt annos 80. Carolus IV. Imperator, agente Iacobo Arthodo hærede Macellarij; extinguendæ profectò contentioni, quam interceſſiſſe putabam cum iis, quibus illam vendiderat Guilelmus, Ioannis in Epiſcopatu ſucceſſor, pro ſumptibus faciendis in aduentus Clementis V. Summi Pontificis. Coquebat iſta gerentem Epiſcopum cura Dienſis Eccleſiæ ac ciuitatis, & grauior longè tempeſtas inde minabatur, atque dubium habebat, quâ vi vel orienti occurreret, vel certè coortam cohiberet, extinguerétve. Stetit animo Imperatorem adire, vt inde firmaretur, & refloreſceret autoritas in Dienſes, ac dominatio, vnde ad Robertum Epiſcopum ante 100. annos peruenerat. Ita B. Deſiderium, ita Humbertum IV. quondam Antiſtes feciſſe, labantémque injuriâ temporum, & penè fatiſcentem dignitatem ſuſtentaſſe. Valentinorum quoque tumultui, ſeu ciuium in vrbe, ſeu procerum in agro, ſi quis aliquando reſurgeret aptiſſimam fore medicinam, & olim vtilem B. Humberto, Guilelmóque Præſulibus Valentinis. Quàm gratus Imperatori fuerit Ioannis aduentus, quàm probata Epiſcopi jura in Valentinos, Dienſéſque, teſtantur illius literæ, (Rodulphus is erat,) Moreti datæ 6. Nonas Maij, anno ſæculi 91. *Nos ipſum* (loquitur Rodulfus) *tanquàm noſtrum, & Imperij Principem, ad beneuolos applauſiuæ ducedinis admittentes amplexus, regalia feuda Principalis Pontificatus, quem obtinet, ſibi de regia liberalitate conceſſimus, & eundem Epiſcopum inueſtiuimus de eiſdem; adminiſtrationem temporalium, iuriſdictionem plenariam Principatus eiuſdem, prævocato Epiſcopo præſentium ſerie*
20 *committentes.* Hæc imperator de Ioanne. Sed enim verò tam certæ ſunt aliquando mali cauſæ, atque ita in impetu, vt ſuſtineri nulla vi queant: erumpat illud firmatis omni parte, validíſque radicibus, neceſſe eſt: proficit etiam non rarò, vnde putaueras exſcindendum, ac veluti probatis contentione ſuccenſiſque viribus, fit ſe maius. Canonici, Clerici, ciues Diæ, coniurant in Epiſcopum ex aula Rodulfi reducem: communis omninò cauſa tanti tumultus. Tetigit altè Ioannem iniquitas rei: primùm ira cœpit, tum indignatio: occurrebat, & ſuadebant vulgò, furore occæcatos & præcipites prorſum impellere perderéque: nam, quid ab eis aliquando ſperes boni, quos virtutis indocilles non tenet veneratio Sacerdotis; maieſtas, víſque Imperatoris non tertet? Sed vicit optimum Antiſtitem ſua mens, curáque gregis, & amor, atque, ſcilicet, Chriſti Summi Paſtoris exemplum Naſcenti malo mederi voluit benignâ manu; & ſupra veniam, tum alia, tum hæc maximè dedit,

dedit, è quibus ad fontes seditionis peruenias. Iurauit in exemptiones ca- 21
nonicorum, cleri, ciuitatis ab anterioribus Episcopis concessas, siue scripto, siue solo vsu eæ constarent. Sanctè pollicitus est, nihil se super decimis tentaturum vltrà consuetudinem. Donauit Ecclesiæ, & ciuitati omnem illam pecuniæ vim, quæ ipsi deberetur ex profectione ad Imperatoris curiam Res acta est 8. Idus Iunij, anno 1292. Tabulis addidit sigillum; illud quidem non insolens, neque inassuetum; sed in quo videas hoc non tacendum. In postica parte habet Virginem, cum filio herente pectori, positam in mediâ figura non vulgari. Triangulus est angulo insidens, nisi quòd non clauditur supernè lineâ, ex angulis quippe superioribus, non vna ab altero ad alterum recta, sed duplex inferiùs descendit in Sanctandreanam crucem, à singulis singulæ: eæ illos non superant, clausæ in alterum triangulum lineâ rectâ, veluti ad sedem B. Mariæ: scilicet, Virginem esse docet inscriptio: *Genuit puerpera Regem.* Arbitrabar, hoc symbolo ad sigillum addito, docuisse, Virginis, Christique benignitate, in mortales alioqui scelere perditos, adactum ad scribenda superiora capita. Et fecerunt illa quidem, vt ciuitas tum quiesceret, & recomponeretur ad pacem: sed, quia suæ sunt rebus periodi, morbis potissimùm, & furori, quas nisi totas explicent, reuocant identidem, repetúntque; redière ad seditionem cruda ingenia, nondum matura certæ valetudini. Post annum tumultus iterum Diæ à canonicis, clero, ciuibus. Direptæ Ædes Ministrorum Episcopi, pulsata etiam corpora. Hîc Ioannes vehementer, scilicet pro re, commoueri; rescindere etiam ipse capita veniæ, pacísque non ita pridem datæ; velle causas canonicorum cognoscere. Impetus is erat, mentúsque contra idolem motio. Neque igitur diu stetit. Non 22
dubitauit pro innata facilitate pius Antistes concedere pluribus dynastis, vt Principis Arausicani judicium sequeretur, (Bertrandus de Baucio erat, latissimè ad Diam in montibus imperabat) & viro totius causæ cognitionem permitteret. Id appromiserunt aduersarij, sed infida voce: acceptâ quippe sententiâ turbas agere perrexerunt. Isoardus de Aquis, Suemandus de Valleserra, Guilelmus Iordanus, Guilelmus de S. Laurentio, Guilelmus de Maissenas, & Isnardus canonici S. Mariæ, misti ciuibus, obstinant in seditione, & Raimundum de Medullione oblitum fidei ante annos 4. datæ sequuntur in armis, suúmque, ac ciuitatis dominum profitentur. Nunc ad Delfinos nunc ad Pictauienses inclinabat Medullionensium gens: Ioannes ei ad se, adjungendæ emerat Raimundi clientelam, & dominium (quod vocant) directum Medullionis, Buxi, Villæfrancæ, Mollanorum, Sadaronis, Rupis, Petræ longæ, Aguillerarum, Plaziani, Costæ, Bastidæ collis de Sebayrano, Bellivicini, Beninaij, Perasij, Pennæ, Pogeti de percipia, Alansoni, Rochetæ, Gouuerneti, Boisseri, S. Saluatoris Villarij, Pogeti segelarij, Besignaci, Cornerij, aliorúmque pagorum, quibus dominabatur omninò ad 5 & 30. Cur contra datam fidem egerit, non inuenio. Magis miror, quòd Diæ ciuitatis dominationem ambierit, quàm non ignorabat primùm à Friderico I. tum ab Henrico, Friderico II. Philippo, Rodulfo Imperatoribus concessam vni Episcopo, cæteris dominatoribus prohibitis. Et ante Fridericum I. habuisse Petrum Episcopum intelligitur ex verbis obsequij ab Isoardo præstiti: atque Hugonem, ex fide ipsi data, à Guilelmo Comite Diensi. Quid verò men- 23
tis erat illis Canonicis Collegio suo indignis, se suáque subjicere Raimundo,

Clericos militi, posthabito Episcopo? Vesana quidem ausa: sed tantum erant Ioannis odium. Ceteri canonici importunum furorem execrati, reos agunt apud Archiepiscopum Viennensem,& Summum Pontificem. Atque Ioannem aliquando puduit suæ modestiæ. Contemni benignitatem suam videns,descendit ad seueriora consilia. Dat Guigoni Alemanni Foilanos, à Guigone Berengario ex rebellione quondam ereptos, Alemannæ genti viris & opibus potentissimæ in belli societatem vocandæ.Ipse Guigo rependit sexdecim millia solidorum; quantis; scilicet,impensis Amedeus abstulerat Foilanos à Berengario: pecunia militi ad signa vocando non contemnenda illis temporibus. Porrò episcopus adjungit sibi Humbertum Delfinum,per Guilelmum Archiepiscopum Viennensem, & Guidonem Toparparcham S.Treuerij in Dumbis Iudices arbitrarios. Fœdus scripsêre Romani. Humbertus militem pollicitus est contra Diensses:cessit jure omni in partem Cristæ,quæ fuerat Siluionis,Augustam,& Deuaiüam: professus est,Medullionem,& alia,quæ Raimundus ab ipso haberet, se à Ioanne in retrofeudum (quod vocant) tenere. Quò euaserit bellicus iste apparatus, non dixere majores. Nihil vltrà turbatum lego: sed neque,vt in pacẽ conuentum fue-
24 rit. Quòd audis,Humbertum cedere Augustâ,Deuaiüâ,& mediâ parte Cristæ,res operæ magnæ fuit. Aimarus Pictauiensis certus Valentinorum, & Diensium Episcoporum hostis, anno 1267. mutauerat illis Clariacum, Chantamerlam, Bosternaium, Montemcanutum, Laruagium, Monasium, Clauaisonum,& mediam partem vectigalium veteris Rupis de Gluey, ac recentis Rupis cum Guigone tum Delfino.Iniqua pacta:sed agebant hominem odium,ac furor. Dominari auebat locis, & (si posset) Episcopos pellere. Nullum Delfinis in ea jus erat: vicit tamen imperandi libido. Verùm Guido moriturus, jussit Aimarum acta conuellere: vrgebat quippe Christianum Regulum conscientia sceleris. Et post conjugis mortem, B. olim vxor mandata Guigonis ad virum detulit 1271. 14. cal. Martij: Aimarus paruit tantùm post annos 12.intereà temporum conatus vi,& armis seruare,quod fraude parauerat. Ioannes, ad veram firmitatem rei, voluit Humbertum firmare suo assensu mandata Guigonis, & jus omne in ea loca ipsum quoque abjicere. Gesta sunt hæc anno sæculi 95. Sabbato post diem B. Magdalenæ sacrum,vt tabulæ ferunt. Biennio pòst mortuus est Episcopus gente,animis,sapientiâ,integritate vitæ magnus. Anno ipso 97. quo mortuus est, permisit Iacobo,& Geraldo Balbis, exercere Valentiæ mercaturam, *quæ* (addit) *licita sit*,& omni fœnore procul. Rem per se leuem afferre placuit,ad graue argumentum authoritatis,& dignitatis Episcopi.

25 *Guilel. Rossilionæus.* Guilelmus Rossilionæus,ex fratre Amedei cognominis Episcopi natus, successit Ioanni Geneuensi consanguineo. Multa ille præclara bello, pacéque gessit,& totus fuit in Sedibus suis ornandis,ditandísque. Bordellos,Auribellum Podiolos,Castellionem Diensium intrauit, ditionéque primus tenuit. Anno 1300. cum Ryssendice Corneliana, vxore quondam Gaufredi Bordellensis,& ejus liberis,mutat ipsorum totis Bordellis valle amœnâ,diuitéque juribus,census Aurioli, nemus, furnum,ac molendinum Mirmandæ; addítque insuper quinq; millia solidorum rei peræquandæ.Sextò post anno emit ab Armando Ruffi,& Blaccosia vxore partem Auribelli: sæculi autem duodecimo conuenit de Podiolis cum Guilelma olim conjuge Bettrandi Podiolen

Podiolensis, quos deinde post annos IV. diuidit cum Saladino Artaudo anno 1318. regens ecclesiam Viennensem Archiepiscopo mortuo, vt solet episcopus Valentinus antè omnem sæculorum memoriam 26 Februarij vniuit prioratum de Bogies pitanciæ S. Petri Viennensis, Abbate Iosserando de capella. Anno 1319. Durandus de S. Saluatore officialis Valentiæ, & Vicarius Guilelmi *sigillat transactionem* inter Priorem Transæ, & Curionem S. Andreæ 26
des Effangats. Insigne verò ad memoriã est, quod anno sæculi 21. Castellionem, ingentem pagum, ac Diæ ciuitati peropportunum, emit ab Arausicano Regulo, prouentibus, & pecuniis, fructibúsque illis omnibus, quos Valentina ciuitas faceret Episcopo per annos 11. hoc meritò probantè, laudantéque Summo Pontifice: is erat Ioannes XXII. Conuenit quoque cum Liberonensibus. Guil. pacti sunt 34. libras annuas pro furnis & ligno. Multa insuper alia id genus suscepit nobilissimus Antistes: satius quippe ducebat, & Præsule dignius, in Ecclesiam suam refundere, quas ab illa opes acciperet, quàm ex ipsis seruire suæ libidini, genióque. Sentiẽs videlicet ornari tum maximè Episcopum & honestum esse, cum ornat, honestátque suam Sedem.

Cum canonicis quoque suis per vtrámque diœcesim ita egit, vt dignitati 27
suæ consuleret; neque tamem crescceret ex eorum detrimento. Diuturna illi fuit, & impedita contentio cum Diensibus. Iurisdictio causa litis atque turbarum. Atque profectò vergebat res in apertum dissidium: tandem vicit benignitas, vt totam commissam vellet triumviris arbitris. Hi tulere sententiam Liberone, vltimo Decembris, Andreas Balduini Decanus Diensis, Guilelmus de Iuriaco miles, Ioannes Guibundi Præpositus Cristæ: eámque finierunt in verba: *Quælibet pars* (Antistitem intellige, & Canonicos (*prædicta omnia ratificet emologet, approbet, & confirmet; & ratificare, emologare, & confirmare debeat, ac etiam teneatur & requirere R. in Christo P. ac Dominum Archiepiscopum S. Viennensis Ecclesiæ, & eidem cum affectu supplicare, quatenus prædicta ratificet.* Sed capita, seu contentionis, seu pacis non afferot cur ita faciam, dixi cùm agebam de Bertrando Episcopo Diensi. Iam tum olim, cùm intrauit Episcopatum Guilelmus, ostenderat, quàm facilis & bonus foret suis omnibus, seu Diensibus, seu Valentinis canonicis. Rem paulò altius repetamus. Tanta Cleri totius approbatione facta est coniunctio Ecclesiarum Valentinæ, & Diensis in vnum Episcopum per Gregorium X. vt, quod Pontifex non cogitauerat, voluerint vtriúsque canonici, coïre in vnum quoque Collegium, quod Valentinũ simul, & Diense vocaretur: suos haberent Valentini reditus, suos Dienses: nomen cõmune esset, Conciliúmque. Amedeus tum Episcopus probauit virorũ mentem: vnum de duobus fecit Collegiũ; atque ita volentes adegit in sacramentum seruandæ vnionis illius, & nunquam volandæ. Paucis ab inde annis pœnituit facti canonicos, 28
nomen alterũ mane querebantur: non posse vnum eorum esse Collegiũ, qui nunquã in vnum conuenirent proædium, ciuitatúmque distantia, aut in commune consulerent. Visum etiã fuerat graue, durúmque Diensibus, quod Valentini deseruerant armísque prohibuerãt per bellum cum Ioanne Episcopo. Igitur conspirantibus animis suspirabãt diuisionem Collegiorũ, petebántque. Noluit concedere postulantibus ante Guilelmũ Geneuensis; seu religone sacramentĩ perterritus, seu quapiam alia ex causa. Mortuo Ioanne, qui pro Episcpo erat Diæ, soluit suos iuramẽto; sed irrito conatu, Valentini quippe simul erant canonici Guilelmus anno MCCLXXXXVIII. dixit duumviros totius rei

cogni

cognitores, eoſque Canonicos, Alterum Valentinum, Dienſem alterum: iis fecit poteſtatem exſoluendi ſingulos ſacramento; Collegium in duas
29 (vt olim fuerat) omninò partes diuidendi. Vidi ego tabulas, tractauique datę hujus facultatis: munitæ olim erant ſigillis Guilelmi epiſcopi, & vtriuſque canonicorum Eccleſiæ. Petentibus quippe hoc indulgebat Guilelmus. Alia duo vetuſtate perierunt: ſyncerum omninò eſt ſigillum Dienſium.

30 Non dubitauit etiam cum Regularibus pro innata facilitate rem placidè gere, procúlque omni contentione, ac lite deſcendere ad fœdera. Anno ſęculi 99. 12. cal. Decembris conuenit cum Pontio Chailati, Priore Salientis, agentibus pro Abbate Aureliacenſi Guidone Camerario Abbatię, Guilelmo de Clamis Priore Burgi in Caturicenſibus, & Guilelmo de Vayriaco Priore Podij celſi apud Albienſes. Geſta per Amedeum Guilelmi patruum cum Ainardo Priore, ſemina diſſenſionis fuerant: iis quippe nixus Pontius ſe gerebat Toparcham Salientis; Eſpenelli etiam, (qua ex cauſa, incertum eſt,) Bairij, & Arnaudi: atque porrò ſibi poſtulabat ab Epiſcopo libras D. argenti, pro damnis per bellum cum Aimaro Pictauienſi illatis Salienti. Sed Salientis quidem pagus, Diam ituris Valentia neceſſarius eſt ad viam, aperit quippe vallem, in quam fert Criſta, præruptis ferè cautibus vtraque parte clauſam, & vnicum per hyemem Diam iter. Igitur Guilelmus eo ſibi accepto dat Pontio libras Viennenſes annuas L. In Eſpenellum, Bairium, & Arnaudum non erat Priori jus. Salientem fore indemnem promiſit Epiſcopus. Pontius agri Barnauenſis, pagíque fructus, prætulit pecuniariis penſionibus: dedit Barnauam Guilelmus cum omni prouentu, addidítque ex Montemajore, vel Gentſiaco id repetendum annuatim, quod Barnauæ deeſſet ad D. eas libras Viennenſes. In iſta præcipuè jurauerunt Epiſcopus & Prior, cætera pacta minutiora ſunt. Nolim prætermittere, quòd Pontius voluit ſibi, ſuíſque ſucceſſoribus dari ab Antiſtite Canonicatum Panaterium ideſt ſolis diſtributionibus (vt loquuntur) gaudentem Valentiæ, Diæque. Inuenio Guilelmum Martellum, canonicum Panaterium Valentinum anno 1438. 27. Ianuarij. Acta cum Priore probarunt; Diæ, Collegium S. Mariæ, 8. cal. Decembris; Romani, Guilelmus Archiepiſcopus Viennenſis, 7. Valentię, collegium S. Apollinaris, 6. Canonicatus autem ille Panaterius non ignobile profectò quid in collegiis tum fuit, neque contemnendum, quod Prior diues, & honoratus non dubitauit ſibi accipere, poſtularéque; & in nutu Epiſcopi erat, probantibus etiam canonicis vtriuſque collegij. Atque
31 ita cum Monachis Salientis rem egit Guilelmus. Cum Ciſtercienſibus Lioncelli non fuit contentio: agebant greges & armenta ad paſtum per ſyluas Caſtri noui: conceſſum ab anterioribus Epiſcopis noluit negare. Deſcendit in pacta cum Antonianis, etſi aliquantùm ęgriùs. Anno 1304. 16. calendas Maij Benedictus XI transfert Prioratum S. Medardi à canonicis Sanrufenſibus ad Antonianos, ita volentibus, qui canonicos in eo tùm profitebantur. Ante annos circiter 40. Summi Pontifices, probantibus Imperatoribus, abbatiam ejuſdem prioratus adjunxerant ad Epiſcopatum Dienſem; hoc ipſum ſignatè ſcribentes in ſuis literis, quòd animo laxando poſſet Epiſcopus in Abbatis ædibus diuerſari. Quieti ſuæ intercedere hoc Antonianis viſum eſt. Igitur egerunt cum Guilelmo diu contrà nitente, vt abbatiâ cederet, ejúſque prouentus (perueniebant ad 100. libras) mutare omni ipſorum re-

ditu

ditu S. Martini, & S. Iuliani in Vercorciis. Porrò tamen voluit Guilelmus, vt Episcopo ſua jura perdurarent in Abbatia, eíque ſubjectis ædibus ſacris: & Prioratus Briſanorum, ac Veronæ nunquam peruenirent ad Pictauienſes, ipſorúmve ſequaces. Res geſta eſt cum Aimone abbate Antoniano, & Abbatiæ curatoribus Gaufrido Vapincenſi præceptore, Guilelmo Arume, Girardo de Marnanto, Petro Gratianopolitano præceptore. Corrupit ferè negotium, quòd poſt annum Antoniani dederant quidem Guilelmo prouentus Vercorcios; ſed obſtinabant habere Sanmartinianam ædem. Aimo Abbas per Gaufridum Vapincenſem, & Petrum Gratianopolitanum præceptores, denique ſuos inde Hoſpitalarios euocauit, vrgente vehementer Episcopo. Addidit bonus Antiſtes, vt cum eodem abbate de Pontaiſio conueniret. Omnia turbabant decimæ trifariam diuiſæ, in Episcopum, Monaſterium S. Crucis, & Curionem. Ioannes Geneuenſis conceſſerat Antonianis hoc Monaſterium: Guilelmus ad illud adjunxit ſacras ædes Pontaſij, júſque ſuum ad decimas æſtimauit certis penſionibus frumenti, vt ſoli Antoniani rem agerent in pago. Quòd Briſanos, & Veronam nullo vnquam 40
tempore voluit, haberentur à Pictauienſibus, in cauſa eſt locorum per bellum de Criſta, opportunitas: atque id etiam fuerat, cur Amedeus Guilelmi patruus ſibi Abbatiam S. Medardi acciperet: qui enim Aimarus quieuerat per vitam Ioannis, ſub Guilelmo denique bella mouit, vbi diu grauis imminere viſus fuiſſet. Nihil non quidem tentauit Episcopus, vt quietem non indecoram, minúſque tamen vtilem ſeruaret, pugnæque præferret: verùm, vbi ſuſtentare ampliùs pacem non potuit, non refugit bellare. Vnum ante inuenit ſummo ingenio, vt Albertum de Caſſenatico faceret ducem exercitus, & diceret aſſertorem Eccleſiarum ſuarum. Quid enim (aiebat) Episcopus 41
veniat in curam, & veluti partem pugnæ? Nos Aimarus, ſenes juuenis, pręliis aſſuetus inermes contemnit: minimè verò decet ſacerdotem prælia cogitare, & pacis diſcipulum meditari pugnam, & exercitũ cogere, duceréve. Ea eſt Caſſenaticorum gens, vt non multùm Pictauienſi debeat, aut verò ſuperet, è Luſignanis Cypriorum Regibus oriunda: certè vtraque ex magno Hugone deſcendit, qui anno 900. Mariam Meſlęam duxit vxorem. Albertus autem omninò Aimarum anteeſt conſilio, manúque. Varaici apud Bugiacos fortiter egit pro Delfino: Aigreuillium, magnum Franciæ Magiſtrum, occidit Pariſiis, cùm Iſabellam Regis filiam Delfino conjugem peteret. Placuit viris nobilibus, placuit Canonicorum collegiis, placuit ciuibus Valentinis, & Dienſibus mens Guilelmi. Neque Albertus gerere pro Episcopo bella recuſauit: ducens, quod erat, honeſtiſſimum ſibi, gentíque ſuæ, quòd præ ſummis vtraque diœceſi dynaſtis, vnus fuiſſet vocatus in ſocietatem militiæ, & cuſtodiam ac protectionem Eccleſiarum Valentinæ, Dienſiſque. Nulli quippe inferior gente, ita ſuperiorem quoque futurum cæteris ſe cogitabat: Aimarum, & Ioannem Berengarios, illum Pontis Roiani, hunc Morgiarum dynaſtas affinitate junctos habebat; in iſtius quippe conjugio poſuerat Eleonoram, in ejus Beatricem ſorores: Artaudos autem, & Alemannos, ceteróſque tota vtraque Episcopi regione proceres à parentibus contingebat. Ipſe Franciſci ex Agnete filius per Deſiderium, Aimarum, & Guidonem à magno Guidone deſcendebat, qui Templariis Iſeronem vocatis dederat latè 42
acentes in S. Saluatoris campos. Venit in pacta cum Guilelmo. Placet ea

verbatim recitare, æternum exemplum ſacerdotalis prudentiæ, magnúmque Caſſenaticæ gentis ornamentum.

35 NOs Guilelmus de Roſſilione, permiſſione diuina Valentinenſis, & Dienſis Epiſcopus, & Comes, notum facimus vniuerſis, has præſentes literas inſpecturis, & audituris, tam præſentibus, quàm futuris, quòd cùm Eccleſiæ noſtræ, Valentinẽſis, & Dienſis, perſecutiones grauiſſimas patiantur in mortibus hominum, occupationibus & depredationibus rerum ſuarum illatis dictis Eccleſiis, rebus, & ſubditis ſuis per D. Ademarum de Pictauia, & per ſubditos, & vaſſallos, & valitores, ac ſequentes dicti D. Ademari, nos ad protectionem & defenſionem dictarum Eccleſiarum, hominum, & ſubditorum, & conſeruationem jurium earumdem Eccleſiarum, auxilium & juuamen, de conſilio, & conſenſu, & inſtantia nobilium, Canonicorum, burgenſium noſtrorum, inuocauimus nobilem, & ſtrenuum virum D. Albertum de Caſſenatico militem. Idem verò miles libenti animo pro præmiſſis venit ad
36 nos perſonaliter in ciuitate noſtra Valentinenſi. Nos autem ſuper præmiſſis, & infrà ſcriptis, tractatu, & deliberatione cum eis habita diligenti, ipſum nobilem remunerare volumus, & ſic alligare nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & dictis Eccleſiis, quòd dictæ Eccleſiæ eumdem habeant perpetuum defenſorem & adjutorem. Unde ex cauſis præmiſſis eidem D. Alberto donamus, & concedimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, in dictis Eccleſiis libras annuas 200. computato vno Turonenſi argenti cum.....pro 20. denariis in dicta ſumma, ſoluendis eidem D. Alberto annis ſingulis, & quandiu fuerit in humanis, per caſtellanum noſtrum; qui nunc eſt, & fuerit pro tempore caſtri & mandamenti Baſtidæ noſtræ de Vercors, & de Riuoſicco; videlicet, in feſto omnium Sanctorum, 100. libras dictæ monetæ, & alias 100. libras, in feſto Paſchæ. Et pro hujuſmodi penſione eidem D. Alberto ſoluenda annis ſingulis, prædictis terminis, reditus & prouentus prædicti caſtri, & mandamenti, nomine noſtro, & dictarum Eccleſiarũ obligamus, & reditus & prouentus prædictos pro prædicta penſione volumus eſſe obligatos eidem, & affectatos. Concedimus etiam eidem D. Alberto, quòd ſi fortè contingeret eumdem emere caſtra, terras, vel poſſeſſiones alias, quæ eſſent de feudo noſtro, & Eccleſiarum noſtrarum prædictarum, quòd eum de hujuſmodi feudo retineamus, & eumdem inueſtiamus. Et quod in ejuſmodi acquirimentis faciendis per eum, infeudis dictarum Eccleſiarum, debeamus eum juuare de 1000. libris dictæ monetæ: vbi verò nos, vel Eccleſiæ noſtræ juuauerimus eum de dictis 1000. libris, & eas ſoluerimus pro hujuſmodi acquirimento, vel acquirimentis per eum faciendis, ex tunc nos, & ſucceſſores noſtri ad penſionem an-
37 nuam 100. librarum, eidem D. Alberto, quandiu vixerit, tantùm teneamur. Et inſuper vltrà dictas 1000. libras ſi contingat dictum D. Albertum acquirere reditus de feudo noſtro, & Eccleſiarum noſtrarum prædictarũ, laudimia, ſeu placitamenta nobis competentia librarum 200. in reditibus acquirendarum per ipſum D. Albertum, eidem D. Alberto per nos, & ſucceſſores noſtros in dictis Eccleſiis, ex nunc, prout ex tunc, donamus, & remittimus per præſentes. Pro iis autem idem D. Albertus nobis recipientibus nomine noſtro, & Eccleſiarum noſtrarum prædictarum, fecit homagium, & jurauit nobis, & dictis Eccleſiis fidelitatem obſeruare, & alia capitula, quæ ſub juramento fidelitatis includuntur; ſaluo tamen & retento homagio, & fidelitate illuſtris Principis D. Delfini Viennenſis, cui ante omnes alios ad fidelitatem & homagium eſt obligatus, ac promiſit per juramentum ſuum, nos, & ſucceſſores noſtros, & Eccleſias prædictas, vaſſallos, & ſubditos earumdem perſonaliter

ſequi,

sequi, protegere, & defendere toto suo posse, contra quoscunque, cuiuscunque conditionis existant, excepto prædicto D. Delphino Viennensi, cui idem D. Albertus primò & principaliter est adstrictus. Nos verò vicem mutuam eidem reddere volentes, pro nobis, & successoribus nostris, & dictis Ecclesiis, promittimus eidem D. Alberto personam eiusdem, homines & subditos suos, ac eius terram, & res suas, & subditorum forum contra quoscunque iuuare, protegere, & defendere, maximè contra D. Aimarum de Pictauia, & eius subditos, & sequaces, exceptis tantùm superioribus nostris, & dominis, & vassallis aliis antiquioribus nostris, & Ecclesiarum nostrarum, qui, tanquam vassalli, fidelitatem debitam nobis, & dictis Ecclesiis seruant, & olim etiam seruauerunt. Et volumus, quòd iuuemus nos, & defendamus ad inuicem, prout inter vassallos, & dominos est fieri consuetum, &c. *Acta fuerunt hæc Valentiæ, in hospitio nostro episcopali, 4. die mensis Septembris, anno Domini 1329. præsentibus testibus dilectis & fidelibus uostris, Ioanne Bastet domino Cruceoli, Iacobo Vaguardi, & Durando de S. Saluatore, canonicis Valentinis.*

Has Guilelmi cum Alberto conuentiones, probauerunt Collegia Va- 37
lentinorum, & Diensium canonicorum, tanto consensu, vt Dienses in concilio fuerint omninò XVII. Ioannes Pomey Decanus, Albertus de Folhanis Sacrista, Guigo Alhumacij, Iacobus de S. Laurentio, Humbertus Ganidius, Aimo....., Thomas Milonis, Ioannes de Folhanis, Iuuenis Pertuseti, Petrus de Riuosicco, Petrus Banelli, Guilelmus de Folhanis, Ioannes Vincentij, Guilelmus Guersi, Petrus Albanelli, Hugo Pilosi, Ioannes Guibondi. Scripsêre 1331. in frequentissimo concilio Commemorationis mortuorum. Quid hæc pacta secutum fuerit, non habent episcopales tabulæ. putabam Aimarum cessasse ab armis: tan tum in eo rerum erat articulo, vt Alberti animis, víque militari terreretur Sunt, qui dicant, ab Alberto armis compressum; & in Cassenaticæ gentis chartulario descriptum esse numerum cognatorum, affinitum, & amicorum omnium, quos in societatem belli vocauit. Certè anno sæculi XXX. Guilelmus Episcopus dedit Subdionem canonicis Valentinis, pro auxiliaribus copiis, per bella cum Aimaro datis. Sed, quæ ista fuerint, vbi, quibusve causis cœperint, & quo, vel Episcopi damno, vel Aimari, nemo refert. Post Subdionem canonicis concessam moritur Antistes omni memoriâ dignus, & cui paucos reperias pares sapientiâ, & sedium suarum studiis, bello, pacéque augendarum. Ille est, qui suam firmitatem, & speciem, decúsque, addidit Præsuli vtranque diœcesim habenti; & veris exemplis docuit, earundem coniunctionem in vnum Præsulem, perutilem eam ac necessariam, singulari, & penè diuino concilio inuentam à Gregorio X.

Canonici multum laborauêre in legendo viro, qui Guilelmo par esset, 38
ipsúmque virtutibus repræsentaret, ac factis. Anno ipso XXXI. cùm Guilelmus diem vltimam obiisset, consenserunt in Ademarum à Vouta, canonicum Valentinum, & Viennensem, filium Bermundi de Andusia, & Eleonore filiæ Aimari III. Pictauiensis. Bermundus inperitabat Voutæ, aliísque pluribus pagis. Nobilissima gens Andusianorum Voutana tulit scutum trifariam diuisum: priore parte crucem Tolosanam supernè, fluctus erectos infernè; posteriore leonem pardicum & inuersum. Ademarus peruenit ad annum 36. vt videas falli Posseuinum *in Apparatu*, cum ait, Richardum sedisse Valentiæ Segalaunorum anno 33. Hoc Episcopo dissidium de dignitate,

Ademarus de Vouta.

tum, Caſtrum Barræ, Eſpenellum, Albenacum Mornaum, Bordelli, Beſaudunum, Coniſum, Baſtida ad Beſaudunum, Popetum ſelare, Roynachum, Podium S. Martini, Pons Bareti, Rocabaudum, Felinas Cleou, Sangeruaſius, mons Bocherius, medietas Sauſelæ, Baſtida Rocani, Laupia, Conca, Rupes fortis Vaudaniæ, Portæ, Rupes Sanſegreti, Balma Beconæ, Alanſos, Vpeguæ, Eſpeluca, Poietum vallis, Deus fecit, Sub peyra, Manas, Carauolſium, Blatos, Feudus Vacij, Sangenèſius, Sinſaiſium, Mandamentum Rupisfortis.

42 *Henricus de Villars.*

Ademarus de Vouta Valentinum & Dienſem epiſcopatus Viuarienſi mutauit cum Henrico de Villars. Hunc aliqui Vaurenſem fuiſſe volunt: ſed quotidianæ viri rationes Viuarij ab anno 1330. quas ingenti volumine comprehenſas habet tabularium Epiſcopi Valentini iis aduerſatur. Cœpit homagia nobilium vtróque epiſcopatu virorum, Vvilelmi de Vaeſco, Petri Rainaudi, Petri de Viriaco, Bertrandi de Agouto, Guilelmi de Caſtronouo, Alberti de Vrre, Odoberti Chanaberi pro parte montis Lagerij & aliorum plurium. Henricus verò ſedebat Valentiæ anno 1340. ex charta quæ recitat clientelæ profeſſionem Paſtori de Albenaco Ebredunenſi archiepiſcopo ab Humberto Delphino Auenione. Peruenit ad archiepiſcopatum Lugdunenſem, & Delphinatus ad regnum Francorum additi moderator fuit. In eius locum ſuffectus eſt Petrus de Caſtrolucij, ex Abbate Cluniacenſi epiſcopus, de quo magnum ſilentium poſt annum L. Neuter alia re quàm pace memorabilior eſt, atque ſummâ vtraque diœceſi quiete. Petrũ excepit Ioannes Iofeuri: Ioſencum, & Ioſencium vocat Robertus: Ioſencum etiam Odo Giſſæus, Iauſſent rubricæ archiui canonicorum Dienſium, & de Gauſſens. Vir doctus, & ante pontificales infulas Profeſſor Iuris vtriúſque. Robertus autor eſt fuiſſe poſteà Anicienſem Antiſtitem 63. Me latent eius initia: nihil reperio de illo ante annum 54. Viuebat 52. ex recognitionibus Montiſmainris.

Petrus de Caſtrolucij.

Ioannes Iofeuri.

43 *Ludouicus de Villars.*

Ludouicus de Villars, poſt Ioannem fuit Epiſcopus ipſo anno ſæculi 52. peruenit ad finem ſeptuageſimi ſeptimi, frater Henrici Villarij, & conſanguineus Guilelmi Roſſilionæi, ante ipſum Antiſtitum. Veteres chartæ teſtantur fuiſſe quoque Abbatem S. Rufi, & S. Bernardi Romanenſis, ac S. Theuderij. Sunt etiam qui & ipſum, & Henricum fratrem faciant cardinales. Villariorum verò gens habuit pro inſigni, tres faſcias rubeas obliquas, in campo argenteo, & ſe principem tum gerebat omni ea regione quam inter Ararim & Rhodanum tenebat, vrbibus aut pagis centum minùs duobus imperitans. Poſt mortem Amedei ſeptimi & de genere vltimi, anno milleſimo quadringenteſimo decimo octauo Ioanna & Beatrix ſorores hæreditatem inter ſe diuiſere: Villarium tamen ipſum, vnde nomen familiæ, ante annos ſedecim vænierat Amedeo comiti Sabaudiæ. Ioanna nupſerat Ioanni de Balma poſteà comiti Montis reuelli, Beatrix Guidoni de Monbel domino Intermontium. Sed hactenus de Gente Ludouici epiſcopi non omnino importunè dictum ſit. Anno 1355. cùm Delphinatus regno Francorum redditus peruenisſet ad primogenitum regis, Ludouicus recèns epiſcopus querebatur propinquos ſuis populos tantæ maieſtatis potentiâ & autoritate ſubnixos inſoleſcere, plura ſibi aſſumere, deque antiquiſſimis totâ diœceſi Valentinâ, totâ Dienſi iuribus Epiſcopi Comitis detrahere: & Carolus Delphinus Ioannis regis filius pro innata ſibi ſepientia, quæ regi poſteà nomen

44

ad immortalem gloriam peperit, naſcentibus malis occurrit, & Antiſtiti ſatisfecit. Audi quæ edixerit vigeſimo quinto Octobris, ex iis ſingulas querelarum Ludouici epiſcopi cauſas intelliges. Firmauit à Guigone quondam Delphino decreta, *& remiſit epiſcopo gardas, guidagia, & impoſitiones penicellorum, ſeu quorumcunque aliorum ſignorum in terris vel hominibus epiſcopi, ſiue omnia penitus reuocauit & amouit. Item ſolemni ſtipulatione promiſit, quòd extra terram ſuam ipſe Delphinus, ſeu gentes ſuæ, infra terram epiſcopi & hominum ſubditorum ſeu vaſſallorum ſuorum proceſſus & executiones aliquot & aliquas non facerent.* Hæc autem Carolus promiſit, viſis quas recitauerat tabulis à Guigone obſignatis Piſanciani anno milleſimo trecenteſimo ſexto, die decima nona Septembris. Anno 1357. edictæ ſunt vltimæ Epiſcoporum conuentiones cum Pictauienſibus de Criſta. Ioannes XXII. Pontifex voluerat Præſulem, & Aimarum tori Criſtæ dominari, ambos ex æquo. Rem attuli ad annum 1332. Malè fida concordia. Vrbs ea nunquam ceperat duos dynaſtas: in vnum quando illi coëant, qui per 200. & plures quoque annos, animis certauêre magis, quàm armis? Igitur Innocentius VI. juſſit Talayrando Cardinali Albanenſi, certius aliquid ad æternam pacem procudere. Voluit, vt Ludouicus partem ſuam Criſtæ Bordellis, ac Beſoduno mutaret. Parum æqua mutatio. Addidit daturum Epiſcopo Aimarum Pictauienſem, aliquid ſupra duo caſtra, pro ſententia Cardinalium Petragoricenſis, & Vrgellenſis, vel Magalonenſis. Facturum ſe negauit Aimarus Pontifici. Viſa eſt importuna negatio. Auenionem euocat Ludouicum, & Pictauienſem: ſéque coram agi jubet (Lugduni edixerat Talayrandus) per Cardinales Petrum Prænestinum, Guidonem Portuenſem, Audoinum SS. Ioannis & Pauli, Eliam S. Stephani in Cœlio monte, qui 200. florenos auri annuos ſupra Bordellos, & Beſaudunum addicunt Epiſcopo. Cardinalium ſententiam probauit Innocentius, & mandato Innocentij acquieuerunt Ludouicus, & Aimarus, majoréne Pontificis, an ſua laude? Lego in tabulis clientelæ, quam Guilelmus de Auſteduno profeſſus eſt Epiſcopo anno 1395. Aimarum pro 200. florenis auti, dediſſe Antiſtiti, quæ habebat in montibus Vercorciis, Vaciuis, & Riuiſicci.

45 In minore cauſa majus tranquilli, benigníque animi nomen habuit Ludouicus. Anno 1359. fuit contentio curatoribus epiſcopalis rei apud Dienſes, cum Guilelmo Artaudi, de finibus Diæ, & Moleriarum. Ipſe Præſul auditis prudentibus viris, & ſuadentibus, totam compoſuit 14. Nouembris, nouo, & magno exemplo. Erant in Epiſcopi conſilio Petrus de Boſanis, Laurentius Guilliendi; ille Valentinus, hic Viennenſis Archidiaconus; Humbertus Dars Canonicus Lugdunenſis, Guilelmus Talonis Decanus Dienſis, Ioannes toparcha Montiſcaui, & Corbeilonus de Suyriaco milites, ac Ioannes de Bouenco. Debui eorum nomina ſcribere. Digni æternâ memoriâ viri, qui ad magni Antiſtitis conſilia vocati, quietè negotia moderati ſunt, non vi turbauerũt. Iuſſit autẽ Epiſcopus in hæc verba. Quidquid juriſdictionis, meri, & mixti imperij, eſt à caſtro de Moleriis; vſque ad riuum de Auricula; videlicet, à fluuio Dromæ, vbi intrat dictus riuus, aſcendendo vſque ad fontem vocatum, *Nidus de vrſa*, vbi vnus terminus diuidens mandamenta & & territoria ciuitatis Dienſis, & caſtrorum de Aiſio, & de Moleriis ponetur: & à dicto fonte aſcendendo vſque ad verticem montis, in loco, vbi

vbi ſolebat eſſe quidam furnus calcis & à dicto loco aſcendendo rectà, prout aqua pendet à parte ciuitatis vſque ad cacumen rupis de Milaura, vbi ponetur crux ferrea, ſiue meta alia in ſignum diuiſionis, & limitationis mandamentorum prædictorum. Anno 1364. Ludouicus ad petitionem ciuium Valentinorum quædam indixit vrbi muniendæ. Ea ad me articulatim peruenerunt. Modica ſunt. Afferre tamen placet, vt adeò antiquæ rei memoria non pereat.

Ludouicus Dei gratia Epiſcopus & Comes Valentinus & Dienſis, vniuerſis & ſingulis literas inſpecturis, rei geſtæ memoriam cum ſalute, &c. *Primò quòd omne bladum, frumentum, ſiligo, piſa alba, faba, & omnia legumina, quando exirent de ciuitate, quòd ille qui exiget, ſeu exigi faciet, ſoluere pro quolibet ſextario denarios 12. teneatur. Item de auena millio & caſtaneis*, &c. *Item quòd omne ſal quod adducetur per terram, ſiue per aquam, & deſcargabitur in dicta ciuitate, ſoluet adducens pro qualibet ſommata denarios 12.* &c. *Item quòd omne animal oneratum ferro, canape, brucino, vel aliis mercaturis ſimilibus, quæ non remanerent in vrbe, vnum denarium ſoluere teneantur*, &c. *Item quòd omne animal tranſiens quadrigando per mandamentum, oneratum pannis, telis, ſeu auere, & aliis ſimilibus mercaturis, ſoluere debeant pro animali duos denarios*, &c. *Item quod draperij, mercerij, apothecarij, perolerij, quirourij, cordubenarij, teleſerij, ferraterij*, &c. *exceptis reuendetricibus quæ ſoluent ſex denarios pro ſeptimana, ſoluere teneantur pro libra duos denarios*, &c. *Item omnis macellarius*, &c. *Item omnis ſabaterius*, &c. *Item omnis cordurerius*, &c. *Item omnis albergator*, &c. *Item quòd omnis notarius*, &c. *Item quòd omnis moinerius pro quolibet ſextario bladi*, &c. *Item omnis tabernarius*, &c. *Item quòd omnis perſona quæ eſt reſidens in villa, in quocumque loco in dicta ciuitate teneantur de priſiâ ſuâ, cenſibus, pẽſionibus*, &c. *pro libra duos ſolidos. Item quòd omnis peliſſerius, pellerius, chapuſius, latomus, faber, mareſcallus, ſerrailerius, ſellerius, roërius, borderius, ganterius, pergamenarius, brocherius, omnis reuenditor, barbitonſor, aurifaber, poterius, pincenerius, teinturerius, taiſſerandus, remenator, qui non tenent mercaturas de eorum miniſterio, ſummam 25. florenorum non excedentes, ſoluere pro qualibet ſeptimana ſex denarios teneantur.*

Ludouico Epiſcopo, Menglo & Marignanum pagi, poſiti ſunt in patro- 46
cinio Summi Pontificis. Res non diſſimulanda hoc loco. Canonici Dienſes iis imperitant. Multa vtroque paſſi à nobilibus viris, cùm ſuæ rei tuendæ non eſſent, fecerunt beneficiarios Romanæ ſedis, cujus vices impleret, præſtarétque Rector pro Pontifice Venaiſſinus. Literæ Collegij Canonicorum ad Gregorium XI. & Gregorij ad Canonicos, Rectorémque Venaiſſinum, etiam nunc extant, ſimul cum homagio Rectori præſtito, per Canonicum à ſuo Collegio in id miſſum. Rector erat Guilelmus de Belloforti Vicecomes Turenæ. Habes literas in libro rubeo Canonicorum Dienſium. Diploma Pontificis publicum fecit Epiſcopus anno 70. Sed rem non habuiſſe ſuos exitus, inde intelligas, quòd annui cenſus nulla fuit ab eo memoria. Quid illam corruperit, non liquet. Longè grauius fuit, & Epiſcopo noxium, 47
quòd Aimarus Pictauienſis voluit Comitatus, Valentinum & Dienſem, eſſe in fide Summi Pontificis. Reputabat ille cum animo ſuo, ſi tantâ authoritate fulciretur, & non jam ipſius vnius; at Romanæ quoque Sedis cauſa foret, nullum futurum Antiſtitem Valentiæ, & Diẹ, quem non vexaret, opprimerétque; & homagium, quod Epiſcopo prẹſtiterat (pungebat id homi-

nem

nem gloriæ cupidiſſimum,) inane omninò, próque nullo habendum. Honeſtum verò maximè viſum eſt Gregorio XI. Comitatus Valentinum, & Dienſem adjungere ad Venaiſſinum. Igitur Pontifex homagium Aimari IV. pro vtraque regione emit 8. & 30. millibus florenorum auri (vt loquuntur) de camera, & quarta parte Montilij, addítque conſulturum ſe indemnitati Epiſcopi. Hoc feciſſe non inuenio, & pacta, in quæ ventum fuerat,
48 corrupta ſunt per ignotas mihi cauſas. In tabulis homagij, Villanouæ ad Auenionem Gregorio præſtiti, dicitur Auricus fuiſſe tum Epiſcopus (agebatur annus 1374.) errore inſigni: nam Lambertus de Cliuo, Caſtellanus Liberonis, & Aureoli, ſuas rationes ſub Ludouico Villario, deducit ad annum 76. Arbitrabar mortuum exeunte 77. Guichenonus mortuum dicit tertiâ die Septembris; certè Sedes vacabat 78. ineunte. Petrus de Hugoneria fuit Officialis Valentiæ, pro Canonicorum Collegio, ſede vacante 22. Februarij; & vltimo tamen Aprilis regebatur Epiſcopatus ab Archiepiſcopo Viennenſi. Igitur neſcio quid contentionis fuit Archipiſcopum inter, & canonicos, ſuper juriſdictione per vacationem Sedis. In mandato diuidendi collegia, Valentinum, & Dienſe, duobus Canonicis, alteri Valentino, Dienſi alteri, per Guilelmum Roſſilionæum Epiſcopum, dicitur, ſede vacante, jam ſupra annum 1298. Eccleſiam Valentinam gubernatam ab Archiepiſcopo Viennenſi, cùm Dienſis regeretur à collegio canonicorum ſuorum. Aliquid etiam diſſidij arbitrabar canonicos inter ipſos fuiſſe: vt quid enim alioqui non erat vltima illa die Aprilis, qui Ludouici locum haberet?
Guil. de Vouta. Omninò per comitia abierant illi in varias ſententias: Guilelmus de Vouta primùm ſedit anno 79. deciſâ proculdubio lite accepítque homagia & aliorum, & Odonis de Retortorio pro Bellocaſtro. Hic anno 82. prouocauit à curia Gratianopolitana ad Regem Delfinum, & ad Summum Pontificem: cauſas prouocationis nemo recitat. Neque diu pòſt hæſit in Delfinatu. Suum vtrunque Epiſcopatum Albienſi mutauit: Valentinorum ciuium prærogatiuas ab anterioribus Epiſcopis conceſſas, probatáſque, dederat ipſe quoque, & ſuo aſſenſu firmauerat. Anno 80. Valentia, Diáque recedens, locum fecit Amedeo de Saluciis.

49 Ducebat Amedeus originem à Marchionibus Salaſſis, nepos Clementis
Amed. Card de Saluciis dicti VII. & S. Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis. Ciaconius, contra fidem omnium tabularum, putauit adſcriptum Cardinalibus, anno 1389. 1. calendas Ianuarij: illæ affirmant fuiſſe Cardinalem, anno tum 88. tum 85. iiſque ſuffragatur Author anonymus de vita Clementis dicti V. nuper typis mandatus, qui creatum refert anno 83. die 23. Decembris. Paucos annos ille quoque in epiſcopatu hæſit. Eò tamen habet laudem non vulgarem, quòd ſolenni fœdere conuenit cum ſuis Canonicis. Guido quippe Artaudus Aiſij toparcha, Antonius Louerius, Ioannes de Palmis, Humbertus Grami, Petrus Blaini, Thomas de Auxona, Nicolaus Corteſij, Guilelmus Chalholis, Lemachonus Barletonus, fecerunt, vt ceſſaret à grauiſſima lite, cum collegio canonicorum Dienſium. Scripſerunt capita xv. in quæ vno animo coïerunt: quę olim, etiam hoc tempore, cauſa litis erat: iuriſdictio in canonicos & eorum familiam. A Bertrando Epiſcopo Dienſi proſeminata contentio, per ſingulos penè antiſtites non occultis ſimultatibus fota, prorupit non rarò in aperta diſſidia, ſub Ioanne Geneuenſi potiſſimùm, Guilelmo

lelmo Rossilionæo, Ioanne Iofeuri. Sed stat animo rem silentio premere: nunquam animis, opibúsve maioribus agitata est: in Tolosani senatus edicto vertitur. Difficiliùs venit Amedeus in pacta cum canonicis Valentinis. Clemens, qui septimum nomine Pontificem agebat Auenione, componendo negotio præfecit Petrum Cadinalem Sabinensem. Ita ille decreuit: *In primis volumus, mandamus, & ordinamus, declaramus, & definimus quòd in canonicos, & Clericos, cæteróſque incorporatos, & beneficiatos Ecclesiæ S. Apollinaris & in familiis, ac bonis, omnimoda iurisdictio, alta, & bassa vbique in ciuitate Valentiæ, intus, & extrà, & in tota tetra, seu districtu D. episcopi Valentini & Diensis, spectet, & pertineat ad Decanum, & Capitulum Valentinum: familiam verò intelligimus Clericos, Scutiferos, coquos, trotarios, socios, bubulcos, ancillas, fratres, nepotes, consanguineos, & omnes alios, quos videlicet suis propriis expensis tenent & tenebunt in futurum. Item, quod dictum Capitulum in ciuitate Valentina habeat, & eligat baiulos 10. & non vltrà: qui quidem baiuli eligantur, & assumantur de tribus statibus, scilicet, duo de maioribus vt de draperiis, salateriis, vel campsoribus, & tres de mediocribus, vt de Apothecariis, Notariis, & consimilibus; quinque de aliis, vt de ferreteribus. Item, quòd Decanus Valentinus habeat vnum baiulum mediocris status, & tres Officiales inferioris status. Item, quòd vltra præmissa, dictum Capitulum habeat 11. bastonerios, & vnum platacappa, non de maioribus, nec homines status, sed de inferioribus; habiles tamen ad hoc. Item, quòd vltra præmissa, dictum Capitulum habeat vnum Iudicem secularem, de extra Ecclesiam pro laïcis; & vnum Iudicem ecclesiasticum, de Ecclesia pro Clericis; vnum Procuratorem, vnum Secretarium, vnum Notarium pro sua Curia, vnum guachiam, & vnum seruientem. Item, quòd vltra præmissa, dictum Capitulum loco regis ribaldorum, & eius præpositi, habeat vnum inferioris status: de rege ribaldorum faciat D. Episcopus, prout sibi videbitur expedire*, &c. Post aliqua excepit corruptores tam literarum Episcopi, & episcopalis Curiæ, quàm monetæ, reósque hæreseos, ac proditores, & authores machinationis in Antistitem, eiúsve castella, pagos, vrbes. De his non canonicorum collegio, sed Episcopo cognoscendi ius esse vult; atque præterea in quoscúnque reos, si fortè collegij Iudex quærere de crimine negligeret. Censebitur autem cessare per ignauiam, qui tertio mense post publicum, sibíve notum crimen non aget. Addit, licere prouocationem ad Episcopum. Alia minoris momenti adiungit, quæ nullius operæ videtur recitare. Placuit Amedeo cardinali Petri Sabiensis edictum, placuit canonicis Valentinis: in illúdque adeò iurauerunt. Pronuntiauerat Petrus anno sæculi octogesimo octauo, die nona Septembris. Nono pòst mense Amedeus Sedem reliquit Henrico Costantiensi Episcopo; & post biennium Henricus Ioanni de Pictauia, qui eam tenuit annos omninò 7. & 50. 50

Henricus.

Henrico Episcopo, Clemens dictus VII. Montilisium addixit Francisco de Cassenatico, Henrici filio. Ei quondam impuberi Ludouicus Antistes dederat Podiolos, & Mirmandam, pro 200. illis florenis aureis, quos annuatim pendere Cassenatici dynastæ, Ecclesiarum suarum suarum protectori, sanctè promiserat Guilelmus Rossilionæus. Cùm adolescentiam exuisset, vehementer expostulauit de iniuria, & restitutus in integrum dixit diem Henrico Episcopo, coram Clemente, qui Romanum Pontificem agebat. Clemens pro Francisco iudicauit, dixit iniqua cum Ludouico pacta, reli- 51

quias veterum penſionum æſtimauit 700. florenis auri; Podiolos, & Mirmandam reſtituit Henrico; Montiliſium repoſuit eorum pagorum loco; & ſi annuo prouentu non faceret 200. florenos auri, dedit peræquatores Ludouicum de Vouta, & Guigonem de Aiſio viros nobiles, & ſapientes. Hi dixere: Montiliſium annuo reditu non ſuperat florenos aureos ſex & octoginta: reliquos centum quatuordecim. Caſſenaticus ſibi ſumat ex portorio Valentino. Cæterùm, Henricus Franciſci pater, non veniebat ab Alberto, qui deſcenderat in pacta cum Guilelmo Epiſcopo; ſed è Beatrice ſorore, quam Albertus Aimaro Berengario Pontis Roiani toparchæ vxorem dederat. Genuerat illa ex Aimaro Henricum I. qui ab Hugonetta de Turre cognata Delphini, ſuſtulit Franciſcum, Aimarum, Albertum, memorabiles viros. Franciſcus pugnauit in Pruſſia pro Equitibus Teutonicis cum Duce Borbonio, & ex Aliſſa Arauſicani Reguli filia nullos habuit filios. Per Aimarum igitur propagata gens eſt, qui Henrico, patri Franciſci, pro quo Clemens edixit, dederat fratres Antonium, & Albertum. Ea vero tum ditione tenebat & alios pagos, & Caſſenaticum, Talartum, Montiliſium, Vinaïum, Vatilium, Montis Muſardi Baſtidam, Fanum Andreæ, Chapeuenſum: atque, quod aliàs annotaui, nihil Pictauienſi debebat, quæ Delphino, & Arauſicano Regulis non multùm inferior, & ex affinitate ſuppar erat.

52 *Ioannes de Pictauia.* Ioannes de Pictauia creatur Epiſcopus ante 21. Octobris, anno 1390. natus annos II. & XX. Deſiit ſedere anno 1448. nam tum peruenit ad archiepiſcopatum Viennenſem, mortuo Godefredo Vaſſalli. Parentes habuit Carolum à S. Valerio, & Simonam de Mery. Hæc poſt mortem, frequentiſſimis prodigiis ſeruauit nomen ſanctitatis, populorum communi voce per vitam acceptum. Fuit Rector Venaiſſini Comitatus per annos 16. poſteà Vicarius Imperatoris per ſuam vtránque diœceſim: & Carolo primùm Delphino, deinde Regi Francorum nomine ſeptimo chariſſimus. Vir fundatiſſimi iudicij, & rerum forenſium, ac politicarum ſcientiſſimus. Sigiſmundus Imperator anno 1415. fecit Comitem Palatinum cum poteſtate creandi, ac deſtituendi ſcribas, & tabelliones, atque cenſendi ſpurios in ingenuis, eóſque faciendi ad publica officia idoneos. Hac poteſtate vſum lego, & aliàs, & ſpeciatim vndecimo Septembris, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo. Ante adeptam Vicariatus dignitatem, venerat in ſuſpicionem ambitus, & prehenſati in vtráque regione ſua ſummi imperij. Anno ſæculi 25. ciuitate pellitur ab Valentinis; etiam totis agris ab Imperij Vicario; is erat Dux Sabaudiæ. Raptim conuolat Liberonem munitiſſimam ſitu, manúque arcem. Intereà rerum adeſt ab Imperatore Nicolaus Chalmaiſtre, qui cognoſcat de crimine. Hic innocentiæ Ioannis certus, reuocat Epiſcopum Valentiam, qui ciuibus parcit, & plura multiplicis prærogatiuæ iura elargitur

53 in magnum ſummæ benignitatis argumentum. Proximo pòſt anno Ioannes conſulturus dignitati Sedis Valentinæ, conſtituit ea omnia de vitis nobilibus recipere, quæ per bella cum Pictauienſibus vendita, aut etiam erepta ex Epiſcopi rebus fuerant. Sententia ſummo viro digna! negotio gerendo præficit Antonium d'Oſtun toparcham Balmæ, Ademarum de Viro, & duos canonicos Valentinos IV. & XX. antè annis (ſecundus erat ſæculi) ad ſuam Sedem adiunxerat Prioratus de Cliuo, & ſancti Martini Caprihani. Illi ſuberant Monaſterio ſancti Theofredi; ſed erant exciſæ ædes, neque

per

per monachos decimoquarto ab ipsis lapide considentes, cauebatur damno, quod à latronibus, qui monasterij ruderibus immorabantur, latè per totam regionem spargebatur. Ea causa fuit Eugenio Summo Pontifici, auferendi abs monachis suos prioratus, illósque tradendi Ioanni Episcopo, qui authoritate sua cohiberet grassantes sicarios. Anno 26. accidit, vt Gaufridus Boucicautius bellaret cum Pontifice. Causæ turbarum ad me non peruenerunt. Vir gente, opibus, auxiliis illa ætate potens; frater Marescalli Franciæ, (Mengræam vocabant familiam,) Pertusio, Borbono, Luco, aliisque per Prouinciam pagis & castellis imperitabat. Cœperat ille quidem initio, vt erat rei bellicæ sciens, & primo impetu ferox, Vasionem ciuitatem; atque per ditionem Pontificis, toto Comitatu Venaissino, prædas agebat. Sed tantis cœptis cetera non responderunt. Coactus denique est Liberonem arcem, à situ loci inexpugnabilem, in perfugium postulare. Dedit Ioannes Isabellæ filiæ fratris (eam Gaufridus habebat in matrimonio) dignis Episcopo conditionibus, quas fusè recitatas habes in tabulis scriptis die 10. Maij. Sed Boucicautius non diu fuit in arce: leges accepit à Ioanne Reate, qui ad rem componendam missus fuerat à Romano Pontifice.

Anno 1446. Reges Franciæ & Siciliæ petierunt, ab Episcopo territorium 54
Valentiæ, ad ferendam sententiam aduersus suos subditos, qui in eam vrbem fugerant, & potestatem in subditos episcopi participes criminis. Quia res facit ad demonstrandam antistitis summam autoritatem Valentiæ, placet verbatim exscribere responsionem Ioannis.

Requesta, per Dominum nostrum audita, idem Dominus noster Episcopus, & Comes eisdem Dominis petentibus, ad & contra subditos dictorum Dominorum regum, quæcumque acta, & explicita judiciaria infrà dictam suam Ciuitatem Valentinensem faciendi territorium, duxit concedendum, & concessit: quoad verò suos subditos, super concessione dicti territorij deliberabit. Anno 1434. omnia ciuis nescio cujus Valentini sine hæredibus mortui bona, vt caduca, venerunt in potestatem Ioannis episcopi. Lego vniuersas quoque fortunas Iacobi Ianuelli aduenæ eâdem caduciariâ lege adjudicatas Monlucio anno sæculi præcedentis 47. & Petro Andreæ Leberonio Guigonis Cotaui antè annos 35 post edictum senatus Gratianopolitani anno 1610. latum.

Ioannes senio grauis, iniit Archiepiscopatum Viennensem. Vrgebant 55
mandata Regis Francorum. Suis Episcopatibus excedens, hoc fecit ad memoriam insigne, vt excelsi ingenij viro, & ingentium animorum, traderet gubernandos. Is fuit filius Ludouici fratris, item ipse Ludouicus, Abbas S. Rufi. Ante 1448. annum Episcopus, obiit 148. Gerebat Præposituram Valentinam, cùm patrui sedem impleuit. Abbatia quoque Romanensis habuisse tum in canonicis gloriatur. Habebat etiam Lugdunensis ecclesia ex actis capituli anno 1450. quo ejus canonicatum canonici concesserunt Ioanni de Grolee. Ex matre Polyxena Roussa dominabatur Serignano. *Lud. de Pictauia*

Digitized by Google

DE REBVS GESTIS VALENTINORVM, ET DIENSIVM EPISCOPORVM

LIBER QVARTVS.

1 AGEBATVR annus 1448. Fuit aliquid contentionis Ludouico recèns epiſcopo, cum Ludouico Delphino. Fuit is deinde vndecimus eo nomine Francorum Rex. Habebat Epiſcopus in carcere Valentiæ Antonium Moncluſium, & Carlotum (nomen gentilitium tacent publicæ tabulæ) reos cuſæ Romani falſæ monetæ; déque nummis ipſorum aſperis collegerat omninò ad 1000. & 400. An Delphinales miniſtri prædæ inhiabant; an ſibi reddendos jure arbitrabantur reos? Valentiam veniunt Guido Chourpius, Aimarus Ponſiacus milites, Guido Papus, & Ioannes Cizerinus periti juris, à Delphino ſecundùm; poſtulant ſibi dari vtrunque reum; ſi non concedantur, intentant pœnam quinquaginta librarum auri. Pupugêre Antiſtitem mandata, ac minæ: reponit Carlotum ſæculi curiæ Clericum permittendum non eſſe. Vt neuter eorum cenſeretur in clero, ambos teneri Valentiæ, Præſulis non Delphini ditione. Ite igitur, addit, per Delphinatum jus dicite; meis judicibus ſiſtentur rei: Ludouicum Delphinum ſua mens regia, & Carolus pater prohibebunt Epiſcopi injuriâ. Prouoco ad Regem, & Regis Curias, Pariſienſem, atque Toloſanam, ac maximè ad Summum Pontificem. Hæc pronuntiauit Ludouicus ardentibus oculis, voce grandi, firmo pectore, vultu habitúque corporis neſcio quid humano majus ſpirante. Diceres de antiquis illis, & apoſtolicorum temporum Epiſcopis vnum, ante Præſides, & Reges ſpiritu diuino agente loqui, non coram militibus & juriſperitis agere. Geſta res eſt Valentiæ, in inferiore aula Epiſcopi illa ampliſſima, per Ioannem patruum Antiſtitem cum reliqua domo exædificata, ſpectante & ſuſpiciente vniuersâ ciuitate. Quid ſecutum fuerit, non inuenio. Delphinum Epiſcopus ſibi voluit ſocium in Comitatibus Valentiæ, ac Diæ; duobus pòſt annis, ejúſque clientem ſe di-
2 xit verbis ſolemnibus Gratianopoli. Ea in Comitatibus ſocietas ingens cauſa turbarum fuit proximo Ianuario. Ioannes de Fraxino miſit Valentiam Perronetum de Auenis qui per cõpita pronuntiaret Ludouici Delphini mandata ſuper armorum geſtatione & hujuſmodi aliis. Laurentius Dazoli Officialis Epiſcopi ſtupuit ad confidentiã viri, & de judicis aliorúmque ſententia vetuit *talia facere* (ſunt ipſa ejus verba) *cùm prima cognitio in talibus ſit Domini noſtri Epiſcopi, nec Delphini poteſtas ad præmiſſa ſe extendat.* Sed Dazoliana juſſa non habuere magnam vim. Perrexerunt Delphinales miniſtri epiſcopalibus moleſti eſſe, donec Ludouicus ſuorum auſa non ferens venit in noua cum Epiſcopo pacta anno 1456. Res in omnem partem grauis neque hîc diſſimulanda. Igitur accipe tabulas eo anno ſextâ die menſis Februarij confectas: *Cum ad aures ipſius Illuſtriſſimi Domini noſtri nouiſſimè diſplicenter euenerit*

euenerit certas differentias ſeu altercationes prætextu dicti pariagij inter ſuos, & dicti Domini Epiſcopi officiarios ortas fuiſſe, hinc igitur eſt, quòd anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, à Natiuitate ſumpto & die veneris quæ fuit ſexta menſis Februarij, idem Dominus noſter Princeps Chriſtianiſſimus qui Eccleſias ipſas, & quaſcumque aliàs protegere augeréque potiùs quàm minuere conſueuit: etiam vt Religioſi, & Eccleſiaſtici ipſarum Eccleſiarum in ſuis, orationibus dictum Dominum noſtrum, & ſuos habeant perpetuò, & libentiùs commendatos, dictum pariagium eidem domino Epiſcopo, & ſuis in eiſdem eccleſiis ſucceſſoribus tenore præſentis publici inſtrumenti liberaliter remiſit, ſaluis dumtaxat in præmiſſis Superioritate, & Reſſorto cum homagio prædicto, etiam jure ſi quod ſit alieno, & ſimiliter vltrà remiſſionem dicti pariagij ipſe dominus noſter dictum locum Piſanciani cum ſuis prædictis pertinentiis dictæ Eccleſiæ Valentiæ ex pleniori gratia, & deuotione dimiſit, & de nouo motúque proprio in augmentum dicti feudi, & contemplatione dicti homagij, ceſſit penitus, & donauit, & de omnibus regalibus ciuitatum Valentinenſis, & Dienſis, nec non caſtris, munitionibus, & vniuerſis poſſeſſionibus ſuis, & ad dictum Epiſcopatum pertinentiis, quas Eccleſiæ ipſæ viſæ ſunt habere vnà cum dicto loco Piſanciani, ſaluis vt ſuprà reſeruatis, ipſum Dominum Epiſcopum plenarie inueſtiuit, cùm per priuilegia antiquiſſima eidem plenè conſtiterit hæc eadem prædeceſſoribus ſuis ipſius Domini Epiſcopi conceſſa fuiſſe. quam conceſſionem ratam habuit, innouauit, & conceſſit præfato Domino Epiſcopo, & per eum omnibus ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Valentinenſibus, & Dienſibus in perpetuum ciuitates Valentiam, & Diam cum ſuburbiis ſuis, & territorio quidquid infrà ejus ciuitatum, & extrà in Epiſcopatibus Valentino, & Dienſi continetur, Comitatum videlicet, Eccleſias, Abbatias, Monaſteria cùm omnibus poſſeſſionibus eorùm, forum, mercatum, duella, moneta, ſtratas, naulos, Toloneum, pedagia, caſtra, caſtella, villas, vicos, areas, ſeruos, ancillas, tributarios, decimas, foreſta, ſyluas, venationes, furna, molas, molendina, aquas, aquarum decurſus, campos, prata, paſcua, terras cultas, & incultas, & commune forum agentium, & ſuſtinentium cauſas tam ciuiliter quàm criminaliter, quæ ad dictas Eccleſias pertinere dignoſcuntur. Quarum quidem poſſeſſionum aliquas propriis vocabulis duxit exprimendas, caſtrũ videlicet Alexiani, caſtrum Liberonis, caſtrum Aurioli, Caſtrumnouum, caſtrum Montis veneris, caſtrum Auguſtodini, caſtrum Mirmandæ, caſtrum Bellimontis, caſtrũ Mirabellis, caſtrum de Bordellis, caſtrum Decrupiis, caſtrũ de Beſaudinio, caſtrũ de Vareſco villam Veſc de Saliente, Caſtrum de Aurellis, caſtrum Chamoloſco, caſtrum Baſtidæ vercorcij, caſtrum Montiſmajoris, caſtrum Caſtilhonis, villam de Podiolis, caſtrum de Tuncheriis, caſtrum Vallisdromæ, & de Chanales vnà cum appenditiis ſuis vniuerſis, caſtra aliâ quæ ipſe Dom. Epiſcopus nomine ſuæ Eccleſiæ poſſidet atq; tenet, & alij tenent, & poſſident ab eo, quorum declarationem latiùs faciendam reſeruauit in tempus faciendæ denumerationis, & in ſupradictis omnibus, ac toto Epiſcopatu Valentinenſi ac Dienſi ordinariam Domino Epiſcopo præfato, & per eum omnibus ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis conceſſit juriſdictionem, ſcilicet tam in ciuitatibus, & ſuburbiis quàm in caſtris, & villis, ac locis propriis Eccleſiæ cauſas tam ciuiles quàm criminales per ſe vel officiarios ſuos audire, proditores, homicidas, adulteros, fures, latrones, perjuros, & quoſcumque in criminali cauſa conuictos vel confeſſos, ac quoſcumque falſarios, inter quos cenſuit omnes illos qui non legitimo pondere vel menſurâ ſeu carniâ vtuntur, tam corporaliter quàm pecunialiter punire poſſit, banna ponere, & à tranſgreſſoribus pœnas exigere, & omnia quæ

ad ordinariam jurisdictionem pertinent, & de quibus sui prædecessores hactenus vsi fuerunt liberè exercere, & hæc etiam, vt omnia possit idem Dominus Episcopus, & ejus successores, exercere per judicem suum appositum in causis, in quibus à judicibus suis ordinariis, & subditorum suorum, vel defectu eorumdem appellari continget, à quo quidem Iudice appellationum, & non alibi quàm ad Parlamentum Delphinatus recurri, vel appellari possit. Præfatus Illustrissimus Princeps pariter indulsit, concessit quoque, & Delphinali Authoritate sanciit, vt memoratus Dominus Episcopus, atque vniuersi in perpetuum successores Episcopi apud Valentiam, vel Liberonem, vel alibi in Episcopatu, habeant recipiendi facultatem libere jus pedagij quòd hactenus percipere est consuetum. Concessit etiam sæpedicto Domino Episcopo, & successoribus suis prælibatis, vt si quando ipsos cum armis, vel sine armis ad præsentiam, vel exercitium suum de mandato suo, seu negotiis suis, vel Ecclesiæ venire contigerit, pro expensis ab eis in aduentu vel seruitio suo factis, subuentionem omnes homines episcopatus tam feudatarij quàm alij, secundum quantitatem, & qualitatem expensarum, & facultates hominum prædictorum præstare teneantur.

3 Anno 1457. Ludouicus Episcopus vetuit nocturnas sine omni lumine progressiones per vrbem Valentiæ, post signum ære campano datum. In edicto additur correariũ ita cum Episcopo jubere, cui ad faciendas per vrbẽ excubias adduntur 4. vigiles anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, ex mandato episcopalis consilij. Nihilque vltrà dignum memoriâ suscepit Ludouicus Antistites, nisi quòd 9. mense ante mortem, Cristæ in æde S. Saluatoris, fecit Collegium Canonicorum 7. sub Præposito, & Cantore, quibus ministrarent Presbyteri 10. & Clerici 8. Postulat tamen locus, vt dicam eo Episcopo constitutam esse Vniuersitatem Valentinam anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, die 26. Iulij à Ludouico Delphino Caroli VII. regis filio, posteà Francorum rege, magnum vrbis Valentinæ decus. Ludouicus episcopus anno 1467. interfuit comitiis regni à sexto Aprilis ad decimum quartum Turonibus, & vno pòst anno mense Aprili mortuus est Ambasiæ.

4 Gerardus de Crussolio, seu Curceolio, vtroque enim nomine sese ipse appellat, eo ipso anno fit Episcopus Valentinus, & Diensis, jam Turonensis Archiepiscopus, & deinde Patriarcha Antiochenus. Sunt qui addant, fuisse quoque Abbatem S. Rufi decimo nono Maij. Non (vt fiebat tum temporis) per canonicos alium ab alio scribentes suffragia; sed electorum omnium in vnum repente conspirantibus animis, & vocibus, vocatur ad Episcopatum. Sic habent publicæ illius diei Chartæ: *Anno 1467. 19. Maij, Die Petrus Richerij Diensis Decanus, Ioannes de Grolea Valentinus Decanus, Antonius Dauid Diensis Sacrista, Ioannes Perini Canonicus Diensis & Valentinus, Laurentius Dozole Valentinus Canonicus, Guilelmus de Montemeirano Diensis Canonicus, Ioannes Saluionis Valentinus Canonicus, Huguetus Fabri Diensis Canonicus, Eugenius de Bellocastro Diensis & Valentinus Canonicus, Guilelmus Ioanini, Amedeus de Viro, & Bertinus Faucheti Dienses Canoniti, & Amedeus de Luriaco Archidiaconus & Canonicus Valentinus, vnanimiter & concorditer, nemine eorum discrepante, viáque inspirationis Spiritus sancti, ipso Spiritu sancto, vt firmiter credebant, inspirante, subitò, & repentè, vna voce, & vno spiritu, vota sua dixerunt in Reuerendissimum in Christo Patrem & Dominum, D. Giraudum*

Gerard. de Crussolio.

raudum de Cruſſoleo, Archiepiſcopum Turonenſem. Hic ipſe eſt qui tertio ante mortem menſe, ſcripſit egregias conſtitutiones judicibus Valentinis. Tacere non poſſum, quòd pars ædis ſacræ Antonianorum Dienſium ceciderat: ei inſtaurandæ, neque canonici, neque ciues (curionem quippe habebat) ſe ſatis eſſe dicebant. Gerardus anno 69. 7. Nouembris, curam animarum ab illa transfert in templum S. Mariæ, & in certa cum Antonianis pacta conuenit. Moritur anno 1472. menſe Auguſti, die 28. & in ejus locum ſufficitur Iacobus de Baternay, vocant etiam de Laſternay, 11 die menſis Decembris, ex canonico S. Ioannis Lugdunenſis & decano Gratianopolitano Epiſcopus: ſed non diu is ſedit. Nihil de ipſo ſcriptum lego vltra diem 12. menſis Aprilis, anni 1473. *Iacob. de Baternay.*

Iacobi ſucceſſor fuit Antonius de Balſac, frater Roberti Agennenſium Seneſcalli, Prior ipſe Caſſiani in Biterrenſibus: eſt domus canonicorum ſancti Rufi. Autoritate vnius Regis euicit à Romano Pontifice, vt ſine canonicorum comitiis eueheretur ad Epiſcopatum, & poſt eum Ioannes Eſpinaius electus eſt Diæ, Valentiæ ante ipſum electus fuerat Baternaius. Peruenit ad annum 1491. Hic ille eſt, qui Caſtrobuxo toparcham pepulit, quia nolebat dicere ſacramentum clientelæ. Carolus Bouerij implebat vices Correarij Valentini. Ioannes de Genaſco virum pulſauit ingenti ſuo damno. Etenim poſt fatigata tribunalia judicum penè omnium, Metropolitani, Summi Pontificis, Curiæ Cratianopolitanæ, imploranda fuit homini benignitas Antonij Epiſcopi, & tradendæ libræ quingentæ ad præſtandum indemnem. Guilelmus Antiſtes Tricaſtinus cſericos totonderat, in ædicula S. Deſiderij, ad Montilium oppidum Antonio inconſulto: hic litem illi dicit, & tantâ contentione agit, vt denique Guilelmus Guillioni Abbas Antonianus, à Sede apoſtolica datus judex, damnauerit ſumpti contra fas ſibi alieno loco imperij. Denique, vt id non præteream, quod facit ad Caſſenaticorum decus & ornamentum, de gente antiqua & nobili Iacobus contendit cum Antonio Epiſcopo. Res paulò altiùs repetenda eſt. Ex edicto Clementis dicti ſeptimi, Epiſcopus Valentinus annuatim pendit dynaſtæ Caſſenatico 114. florenos auri: Pedemontani ex pacto erant floreni, ſed redemptores epiſcopales jam diu faciebant Valentinos, non exiguo Caſſenaticorum derrimento. Dynaſtæ alius ab alio (vt armis ſemper floruit, viguítque gens) bellis regum impliciti, domeſtica curare ſatis hactenus non potuerant, vt vel redemptores vectigalium Epiſcopi, vel Antiſtitem ipſum decreto Senatus Gratianopolitani redderent officio. Henrici duo, Aimari filius alter, alter parens, fortiter pugnãtes contra Anglos ceciderant: Franciſcus Aimari ex filio nepos, totam ætatem fuerat in caſtris regiis. Igitur, vbi à bello reſpirare potuit Iacobus, Franciſci filius, diem dicit Antonio Epiſcopo Gratianopoli. Senatores edixerunt, qui Pedemontani floreni ferebantur, æſtimari 30. ſolidis vulgaribus, atque adeò 114. florenos eos, facere nummos aureos currentis in Gallia monetæ 7. & 50. Senatus edictum nunc etiã vim habet ſuam. Iacobus autem apud Ludouicum Regem eo nomine XI. gratioſus erat, vtpote cubicularius, próque eo pugnauerat in Flandria, Brabantia, Leodienſi regione: anno etiam 1485. alarum Dux Delphinati nobilitati fuerat, contra Ricardum Regem Angliæ, Henrici quondam ſummi Proregis ex Antonetta Salaſſa nepos, & Franciſci ſub Regis oculis, cum fortiter ageret, cæſi in monte

Ant. de Balſac.

5

6

Heraldi

7 Heraldi filius. Ab eo placet ad nos vsque deducere nobilissimam gentem, & centere clarissimos viros, qui per auorum conjuges oriuntur ex Regulis Delphinatibus, Salassis, Arausicanis. Iacobus genuit & alios, & Ludouicum, atque Franciscum: posteri Ludouici jam diu desierunt, ipse & Ludouico Aurelianensi primùm Duci, posteà duodecimo ejus nominis Francorum Regi fidissimus semper fuit, & pro Rege pugnans captus est ad fanum Albini in Britannia. Francisco fuêre tredecim liberi: Franscicum patri cognominem, & Iacobum pugnantes mors excepit, illum ad Ticinum, istum Neapoli: Laurentius primogenitus per Antonium dedit nobis Gasparem Cassenatici Marchionem, qui, cùm scribo, Franciscum genuit: Antonius secundogenitus, Baro Montilisij & Iseronis, Valentiæ & Viennæ Gubernator, magnus terror Caluinistarum, per secundogenitum, eúmque etiam Antonium habuit Alfonsum, qui ex Ludouica Lateria de Charpey sustulit Iosephum, aliámque sobolem numerosam. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, Claudius de Genasco Valentinus nobilitate generis clarus Claudiam filiam dedit vxorem Guilelmo de Piolenco seu Podiolenco Sanspiritensi, neque voluit soluere episcopo ferculum, quod dicitur, nuptiarum, & edicto senatus Gratianopolitani soluere coactus est. Podiolencorum gens nobilis & antiqua habet ab annis supra quadringentos oppidum S. Spiritus, seu S. Saturnini de portu. Inuenio enim Raimundum de Podiolenco anno 1231. 1251. & denique 1278. venisse in pacta cum Petro Sabranio & Hugone Turnonio de equite cataphracto quem debebant regi Francorum; alterum Raimundum anno 1369. venisse in partem meritorum Dominicani ordinis ex concessione Eliæ generalis; Adeodatum anno 1391. tenuisse quartam partem S. Iuliani de Campaneis seu Peirolis, pro qua Raimundus pater anno 1365. se dixerat clientem Caroli Francorum regis; Guilelmum accepisse ab Alano Cardinali legato Auenionensi potestatem altaris portatilis; denique Ioannem & Carolum, conuenisse cum Raimundo cognato procuratore apud Aquenses regio anno 1583. Ex hac gente fuit nuper in Societate nostra juuenis, gratiarum veluti manibus ad omnem motum suauitatem & elegantiam factus Alphonsus, quem mors præpropera nobis mœrentibus abstulit.

8 Ioannes d'Espinay ex nobili apud Armoricos familia, patre Ricardo, matre Beatrice Ioannis Montalbanij Franciæ admiralli sorore, fit episcopus post Antonium, frater Andreæ cardinalis Lugdunensis, & Ioannis episcopi Nannetensis. Hujus antistitis electio, quam publicus scriba obsignauerat, incidit in meas manus. Iuuat hoc loco ponere, vnde cæteros Episcopos legendi antiquam rationem intelligas. Bastemaius Valentiæ creatus fuerat ante Balsacum, ab vno Summo Pontifice factum agente Rege. Igitur debuit eligi Diæ, Antonio mortuo, Episcopus. Ex literis sedium vnionis per Gregorium X. incumbebat collegio Diensi monere canonicos vtriusque ciuitatis, Diámque euocare constituendo Præsuli. Rem egerunt per Ioannem Benedicti in hæc verba: *Christophorus Artaudi Decanus, Lantelmus Fabri de Vercorcio S.S.A. Protonotarius Sacrista, Bertonus Faucheti, & Einardus Regis canonici Ecclesiæ cathedralis B. Mariæ Diensis, D. Ioanni Benedicti Presbytero & habituato dictæ Diensis Ecclesiæ salutem in Domino sempiternum. Discretioni vestræ significamus, quòd bonæ memoriæ Reuerendus in Christo Pater, & Dominus,*

Ioannes d'Espinay.

nius, D. Antonius de Balsaco, quondam Episcopus Diensis & Valentinus, die 3. huius mensis Nouembris, circa 3. horam, vt fertur, post mediam noctem, viam vniuersæ carnis fuit ingressus, sicut Deo placuit, in prioratu de Amberta. Et quia in hac vacatione prouisio Pastoris debet fieri in dicta Ecclesia, seu Capitulo Diensi, secundùm transactiones initas inter dictas Ecclesias, Valentinam, & Diensem: ne igitur Ecclesiæ nostræ propter vacationem diuturnam grauem patiantur in spiritualibus, & temporalibus læsionem; diem 22. huius mensis Nouembris, cum continuatione sequentium dierum, ad tractandum de futuri electione pontificis, & ad electionem celebrandam duximus statuendum in ciuitate Diensi, ad ipsamque diem Dominos Decanum, & canonicos Ecclesiarum Valentinæ, & Diensis citari mandauimus. Quocirca vobis dicto D. Ioanni cõmitimus, præcipimus, & mandamus, quatenus citetis peremptoriè, & præcisè, præfatos dominos decanum, & canonicos Valentinos, & Dienses, si personaliter apprehendi possint: alioquin per affixionem copiæ præsentium, in valuis dictarum Ecclesiarum, Valentinæ & Diensis, quos etiam præsentium tenore citamus. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo 5. Nouembris. Hactenus illi. Venerunt Diam canonici 14. Nouembris, sacrâ trabea indutí, cereis præcedentibus, ad aulam Collegij sui perrexerunt, post auditam in Ædе S. Mariæ Missam de Spiritu sancto: celebrauerat Carolus de Grolea, decanus Valentinus. Ipso autem principio fecerunt suffragiorum collectores, Christophorum Artaudi decanum Diensem, Ioannem Chabrolis episcopum Aptensem, & sacristam Valentinum, Lantelmum Fabri sacristam Diensem. Posteà varios sermones inter se habuerunt de summis toto regno viris, qui iis episcopatibus regendis viderentur idonei. Denique coram scriba & suffragiorum lectoribus, singuli sententiam suam ex animi sensu, clàm omnibus scriptam dedere. Decanus Diensis primus omnium ita scripserat: *Ego Christophorus Artaudi, decanus, & canonicus Diensis, auditâ & intellectâ multiplici famâ, consideratisque negotiis Ecclesiarum, eligo in episcopum, pastorem & Ecclesiarum Diensis, & Valentinæ, canonicè vnitarum, reuerendum patrem egregiúmque virum D. Ioannem d'Espinay, in presbyteratus ordine constitutum thesaurium & canonicum Rhedonensem, vtriusque iuris professorem, Consiliarium D. nostri Francorum Regis.* Hæc Christophorus. Cæteri iisdem fermè verbis, omnes ad vnum, tulêre suffragia omnino ad quindecim. Primi Ioannes & Lantelmus præfecti capiendis sententiis; tum alij, Valentini Diensibus mixti. Post data suffragia, Ioannes episcopus Aptensis publicam fecit electionem Espinaij; & primùm collegis in ipsa consessus aula, deinde populo in ædе sacra recitauit. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo magister portuum Viuariensium nitebatur naufragia & aspagia capere in litore Rhodani per mandamentum Subdionis: & episcopus interceſſit, prouocauitque ad senescallum Nemausensem, sibi ea capiens ante omnem hominum memoriam. Modica quidem res hæc alicui videbitur, sed verum non modici episcopalis iuris argumentum tacere ego quidem non potui. Suppar est id quod sequitur anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Petrus Sameonis mercator ibat Rhodano, & petiit à Ioanne episcopo *facultatem non conflandi viagium salis prope turrim pro consuetudine, & ei concessum est pro illa vice propter vim aquarum quæ non patiebantur tutò accedere & conflari.* Sunt verba libri consiliorum episcopalium. Id Bernardo Rondeleti non est concessum anno millesimo quin-

Digitized by Google

gentesimo octogesimo secundo. E medio Rhodano ad portam salis iussus accessit cum nauibus sale onustis *vt conflaret*, inquiunt tabulæ tum de re confectæ, id est vt fune quo naues ab equis trahebantur soluto, eas ligarent ad vncum ferreum turri Constantiæ infixum per modicam temporis partem

9 Hæresis Valdensium tenuerat plures annos Cabeolum, Montem-Veneris, Barcellonam Alexianum, Castrumduplum, Peirusium, aliósque pagos diœceseos Valentinæ. Quod primùm fecit Ioannes, inito Episcopatu, fuit, quærere in erroris turpissimi sectatores. Christophorus de Saliente, vicarius episcopi, rem attentè gessit, ac fortiter: adiit loca singula: reos indagauit: pepulit suis sedibus magistros hæreseos. Habebat hoc proprium secta, quòd specie sanctitatis blandiebatur hominibus, & vitæ exempla, ac doctrinam, ab ipsis Ecclesiæ Christianæ exordiis repetebat. Querebatur multa, & infinita, ac penè omnia Christianorum, ab facinorosis sacerdotibus inducta corradendæ pecuniæ, & exsatiandæ libidini. Misit per regionem episcopus, qui populum dedocerent errores. Atque, vt omnia fierent accuratè magis, & sanctè, hoc addidit, vt summus pontifex mitteret quæsitores. Sunt in archiuo episcopij Valentini publicæ, fidelésque tabulæ: totam causam habent Moneti Regis de sancto Mamato, cognoscente Antonio Fabri, viro docto & sapiente: erat Canonicus Ebredunensis, & ad id missus Roma. Operæ duxi alicuius eas proferre. Scripsit Vincentius Gobaudus, scriba episcopi. *Dixit, & sponte confessus est, & sunt 15. anni elapsi, vel circà, venit ad eundem loquentem quidam Telmonis Pascallis de Bellorespectu, eiùs affinis, qui sibi notificauit, quòd in domo ipsius Telmonis erant duo boni homines, qui multa bona verba salutaria dicebant, dicendo sibi quòd si vellet eos audire, quòd veniret ad dictam domum, vbi eos inueniret. Quo audito, dictus loquens accessit ad dictam domum, vbi reperit duos homines, Ipso ingresso cum eis, vnus ipsorum hominum, scilicet antiquior legere cæpit quosdam paruos libros, quos secum deferebant, in quibus asserebant, descripta esse 10. præcepta legis; & ibidem quam plurima bona verba dicebant, vt sibi videbatur. Et inter cætera dicebant, quòd nemo alteri facere debet, quod sibi facere nollet. Item, quòd solus Deus erat colendus, adorandus, & derpecandus: quia ipse solus est, qui potest nos iuuare. Item, quòd iurare pro quauis occasione, vel causa, siue pro vero, vel mendacio, aut aliud quodcunque facere iuramentum, vbi poneretur ista locutio,* per, *erat magnum peccatum. Item, quòd Sacramentum Matrimonij debebat firmiter, & fideliter custodiri. Item, quòd bona opera, quæ fiunt ante mortem hominis, plus prosunt, quàm quæ fiunt post mortem. Item, quòd homines maritati abstinere debebant ab actu carnali, tempore menstruoso, & etiam diebus Veneris in honorem Dei. Item, quòd Sancti, nec Sanctæ, non erant deprecandi in nostrum auxilium: quia non poterant nos in aliquo iuuare, nisi solus Deus. Item quòd dies Dominicales super omnia alia festa debebant solemniter coli: alia verò festa dicebant fuisse per Ecclesiam inuenta, quæ non erant de necessitate colenda, imò poterant aliquid operari in eisdem, exceptis festiuitatibus Apostolorum, & aliis maioribus, quas non exprimebant. Item quòd viri ecclesiastici nimias habebant & possidebant diuitias, atque bona, vltrà quàm oportebat, ob quod mala multa faciebant: quorum aliqui causantibus eorum superfluitatibus, & bonorum abundantiis, erant fœneratores, vsurarij, superbi, & auaritia pleni: alij verò nimis liberaliter, & inhonestè viuebant, tenendo meretrices in domibus suis palàm & publicè, sic malum*

lum exemplum ostendendo in populo. Item, quòd prædicti sacedotes, eorum causante malâ vitâ, non habebant maiorem potestatem absoluendi, quàm habebant ipsi prædicatores, siue huius sectæ magistri; imò ipsi magistri, siue prædicatores, licèt essent laici, habebant tantam potestatem, sicut sacerdotes & ecclesiastici. Item quòd melius & magis meritorium erat dare eleemosynam vni pauperi leproso, aut infirmo, vel indigenti, quàm offerre in ecclesia sacerdotibus diuitibus; etiam quia non obseruabant sanctitatem, quam tenebantur. Item, quod omnes aquæ fuerant semel à Deo benedictæ, & quod non erat necesse, aquam iteratò benedicere à sacerdotibus, quia nihil plùs valebat vna, quàm alia. Item, quòd in vanum & frustrà 10
erat orare pro animabus defunctorum, ex eo, quia, quando aliquis moritur, anima eius tendit illico, & incontinenti, ad paradisum: si vero malè, ad Infernum. Item, quòd, nullum poterat fieri aliud melius ieiunium, quàm ieiunare diebus Veneris: ideò exhortabatur eos, qui ibidem erant, vt quantum possent, ieiunarent ipsis diebus in honorem Dei. Item quod frustrà erat accedere ad imagines Sanctorum, & Sanctarum, orando coram eis: quia non erant nisi res materiales factæ de nemore, aut lapide, vel depictæ, non audientes, neque intelligentes, & aliàs nihil potestatis habentes. Item, consulebant, & admonebant omnes ibidem existentes, quòd quantùm eis possibile esset, maritare & nubere studerent eorum filios, & filias, inter eos, qui scirent esse de secta huiusmodi. Item, quòd ipsi prædicatores, seu magistri, & sacerdotes, siue viri ecclesiastici vno semel processerunt, & eodem ordine siue consortio: sed, quia ipsi sacerdotes insequi voluerunt auaritiam, & voluptates mundanas: & ipsi prædicantes, siue magistri remanserunt in eorum paupertate, quàm hactenus obseruauerunt; & propterea fuerant ordinati per Deum, ad eundum per mundum, prædicando veram fidem catholicam ad instar Apostolorum: sed ne offenderentur à malis gentibus, necesse erat eis incedere cautè, & securè. Item dixit & sponte confessus fuit, quòd ex post factis prædicationibus prædeclaratis, ipse qui prædicauerat, se incluſit infra quandam cameram, dicendo sibi quòd accederet ad eum, vt eidem confiteretur. quia erat sanctus, & iustus vir, habens magnam potestatem: quod & factum fuit, & confessus est eidem genibus flexis. Demum facta confessione ipsum absoluit, ad modum sacerdotum manum ad caput imponendo. Interrogatus, quam pœnitentiam dedit sibi dictus prædicator, dixit, & respondit, quod sibi iniunxit dicere magnam quantitatem de Paters nosters, tantum quantùm dicere posset, & faceret aliquas eleemosynas infra suam possibilitatem. Post multa sequitur: *Interrogatus, quid dabat dictis confessoribus, siue prædicantibus, dixit, & respondit, quòd dabat eis aliquoties duos, aut tres grossos; & ipsi prædicatores, siue confessores dabant sibi aliquando certam quantitatem acuum, siue d'aguillas.* Hactenus 11
dixit Monetut Regis, scribente Gobaudo. Claudius Darleti anno proximè superiori, Cabeoli, quærente Officiali Valentino, adiunxerat duo ab Valdensibus asseri, quæ nolo prætermittere; exequias sibi quemque parare debere, ac facere ante mortem, quando vitâ functis non prodessent: suæ sectæ autorem esse pontificem Romanum illum, qui, cùm ab ciuibus vrbe pulsus fuisset, nescio quam regionem adierit; ex eius disciplina ortum Valdonem. Quâ vtráque sententiâ nihil incredibile magis, aut ridendum cogitari potuit, vel fingi. Ea tamen, aliáque id genus docebant viri ad grauitatem compositi, vnum Deum, & veram pietatem buccis crepitantibus resonantes, ad sacra loca peregrinantium vestem induti. Agnes Saulsa sanctè iurauit speciem illam pietatis fuisse. Rogata

Cabeoli Chriſtophoro reſpondit: *Quando veniunt, oportet, quod bibant de meliore vino, quòd ſit in penu: pariter, quòd habeant de melioribus caponibus, & quòd cubent in meliori lecto totius domus; & quòd mundent eorum camiſias.* Iacobus Lecureus animaduertit, venire ſolitos Cabeolum circa dies feſtos Pentecoſtes, aut Corporis Chriſti. Pedemontani fermè erant, vel Longobardi, vt videas falli Perrinum, quando in Valdenſium hiſtoriis dixit, è Delphinatu in Pedemõtanam regionem propagatos: nam, quòd adiungit pagos eſſe in comitatu Valentino, qui ab pluribus centenis annis ſeruauerint eorum doctrinam, vt qui Falconum dicitur, & Bellireſpectus, atque ad Criſtam Balma, eſt contra fidem totius regionis. Falconum autem villa fuit nomine Borberia, non pagus: rure habitabant Falcones agricolæ, ſub vno patre plures filij, nepotéſque cum ruſtica familia. Putauerim autem Valdenſes eſſe, qui Petrum, & Caſtellanum Franciſcanos peremerunt, de quibus Ieremias Bucchius ita ſcribit: *Valentia iacet F. Petrus Martyr, qui ab hæreticis propter officium inquiſitionis, ipſe, & cum eo F. Caſtellanus martyriſati ſunt.* Neque enim aliàs, ab fundatione Franciſcanorum, inuenias vel hæreticos ante noſtrorum temporum Caluiniſtas, vel de hæreſi quæſitores in regione Valentina.

12 In ſuperioribus editionibus ita ſcripſi. *Mortuo Ioanne tertiâ Ianuarij anno 1503. coorta eſt grauiſſima contentio inter canonicos, aliis Gaſparem à Turnone, aliis Vrbanum de Miolano eligentibus in Epiſcopum.* Vnde acceperim contentionem iſtam eueniſſe mortuo Ioanne non inuenio. Apud ſalignonem longè alia lego. *Ioannem d'Eſpinay*, inquit, *ob prudentiam Ludouicus duodecimus Francorum Rex inuitauit, vt Præſidens eſſet in curia Normanna, quam ex ſcacario ſenatum fecerat. Huic ſucceſſit magnificus Carolus de Turnone, virtute ac nobilitate præclarus, qui ſi diu in epiſcopatu vixiſſet, futurus erat pater & Eccleſiæ & patriæ Valentinæ. Quo defuncto ipſum epiſcopatum obtinuit eius magnanimus frater Gaſpar à Turnone, &c is quieuit in pace anno 1520 menſe Aprili.* Ex Salignone intelligis Carolũ Turnonium Eſpinaio ſucceſſiſſe per modicum tempus, & Iacobo Gaſparem fratrem, neque morte Eſpinaij, at ceſſione, epiſcopatum vacaſſe. Igitur non Eſpinaio, ſed Carolo mortuo, grauiſſima contentio coorta eſt inter canonicos anno 1500. die 3. Ianuarij alijs Gaſparem à Turnone, aliis Vrbanum de Miolano eligentibus in epiſcopum. Conuenerant ad quatuor & vi-

13 ginti, Alexiani primùm, deinde Romani, ac denique Valentiæ, vbi peſtis infamiâ laborare deſiiſſet. Cùm ad dicendas ſententias ventum eſſet, 17. Martij ſexdecim ex illis maior pars, dixere Vrbanum Antiſtitem; octo reliqui, portio mage ſana (hoc enim nomine ſe iactabat) Gaſparem: vtrumque abſentem, illum archidiaconum Valentinum. Hîc miror, quòd Petrus Raboti decanus Dienſis publicam fecit electionem Vrbani, & cùm poſteà res perueniſſet ad iudices, Chriſtophorus de Saliente decanus Valentinus, Sede vacante vicarius, pro eodem Vrbano pronuntiauit: nam vterque Turnonium dixerat epiſcopum. Sed Petro comitiorum præſidi, & Chriſtophoro iudici viſus eſt tum recitandus, quem maxima pars Canonicorum elegerat. Chriſtophori edictum probauit primo Iulij Guilelmus Palmerij ad rem cognoſcendam miſſus ab archiepiſcopo Viennenſi: traxit eò inuitum quoque electorum ille numerus. Verùm archiepiſcopus ipſe (erat Antonius de Claromonte) poſteà ſub nomine primatis, tum Summus Pontifex, tum denique curia Gratianopolitana, ſemel atque iterum, prætulere Vrbano Gaſparem.

Nocuit

Nocuit Vrbano ætas, nondum agebat annum 26. Gaspari profuit Sacerdotium, quo superabat Vrbanum. Sed vna, scilicet, Regis voluntas rem confecit, Primati, Summo Pontifici, Curiæ spectata; ad quam canonici suos sensus accommodare debuerant, sicuti Humbertus Maritan agens pro Gaspare demonstrauit: ostendit quippe mandata Regis fecisse, vt Ludouicus Pictauiensis, Gerardus Cursolius, Iacobus Baternaius, Antonius Balsacus, Ioannes Espinaius, seu à canonicis Principem suum verentibus, seu à Romano Pontifice Christianissimis Regibus hoc indulgente legerentur. Dux Sabaudiæ scripserat pro Vrbano Romam, virum esse sibi charissimum, & ex vtroque parente ducere originem de nobilissimis Comitibus: corrupit ea commendatio totum negotium; suspicionum, & inuidiæ plena res visa est, talem ac tantum virum præponere Gallo sacerdoti, orto de gente ad Valentiam ipsam latissimè imperante in certum Ecclesiæ præsidium: quod quid aliud esset, quàm in Gallicano negotio, non Regis ipsius Galliarum, sed Sabaudiæ Ducis nutum attendere? nam, si spectaretur nobilitas familiæ, Turnonia (quod paucis, aut fors nulli dynastarum concedas) suos regebat populos antè mille annos, & sanctissimum Lugdunensibus Præsulem dederat Iustum, qui cum magno Ambrosio fuit in Aquileiensi Concilio, Gallicanorum Episcoporum nomine. Vrbanus tamen ita obstinauit, & tanta vi litem duxit, vt toties damnatus, porrò voluerit anno 1205. totam causam ab ipsis initiis repeti, per Gratianopolitanos Senatores. Quid? quòd omnibus eorum calculis iterum damnatus, seruauit nomen Episcopi. Quod mirere, anno 1515. iuit ad Synodum Lateranensem, sub Leone X. cum Ioanne de Sabaudia Episcopo Geneuensi; & 4. Maij se dixit electum Valentinum, cùm in frequentissima Synodo recitarentur literæ Ducis Sabaudiæ. Verùm Concilio non subscripsit, & Gaspar egit Episcopum Valentiæ, Diæque, ab anno 1504. ad 1520. quo diem extremum obiit.

14 *Ioannes Card. de Lotharingia. Francis. Card. de Claromonte. Ant. de Vaesco.*

Ioannes de Lotharingia Gaspari Turnonio successit, Electus Metensis, Cardinalis S. Onufrij, & tum decanus Cardinalium. Paucos annos tenuit Sedem vtramque: Franciscus quippe Cardinalis de Claromonte, & Auenionensis Legatus, post eum sedebat anno 1524. qui septimo pòst cessit Episcopatu, sub finem Septembris, Antonio de Vaësco sororis filio. Lego ministros istius episcopi Cardinalis, suscepisse duo à me commemoranda. Anno 1530. die 24. Decembris fecerunt, vt Antonius Vialis pro non soluta clitellariorum asinorum opera, Dominicis ab omnium sanctorum festo vsque ad festum natiuitatis Christi diebus, damnaretur septem grossis: sequente autem pòst anno, concessere piscatoribus propter nimiam vim aquarum Rhodani vt non piscarentur nocte, quæ feriam sextam hebdomadis sanctæ consequitur. Vide quid ministerij debeant episcopo hi homines. Eo anno tricesimo primo Franciscus tradit Valentinum, & Diensem episcopatus Antonio de Vaësco sororis filio, ad Narbonensem Archiepiscopatum euectus; antè Valentinum habuerat Agathensem: legationem verò Auenionensem obiit vsque ad annum quadragesimum. Per eam sæculi anno vicesimo septimo fecit vt Clemens septimus Romanus Pontifex poneret in beatorum numero Petrum de Luxemburgo, & Ludouicum Allemandi Cardinales: & illius etiam corpus, ipse de humo sublatum Auenione proposuit oculis & veneration mortalium.

15 Antonius de Vaëſco fuit filius Caroli de Vaëſco & Antonettæ ſeu Antoniolæ de Claromonte; Carolus autem Stephani Seneſcalli Belliquadrenſis, quam ſibi charum in paucis Carolus VIII. Francorum rex Neapoli reuerſurus in Galliam,vbi præfeciſſet illius regni ærario, creauerat ducem Nolæ,& Antonetta Triſtandi,quem genuerant Pontius de Caſtelnau,& Antonetta de Claromonte Lodeuæ, è qua antiquiſſimum Claromontis nomen acceptum,adhæſit poſteris. Triſtandus habuit in matrimonio Catarinam Amboſianam ſorotem Georgij illius Cardinalis,qui rem Gallicanam ſapientiſſimè ſub noſtris Regibus adminiſtrauit. Antonio epiſcopo Balliuus anno triceſimo ſæculi inſpexit,parauítque vias regi Valentiam adituro. Quoniam de Balliuo dicere locus poſtulat,addo eum anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo, die viceſima nona Maij edixiſſe viris nobilibus vt ſe ad bellum pro rege agendum pararent. Sed celeberrimum eſt quod ejus ſæculi anno triceſimo octauo, die 3. Nouembris fecerat, is erat Guilelmus de Pictauia. Ioanne epiſcopo monente inſpexit muros vrbis & burgi Valentiæ præſentibus nobili viro Ioanne Palmier Syndico & Ioanne de Creſt mercatore;variáque decreuit & mandauit latomo fabróque lignario ad id vocatis: curauit etiam bombardas,variáque armorum genera; atque ciuibus ad ſeptem ſupra octingentos ſua imperauit arma, & ceteris quoque 2. marcas argenti quas poſteà mutauit octo florenis monetæ currentis. In ciuibus cenſetur Petrus Filue: hoc affero quia gente nobilis dicitur. Sed vide opes Ioannis de Genaſco nobiliſſimi ciuis,cùm ipſe Balliuus aſſerat ſe tres milites inſtructurum armis, imperat ei omnino ſex militiæ paratos. Placet vnum addere ſuper Balliuo epiſcopi is anno quadrageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, die decima quarta Septembris edicto prohibuit vænum proponere triticum publicè ante meridiem. Sed ad Antonium epiſcopum redeamus: dicitur ad Valentinum & Dienſem epiſcopatus adjunxtſſe Caſtrenſem. Peruenit ad annum 1537.

16 Iacobus de Turnone ſedit poſt Antonium,de fratre Gaſparis ante Lotha-
Iacob de Turnone ringum Cardinalem Antiſtitis natus. Sedere cœpit ineunte anno 1537. deſiit poſt 1553. Anno 1540. Rex voluit,vt Seneſcallus Valentinus (habet ille tribunal in oppido Montilij) cauſas beneficiorum eccleſiaſticorum cognoſceret. Is ſupra regia mandata quærebat de capitalibus, ceteríſque, etiam per diœceſes Valentinam,& Dienſem. Iacobus ſe peti videns,ſuáque jura infringi,poſtulat à Senatu Gratianopolitano Duum-viros, apud quos deponat ſuas querelas. Hi Diæ,ac Valentiæ longùm morati,& auditis poſt ſacramentum plurimis teſtibus,decreuerunt Epiſcopo eſſe Valentiæ,eſſe Diæ, qui Seneſcallum ageret per Iudicem,à quo ad ſummam Curiam, ſine mediâ vllâ prouocatione iretur. Atque igitur,qui Montilij pro Seneſcallo ſedet, juſſus eſt ceſſare à Iacobi injuria. Sequente anno cùm Correarius Valentinus de nocte ageret per vrbem excubias,occurrit neſcio quibus arma edicto vetita ferentibus; & expoſtulatione ſuâ ad judicem,fecit vt ea ipſi adjudicauerint. Hoc attuli,vt videas quæ ſint Correarij jura. Ex occaſione autem armorum & excubiarum quæ dixi, poſtulo vt mihi liceat addere ſequentia, ne non prorſus indigna ſcitu pereant. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Monlucius Antiſtites arguit Dienſes per epiſtolam, quòd die viceſima tertia Nouembris arma ſe inſcio cepiſſent. Anno quadrageſimo

nono

nono suprà millesimum quadringentesimum die 13. Maij, iudex episcopi dat nescio cui facultatem tradendi armorum disciplinam: nono autem post anno correarius vocat ciues Valentinos ad excubias & portarum mœniumque vrbis custodiam.

Anno 1543. Iacobus episcopus iubet instaurari vias publicas, quæ cau- 17
sæ suaserint hoc mandare non inuenio. An ipsas sibi subiectas esse docuit? certè anno triceſimo quarto suprà millesimum quadringentesimum, cùm consules inscio episcopo vnam earum interrupissent, deducendis Charano Valentiam aquis fontanis, Ioannes de Pictauia tum Antistes iusserat principio sisti, deinde post petitam à consulibus veniam perfici. Post quatuor annos Iacobus Iuuellus aduena extremum diem exhæres obierat: & caduciariâ lege omnia ipsius addicta sunt Antistiti; quòd ipsum anno decimo sexto suprà millesimum sexcentesimum factum est bonis Guigonis Cotaui, post edictum senatus Gratianopolitani antè sex annos lati. Anno quadragesimo turbarum aliquid erat in constitutione consulum Valentiæ, & ciues supplices ab episcopi absentis vicario postulauere, vt sibi liceret perficere eorum creationi comitia. Scilicet ab omni memoria vsque ad curiæ præsidialis fundationem vicarius episcopi præfuit creationi consulum, & absente vicario balliuus, istoque impeditè iudex.

Anno 1551. omnia turbabant hæretici per Gallias. Henricus Rex, 17. 18
Februarij, scribit ad episcopos, videant, ne quid detrimenti patiatur Christiana fides, & vera concordia populorum. Iacobus rem accuratè gessit Diæ, ac Cristæ: quid fecerit Valentiæ, ignoratur. Diæ adegit ad sacramentum ecclesiasticos viros, & ciues nominis alicuius. Omnium communissia voce accepit homines 4. infimæ notæ, neque plures, nullum indigenam, religionis violatæ reos haberi, Iordanum Giton, Gasparem Andream, Berbeierium, & Bouriam. Digni profectò laude ciues, & à me commemoramdi, qui ad æternum dedecus filiorum, vrbem nunc hæresi perditam, omni errore purgatam suis temporibus seruauerunt, Ludouicus Second, & Ioannes Plante, Consules; Antonius Peirol, Antonius Charenci, Raimundus Apays, Thomas Garcin, Ioannes Albert, Consiliarij: cum nobilibus viris, Fabris Vercorciis, Antonio, Iordane, Gaspare Antonij filio; Carolo Ionio Pennarum toparcha, & Antonio Perdrice. Dia Cristam iuit Episcopus: accepit concionatorem impiè locutum ex ambone de verbis Eucharisticis, & Baptismi cæremoniis; cæterà rem Christianam feliciter habere.

Ioannes de Monluc, mortuo Iacobo, litteras de Episcopatu accipit ab 19
Summo Pontifice anno 1553. moritur 1560. iacet Tolosæ in S. Stephani odeo. Vir excelsi animi, culti sermonis, fundatissimi iudicij. Italiam, Germaniam, Angliam, Scotiam. Poloniam, Constantinopolim, & denique vniuersam penè Europam legationibus pro Rege peragrauit. Eas obiit omninò ad 15. Ad preces Germanorum Imperatoris fecit, vt Turca cessaret ab armis: Mariâ Scotiæ Reginam Cancellarius iuuit consiliis. Celeberrima legatio fuit, & per totũ orbem notissima, qua in Polonorũ comitiis vicit vt Henricus, Dux Andium, post ea tertius eius nominis Francorũ Rex eligeretur in regẽ, ac Moschorũ Duci, Principi Russiæ, Ernesto Maximiliani Germanorũ Imperatoris filio, Sigismundo filio Ioannis Suecorũ regis, & nobilissimo Polonorũ Piastę, præponeretur Varsouię an. 1573. tã certo comitiorum cõsensu, vt de triginta quinque

Ioannes de Mõluc.

taquinque millibus Electorum,quingenti tantùm principiò deflexerint ad alios, qui poſteà ad Henricum acceſſerunt die 9. Maij. Res fortiter ac feliciter geſtæ, & ſcilicet ingenij ſumma decora fecerunt, vt Ioannes chariſſimus eſſet Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. & Catharinæ Henrici II.vxori,ceterorum Regum matri: Valentinam Eccleſiam ad mortem vſque tenuit charus Regibus,regnóque neceſſarius: demum in Societatis IESV manibus ſinúque animam efflauit Toloſæ.

20 *Carolus Leberonius.* Carolus Leberonius è ſorore Monlucij genitus, ex Abbate ſancti Rufi Epiſcopus,moritur Patauij in Italia anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo. Turbarum quippè ſeditioníſque pertæſus,& rebellionis Hæreticorum totis Dienſium ac Valentinorum regionibus,maluit mutare ſolum & apud exteras gentes degere,ac mori, quàm videre populos ſuos ruentes in hæreſim,fidémque efferri ſe coram vir rectus, & timens Deum, atque ingenij mitiſſimi. Fuit, cùm neqne domum ſuam habere potuit Diæ: fuit, cùm neque pro morituro ſeruo facere ad priuatum altare licuit.

21 *Petrus Andr. Leberonius.* Petrus Andreas de Leberon ſucceſſit Carolo patruo, anno ..... deſiit viuere .....Præſul animi candidiſſimi,& antiquæ virtutis. Fidem ille Catholicam tota penè vtraque diœceſi, virtutem pluribus locis jam multos annos exulem, reuocare contendit. Per regiones ſuas ſæpenumero pedes iit,docuit in publica platea, innocentiſſimùm corpus multo jejunio, crebráque maceratione caſtigauit. Quem ille laborem refugit, quæ pericula non adiit, quorum odia furorémque formidauit pro re Chriſtiana tuenda? Curioni decimas negabat toparcha Treuienſis Hæreticus,atque obſtinanti petere durus imminebat,& grauis; minitabundus etiam non rarò frangebat verba, manúſque intentabat: denique aliquando ſeuocauit in penetralia, veluti daturus decimas importunè inſtanti,& domi ſuæ in abdita parte ſemotáque incautum peremit. Impium facinus non potuit latere diu plebem. Hæretici,maxima pars, risêre crimen,arbitrati ſuorum potentiâ poſſe pœnam vel declinari, vel obrui. Catholici, portio minima, & contempta, ingemuêre taciti: ſed Petrus Andreas videns peti religionem in Sacerdote, minimè diſſimulandum putauit: it Gratianopolim, Senatus fidem implorat, neque labori, neque ſumptibus parcit. Quibus blanditiis, quibus minis non egerunt viri totâ Galliâ ſummi, vt ab actione deſiſteret, ſeu illecebra pecuniarum adductus, ſeu ingentis alicujus periculi, ac priuati etiam damni metu adactus? Vir conſtans animi,certúſque virtutis ſtetit inflexus: *Sanos* (inquit) *habemus Iudices: nulli ſumptui parcam: ſuperimpendam quoque ſanguinem, ſi in latronem incidero.* Igitur conſtantiâ ſuâ, animíque firmitate perfecit,vt pœna ſceleri reſponderet: jubente Senatu ceruices

22 homini ſicario fractæ ſunt. Longè majores eriam animos præbuerat ante Diæ. Tota ciuitas errore cæca, Comitem Epiſcopum admittere dubitabat, arcis Gubernatore Hæretico ſic agente: patientiâ tamen ſuâ vicit, vt in vrbem poſtliminio rediret etiam Clerus, & frendentibus Caluiniſtarum Miniſtris, publicus cultus Eccleſiæ redderetur. Ipſe aliquando in veſte pontificia, non dubitauit extra templi Sanctę Marię fores compellare plebem hęreticam, & docere;atque perrexiſſet in apoſtolico munere,ſi Caluiniſta turbas non excitaſſet. Timuit vrbi ex ſeditione, & ſuorum conſilio ſeruauit ſe Catholicis, alioqui de ſe paratus animam ponere pro ſuis

ouibus

quibus bonus Pastor, & Christó cadere victima pro fide. Quid eam per reliqua integerrimi præsulis opera? sed nolo prætermittere sūmo consilio feciſſe, vt anno decimo suprà 1600. acciperet à Ludouico XIII. rege literas, quibus omnia ea firmarentur quæ Ludouicus de Pictauia pactus olim fuit cum Ludouico Delphino primùm, deinde vndecimo Francorum rege, & alij episcopi egere cū aliis regibus aut ab iis accepere. Audi Regem. *Concedimus ei & confirmamus omnia & singula priuilegia, conuentiones, pacta, libertates, immunitates, ipsi & aliis antè ipsum episcopis concessa*, &c. *Neque ei aliquid detrimenti ex eo esse volumus, quòd decessores ipsius nullam eiusmodi comfirmationem acceperunt à Carolo & Henricis antè me regibus*, &c. Scilicet ea fuit à Francisco II. rerum in Gallia perturbatio, vt episcopi Valentini nullam à regibus post ipsum confirmationém istiusmodi postulauerint.

Carolus Iacobus de Leberon, ex fratre Petri Andreæ genitus, ingreditur primùm Valentiam iam Episcopus anno 1624. 6. Februarij; Diam anno proximè sequente, mense Aprili, die 6. Leberonij sunt de gente Gelasia, cui nomen ab Gelasio pago olim, castelloque in Vasconibus, ruinâ ingenti, & vastis ruderibus noto. Nunc primus post decimum est, ab eo, qui Leberoniæ stirpis antiquæ vnicum germen filiam accepit. Ex eo coniugio sub nomine Leberonio (gentile Gelasium maioribus natu minimus fratrum ex connubialibus tabulis reliquerat) soboleſcente progenie, per longam seriem nepotum descendit Carolus Iacobus Antistes Valentiæ, & Diæ, atque Abbas Bonæcumbæ in Ruthenensibus. Cæsis duobus fratribus, magnæ spei iuuenibus, & bello notis, reliquum vnum habebat, cùm hæc primúm scribebam Marchionem d'Ambres, qui pro rege Tolosam tenebat superiorémque Occitaniam, spectatus armis & pace; Vignoliæ, atque adeò Hiræ iam ab Carolo VII. notissimæ familiæ per coniugem hæres. Episcopus vir pectore infractus, ingens animis, quid non contra Caluinismum tentauit? Ante aliquot annos Pontaisij, & Liberone Caluinianos pepulit templo, quod diu tenuerant latrocinio Catholicis ereptum. Inerme pectus proponebat Hęreticorō furori, sine milite sine comitatu. Armatus scilicet de Apostolo lumbos virtute, pectus iustitiâ, pedes Euangelio pacis, caput salute, manus spiritu, quas non intraret hæreseon turbas, & cæderet? Vidi ipse per inhospita Treuiensium, ac Diensium loca, fugientibus ad viri nomen erronibus, & Hugonottorum Ministris, sua Christo omnia restituere, templa, prædia, Sacerdotes. 23 *Carolus Iacobus Leberonius.*

Salientem præterea, Camelotium, Plouuerium, multos ad Diam, & in Vercorciis agros, Castellionem denique, oppignerata redemit magnâ pecuniarum vi: Valentiæ Diæque domos episcopales restituit, terreúmque aggerem illum Valentinæ spectatissimum firmauit, & dimidio ampliauit: Alexiani domum situ visendam emit; & episcopis in agro sedem parauit: Amborum episcopatuum loca singula pedes adiit, accuratéque inspexit: pluribus annis aluit suis impēsis Valentię clericos duodecim, seminarium Sacerdotum suę vtriusque Diœcesis & archiuum vtriusque episcopij spoliatum restituit, confusum distinxit ordinauítque: hospitio, vt vocant, accepit Valentiæ Recollectos; domo etiam moniales, quæ quidem à B. Mariæ visitatione nomen habet Montilij, & Cristæ; quæ autem appellantur à S. Vrsula Cristæ, Cabeoli, Diæ, Valentiæ. 24

An quæ per tribunalia judicum Gratianopoli, Tolosæ Parisiis vehemen- 25

ter & magnis animis egit, commemorare debeam, hæſi aliquamdiu. Scio futuros qui ea damnent, neque miror, cùm alia aliorum hominum ſtudia ſint; & ea maximè omnes & vituperemus & abjici velimus quæ nobis aduerſari putamus. Sed mihi ſcilicet de rebus geſtis Valentinorum & Dienſium epiſcoporum ſcribenti iſtam operis ſuſcepti partem prætermittere non licet. Quod ceteris hiſtoricis ſemper datum eſt, hoc vnum peto, vt poſſim ſine cujuſquam offenſione recitare ex vero quæ geſta ſunt. Fuit Carolo Iacobo apud judices contentio de juribus epiſcopi, in vniuerſitate, cujus eſt cancellarius; in vrbe, præſidio inſtructa, cujus Dominus & Comes eſt; in foro præſidiali curiâ aucto, cujus hactenus caput fuerat.

16 Igitur, vt ab vltimo articulo inuidioſo maximè & plurimùm impedito incipiam, res paulò altiùs repetenda eſt. Epiſcopus ante annum milleſimum Comes Valentiæ, dum in vrbe ſtetit Germanorum imperium, ſummus quoque ipſius princeps eâ fuit ratione, qua Coloniæ, Herbipoli, Moguntiæ Epiſcopus princeps eſt; habuítque *commune forum*, vt loquebatur Fridericus anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, *agentium & ſuſtinentium cauſas tam ciuiliter quàm criminaliter: nulliúſque Comes* præter ipſum, *aut Iudex*, niſi ab ipſo conſtitutus *legem* in eâ *facere* præſumpſit. Quam juriſdictionem exponens Fridericus ſecundus anno milleſimo ducenteſimo triceſimo octauo docet, *tam in ciuitate Valentiæ & ſuburbiis, quàm in Caſtris, & villis propriis Eccleſiæ cauſas, tam ciuiles, quàm criminales per ſe, vel officiales ſuos audiuiſſe, proditores, homicidas, adulteros fures, latrones, perjuros; & quoſcumque in criminali cauſa*, &c. *tam corporaliter quàm pecunialiter puniuiſſe*, &c. *Hæc etiam omnia potuiſſe per omnia alia loca epiſcopatus Valentini exercere, per appellationem ad illum factam, vel in defectu dominorum.* Iam anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, Ludouicus Pictauienſis epiſcopus, *laudabilibus*, vt ipſe profitebatur, *reſpectibus vtilitatem Eccleſiarum ſuarum plurimùm concernentibus, recognouit Ludouicum Caroli ſeptimi Regis Francorum primogenitum Delphinum Viennenſem, Comitémque Valentinenſem & Dienſem, ſuum dominum ſuperiorem, eidémque homagium ligium & fidelitatem præſtitit de tota temporalitate ſuarum Eccleſiarum.* Delphinus, conceſſit ei Piſantianum, *in contemplationem dicti homagij*, & comprobauit confirmauítque omnia antiqua vniuerſo epiſcopatu jura, etiam juriſdictionem iis ipſis vocibus expoſitam, quibus Fridericus ſecundus vſus fuerat anno milleſimo ducenteſimo triceſimo octauo, niſi quòd *à judice appellationum non alibi quàm ad Parlamentum Delphinatus recurri vel appellari voluit*; *promiſítque bonâ fide in verbo principis & alia, & nihil in præjudicium juriſdictionis epiſcopi attentare; reuocatis in irritum quidquid in contrarium fieret.* Anno autem milleſimo ſexcente-

17 ſimo triceſimo ſexto Ludouicus XIII. Francorum rex, præſidiale cum ſeneſcallia tribunal præcedente anno erectum Anicij, transfert Valentiam cum poteſtate dicendi jus totis Valentiæ, Diæ Cabeoli, Stellæ finibus; & audiendi prouocationes à Seneſcallis Montilij & Criſtæ, balliuis Sanmarcellini & Buxi, judicibúſque vniuerſi quam latè patet, Viuarij, ac denique judicandi de cauſis beneficialibus & rebus tam ciuilibus quàm criminalibus ad ciuitatem Valentinam ejuſque doctores, diſcipulos, membra pertinentibus,

& anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſeptimo, huic tribunali Seneſcallum imponit Veinium. Carolus Iacobus Leberonius epiſcopus ei tribunalis tranſlationi intercedit, *pro eo ſolo capite quod epiſcopatus & Eccleſias Valentiæ Diæque contingit* anno milleſimo triceſimo octauo, die decima Nouembris; & Lauſono, ad quem rex miſerat Anicio tranſlatum conſtituendum Valentiæ, addit in hæc ipſa verba: *Non enim venire poſſit cuiquam in mentem tantam Eccleſiæ Dei cladem inferri conſcio ſeu rege, ſeu præcipuo regis miniſtro. Zelus piáque charitas vtrique quotidianæ faciunt, Lauſone, vt ſperem te in opere non perrecturum, quod ipſis inſciis, & ſine omni jurium epiſcopatus Valentini cognitione demandatum fuiſſe credibile eſt, & Eccleſiam Dei ſponſam in ſuarum rerum vſu ac poſſeſſione relicturum. Et certè poſteri non immeritò mirarentur & obſtupeſcerent, ſi per tempora Ludouici Regis adeò & Chriſtiani & juſti, diuinæque bonitati plurimùm obnoxij, quæ etiam non ita pridem noſtris Francorum votis & præcibus Delphinum dedit, epiſcopus in ipſo Delphinatu ſpoliaretur bonis, & honoribus jam olim à regibus, imperatoribus, aliiſque principibus viris pro animarum ſuarum redemptione, & votorum executione conceſſis. Legimus in noſtris annalibus Carlomannum à Carolo Caluo patre miſſum in carcerem, quia, cùm eſſet Abbas, neglexerat ſua monaſteria; & epiſcoporum bona euerti per incuriam ſiuerat. Enimuerò ſcilicet res Eccleſiæ multùm differunt à cæteris: hæ in publicos vſus impendi poſſunt; illas neque recipies, neque minues ſine importuno crimine grauique ſacrilegio, cujus apud Deum omnium æquè hominum judicem reus agaris. In ſecundo hujus ciuitatis Valentiæ Concilio, ad petitionem Guntranni Regis Patres edixere, vt quodcumque rex conceſſerit Eccleſiæ, ei proprium ſit, neque ab aliis poſt ipſum regibus minui tolliue poſſit; qui regum contrà egerit, veluti necator pauperum* (ſunt ipſorum verba) *perpetui judicij Dei anathemate plectatur, vt veluti ſacrilegij perpetrator, criminis ſui reus, ſupplicio æterno teneatur obnoxius.* Hæc ille in ſua interceſſione typis mandata. Eadem poſtulauerant, 28
& alij, & Ventadurius ac Sullius duces, Vicecomitiſſa Priuaſi Viuarienſium, Comitia totius Occitaniæ: ſed tam æqua viſa regi eſt querela Valentini Epiſcopi, vt ceteris rejectis vnam ipſius admiſerit, & ſecundum eam anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo nono, die duodecima Iunij ſententiam tulerit relatam in acta principis à ſenatu Gratianopolitano; ac Epiſcopo Valentino ſua omnia jura reſtituerit. Et quidem res omnis confecta videbatur, ſed ab eo tempore ad hanc vſque diem magnis partium ſtudiis ſemel, iterum, atque pluries agitata, verſatáque tam variè eſt, vt quo demum loco ſit conſtitura nemo facilè dicat. Primùm quidem enim illa regis pro epiſcopo ſententia, vbi per octo conſiliarios regios, & vnum ſupplicum libellorum magiſtum excuſſa fuiſſet, approbationem omnium meruit equidem, ſed obſignationem ſigillúmque regis non obtinuit, remiſſáque etiam ad Majus regis conſilium, ab ipſo rejecta eſt, præſidialem curiam, cum omnibus quæ anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto per inſtitutionem adepta fuerat juribus, comprobante. Poſteà huic Majoris Conſilij edicto interceſſit epiſcopus: & anno 1643. in nonnulla cum aduerſariis pacta conuenit, ſed cùm ea neque ipſe, neque alij ſatis probarent, ventum eſt rurſus ad

judicum tribunalia. His ad Majus conſilium confugientibus, Epiſcopo adeunte ſenatores Gratianopolitanos,cauſa peruenit ad Priuatum regis conſilium,quod ſtatim edixit donec penitus cognitam omnino finiret,ſua *vt antè* jura ſtare debere epiſcopo. Voces ex *vt antè* Carolo Iacobo Antiſtiti viſæ ſunt ambiguæ,vtpote quæ poſſunt referri ad tempus quod fuit,vel ante edictum regis de conſtitutione præſidialis curiæ anno 1636.latum,vel ante pacta cum aduerſariis inita anno 1643. Igitur ſibi tum duxit metuendum ab aduerſariorum ſeu gratia ſeu potentia, quæ judices adduxiſſet ad ejuſmodi vocis ambiguitatem in edicto ſuo ponendam;atque pro metu receſſit ab eo tribunali, omníque ipſius, ſi quod foret, judicio vehementer interceſſit. Pertexere nihilo tamen minùs judices in excutienda cauſa, & cum epiſcopus non accederet ad ipſos, nihílque pro ſe afferret, eum damnauere anno 1647. Sed Carolus Iacobus adit ſenatum Gratianopolitanum anno 1649. à quo ſuis,prohibita præſidiali curia, juribus reſtituitur; & cùm ejus edictum à Superiore conſilio ſuſpenſum fuiſſet,anno 1651. menſe Martio curat reſcindi illam anni 1647. ſententiam Priuati conſilij,quàm aduerſarij reſtituere nunc contendunt. Sed iſta hactenus dicta ſint,ad alterum eorum articulum accedamus, quæ ſuper juribus in vrbe Valentina vehementer exercuerunt epiſcopum.

29 Is queritatur plurima ita fracta & euerſa eſſe, vt ſolum pene Domini & Comitis nomen nunc habeat. Arx querelarum omnium iſtarum cauſa eſt. Ante annos octoginta impoſuerunt Valentiæ. Cauſas quæ regem ad eam exædificandam adduxerunt,afferre mihi nec vllus animus, nec operæ aliquod pretium eſt. Vt ipſi datus eſt moderator, vt vrbis etiam ſe rectorem geſſit,atque adeò qui ſeu continendis ſine omni tumultu ciuibus, ſeu propellendis per bella hoſtibus ſe arci vrbíque præpoſitum ſentiebat, omnia etiam quæ portarum,vicorum,angiportuum,& regionum vrbis per diem, & per noctẽ cuſtodiæ tranquillitatíque cõſulunt,ſenſim & alia ab aliis traxit ad ſe. Ante omnem tamen ſæculorum memoriam epiſcopus ea omnia per balliuum, correarium, excubiarum magiſtros, & regionum & cohortium vrbanarum duces,portarum & clauiũ vrbis cuſtodes curauit in ciuitate,mãdauítque curam,balliuo quidẽ & aliorum & reficiendorum mœnium,atque capiendorum gerendorúmque per bella armorum; correario autem vigiliarum ac nocturnorũ per vicos ſine armis & cum lumine progreſſuum. Anno 1433.19.Martij Ioannes de Chaponay fit ab epiſcopo per ſuos in concilium vocatos dux ciuium,Paganus an.1586.23. Auguſti fit eorum ducis legatus in epiſcopali domo: anno 1579. 8. Maij Ioannes Raynaudus, Nicolaus du Cros, & Ioannes Valet fiunt ibidem regionum vrbanarum duces: anno 1563. 29. Decembris in eadem domo fiunt excubiarum magiſtri, & coram epiſcopi judice dicunt ſacramentum. Anno 1586.14. Octobris ibidem Claudiolus portæ Sauneriæ cuſtos officio dejicitur,vbi profectò fuerat in eo poſitus,maximè cùm ex Valentinorum priuilegiis conſtet janitores vrbis conſtitui ab epiſcopo,cui anno 1577. 9.Ianuarij conſules juſſi reſtituunt claues vrbis. Anno 1645. 17.Maij judiciaria inquiſitio inſtituta eſt,è qua intelligitur correarium epiſcopi vltrà omnem memoriam feciſſe per vrbem excubias. Balliuus epiſcopi anno 1439.vltimo Maij, 1450. 26. Aprilis 1457. 20. Martij 1565.4.Nouembris edicto vetat arma diu noctúve per vrbem ferre:

anno

anno 1440. 5. Martij ad postulationem consulum jubet ea ferre: 1443. 19. Septembris prohibet eadem ipsa efferre vrbe, & correarius ire noctu per vrbem sine lumine. Demum Guilelmus de Pictauia balliuus anno 1438. Nouembri mense inspicit muros & curat refici mœnia vrbis; armáque singulis ciuibus & pecunias ad bellum imperat. Cùm hæc ita habeant Carolus Iacobus episcopus vehementissimè queritur jura quæ tot sæculis inconcussa Antistiti Valentino perdurauere, nunc trahi ad moderatorem arcis; & demum anno 1650. 31. Decembris ita loquitur in comitiis Ecclesiæ Gallicanæ. *Cùm interessem Ecclesiasticis antè annos 5. comitiis 12. Iulij, clerus querelis meis commotus mandauit Sagiensi, Massiliensi, & Sanctonensi Episcopis, atque Abbati Bernagio, Bituricensi Decano, & Turonensi Officiali quærere de tota re: sed ad ipsum eam referentibus interceſſit Simianæus à Costa Abbas, & ex Veynæo consanguineo Valentinæ arcis præfecto commisit episcoporum arbitrio. Applaudentibus comitiis ego quidem à me nominaui Coadjutorem Parisiẽsem & Regiensem Episcopum,* ipse autem pro *Vaynæo dixit Narbonensem & Arelatensem Archiepiscopos: sed cùm ij quædam capita definissent, Veynæus post annum monuit causam quæ agebatur, esse de præfecto arcis regiæ, ac proinde ejusmodi, vt pendeat ab vno rege, ab episcopis pendere non possit; asseruit igitur se non posse stare horum arbitrio contrà quàm anteà decreuisset.* Hæc ille, qui post multa sic addidit: *anno 1649. cùm vocatus veniſſem ad regem, ipse rei judices dedit Episcopos Coadjutores Montalbanum & Andegauensem, Hospitalium Franciæ Marescallum, & Marchionem Veterisvillæ, & Fouquetum supplicum libellorum magistrum: atque apud eos igitur meas querelas scripto deposui, sed Veynius nunquam adduci potuit, vt apud eos quoque rem ageret.* Hactenus ille. Dicentem placidè audiuerunt episcopi, & cùm Antistes Viuariensis adjecisset non vnius Valentini præsulis, sed vniuersæ prouinciæ Viennensis rem agi, clerus & frequenter & vehementer egit apud Regem, vt sua Ecclesia Valentinæ antiquissima jura seruarentur; sed scilicet nihil hactenus obtinere potuit, Carolo Iacobo episcopo nequidquam jactitante se à ciuitate sua jam longùm abesse, & deinceps abfuturum, in qua neque honestè, neque satis etiam securè, cùm omnia & à præsidiali curia & ab arcis gubernatore sic habeant, posse degere. 30

Tertium super Vniuersitate articulum paucis expedio. Post multiplices & diuturnas lites, demum Episcopus obtinuit à Senatoribus Regiis, vt ejus rector assumeretur è juris auditoribus, solitumque diceret sacramentum: vt qui in doctores euaderent, curarent & alia, & se contra episcopatum Valentinum nihil seu consilio, seu aliter suscepturos: vt episcopus qui cancellarius est, sit caput Vniuersitatis; literas concedat professoribus; officia secretarij & sigillorum custodis, vbi vacauerint, ipse suis literis largiatur; doctores cùm ipse renuntiabit, dicat se agere autoritate non tantùm apostolica, regia, delphinali, sed etiam sua; & qui alius id faciet, profiteatur *illustrissimi* etiam *domini episcopi Valentini* autoritate *se agere.* 31

Daniel de Cosnac, filius Francisci de Cosnac & Eleonoræ Talairandæ de Chalais, in episcopatu successit Carolo Iacobo de Leberon, & in Episcopum vngitur anno 1655. die 24. mensis Octobris.

APPENDIX
AD LIBROS QVATVOR,
DE REBVS GESTIS
VALENTINORVM
ET DIENSIVM EPISCOPORVM.

LIBRO 3. de rebus gestis episcoporum Valentinorum & Diensium asserui fuisse olim qui scriberet libellum de vita Amedei Rossilionæi, & ex eo docui de abbate Sapiniacensi euasisse in episcopum. Hæc vtraque res fecit, vt non pauci neque ineruditi viri monuerint, facturum me è re literaria, si illum in lucem ederem, maximè cùm in amicorum congressu adderem Amedeum inclaruisse suis temporibus sapientiâ, sanctitate, rebus fortiter & præclarè gestis. Igitur libellum typis committo. Scriptor illius coætaneus viro fuit, mortique ejus interfuit. Hoc affero, vt intelligas ea scripsisse quæ ignorare non poterat. Minùs Latinè (fateor) scripsit: sed ego putabam veritatem dictorum, non elegantiam in scriptoribus de summorum virorum vita requirendam esse, cùm viuendi, non autem dicendi exempla se nobis proponere illi profiteantur.

Huic libello visum est addere epistolam Ioannis de Burnino Archiepiscopi Viennensis & suffraganeorum ejus ad Gregorium IX. Pontificem anno 1231. scriptam. Ea postulant, vt Stephanus olim Cartusianus & è Priore Portarum episcopus Diensis anno 1208. mortuus scribatur in sanctorum canone. Pro frequentissimis ac illustrissimis quibus coruscabat miraculis. Recitant miracula supra 60. & in illis prorsus nouem homines excitatos à mortuis, intra annos 23. à Stephani morte.

EPISTOLA IOANNIS DE BVRNINO Archiepiscopi Viennensis & suffraganeorum ad Gregorum IX. Pontificem, postulantium canonizationem Stephani è Cartusiano episcopi Diensis.

SAnctissimo Patri ac Domino Gregorio Dei gratia summo Pontifici I. Viennensis Ecclesiæ minister humilis. G. Valentinæ Ecclesiæ procurator, B. Diensis. G. Gratianopolitanus; B. Viuariensis, Gebennensis, A. Mauritanensis, Episcopi, Viennensis Ecclesiæ suffraganei, cum omni reuerentia, ad pedum oscula beatorum. Quas gratias, & quas laudes referamus Domino nostro Iesu Christo, Deo viuo & vero, humani defectus & nostræ mortalitatis ignorat imbecillitas. Qui cùm sit mirificus in seruis suis, mira mirificè non desinit misericorditer operari. Quantâ quidem & quàm præclarâ meritorum

rum apud Deum & homines, & præclarus enituerit prærogatiuâ, quot & quantis virtutum coruscauerit radiis.

Venerabilis in Christo frater noster bonæ memoriæ Stephanus quondam Diensis Episcopus, & miraculorum quæ per ipsum tam in vita ejus, quàm post ipsius transitum operatus est Dominus in suis fidelibus, & inpræsentiarum operatur & declarat euidentia, frequens etiam & copiosa diuersarum nationum multitudo propter morborum molestias & diuersorum infortuniorum pressuras ad dicti Episcopi tumulum cateruatim confluens dicti viri meritis pulsis langoribus, sanitatis gaudia remediis, aliis etiam infortunijs propulsis, & hoc idem longè latéque tam verbis quam factorum euidentiâ, & publicè protestatur; verùm quia nemo quantâcumque meritorum prærogatiuâ polleat ab Ecclesia Dei pro sancto habēdus aut venerandus est, nisi priùs per sedē Apostolicam ejus sanctitas approbetur, miraculorum, quibus apud fideles viri dicti sanctitas manifestè innotuit, apud pedes sanctitatis vestræ tenorem transmittimus, vt inspectâ ipsorum continentiâ sublimitatis vestræ P. Sanctissime circumspecta decernat prouidentia, Vtrum dictus Episcopus à sancta Dei Ecclesia pro sancto haberi & venerari, & in sanctorum debeat catalogo imputari. Illud etiam sanctitatem vestram latere nolumus, quod quicumque aliquibus pressi langoribus, vel grauati aliquorum infortuniorum instantiâ se asseruerint sospitatem & liberationem dicti viri meritis consecutos; non priùs fides adhibita est à Diensi Ecclesia nisi prius assereretur prestito super sancta Dei Euangelia corporaliter sacramento, adjunctis etiam sibi socijs in sacramento, si fortè socios habebat aliquos, se & morborum vel aliorum infortuniorum sustinuisse grauamina, & nomine dicti Episcopi Stephani precibus fusis ad Dominum, sospitatem & subsidia pro quibus supplicauerat impetrasse.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octauo, octauo Idus septembris Stephanus Cartusiensis monachus, & Prior portarum Cartusiensis ordinis, & diuina gratia Diensis Episcopus transiens ab hoc sæculo migrauit ad Dominum, cujus vitam pretiosam, atque sanctam constat fuisse miraculorum testimonio declaratum, quæ diuina clementia in honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis & glorioſissimæ Mariæ Virginis, ac totius curiæ cœlestis per eum dignata est operari. Quorum principium post vitæ suæ transitum Deo annuente differimus.

De filia hominis Diensis cæca. Die itaque præsenti quâ dictus Stephanus sepultus fuerat, in qua celebratur Dei genitricis natiuitas, filia cujusdam hominis Diensis de Burgo S Marcelli Lamberti nomine, quæ per tres menses cæca extiterat, delata ad sepulchrum ejusdem Stephani, atque ibidem commorans, lumen oculorum diuinâ meruit recipere miseratione.

De filia febricitante sanata. Alterâ autem die cum filia alterius ciuis Diensis Martini nomine, portaretur ad locum vbi jacebat dicti Stephani corpus, quæ diu febrili calore languens consumpta fuerat, & ab vniuersali paralysi detenta, sui penitus valetudinem corporis amiserat, vt merita hujus viri plenius panderentur Christi fidelibus, dictæ ægrotanti omnipotentis Dei misericordia cum vsu gradiendi sanitatem omnimodam restaurauit.

De Armigero resuscitato. Postea Armiger quidam Bertrandus nomine de Vapinco, qui causâ insultus faciendi ad Vapinci ciuitatem, cum exercitu

Domini

domini sui iter arripuerat, cùm in itineratione perseueraret nocte quadam ab equo Domini sui in pectore percussus extremis pedibus corruit interemptus. Quod factum postquam concitauit exercitum, tandem venit ad aures domini qui mœrore plenus & compatiens defuncto pro infortunio, ad eum accessit cum multa turba militum, è quibus vnus signa & miracula reduxit eis in memoriam quibus volebat Dei administratio merita dicti Stephani Episcopi non occultari. Tunc illis ingenti deuotione & prece supplici genibus flexis, inuocantibus ejusdem Episcopi misericordiam, homo qui passus fuerat mortem, erexit oculos, dixit ad milites circumstantes: Gratias ago Deo & B. Stephano Diensi Episcopo qui misertus est mihi misero, & obuiauit in statu pulcherrimo eripiens animam meam à manibus Dæmonum, dum ad pœnam æternam eam trahebant, quam vidi paratam meo cruciatui cujus dum recordor, totis mentis viribus incido & corpore contremisco.

De captiuo liberato. Venit autem postea quòd quidam vir de Brione captus apud Montemclarum, infra turrim tenebatur subtus tinam magno aceruo lapidum oneratam, hic vero de sua liberatione solerter cogitans, factâ cauernâ fodiendo cum vnguibus, inter humum & tinæ summitatem se suppossuit, & ab vtroque constrictus grauissimè magna mole lapidum, intus redire vel foras exire nullo modo potuit tunc contristatus, eorum qui incaptione detinebant vesaniam timens ne ab ipsis taliter inueniretur, toto cordis affectu cum lacrymarum copia dicti Præsulis misericordiam exorauit; cujus interuentu euasit periculum, quia penitus inde liberè se substraxit; & accedens ad portam turris eam inuenit obseratam cum duobus repagulis, quæ dum retro pelleret, exaudiuit sonitum speculator supra turrim euigilans, & captum liberari voce magnâ excitando viros qui manebant in illo oppido reclamauit. Ille vero prædictam portam transiens, duas alias reperit clausas firmiter catenis ferreis, quas nodis ferreis expeditas apertuit facillimè glorioſi Pontificis præuiâ protectione, his itáque peractis passu velocissimo properauit ad sepulchrum ejusdem Pontificis, & cum ibi reperto populo laudes retulit multimodas saluatori & liberatori suo.

De Canonico Valentinensi sanato. Inter cætera istud excellentissimum præterire nolumus, quòd quidam Sacerdos & Canonicus Valentinensis Ecclesiæ multo tempore languens jacuerat, quasi de salute suâ desperans penitus, quia sibi per foramen rupturæ intestinorum massa exibat non modica; necnon alterâ ægritudine quæ morbus Masclæ dicitur vulgariter nimis grauiter laborabat. Interim cùm quidam vir bonæ opinionis eum visitaret, & de dictis ægritudinibus loquerentur ad inuicem ægrotanti notificauit prędicti Stephani miracula quibus Dei bonitas, vnicuique reddens juxta sua opera, volebat suum dignum præsulem exaltari. Ipse vero languidus sperans affectum suum ad effectum duci posse precibus ejusdem Stephani, diu noctúque vigilando & dormiendo videlicet, vt ejusdem habemus testimonia, affectuosâ prece & lacrymis ejusdem Præsulis clementiam suplicabat. Quadam autem nocte apparuit ei præfatus Stephanus, & dum interrogaret eum quid sibi vellet fieri, sanitatem sibi dari petiit, qui à somno excitatus ab vtroque morbo nominato superius se sentiit liberatum. Adhuc autem stupefactus nimis

mis præ gaudio reuelauit illis qui illius aſſiſtebant ſeruitio, quæ ſibi contigerant, qui admoto lumine rei veritatem provt ipſe dixerat repererunt.

De muliere cæca illuminata. Erat vero quædam mulier apud caſtrum de Auguſta nomine Eſchengar, cui oculus lippidine penitus cõſumptus fuerat, & ex altero fuerat eâdem ægretudine cœca facta. Hęc quidem audiens virtutum teſtimonia quas Dominus per prefatum Stephanum faciebat, ad eius ſepulchrum ſe fecit duci ductoris auxilio, vbi viſum recepit in ægrotanti oculo, ita quòd abſque ductoris ſui beneficio rediit in domum ſuam.

De muliere clauda. Poſtea quędam mulier de Vacino Ruffa nomine quę per trium annorum, trium menſium, & 15. dierum greſſum perdiderat, vt audiuit miraculâ quę in honore eiuſdem præſulis Stephani operabatur diuina pietas, mente deuotiſſimâ eiuſdem viri implorauit auxilium, atque continuò ſanitate reddita membris in omnibus, ſepulchrum eiuſdem propriis pedibus viſitauit.

De filia fiſtulata curata. Filia etiam iam dictę mulieris filij, cui vertex capitis vitiatus fuerat multis fiſtulæ foraminibus, vt eam pater & mater vouerũt Stephano prædicto, ſtatim cæpit curari à ſanie fiſtulæ; nec in ea infra quatuor dierum ſpatium niſi cicatrix potuit apparere.

De muliere à morbo caduco curata. Quædam vero mulier de villa Mencij, quæ caduco morbo affligebatur grauiſſimè, audiem famam miraculorum eiuſdem Stephani, Dei clementiam, & illius pontificis toto mentis affectu opem inuocauit deuotiſſimè, & ab illo morbo horribili ſe ſentiuit deinceps liberatam.

De muliere clauda. Item alia mulier de caſtro d'Aix ſexagnita vel plurium annorũ, audiens dictũ Stephanũ tantis inſigniri miraculis ad ejus ſepulchrũ deferri voluit, vbi immenſâ Dei bonitate greſſum quẽ perdiderat recuperauit.

De puero claudo. Quidam etiam puer de eodem caſtro per duos annos non vſus pedum beneficio, quàm citò ab amicis ſuis præſentatus fuit præfati Stephanus tumulo, greſſus ei redditus eſt Dei miſericordiâ operante.

De muliere meſtruoſa. Cúmque audiſſet quędam mulier de Dia quę G. vocabatur gloriam eiuſdem Stephani tantis coneſcare miraculis, perueniens ad eius ſepulchrum, oratione quantumcumque potuit ſuplicauit vt à fluxu menſtruo quo non modicè fuerat fatigata per quatuor menſes diebus quatuor exceptis eam liberaret, illâ vero in oratione perſeuerante vt ampliaretur honor dicti Stephani ſic operari dignata eſt potentia diuini numinis, ſicut dicta pervulgauit mulier, quòd ibi ſanitatis receperit beneficium.

De muliere Vorapij ſanata. Item alia mulier de caſtro quod dicitur Vorapium cui iunctura dextri brachij ſeiuncta fuerat per quinquennium, dum moraretur ſubter ſepulchrum epiſcopi venerabilis, conſecuta eſt coniuncta compagine ſoſpitatem.

De quodam ciue Dienſi ſanato. Accidit autem quòd quemdem ciuem Dienſem P. nomine punxit ſpina in genu, cui tam femur quam tibia ſà pes adeo tumuerunt, quòd greſſus officium omnino perdidit, nec vllo modo trahere potuit ad ſe pedem. Hic verò medicinę beneficio de ſalute ſuâ deſperans penitus, voto promiſſo implorauit ſummo mentis affectu pietatem eiuſdem Epiſcopi, & eum Dei miſeratio, ſublimando merita ſui ſerui, recuperare conceſſit denuo ſanitatem.

De muliere Romearij sanata. Postmodum verò diebus paucis prætereuntibus, mulier quædam de valle Romearij, quæ in tantum afflicta fuerat Emprotortono, quòd nullatenus dextrorsum, siniſtrosum, nec ad cœlum poterat respicere, peruenit ad sepulchrum venerabilis Stephani, atque & inquantum potuit gratiarum actiones obtulit, quia ceruicis libetationem eo interueniente se cognouit à Deo recepisse.

De muliere Barrij cæca. Alia autem fœmina de castro quod Barri appellatur, perducta ad sepulchrum ejusdem Stephani, quæ diu oculorum permansit orbata lumine, recessit gratulans & Deo grates peragens, qui in honore dicti Stephani Episcopi sibi de lumine perdito dignatus est prouidere.

De homine de Chayssilhana sanato. Procedenti vero tempore vir quidam de Chayssilhana nomine Iuuenis, allatus ad sanctam Dei genitricis Ecclesiam vbi requiescit corpus ejusdem Stephani Episcopi, quamvis tanta fuerit occupatus ægritudine quòd de salute ejus sui penitus desperarent, & ipsum crederent extremum anhelitum respirare. Cùm ipse in tanto periculo vitæ suæ positus ab amicis suis inuitaretur, vt panem quem dictus Stephanus benedixerat ad salutem animæ suæ reciperet, acceptâ loquelâ quam perdiderat panem illum benedictum præberi sibi petiit, asserens circumstantibus quòd in prædicto mortis articulo, mente saltem quâ poterat, præfato Stephano se oblaturum ceream imaginem promiserat, & quòd ex illâ horâ cœperat conualescere meritis ejusdem Stephani intercedentibus.

De filia Bellimontis sanata. Contigit autem vt filia cujusdam hominis de Bellomonte ad sepulchrum venit prædicti Pontificis, cui moram ibidem facienti aliquantulam, beneficium dextri brachij, quo à natiuitate suâ impotens extiterat, concessit ineffabilis Dei misericordia volens decus, & gloriam sui antistitis sublimari.

De muliere Cristæ surda. Erat siquidem mulier quædam apud Cristæ oppidum surda existens per septennium, deducta ab amicis suis ad sepulchrum prædictum, dum ibi ingemiscens, & lacrymans supplicaret Reuerendissimo Episcopo, sibi diuinæ opitulationis graria auditum aurium patefecit.

De filio resuscitato. Quadam autem die accidit quòd quidam homo de Vercorsio Guesonis nomine, defuncto patre suo perrexit cum vxore suâ ad sepulturæ patris sui obsequium, filium suum domi jacentem in lectulo sanum & incolumen relinquentes, & cùm redirent cum propinquis suis plurimis. Semianimem inuenerunt non cognoscentes in eo aliquod vitæ signum, mater vero mœstissima lugens & dolens inconsolabiliter de morte filij sui, summâ deuotione inuocauit misericordiam prænominati Stephani proferendo verba hujusmodi cum profundo gemitu, & imbre maximo lacrymarum. Domine Beate Stephane in cujus nomine tot & tanta miracula nuper audiui fieri, tuam sanctam & glorioſam benignitatem deprecor per gloriam quam adeptus es cœlestis patriç, vt succurrere digneris mihi miseræ, quatenus intercessione tuâ virtus Domini nostri Iesu Christi tua dilatando miracula filium meum mortuum vitæ reddat. His dictis spiritus in corpore est reuersus.

De alio filio resuscitato. Quædam autem mulier de castro quod Rimont nuncupatur die quâdam ierat spatiatum, & reuersa suum filium conuerso

Digitized by Google

conuerso lectulo reperit suffocatum, introductis in domum suam aliquibus de vicinis quod sibi acciderat indicauit: recordata de virtute venerabilis Episcopi Stephani, quamvis dolore ac timore foret turbata & anxia, ejus auxilium implorauit; & dispositione diuina puer qui suffocatus fuerat cœpit flere & deinceps melius habere.

De filio qui ruit de arbore. Præterea filius Pontij Ferrandi de Podio grosso arborem quandam altissimam ascenderat, qui ruens in terram cecidit & per quatuor dies & quatuor noctes loqui non potuit, cibum non accepit, oculos non aperuit; vnde ejus amici de vita ipsius desperantes: mater ipsius spem habens in misericordia prædicti Stephani, cujus miraculorum famam audierat, votum promisit pro filio, & corde contrito atque lacrymarum abundantiâ implorauit eam, & continuo patiens aperuit oculos, & cibum petiit; cui Dei virtute intercedente seruo suo Stephano plenæ sanitatis gratia demum concessa fuit.

De alio ejusdem loci. Quidam etiam homo Gerardus Theodictus, manuum suarum effectus impotens, ejusdem episcopi fauore humiliter deposcito, sanitatis beneficium accepit.

De muliere cæca. Cumque rumor tantorum miraculorum multas pro pulsaret prouincias, mulier quædam de Alexandria Italiæ ciuitate, ductoris administratione mouit se ab hospitio, peregrinando ad sepulchrum præfati antistitis proficiscens, quæ per triennium duos menses & tres hebdomadas luce oculorum orbata extiterat, etiam manu retorta dextri brachij impotens, quod sibi culpâ propriâ exigente credimus euenisse, nam cum nocte vigiliæ assumptionis Dei genitricis vestes cujusdam furaretur, qui die crastinâ miles de nouo debebat fieri cum duabus sociabus, passa est primitus pœnam superiùs memoratam. Completo vero vnius diei itinere, piissimus ac mitissimus Dominus, vt credendum est precibus fuit placatus antistitis sui, quia mulieri restituta est oculorum acies & brachij valetudo.

De filia resuscitata. Postmodum vero euenit apud oppidum de Gressa, quòd mulier quædam filiam suam jacentem in cunabulo domi sospitem reliquerat, & rediens cucurrit ad ipsam, vt ab ea risus assumeret & gaudia, quam tangens manibus frigidam reperit, cognoscens filiam suam propter maleficium intorsionis fascici circa collum inuolutæ animâ exhalasse, quare prorumpens in lacrymas vestes scindens, atque capillos distrahens, Dei misericordiam & supradicti Episcopi Stephani implorauit intercessionem, & subito Dei beneplacito viuificatum est corpus paruulæ superius memoratæ.

De muliere impotente. Fuit autem altera mulier apud castrum Montis-veneris, quæ cum per septennium extitisset vt nullam partem sui corporis posset regere à pectore inferiùs, repetito ab ipsa ejusdem Præsulis adjutorio oratione deuotâ, & supplici sanitatem consecuta est.

De Priore S. Ioannis Gutozo. Non multo interuallo prætereunte temporis, Prior S. Ioannis de Royans Gontardus appellatus, qui per annum & tres menses guttâ constrictus, vsu gressus perdito allatus est ad tumulum reuerendi Episcopi juxta quem cum cura ministrorum studuit collocari: vbi in oratione deuotè vigilans & preces summo creatori, atque suo Confessori proferens assiduè, diuina pietas secum egit misericorditer, & pedum officium sibi restituit, & opem contulit sanitatis.

De Sacerdote de rupe lapſo. Sacerdos autem erat in Triuiarum partibus, habitator caſtri quod nuncupatur Auignonet, qui rupe lapſus altiſſimâ, læsâ compage neruorum & femoris per annum, amiſerat greſſus vſum. Cum audiſſet ad tumulum jam dicti Epiſcopi multos ſanari languidos, de conferenda ſibi ſanitate ſperans, ad eum jumenti verticulo feſtinauit, vbi in oratione ſuppliciter pernoctauit. Die vera craſtinâ veniente, peracto ſuæ peregrinationis officio; cum domum ſuam redire præparaſſet & ab vrbe receſſiſſet, itinere vnius milliarij, femoris ſui neruos coarctatos laxari, atque ſanari ſentiens, deſcendens per ſe tantummodo (qui prius non poterat) à jumento ſupra quod ſedebat, ſociis qui aderant quæ ſibi deuenerant demonſtrauit, & feſtino veſtigio laudes offerens quas poterat liberatori ſuo Stephano, pede ejus tumulum viſitauit.

De homine Criſtæ impotente. Alteri etiam homini dicto Humberto Sauuerio de Criſta, allato ad ſepulchrum reuerendi Epiſcopi, qui valetudinem & regimen perdiderat, ſiniſtri brachij & pedis Deo, imploranti fauorem ſui Epiſcopi gratia præſtita eſt ſanitatis.

De duobus viris captis. Diebus autem interim non multis ſuccedentibus venerunt duo viri, quorum vnus ciuis Dienſis, & alter erat habitator in partibus Triuiarum compedes in quibus capti ſteterant præfato Epiſcopo Stephano ſuę liberationis titulum offerentes; affirmantes quod miſeratione ejus catenâ ferreâ ab eis fractâ quam ſecum deferebant, ab illo oppido in quo capti fuerant horâ diei quaſi mediâ exiuerant & ſic crudelitatem euaſerant tyrannorum.

De homine de Tribus-cliuis ſanato. Inter hæc vir quidam de caſtro quod appellatur Treſcleux, peregrinus venit ad tumulum jam dicti Epiſcopi qui viginti annorum ſpatio greſſu frui non poterat, niſi ſuſtentando artus baculi adminiculo, cui creator omnium reuelans ſuum præſulem digniſſimum, reddidit ipsâ horâ quâ venit antiquam gradiendi potentiam.

De paruo Caducato. Quodam autem opido ſito in deſerto vocato Montanegre, infans qui quartum menſem ætatis ſuæ implere poterat, morbo caduco ſingulis diebus affligebatur pluries, tam miſerabiliter, vt ad fletum omnes moueret, quia prædicti morbi cruciatu nigrefactus huc & illuc torquere cogebatur membra trementia, & os ejus multas ſpumæ abundantia profluebat. Mater vero dolore incomparabili mota ſuper filio, puro corde magno lacrymarum impetu miſerationem ſupradicti Epiſcopi flagitauit, & deinceps recepit incolumem filium ſuum.

De homine ſquinantiam patiente. Accreſcente vero copiâ virtutum ejuſdem Stephani, cuidam viro de Montanis loco dicto Autrans, guttur & lingua tumuerunt adeò, vt oris concauitas linguam præ tumore nimio non poſſet recipere per dies quatuor, & ad mittendum oris anhelitum vix poſſet ſufficere, nec æger ipſe cibum recipere, ſiue potum. Tunc aſſiſtentes amici profuſis lachrimis ſuffragium popoſcerunt voce magna Reuerendi Epiſcopi, ad quam vocem annuere nutu quo poterat videbatur. Voto vero pro ægroto à prædictis facto eidem Epiſcopo, ſtatim à tantâ ægritudinis occupatione æger eſt Dei miſericordia liberatus.

De homine Maniaco. Poſt hæc autem adductus eſt ad ſepulchrum ejuſdem Epiſcopi, homo quidam de ciuitate Viēnæ, paſſione maniaca laborans,

manibus

manibus propter nimietatem insaniæ ferreis manipulis inuolutis. Inæstimabilis vero prouidentia tanto signo reuelari voluit sanctitatem sui digni præsulis, quòd ab insania hominem illum liberauit, qui in honore libertatis suæ quantascumque laudes potuit obtulit, & catenam.

De homine ictu lapidis interfecto. Consequenter accidit vt miles quidam de Monte-lugduno Bernardus nomine cum pluribus perrexit ad bellandum quoddam Noui-castri ędificium. Quod cùm multo bello affligerēt, quidam ex eis Durandus nomine ictu lapidis adueniente in parte postremâ capitis cecidit interfectus. Hunc tollentes socij qui aderant credentes ipsum emisisse spiritum quia signa mortis apparebant in membris ejus omnibus, sudarium & locum vbi corpus reconderetur parauerunt. Interim vero miles jam dictus, cujus mandato illuc aduenerat, præcepit vt perspicerent si in eo aliquod signum reperiretur, & nullum nisi caloris aliquantulum perpenderunt. Cujus infortunij ad aures vxoris defuncti fama perueniēte, lugubris & anxia illuc properauit passu velocissimo, & dum inuocaret voce magna opem venerabilis Episcopi Stephani, viso corpore semianimi, protinus ipse oculos aperuit, & mente solâ spem vitæ suæ ponens in miseratione tanti præsulis, quâ ereptus est à morte ad ejus sepulchrum sudarium funeri suo ante prępparatum appendit.

De viro tumore capitis oppresso. Peruenit autem postea vir quidam de Tresclux ad tumulum dicti Episcopi, qui propter nimium tumorem capitis per dies quinque in extremis laborare credebatur. Spe sanitatis penitus amissâ, quia cibi vel potus, seu alterius cujuslibet beneficium nullatenus capiebat. Mater vero ipsius flebilis, atque mœstissima magnitudinem pietatis prędicti Stephani pro salute sui nati poposcit affectuosis præcibus, & subito euanescente tumore capitis ægrotanti sanitas est concessa.

De homine Cæco. Audiens quidam homo de Moyerant tot languidos sanati intercessione præfati Stephani ad eius sepulchrum ductoris venia auxilio, vbi ipsi Dei clementia voluit lumen amissum restitui oculorum.

De Puella sanata. Euenit quidem apud villam de Romanis quod quædam puella quę per septennium gressum perdiderat, implorato ab ipsa & à suis parentibus prędicti antistitis auxilio pedum beneficium est adepta.

De muliere muta. Iterum dum vigeret tot ac tantorum fama miraculorum venerabilis Stephani in pluribus orbis partibus, & turba plurima peregrinantium ad ejus sepulchrum visitandum accederet, mulier de castro quod dicitur Moubluens in Archiepiscopatu Lugdunensi, quę per annum muta extiterat peregrinauerit, & dum pietati illius ingemiscere diuina prouidentia merita sui prędicti nolens latere sub modio, elucere supra candelabrum, linguâ patientis dissolutâ pristinum ipsius vsum reparauit.

De muliere Chiragra. Venit etiam mulier ab oppido de Cremieu, quæ chiragram diu pariebatur manibus ita quòd non posset aliquid agere, ad sepulchrum pronominati Episcopi properans, ibidem ejus meritis plenariam consequuta est sanitatem.

De puero sanato. Quidam puer de Bagnols, qui à matris vtero per septem annos laborauerat, cùm pater suus multo gemitu, & lacrymis opem Episcopi antedicti postulasset, desperans de medicorum remediis, sequenti die perfectè à Summo medicorum medico est sanatus.

De duobus reſuſcitans. Venerunt etiam duo viri vnus de Liuron, & alter du Buis vno die ſua deferentes ſudaria, qui ſe vitâ priuatos fuiſſe penitus aſſerebant: cùm autem vxores eorum & amici multis lacrymarum imbribus ejuſdem Stephani poſtularent auxilium, vitam & ſanitatem pariter receperunt. Iſtis autem præſtabat ſuper his teſtimonium multitudo maxima ſociorum.

De nepte ipſius Epiſcopi Stephani. Quædam nobilis neptis dicti Stephani Epiſcopi, audiens ſui auunculi miraculorum inſignia ad ejus tumbam veniens multas fudit lacrymas atque preces, vt diuina pietas ſibi præſenti tantorum miraculorum oſtenderet aliquod. Accidit vt juuenis quidam de Argenteria, qui per tres annos omnium fere membrorum deſtitutus fuerat officio, ſedens ſuper aſinum ad januam venit Dienſis Eccleſiæ, ibique ſubmiſſus à ſociis de aſino dum adhuc dicta nobilis perſeuerabat in orationibus, confidens ipſe qui antea ſe ſuſtentare ſine ſociorum manibus non poterat, ad ſepulchrum Pontificis abſque omni ſuſtentaculo ſolo diuino fultus auxilio mirificè properauit; & inde lætus & incolumis gratias agens Domino ad propria pedes rediit.

De homine inſano. Quidam homo du Buis graui raptus inſaniâ à fratre vinctus ad ſepulchrum ejuſdem Epiſcopi adductus eſt, vbi per hebdomadam moram faciens ad honorem ipſius Stephani, diuino munere ſanus & alacer ad propria remeauit.

De alio inſano. Alius de eodem loco cùm diu teneretur binis junctis compedibus, inuocato Dei genitricis, & ipſius Stephani auxilio, liber ad ſepulchrum compedes attulit, grates multimodas referendo.

De puero reſuſcitato. Puer de oppido quod dicitur Mirabel in Diœceſi Vaſionenſi cecidit in alueum, vnde extractus rigidus, & à videntibus mortuus æſtimatus, ad honorem venerabilis Stephani Epiſcopi, cujus ſanctitas & beneficium pariter inuocabatur humiliter, & deuotè, diuinâ pietate patri ſanus reducitur: quem Pater de eo laudes proferens ad ſepulchrum ſui Præſulis præſentauit.

De milite cæſo. Quidam miles de Vaubouneys, dum ruſticum quemdam pro retento cenſu pignoraret, & ſuum bouem duceret, ruſticus ipſe ventrem, & dorſum militis lancea perforauit; nec iis contentus ad mortem cum cultello eum vulnerauit, quem vxor ejus, & amici æſtimantes mortuum, inuocato Stephani Epiſcopi auxilio ſanum per paululum receperunt.

De paralitico. Quidam homo de Ciſteron totius lateris dextri motum amiſerat per dimidij anni ſpatium & loquelam pariter & auditum paralyſi percuſſus, cùm ejus vxor præclara miracula dicti Stephani audiſſet, & virum ſuum ipſius ſepulchrum viſitaturum cum multis lactymis promiſiſſet, ipſo die auditum recepit ac loquelam, & poſt paucos dies à ſummo medico curatus ſepulchrum Præſulis viſitauit.

De pedibus non incedente. Alius de oppido quod dicitur Mirabellum Viuarienſis Diœceſis per ſex annos, & dimidium deſtitutus tibiarum beneficio, per ſeptem dies effundens preces & lacrymas ante ſepulchrum præfati Pontificis, diuini doni munere ſanus effectus, erectis tibiis quas per dictum tempus poſt ſe traxerat, relictis croſſulis ad propria reuerſus eſt.

De

De capto à latronibus. Cùm quidam Paſtor ouium de oppido quod dicitur Monclar, ibi ſuas & alienas cuſtodiret ouiculas à latronibus captus eſt, & per plurimum temptus conſtrictus inſtrumentis ligneis quæ ſepes vocantur in quodam oppido Valentinenſi, & ibi diutius maceratus prædicti Pontificis meritis relaxatis ſepibus, cum gratiarum actione ad ſepulchrum ipſius ſeipſum cum cerea imagine cereúmque lumen tenens in manibus præſentauit.

De puero reſuſcitato. Puer de oppido quod dicitur Sauſet in alueum, & aquarum impetu ductus longiſſimè inter frureta mortuus inuentus eſt, cujus parentes cum multis lacrymarum imbribus reuerendi Epiſcopi poſtularent auxilium, ipſum puerum poſt pauca ſanum & incolumem receperunt.

De captiuo liberato. Cùm quidam de Aſperis à raptoribus captus, apud Poyols teneretur ſub tinâ maximâ quam dicti prædones magno lapidum aceruo accumulauerant, inuocato Domino & dicti Stephani auxilio, ad ſepulchrum ejus gloriam & laudem referens, prædictam tinam ab ipſo Stephano eleuatam aſſerebat.

De ſubdiacono paralytico. Quidam Subdiaconus de Turnone ad tantum per annum & dimidium morbo paralytico laborauerat, vt dextro latere omnino erat deſtitutus membrorum officio, nec vlla ei proficere potuerat medicina. Cùm autem oratione & genitu per merita ejuſdem Stephani Epiſcopi diuinum poſtulaſſet auxilium, quaſi incontinenti ſe alleuiari ſentiens, non poſt multum temporis ſe ab omnium medico curatum agnouit.

De duobus captis à latronibus. Duo homines du Genevray ad ſepulchrum Pontificis venientes, inciderunt in manus latronum qui ipſos capientes adduxerunt in oppidum vocatum Bruchet, & ibi torti diutiùs multas fundebant preces ad Dominum, vt prædicti Pontificis meritis ad quem iter direxerant ab atroce manu hoſtium eos liberaret. Diuina verò pietas ſoluit eos à vinculis, & vbi nunquam via antiquitus patuit per rupem arduam eis bonam viam præſtitit atque ſecuram.

De muliere reſuſcitata. Homo quidam de Monte majori vxorem habens grauiſſima afflictam infirmitate, quæ vt vir ejus jurauit poſtmodum in Dienſi Eccleſia ſpiritum exalauit. Ad preces vero & lacrymas dicti viri diuina reſpiciens miſericordia jam dicti Stephani meritis, vitam ei reddidit & ſanitatem.

De Clerico Dienſi ſanato. Albertus Clericus Dienſis infirmitate grauiſſima à multo languebat tempore, ad ſepulchrum Pontificis accedens profuſis largè lachrymis preces obtulit, vt aut ab hoc eriperet ſæculo, aut à prænotata infirmitate liberaret: promittens viſitaturum ſe terram ſanctam Domini, ſi ſibi ſanitatem indulgeat. Peractâ autem vigiliâ ſomno plurimo aggrauatus ad thorum rediit, & quietè dormiens ſe mane ſanum reperitatque lætum.

De filio fiſtulato. Quidam homo de mandamento du Buys vnicum habebat filium, cui fiſtula fere totam tibiam cum oſſe occupabat & implorato medicorum auxilio maxima parte oſſis ejectâ à tibiâ, dixerunt puerum curari non poſſe modo aliquo, niſi incideretur per totum totâ tibiâ fiſtulatâ. Quo audito pater deflens, & vlulans dixit eum malle mori quam tibiam reſecari.

ſecari. Incontinenti verò reducens ad memoriam miracula prædicti Stephani, ipſum Epiſcopum magno fletu, atque ſuſpirio ad pueri reclamauit adjutorium, promittendo ſe ceræ tibiam oblaturum, & ſex denarios cenſuales ſemper præſtiturum. Poſt paucos vero dies filio ſano, atque incolumi cum multis gratiarum actionibus ſepulchrum Pontificis aſſiſtens pater viſitauit.

De domicello capto. Quidam domicellus de Cobona rediens de Cabeolo dum tranſiret per burgum Montis-veneris prope portam captus fuit cum quinque ſociis à quodam peſſimo qui Petrus de Varo vocabatur; & vltra Rhodanum perductus, à mane vſque ad nonam in quadam ſpelunca latuit, ſerò verò tribus dimiſſis cum duobus cęteris ad locum vbi cœperat reuerſus eſt, cumque ligatis tribus ipſos teneret in nemore, inuocato Stephani Epiſcopi auxilio laxatis miraculosè funibus inuitis cuſtodibus euaſerunt.

De puero reſuſcitato. Accidit etiam vt in caſtro quod dicitur Charpey duo inter ſe iurgia mouerent, & iunior cultello percuſſus eſt à maiore, ita quòd iuxta guttur collum perforauit. Nec his contentus iteratò cum ipſo gladio, ex parte aliâ collum & gulam penetrauit; omnis autem vicinitas ipſum habens pro mortuo, nec in eo vllum ſentiens anhelitum, mater ipſius ad merita Pontificis confugiens, inuocato ejus auxilio puerum vidit paulò pòſt aperientem oculos, qui deinceps paucis diebus ſanus factus eſt.

De puella ſanata. Quædam puella de Viſilia quæ per duos annos & dimidium greſſum perdiderat, allata ad tumulum Stephani Epiſcopi ibidem Dei beneplacito antiquo gradui fuit reſtituta.

De duobus paſtoribus captis. Duo verò paſtores ciuitatis Dienſis capti à latronibus, & ad Balmam nigram deducti & retenti, quamvis fortibus & difficilibus ligati forent compedibus latronibus ipſis præſentibus, & dormientibus interuentione ſuffulti Stephani Epiſcopi captionem cum eorum compedibus euaſerunt.

De cæco illuminato. Inter peregrinos venit vnus de Lombardia, qui quinquennio lumine oculorum caruerat, & cum in oratione moraretur ſubtus ſepulchrum præfati Epiſcopi, & miſſa matutinalis celebraretur interceſſione ejuſdem Epiſcopi gratulatus eſt coram omni populo viſum recepiſſe.

De muliere ſanata. Nec eſt prætermittendum quod cum dictus Epiſcopus languore non modico ægrotaret, mulier quædam Bertranda nomine graui, & diuturnâ capitis infirmitate oppreſsa acceſſit cum lacrymis ad ipſum, humillimè ſupplicans vt caput ejus manibus ſuis tangere dignaretur: quod vt tetigit diuina pietas virtuti Pontificis adjiciens mulierem ſanam effecit.

De conuerſo Durbone infirmo. Iſtud verò miraculum non eſt tacendum quòd cùm dictus Stephanus eſſet in monaſterio Durbonis Cartuſienſis ordinis, & ibi conuerſus ejuſdem monaſterij homo timens Deum, & magnæ religionis graui laboraret infirmitate, accedens ad eum Stephanus dixit ei: frater crede quod ex hâc infirmitate migrabis ad Dominum, vnde rogo te vt pro me Dominum depreceris, quòd ſi ego in Epiſcopatu ipſo Dienſi animæ meæ periculum incurſurus ſum, & æternum præmium amiſſurus, vt me non permittat in ipſo Epiſcopatu diu manere, poſtmodum deceſſit conuerſus; & dictus Epiſcopus cœpit eodem die infirmari & infra duodecim dies ſuum vltimum clauſit in Domino.

Sunt

Sunt & alia plura miracula, quibus apud fideles ſuos diuina clementia dictum mirificauit Epiſcopum & eundem adhuc mirificare non deſinit, ſerui ſui merita ſignorum euidentiâ multipliciter commendando. Illud etiam ſanctitatem veſtram Pater Sanctiſſime latêre nolumus, quòd Bertrandus Dienſis Epiſcopus, & alij Dienſis Eccleſiæ canonici, nobis in verbo veritatis & animarum ſuarum periculo, tam ſuper ſacramento quo iis laborantes ſe aſſeruerunt dicti Epiſcopi meritis diuerſa fuiſſe remedia præſtita conſecutos, quàm aliis quæ ſunt ſuperiùs recenſita proteſtati ſunt prædicta omnia, vt dicta ſunt ſuperiùs ſe habere. Nos vero dictis ipſorum, & famæ publicæ fidem plenariam adhibentes, præſentem chartam noſtrorum roborauimus præſentiâ ſigillorum, rogantes & à Sanctitate veſtra Pater Sanctiſſime poſtulantes humillimè, vt præſenti conſilium negotio, & auxilium curetis apponere ſalutare: ne pretioſa Domini margarita in Eccleſiâ Dei lateat tanquam ignobilis & ignota, & ne tanti lucerna luminis abſcondatur ſub modio, ſed potiùs gregem Dominicum in viam vitæ dirigat, & ad hæreditatis perducat præmium ſempiternum. datum Viennæ tertio Nonas Maij, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo.

✠ Ioannes Viennenſis Archiepiſcopus.
✠ G. Valentinenſis.
✠ B. Dienſis.
✠ G. Gratiânopolitanus.
✠ B. Viuarienſis.
✠ Gebennenſis.
✠ A. Mauritanenſis.

Hìc pro anno 1231. ſcriptus eſt annus 1261. vt ex nominibus ſummi Pontificis & epiſcoporum Valentini, Dienſis, Gratianopolitani atque Viuarienſis intelligere eſt. Nam anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, ſedebant 3. Nonas Maij.

Alexander IV. Romæ,
Amedeus de Geneua Diæ,
Philippus de Sabaudia Valentiæ,
Falco Gratianopoli,
Aimo aut Hugo Viuarij.

Quâ ergo veritate feruntur Præſules tum fuiſſe,

G. Valentinus,
B. Dienſis,
G. Gratianopolitanus,
B. Viuarienſis,

Atque anno eo ipſo 1261. 3. Nonas Maias ſcripſiſſe ad Gregorium Pontificem. Igitur cùm Gregorius IX. anno 1231. & 3. Nonas Maij ſederit Romæ.

I. ideſt Ioannes de Burnino Viennæ,
G. ideſt Guilelmus de Sabaudia Valentiæ,
B. id eſt Bertrandus Diæ,

B. ideſt Bernardus aut Bernoinus Viuarij,
A. ideſt Aimarus. Maurianæ.

Et numerus milleſimus ducenteſimus triceſimus primus, differat à numero 1261. ſolo penultimo caractere, dicendus videtur ſcriptoris errore poſitus hic pro illo.

Quid autem Gregorius Pontifex reſponderit Epiſcopis prouinciæ Viennenſis non inuenio. Beatificationem, vt loquimur, conceſſiſſe non dubito; atque id reſpondiſſe arbitrabar, quod nouem ante annis Honorius reſponderat Moliſmenſibus monachis canonizationem Roberti Abbatis poſtulantibus. *Licet nobis quædam miracula, quæ poſt mortem fecit intimaueritis, de his tamen quæ in vita feciſſe dicitur, fidem plenariam non feciſtis. Nos quæſitores de illis damus. Et ne veſtris precibus videamur omnino deeſſe, concedimus vobis, vt eum tanquam ſanctum in ipſius Eccleſia venerantes, ejus apud Deum ſuffragia fideliter imploretis.* Vt ita ſentiam, facit publica ſancti viri veneratio, quæ ante aliquot ſæcula fuit in Eccleſiâ Dienſi, cùm tamen neque ipſe Gregorius, neque alius quis Romanorum Pontificum legatur illum canonizaſſe; & ſingulis ſæculis poſt ejus mortem vſque ad annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum, actum fuerit à Dienſibus, vt ejus canonizatio vrgeretur Romæ. Eo anno Ioannes de Lotharingia Cardinalis, cùm in Valentinum Epiſcopum electus Romam iret, rogatus eſt à Dienſibus agere de ipſius canonizatione; & Gabriel Gay Canonicus Dienſis illi additus eſt, qui à Pontifice eam nomine totius cleri & ciuitatis Diæ poſtularet. An Pontifex Ioanni Cardinali aſſenſus fuerit non inuenio. Ioannes ſe nihil Romæ non tentaturum promiſerat; & fere omnes chartæ Dienſis Eccleſiæ, rerum olim geſtarum memores, datæ ſunt ignibus ab Hugonotis.

VITA AMEDEI ROSSILIONÆI
EPISCOPI VALENTINI
ET DIENSIS PRIMI.

INCIPIT præfatio in ſpectaculum bonæ memoriæ Amedei de Roſſilione quondam Epiſcopi Eccleſiarum Valentinenſis, & Dienſis, athletæ inuictiſſimi Eccleſiarum ſuarum. Illuſtrium virorum geſta magnalia, præclaris titulis, & aliis Epithaphiis ſolent per manus artificis in lapidibus exarari, in virtutum ſpeculum, & in excitatiuum ſpectaculum probitatis; impium enim eſt, & indignum, piarum mentium actus laudabiles, per manus ingratitudinis & negligentiæ, cum puluеribus & oſſibus totaliter ſepelire. Ideoque præclariſſimi viri Amedei de Roſſilione Valentinenſis & Dienſis vnionis primi Epiſcopi, vitam inimitabilem, & actus ſtrenuos, & mortem prouidam, volui pennæ officio in pellem deſcribere; quamquam potiùs deberent in laminibus aureis imprimi ſtylo ferreo, in futurorum ſtimulum, & in ejus memoriam ſempiternam.

Incipit

Digitized by Google

Incipit ſpectaculum, & primo de vitâ clauſtrali. Fuit Amedeus vir nobilis genere, ſed nobilior animi probitate, à primęuâ ſuâ ætate ſufficienter in ſcientiâ eruditus, ſub clauſtrali & regulari diſciplina diligenter nutritus, Sancti Eugendij monachus, qui cùm adhuc eſſet juuenculus claræ indolis, & bene induſtrius factus eſt monachorum pater, & Abbas monaſterij Sauiniatij, in diœceſi Lugdunenſi; ſuâque prouidentia Abbatiam creditorum fœnore aggrauatam quàm plurimùm releuauit, bonaque monaſterij prædeceſſorum ſuorum incuriâ à longęuis diſtracta temporibus, ſollicitè, & efficaciter requiſiuit, & requiſita obtinuit cum effectu; & vt in poſterum poſſint bona monaſterij à ſuis ſucceſſoribus tutiùs ac meliùs defenſari caſtrum quod dicitur Chaiſſen de nouo edificauit, & fundum emit, & feudum Deliui in mandamentum prædicti caſtri acquiſiuit, item fortalitium de Vindrali à domino Belli-loci diu antè vſurpatum, in ſudore & labore multo cauſam proſequens in curiâ Regis Francorum, finaliter obtinuit, & ſuę fecit reſtitui abbatię. Item prioratum clauſtralem luſtriati in Epiſcopio Lauſanenſi, per illius loci priores ſchiſmaticos diu antè abbatiæ ſubtractum, ad obedientiam venire coëgit, & caſtrum de Montaneu à Lauſanenſi Epiſcopo diu antè vſurpatum dicto prioratui reſtitui fecit. Item vagabunda & externa monachorum ſolatia ad clauſtralem & intrinſecam reduxit honeſtatem; diſperſos & ſegregatos per cameras monachos ad vnitatem refectorij, religionis zelo ſtudioſiùs reuocauit, & de communi: ſicque monaſterium ſuum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus prudentiſſimè reformauit.

De Promotione ejus in Epiſcopum Valentiæ, & vita ejus in ſtatu Prælationis. Per idem tempus anno incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Dominus Guido de Montelauro ſanctæ memoriæ, electus Valentię, apud Bellicaſtrum à Gregorio decimo confirmatus, adhuc exiſtens in curiâ apud Taraſconem migrauit ad Dominum, cui Papa Gregorius ſubſtituere voluit Abbatem Amedeum virum approbatum, & de eo præ cunctis mortalibus Valentinenſi Eccleſię prouidere: cui reluctanti cum lacrimis ſanctis, Papa dixit, noli timere, per te ſpoliata Eccleſia Valentina reſtituetur. Et hoc dictum fuiſſe in ſpiritu prophetię, per rei aduentum clariùs eluceſcit. Qui ſacratus eſt apud Viennam à prędicto Papa, qui ei injunxit primo Tyrannum inuadere in brachio Eccleſiæ, deinde juſſit contra obſtinatum arma ſumere, & in clauâ Gregorij ſexti clauum retundere inimici. Factus Epiſcopus, in ſpeculâ prælationis dignitatis, noluit alta ſapere, ſed humiliter conſentire; Epulationes, diuitias, veſtes pretioſas & multiplices, & ejus menſam deteſtans ſplendidam, in vili habitu, & menſâ tenui, & cibo ruſtico, & longâ abſtinentiâ vitam monaſticam conſeruauit. Ioculatorum, & hiſtrionum, & omnium ludorum vana ſolatia, aues & canes venatores, caudam famulorum inutilem, & omnem pompoſitatem abſe abjiciens, in parcitate vixit mirabili, & omnem voluptatem ſuo corpori denegauit, feras ſiluarum & aues aëris in pace relinquens, de eorum lupinis faucibus prędam eruere, & prędones de ſuis terminis expellere totis viribus paſtor egregius conabatur, contra hoſtes Eccleſiæ ducens exercitũ, non ſub territoriis vel papilionibus cũ aliis magnatibus, ſed in tabernaculis ſub ramis arborum cũ popularibus;

niuis & grandinis, glaciei & pluuiæ incõmoditates, & aëris intemperiem patienter ſuſtinens ; corpus ſuum feſſum & laſſum ſæpiſſimè ſuper terram, ſolis ſuper ſtratis pale is reclinabat ; ſicque clientes ſuos & cõmilitones præ labore confractos, animo & exemplo ſuo ad longanimitatẽ & tolerantiam prouocabat. Nazareus noſter rarò raſuram faciẽs inter comptos & compoſitos milites & clericos, incompto crine & barbâ prolixâ, velut alter Maurus ab eremo progrediẽs, hiſpidus apparebat, in proſperis non elatus, in aduerſis indeficiens, ad hæc & ad illa æquanimiter ſe habebat, in propriis expenſis parciſſimus, in donariis largiſſimus, parum, vel nihil ſibi retinens, prouentus & reditus ſuos & quæcumque habere poterat, condignis & bene meritis largiſſuè tribuens diuidebat, poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris, fecitque mirabilia in vita ſua, in ſolitudinibus, in anguſtiis, & multis laboribus vitam & corpus ſuum infra vnam annorum ſeptimanam conſumpſit penitus : inter quod in eo finaliter non ramanſit ſpecies neque decus, ſed vidimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & habentem infirmitatem, & nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deò & humiliatum, & verè languores patriæ ipſe portauit, dolores populi ſui ipſe tulit, cuius liuore pro magna parte ſanati ſumus à plaga Tyrannidis adiacentis. Ex quibus colligitur Amedei felicitates cumulans, quia in his arduis ſupremum paſtorem Chriſtum Dei filium meruit imitari

• *Sequitur de ſtrenuis actibus eius, & primò de iis quæ fecit pro eccleſiis ſuis Valentinenſi & Dienſi.* Anno primo præſulatus ſui, antequam de ſe facta prouiſio eſſet, Valentinis canonicis promulgatæ prouiſioni aſſentiens, ſupplicauit pro adiutorio, & de conſenſu omnium Cardinalium obtinuit à Papa Gregorio X. vnionis priuilegium, pro quo diu ante fuerat ſupplicatum, & illud depoſuit in locis tutiſſimis velut theſaurum pretioſiſſimum reſeruandum. Eodem anno menſe Ianuarij in feſto ſancti Vincentij, venerabilis pater Amedeus de Gebenna Dienſis Epiſcopus, vir pius & pacificus migrauit ad Dominum, & in eius tranſitum adfuit Amedeus de Roſſilione Valentinus Epiſcopus, qui & ſepulturæ exequiis miniſtrauit, vnde accidit illud rarò contingens, quòd filiolus patrem, nepos auunculum, Amedeus Dienſem epiſcopum ſepeliuit, qui ex vi priuilegiatæ vnionis eidem ſuccedens, factus eſt lapis angularis poſitus in caput anguli, vt faceret vtraque vnum ; A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris : ſicque præſul prudens & vigilans, vnionem priuilegiatam abſque vlla contradictione prudenter reduxit ad actum proſperum, & iocundum. Item eccleſiarum ſuarum capitula vniter in vno capite ad ſe inuicem adunauit, & ex vtroque capitulo hinc inde aſſumptis partibus', vnum collegium participationi medium in terræ medio, ſcilicet apud Criſtam inſtituit, vt in eo, & per illud tanquam per cauillam & clauum medium, eccleſiarum vnio indiſſolubiliter & perpetuò ligaretur. Item Caſtrum Criſpiati tutiſſimum ſuis appropriauit eccleſiis, in totius terræ deſerti præſidium, refugium, & recurſum. Item villam Sallientem in tranſitu & in paſſu epiſcopatuum, ſuis alligauit eccleſiis fœdere ſempiterno. Item fauentibus fidelibus ſuis, villam Auguſtæ ingrediens in manu valida, eiuſdem fortalitium munitiſſimum viriliter impugnans per triduum, Deo auxiliante obtinuit, & eos qui în munitione erant, pluſquam ſexaginta bellatores electos in compedibus alligauit. Item Eſpenellum &

Baronum

Baronum obsessit, & erectis machinis arctauit obsessos, coëgit aduersarium pacem petere, & offerre quam acceptauit, vir industrius & sub pacis fœdere de Christa Dei adiutorio in possessionem corporalem positus, secessit à Pontaisio & occupata castra illæsa reddidit, & generalis interdicti sententiâ relaxauit, sicque Valentina Ecclesia per Diensium auxilium restituta ab oppressione tyrannidis, & non aliter respirauit. Ex quo verè concluditur vnionem ecclesiarum indubitanter à diuinâ prouidentiâ processisse. Item super Christę verticem, fortalitium dispositissimum erexit vsque ad summum, sub mirabili temporis breuitate. Item nobilem virum Ademarum Geraldum cum parte sua Montilij, & tota terra alia quam habet circa Rhodanum in dominium ligium acquisiuit & emit, & pretium acquitauit. Item Praciuallum nobilem ciuem cum sua terra Diensi recepit in homagium ligium, & in feudum, item alia feuda Ecclesiæ suæ pervtilia de quibus non est dicendum per singula acquisiuit. Igitur fuit sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, corroborauit templum, & prævaluit ecclesiarum suarum dominium ampliare.

De iis quæ fecit pro Ecclesia Lugdunensi. Quàm audacter & quàm viuaciter, & quoties feroces & potentes inimicos Lugdunensis ecclesiæ inuaserit & viriliter impugnauerit, & cùm fratre suo Lugdunensi Domino se eis obiecerit, causâ breuitatis liceat præterire.

De iis quæ fecit pro Ecclesia Viennensi. Mortuo Domino Guidone de Alunnya Archiepiscopo Viennensi, & administratione recuperatâ, vt erat de iure & consuetudine antiqua, & nobili, priuilegia eiusdem ecclesiæ à manu forti occupata fecit viriliter expediri, & ea posuit sub tuta custodia reseruanda. Item feudum castri sancti Theodori inueteratum pro eadem Ecclesia, cum possessione plenaria renouauit eiusdem. Item canonicorum Ecclesiæ periculosam & intestinam discordiam cupiens dirimere, excedentes & culpabiles de ciuitate exire compulit, & oppressos sub alis protectionis suæ recolligens, villæ & ecclesiæ internam pacem reddidit & quietem.

Quæ fecit pro Viuariensi Ecclesia. Quæstionem tædiosam & querelam longæuam, quam habebat vir nobilis Lambertus dominus Montilij cum Episcopo Viuariensi, pro feudo Castrinoui iuxta montem Pausardi, Amedeus fideliter cum arbitris procedens in negotio, querelam cum vtriusque partis gratia per manum arbitrorum laudabiliter composuit: & de vexatione, & de guerra longissima Viuariensi Ecclesiæ pacem reddidit & quietem.

Quæ fecit pro Ecclesia Romanensi. Ceruicositatem & rebellionem Romanensem cupiens reprimere, in fauorem Ecclesiæ Romanensis, cùm sit Ecclesiæ villa collegiata & vnita in capite, turrem fortissimam de lapidibus quadratis tempore suâ breuitate imperceptibili erexit supra Pontem Isaræ, & eum canonicis Ecclesiæ tradidit muniendum in defensionem innocentium, & in reprehensionem malitiæ peruersorum, sed Romanensibus non obstante fidelitate iurata ab intus repugnantibus & expulsis canonicis, capellanis & clericis omnibus, & per manum Burgundiensem eamdem turrim impugnantibus, Amedeus se opponens pro ecclesia per mensem integrum tempore hiemali, se & sua exposuit, & turrem & pontem contrà te-

nuit & ſubfodit, & in eorum oculis pontem cum turribus deiecit in Iſaram, & per octo dies & totidem noctes in tubis Ioſue villam anathematis circuiens, vſque ad muros villæ extrinſeca deuaſtauit. Quadam etiam die cùm exercitus Amedæi ab vno loco ad alium ſe transferret, Romanenſes in ſuâ ſuperbiâ de conductâ militiâ confidentes, extra portum concorditer exierunt, ſe paratos ad prælium oſtentantes, & trucidatâ multitudine compulſi ſunt fugere, & villam intrare cum impetu præcipiti, & portas pendulas ſuper inſequentes Dienſes dimittere ſunt coacti. Tandem denegatis vndique Romanenſibus victualibus, infra annum ſuę rebellionis coacti ſunt pacem & veniam petere, & ſubjectionem offerre debitam & de forefactis ſatisfacere obtulerunt, quod obtinuiſſent niſi diſpenſator humani generis, Amedeum infra tractatum pacis in malum Romanenſium de medio ſubtuliſſet, rebelles enim & diſcoli non fuerunt digni tanti Pontificis pace frui.

De Iis quæ fecit zelo juſtitiæ. Triſcatinę vrbis ciues, maleficos qui peregrini patris Amedei ſpolia depredarunt, collecto exercitu in filiali affectu & venerantia crucis Chriſti prædones & prædam in eorum vrbe propria quæ dicitur ſancti Pauli, in ſua audaci potentia requiſiuit & principaliter actorem maleficij cum ſuis ſodalibus exilio relegauit, hoſpitium Caſtellanatus, in quo prędа reducta fuerat dirimi fecit funditus, in vindictam crucis Chriſti & in rei geſtæ memoriam ſempiternam.

Item rectorem ejuſdem vrbis cum aliis ciuibus prædæ conſentientibus pro expenſis factis in quadam pecuniæ ſumma miſericorditer condemnauit, quibus peractis cum ſuis in pace ad propria eſt reuerſus.

Item Marchionem Montis-ferrati Mediolanenſis, & magnæ Lombardiæ Capitaneum, vſurpatorem injuſtum terrę Sabaudienſis, dum tranſiret in Hiſpanias audacter detinuit, & detentum coëgit Taurinum & caſtra adjacentia Domino Thomę de Sabaudia reſtituere cum pace tuta, & hoc fecit Amedeus, in zelo juſtitiæ, & in recompenſationem collati beneficij à Sabaudienſi Eccleſiæ Valentinę retroactis temporibus. Super quo Papa Nicolaus propter ſponſalia neptis ſuæ Marchioni affinitate ligatus, ſolemnes nuntios Legatos Ebredunenſem & Aquenſem Archiepiſcopos, Amedeo cum literis comminatoriis deſtinauit, quos vir prudens recepit cum reuerentia, & ſaluis terminis obedientię eos remiſit vacuos, manénſque imperterritus in ſuâ conſtantiâ, ab inceptâ executione juſtitię non receſſit.

Item eodem zelo juſtitię caſtrum del Boſt de la Sayas à dicto Thoma Sabaudienſi vſurpatum, fecit reſtitui Dominę Comitiſſę Viennenſi, & inter eos pacem gratiſſimam reformauit.

Item eodem zelo caſtrum S. Theofredi causâ correctionis monaſterij à ſeipſo diu detentum, factâ monaſterij reformatione à nullo coactus, ſed ſponte monachis reddidit & Abbati.

Item eodem zelo Caſtrum-nouum ſupra Iſaram, à prędeceſſore ſuo propter rebellionem Remundi Fedentarij retentum, Amedeus ex compaſſione & zelo juſtitię, Guilelmo prędicti Remundi filio & hęredi reddidit.

Item eodem zelo auditâ morte Domini Simonis de Cleriaco, & cognitâ ejus filij Rogeni gratitudine, caſtrum Piſantiani, & caſtrum Bocci & alia feuda occupata ab Eccleſia Valentinenſi & Romanenſi gratificata hęredi liberaliter expediuit.

Item

Item zelo pietatis plebanis ſuis, in aduerſariorum carceribus detentis paterno affectu compatiens, captiuum magis valentem pro captiuo quocumque ſuo minus valente ſemper fuit paratus expedire libentiùs quàm ab eis pecunias extorquere.

Item quadam vice in ſuæ pietatis Amedeus argumentum, pro expeditione ſuorum hominum obligauit ſe ad ſoluendum decem millia ſolidorum ſtatuto termino; & pro prædictis caſtrum Montis-veneris die ſtatuto tradidit recurrendo, niſi aliter Deus prouidiſſet.

Generalis concluſio. Burgundos compeſcuit, Lombardos corripuit, Hiſpanos ad iræ fremitum concitauit, Prouinciales ad regem Burgundiæ anelantes ne ipſo viuente proprios exirent terminos retentauit. Summum Pontificem totius orbis principem, ſuis probis & juſtis actibus non timuit irritare, omnes externas nationes famâ ſui nominis fecit quam plurimùm admirari, genti ſuæ & omnibus ſuis ſucceſſoribus velut alter Machabæus, Mathatiæ filius gloriam, & honorem & reuerentiam acquiſiuit.

De zelo regularis diſciplinæ. Zelo zelatus cum Helia in domo Domini non ſolum Abbatiam Sauiniani in religione & diſciplinâ monaſticâ reformauit, ſed Abbatiam S. Theodori in Diœceſi Viennenſi de monachorum diſſolutione & inſolentiâ diffamatam, præmunito caſtri præſidio perſonaliter viſitauit, & præmiſſa diligenti inquiſitione rebelles monachos & incorrigibiles à loco expulit, obedientes & diſciplinabiles retinens ſenioribus eos tradidit inſtruendos. Item abbatis ejuſdem loci receptâ ſpontaneâ ceſſione, prouidit eidem de abbate magis prouido, induſtrio, & viuaci. Item canonicos non canonicè viuentes, regulares ſub regula non degentes, ad regulam profeſſam & ad ſtatuta religioſa religauit: & quia bonorum temporalium affluentia, cauſa caſus religionis fuerat, ab indignis miniſtrantibus partem ſubtraxit inutilem, & eam vtilitati communi patriæ & Eccleſiæ applicauit. Ipſi tamen de ſubtractione temporalium dolentes, neque ampliùs de promotione religionis gaudentes, velut tauri indomiti, erectis ceruicibus, per campos licentiæ diſcurrentes, imprudenter attentant jugum religionis abjicere, & contra applicatum ſibi ſtimulum calcitrare.

De ejuſdem morte gloriosâ, & duro mortis præſagio. Quadam die anno Incarnationis Dominicæ 1281. menſe Iunij, Sathan humani generis antiquus aduerſarius, permiſſione diuinâ Amedeum percutere gladio Romanenſium attentauit, in quorum ſibi paratas incidias incautè incidens, facto graui gladio ſuper eum, in clypeo diuinæ protectionis ſe & ſuos apud Alexianum recolligens, vix euaſit. Eodem die & horâ eâdem, licèt tempus eſſet ſatis ſerenum, Sathan confuſus eo quòd eum non poterant percutere, in flammâ fulguris viſibiliter de cœlo cecidit ſuper campanile Eccleſiæ Cathedralis Valentiæ, & ſolum ſpeculatorem percuſſit, & ſpeculam combuſſit; in quo facto domum veri ſpeculatoris ejuſdem Eccleſiæ morte reſoluturam in proximo, ſuo duro præſagio demonſtrauit. Eodem anno menſe Septembris in vigilia B. Virginis, Amedeus febre tertianâ correptus cùm eſſet apud Valentiam, verſus Dienſes iter arripuit, acſi vellet deliberare ibidẽ cũ auunculo ſuo altero Ameeo ſuo corpore ſepulturã, vocatíſque ſuis canonicis & Confeſſoribus rogait eos, vt confeſtim eũ apud Diã arrepto itinere ſequerentur, quo cũ peruẽiſſet de morte ſuâ ab infirmitate ſuâ præmonitus cõfeſſione priuatâ deuotè,

die

die Dominico in feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, Præſul Chriſti præcepit ſibi Euchariſtiam præſentari. Congregantur canonici, conueniunt clerici, multiquẽ viri religioſi ciuéſque fideliſſimi ſuſpirantes: ſedit Præſul ſuper lectum ſuum, & præſentato ſibi corpore Chriſti, altâ voce cunctis audientibus qui aderant, de morte ſua gratias Domino reddidit Saluatori, proferens quę ſequũtur. Graues inquit guerras & periculoſas pro tuendis juribus Eccleſiarum per quadriẽnium per perpeſſus ſum ſine pecunia, in vno pede & vna manu; & multis me & meos expoſui periculis, hinc cadebant lapides de tormentis & machinis, inde tela, hinc inde gladius, & ex omnibus me eripuit Dominus, & in ſuâ clementiâ me morti tam prouidè reſeruauit, vnde ſibi gratis referre debeo & vos mecum. Poſt hæc facta confeſſione generali omnibus indulſit, & veniam petiit: requiſitus de fide Euchariſtiæ erectâ manu dexterâ, & oſtenſo corpore Chriſti multùm affectuosè dixit hunc credo firmiter, illum eumdem eſſe integraliter qui pro me & aliis peccatoribus pependit in cruce: & manu ad caput ſuum poſitâ ſubjunxit, pro iſtâ fide paratus ſum, & ſemper fui detruncationi exponere caput iſtud. O mira & ſalubris Confeſſio! quod corde credebat ad juſtitiam, ore confeſſus eſt ad ſalutem; & martyrium quod pro tuendis juriſdictionibus Eccleſiarum diu ante in membris ſuis patienter ſuſtinuerat, modo pro fide in voluntate affectuosâ ſuo obtulit Saluatori in ſacrificium, & hoſtiam pinguiſſimi holocauſti. Eodem die in metu diuinæ prouidentiæ adfuerunt Domini Lugdunenſis Archiepiſcopus, & quidam alius Epiſcopus amicus ejus, Abbas ſancti Theodori, & Abbas ſancti Felicis & ſoror ſua; & breuiter quaſi omnes præcordiales ſui, quos ſub adjuratione fidei & fidelitatis mutuæ charitatis oris oſculo concurrente, de forefactis ſuis, & debitis ſoluendis & clamoribus ſedandis, vt fortiùs potuit obligauit, ſententias omnes acceleratas relaxauit, condemnationes judicum ſuorum abſoluit, captiuos ratione guerræ detẽtos juſſit relaxari. Item ordinauit & præcepit vt appropinquante agone ſuæ mortis conuocarentur Chriſti milites, ſui Canonici, & intereſſent ciues voluntarij, qui eum in ſuo vltimo & periculoſo prælio ſuis interuentionibus adjuvarent. Vt ſimplex Clauſtralis mori cupiens, in manu Domini Lugdunenſis quantum in ſe fuit omnibus ſuis dignitatibus & prouiſionibus reſignauit. Tertiâ feriâ immediatè ſequente in feſto Euphemiæ, ipſo annuente vocati ſumus horâ primâ, & lectâ Paſſione à Domino Lugdunenſi Litanias, Pſalmos, Orationes ad hoc ſpeciales diximus frequenter emittebantur ſuſpiria, & ſingultus. Tãdem circa tertiam cum nullum verbum ab eo expectaretur, ſcicitatus à Domino Lugdunenſi vt in B. Virginem ſperaret, & in eam mentem figeret, exinſperato reſpondit altè & diſtinctè, ipſa inquit ſtat mihi in bono loco. O mira ad inſtantiam conſolatio, & gaudij mirabilis agitatio, in tantùm vt facies flentium riſum oſtentare coactæ ſint, nam ille vltimo inſtanti vitæ ſuæ termino, verbo miraculosè prolato, viuâ voce aſſeruit glorioſam Virginem in mortis periculo ſibi in præſidium adfuiſſe. Beati qui ſperant in eâ. Poſt paululum Chriſti miles ſuauiſſimè in Domino obdormiuit, qui bonum certamen certauit, curſum laudabiliter conſummauit, fidem firmiter tenuit & ſeruauit, & ideo coronam ſibi ab æterno diſpoſitam in theſauro diuinæ prouidentiæ, reddet ſibi juſtus judex Dominus Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula: Amen.

Exhorta

Exhortatio. O Præclari viri Christi Pontifices, Ecclesiarum Principes, terrarumque rectores, pigri, tepidi, inertes, huc venite. Amedæi spectaculum attentè, vt respicite per radiorum suorum diffusionem ejus exemplaris ratio ad actus similes vos prouocet, & prouocatos stimulet, probitatis & virtutis iter arripere, depositáque voluptatis mollitie, vires mentis resumite, vt in præsenti prælio de tenebrarum harum principibus triumphare valeatis, in retributionis tempore pro palma sempiternæ vitæ brauium mereamini reportare. Amen.

Explicit vita bonæ memoriæ Amedæi de Rossilione episcopi primi Valentinensis & Diensis post vnionem, qui obiit anno Domini 1281. *die vero* 17. *Septembris.* Ceterùm, vt hoc non taceam, Rossilionæa gens, è qua fuit Amedæus Episcopus, est nobilissima illa & antiquissima, quæ ex Rossilione Viennensis Diœceseos oppido, vbi quondam habitabat, sibi nomen fecerat, vt intelligitur ex sacramento, quo Ludouicus de Sabaudia, & Aimarus de Pictauia Comes Valentinus anno 1281. die 5. idus Iulij dixerunt *se juuare mutuò in placito, & in guerra contra Aimarum de Rossilione Archiepiscopum Lugdunensem, Amedæum de Rossilione Episcopum Valentinum & Diensem, ac Artaudum Rossilionis dominum Viennensis diœcesis, & omnes de genere ipsorum descendentes.*

EGo Claudius Boniellus, Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunensi, factâ mihi potestate ab admodum R. Patre nostro Generali, facultatem concedo, vt libri *De rebus gestis Episcoporum Valentinorum & Diensium*, &c. à Patre IOANNE COLVMBI, ejusdem Societatis Theologo compositi, & à tribus Societatis ejusdem Censoribus approbati, typis mandentur. In cujus rei fidem has literas sigillo nostro munitas, & manu nostra subscriptas dedi Lugduni die 1. mensis Decembris anno 1637.

CLAVDIVS BONIELLVS.

DE REBVS GESTIS

EPISCOPORVM VASIONENSIVM

LIBRI QVATVOR.

Illustr^mo & Reuerend^mo D.

D. IOSEPHO MARIÆ SVARES EPISCOPO Vasionensi.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

ON facilè dixerim, Episcoporum Illustrissime, quid secutus sis, cùm iussisti vt scriberem de rebus gestis eorum Præsulum, qui ante te sederunt Vasione, quod tu illâ sermonis elegantiâ, illâ eruditionis celebritate vir, poteras vnus omnium felicissimè perficere. Quoniam ipsæ cum tuis ita coniunctæ sunt, vt sine iis dici non possint, neque, vt maximè possent, debeant, cuipiam fortasse videberis modestiæ illi tuæ id concessisse, quam & voce, & vultu, ac totius corporis habitu, velut innatam præ te fers. Sed ego semper existimaui sententiam ejusmodi esse hominis potiùs ex ignauiâ timidi, quàm viri à sapientiâ moderati. Scilicet contra modestiam is mage non peccat, qui sua suorumque præclara facinora assumit sibi dicenda, quàm qui gerenda suscepit: Nisi fortasse putandum est plus arrogantiæ in eo esse vt dicas, quàm vt agas præ aliis; atque vt summa facinora recites, quàm vt fortiter, & animosè ea vnus suscipias. Operibus quippe sua vox est, eaque

taque index animi verior, quàm & ſcriptorum voluminum, & ipſius quoque oris ac linguæ. Potiùs intereſt maximè poſterorum, atque adeò virorum omnium qui verum amant; ipſius etiam ſeu famæ, ſeu ſinceritatis, vt qui à majoribus fortiter geſta acceperunt domi ſuæ, & qui magna quoque gerunt aguntve, ea ipſi aliis referant. Nam quando certiùs, apertiùs, veriùs recitabuntur, quàm ab illis qui ipſa penitus nouere? Et aliena profectò nunquam ita ſcimus, vt noſtra. Aquæ etiam (nam quid alia memorem?) nonnihil deperit, quæ à fonte in vas immittitur: plurimùm verò, quæ ab vno in aliud transfunditur. Vox ipſa quæ res dicit, nunquam ſincerior eſt, quàm in ipſo loquentis ore. Vt ab eo diſcedit, vt aliquid deperdit ſui; longiúſque profuſa ſenſim deteritur, donec omnis euaneſcat. Denique hinc fit, vt fama veri nuntia, feratur ficti prauique tenax, quòd aliorum de rebus vulgò loquimur, non de noſtris. Sed vtcumque hoc habeat, veriſſimus ille amor, quo ante annos triginta complecteris amantem tui, facit vt magis putem te, qui tuus omnino erat, eum in ſcribendo locum dediſſe mihi: neque fui difficilis ego jubenti, vt dum ſcriberes à te geſta, non ab iis gerendis aliquando deſiſteres. Igitur etſi calamo manum non admouiſti, ſcripſiſti tamen tu etiam hos de Vaſionenſibus epiſcopis commentarios; niſi fortè ſcribentis mens, quæ calamo non vtitur, dicenda non ſit ſcribere, quæ manu ponit in charta. Tu ille es, qui & aperto epiſcopij tabulario, & tuis omnibus libris chartiſque mecum familiariter communicatis, meam mentem ſcribendis omnibus inſtruxiſti. Neque mirum, vt mea ſit, quæ à prima tui adoleſcentia amiciſſimi viri eſt, quiſquam arbitrabitur à te alienam eſſe. Sed vide an iſta aberrauerit à tuis cogitationibus: id enim ſcilicet cauſæ eſt cur hos commentarios ad te detulerim.

AVCTOR LECTORI.

QVAM illuſtris quondam fuerit epiſcoporum Vaſionenſium claritas, mi Lector, hinc intelligis quòd Sidonius Apollinaris & nobilitate generis, & opum vi eô celebritatis euectus, vt Auiti Imperatoris filiam haberet in matrimonio, Fonteium Vaſionis epiſcopum ſibi ſuæque familiæ validiſſimum ſemper patronum fuiſſe *fatetur. Tanto apud homines*

mines nomini vitæ integritas, veraque de cœlo ſanctitas reſpondebat. Nam cùm Theodoſius, Quinidius, Barthus, alius poſt alium Epiſcopi, cœleſtibus ſint aucti honoribus, certè fateamur oportet inquilinum, ac veluti domeſticum ipſis, & ferme, vt ita loquar, hereditarium fuiſſe virtutis omne genus. Sed Saracenorum principio, deinde Albigenſium furor fecit, vt tantorum virorum omnis pene memoria obliuione ſepulta ſit. Vaſtauere Prouinciam, Vaſionem incenderunt euerteruntque. Igitur ad quos de Vaſionenſium Epiſcoporum rebus geſtis commentarios legendos accedis, arbitrare de fauillis cineribúſque ereptum opus eſſe. Poſt antiquiſsimos illos Præſules Mornatius, Lambeſcius, Railanaus, Laudunenſis, magna apud Occitanos & Prouinciales nomina; Raibaldus demum & Ripertus Flottæ, Guilelmo Forcalquerienſium regulo ex Iauceranda Flotta matre genito proximi ſanguine, ſederunt Vaſione: ſedit Petrus de Caſa per vitam, & à morte prodigiis celeberrimus. Hoc affero, vt videas potuiſſe Saracenos, Albigenſes per Raimundos Toloſa Comites, Faido filium, & nepotem, potuiſſe Vaſionenſium Epiſcoporum tabulas, domos, ciuitatem, regionem dare gladiis ignibuſque; celebritatem ac virtutem euertere perdereque non potuiſſe. Quæ res ab ipſis fortiter geſtæ ſunt, eas, vt ad me peruenerunt, tu bonus et facilis accipe.

EGo Hugo Guilelmus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, factâ mihi poteſtate ab admodum R. Patre noſtro Generali, facultatem concedo, vt libri quatuor *De rebus geſtis Epiſcoporum Vaſionenſium*, à Patre IOANNE COLVMBI, ejuſdem Societatis Theologo compoſita, & à tribus Societatis ejuſdem Cenſoribus approbati, typis mandetur. In cujus rei fidem has literas ſigillo noſtro munitas, & manu noſtra ſubſcriptas dedi Lugduni die 15. menſis Maij anno 1655.

HVGO GVILELMVS.

DE

Digitize

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM
VASIONENSIVM
LIBER PRIMVS.

Vasionènsium, seu Vasiensium, aut Vasensium, (tribus enim istis nominibus dixerunt antiqui Patres) Episcoporum primus ignoratur. Anno post Christum natum trecentesimo decimo quarto Dasnus siue Damas, *cum Victore exorcista de ciuitate Vasensi*, interfuit concilio Arelatensi, quod post Romanum Melchiadis, agente Constantino magno, in causa Donatistarum coactum est, cùm, vt loquitur Augustinus epistola 162. Glorio & aliis Episcopis, illi omnes *in pertinacia scelestissimi schismatis permanerent*. Et ego quidem existimabam Dasnum, nobilissimam & clarissimis fœtam viris, Ecclesiam à majoribus accepisse, quæ in Exorcistis, ferme vltimo clericorum gradu, haberet Victorem, celeberrimo illo totius Occidentis Episcoporum consessu dignum. Certè Vasio tum ea erat, vt fortissimis & omni ornamentorum genere illustrissimis viris abundaret. *Vocontiorum ciuitatis duo capita*, inquit Plinius trecentis ferme ante Dasnum annis, *Vasio, & & Lucus Augusti: oppida verò ignobilia nouemdecim.* Luco autem vel euerso, vel sua dejecto celebritate, centum annis post Plinium, Ptolemæus Vasionem solam Vocontiorum ciuitatem agnouit; cui proinde vni, tum subjecta erant omnia illa Plinij ignobilia oppida. Cùm autem non multò antè docuisset *Massiliam Græcorum Phocensium fœderatam* fuisse, profectò non obscurè significauit Vasionem opibus, viris, omnibúsque belli & pacis artibus floruisse, Romanis pro fœdere sub Trajano principe venerandam, Massiliæque supparem. Posita tum erat in conualle, quam Ouidia quidem fluuius, postquam è pluribus riuulis in vnum alueum conuenientibus, inter Aulanum & Rupeculam (Rochettam vulgus dicit) pagos ortus, per fana Gallæ & Leodegarij torrentis in morem decucurrit, interfecat; amœni verò primùm tumuli, deinde non infelices, neque ingrati montes, in theatri speciem cingunt. Habebat Ouidiam ad Libonotum; & nunc etiam ab aquilone fluminis, visuntur sacrarum, & profanarum ædium magnæ & latè jacentes ruinæ, argumentum amplissimæ quondam vrbis. Sed quanta fuerit post superatos à Burgundionibus Vocontios, docent quæ post quinquagesimum supra quadringentos annum Sidonius scripsit Apollinari. *Viennam veni, vbi Thaumastum germanum tuum mœstissimum inueni. Namque*

1

2

3

4

videtur ille Fonteius Episcopus Synodi, cujus epistolæ respondet S.Leo epistola 52. Herculano Consule id. anno 452. vt habetur in MS. Sauaroris. Ad illum Sidonius, anno pòst secundo & vicesimo in Episcopum Aruernensem electus, dedit literas in hæc verba. *Sic te familiæ meæ validissimum semper patronum fuisse reminiscor, vt amicitias tuas non tam expetendas mihi, quàm repetendas putem. His adjicitur, quòd indignissimo mihi impositum sacerdotalis nomen officij, confugere me ad precum vestrarum præsidia compellit, vt adhuc vlceroſæ conscientiæ minùs hiulca vulnera vestro saltem cicatrisentur oratu. Quapropter me meosque commendans, & excusans literas seriores, granditer obsecro vt intercessione consuetâ, cujus viribus immanè polletis, clericalis tyrocinij in nobis rudimenta tueamini.* Ejusdem humanitatem laudat libro 7. epist. 4. *Cùm sitis*, inquit, *opinione magni, gradu maximi, testis est Vindicius noster non tamen esse vos ampliùs dignitate, quàm dignatione laudandos. Prædicat sanctas & melleas, & floridas, quæ procedunt de temperata communione blanditias, nec tamen ex hoc quidquam Pontificali deperire personæ, quòd sacerdotij fastigium non frangitis comitate, sed flectitis.* Fonteio sedente Chunnorum (Hunnos nunc vulgò dicimus) rex Attila Gallias deuastauit, & Gregorius Turonensis libro 1. de miraculis cap. 13. autor est, rem in Vasatensi vrbe memorabilem euenisse, cùm obsideretur à Gauserico verbis sequentibus. *Sacerdos conuocatis ciuibus vigilias celebrat, & missarum agit festa pro liberatione populi sui. Dum autem hæc ageret; respiciens sursum, videt super altare quasi de camera templi cadere tres guttas æquales magnitudine, claritate & candore crystallum vincentes. Cùmque cum admiratione & stupore vehementi intenderent, eâsque nullus auderet attingere, Petrus quidam Presbyter qui, vt res ipsa asserit, magni erat meriti, exhibitâ argenteâ patenâ guttas colligere nititur, quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam, statim in sè conjunctæ vnam gemmam pulcherrimam effecerunt. Paruitque euidenti ratione contra iniquam & Deo odibilem Arianam hæresim, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta.* Hactenus Turonensis, Quæ sit ei Vasatensis ciuitas nonnulli quæritant: & sunt qui velint esse eamdem cum Vasensi, vt vbi sincera Nicenorum patrum de Trinitate sententia, ante centum annos, Gallicanis præsulibus probata fuerat, ibi diuinis etiam operibus firmata sanciretur. Neque verò putant Hunnos ad Vasatensem, quæ vulgari sermone appellatur *Basas*, depopulationibus peruenisse, & (vt non mirere Vasatensem pro Vasensi scripsisse) addunt Gregorium hoc sibi in hujusmodi nominibus assumere, vt ea plurimis multúmque variis demutationibus flectat. Libro 2. de miraculis S.Martini capite 44. scripserat Pictauum; postea dixit Pictauiensem capite 45. & Pictauensem capite 56. Præterea cùm scripsisset ibidem libro 3. capite 34. Turonum, addidit capite 36. vt scriberet Turonicum. Denique libro de sanctorum patrum vita capite 10. legis Caduricinum; & is ille est quem capite 20. inuenies Cadurcensem, & libro 4. historiæ capite 47. Cadurcinum. Hæc alij sentiunt jactántque: etsi ea non probem, refellere tamen non vacat. Certè qui ea ferunt, nunquam negabunt Turonensem alibi locorum semper scripsisse Vasatensem pro vrbe, quam Galli vocamus *Basas*, nusquam pro Vasione.

Fonteius. 9

10

Ethilius, siue Sextilius anno quingentesimo septimo interfuit Aurelianensi tertio: sed an Fontejo successerit non habeo cur asseram, aut negem. 11 *Ethilius.*

Sunt qui ex particula &, initio hujus inscriptionis posita, colligant partem ipsius posteriorem priore amissâ esse, non totam: sed ita tulerunt rudia sæcula, vt orationem aliquando, non minùs quàm apud Latinos auctores sententiam, inchoaret. Libro 2. n. 23. videbimus Guilelmum Arausicanum Antistitem, suas de damnis Vasionensi Ecclesiæ à Comite Tolosano illatis tabulas ab eâ inchoasse. Marculfus sic orditur formulam 1. libri 1. *Dum & nobis diuina pietas de natiuitate filij gaudium habere concessit*, & formulam 24. libri 2. *Ideoque placuit*. Althelmus ita cecinit monosticho 194. *Seruiet & segnis duro sub fasce laborum*. Accedamus ad alia. Annus, quo S. Casaria in hâc epigraphe traditur obiisse diem extremum, est Christi quingentesimus vicesimus sextus. Is enim est sextus & quadragesimus post consulatum Basilij junioris, & duodecimus Childeberti Francorum Regis, quandoquidem ille consulatum gessit 480. Christi; iste regnum iniit 514. quo Clodoueus pater vitâ excessit. Cùm autem ea feratur, concluisse mensibus geminis tempora vitæ, intelligis morbum quo extincta est durasse duos omnino menses. Valens inscriptionis autor se dicit & sacerdotem, & jugalem seu conjugem Casariæ, vt quod de quibusdam aliis legimus & suspicimus, Casaria quæ ab omnibus pro virgine habetur colitúrque, virginitatem in conjugio illibatam seruauerit. Par omnino aliquid memorat Gregorius Turonensis libro de gloriâ confessorum c. 32 eum accipe. *Duos fuisse apud Aruernum, virum scilicet & puellã, refert antiquitas, qui conjuncti conjugio, non coïtu, & in vno strato quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali. Post multos verò annos, cùm eis esset latenter vita castissima, ex consensu pari vir tonsuratus ad clericatum, puella verò religiosum induit vestimentum.* Sed vide annos Childeberti Francorum regis, cum anno Romani consulis positos, senescente jam per Gallias imperij dignitate, & memoriâ consulum ipsius ex eo tantùm seruatâ, quòd Clodoueus patritij nomen oblatum non abjecerat. An ipsius filiis quoque, aut Childeberto certè, id datum est? cur verò igitur in Eripij presbyteri tumulo nullus regis annus cum Agapiti consulatu scriptus est? putabam aut nouo exemplo hoc factum in B. Casarię epitaphio, aut si tum ferebat in Gothia consuetudo, Vasionenses non seruasse, ob turbas à Clodomiro Chilperici fratre toto Burgundionum regno excitatas, in regię ipsorum gentis, quod vehementer sequebatur, excidium. Verùm hæc satis pro loco fuerint, redeamus ad Gemellum Episcopũ Quo anno Christi mortuus fuerit, quàm multam ætatem in Episcopatu posuerit, non liquet. Aut ipso, aut alio post ipsum incerto, mihi Antistite, Concilium tertium Vasione habitum est anno 508. vt significat decretum Carpentoractensis, quod præcedente auno latum fuit in hæc verba: *Hoc etiam placuit custodiri, vt sequenti anno, in vico Vasensi, octauo idus Nouembris, debeat Concilium celebrari.* Sed nonnulli mirantur vicum à Patribus Carpentoractensibus appellari, quam ciuitatem (vt Ptolemæum annis antè quadringentis taceam) post annos triginta vocauit Alethius Episcopus. Hoc ego non miror, qui vicum pro ciuitatis suburbio scriptum existimo. Gregorius Turonensis libro de gloriâ confessorum cap. 89. scripsit in hæc verba: *Marcellus Parisiacæ vrbis Episcopus, serpentem immensum hoc depulit ab oppido: & nunc in ipsius ciuitatis vico quiescit.* Capite centesimo quinto, iterum habet Parisiorum vicum: *tumulus*, inquit, *erat in vico Parisiorum.*

13

14

15

16 Alethius anno 51. Vasione sedit antistes, quartóque Aurelianensi Concilio subscripsit, & non multò post ipsum viuere desiit. Eo quippe ipso anno, aut circiter, S. Theodosium ei successisse non dubito, qui jam senio grauis Quinidium sibi accepit adjutorem operis, volentibus Childeberto Francorum rege, & Vltrogota regina Childeberti vxore. Nam cùm rex anno primo & vicesimo post Aurelianense quartum mortuus fuerit, & Vltrogota à Clotario leuiro, conjugis successore, amandata fuerit in exilium, profectò fidem superat, quòd aut Alethius diu post primum & quadragesimum illum annum fuerit, aut Alethio mortuo, Theodosium ante, aliquis Episcopatum gesserit, nisi dicas (quod ego nunquam duxerim) hunc senio valde proximũ,
17 aut eo jam grauem, electum in Episcopum. Quantum enim est illud annorum viginti tempus ante vltimam, & effœtam, ac sine corporis ad Episcopatus munia viribus senectutem? Quinidius verò, siue (vt Paschalis secundus dixit) Clinidius, Theodosij successor, hic ille est Quinidius Vasionensium ingens decus, & ad nostra vsque tempora, per mille & quod excurrit annos, nomine sanctitatis clarissimus. Quo anno diem extremum obierit Theodosius, nullibi chartarum inuenio, & de illo id vnum in antiquissimis tabulis legitur, tantâ per vitam morum integritate, & tam multis veríque post mortem fulsisse miraculis, vt inter cœlites ante omnem memoriam relatus sit.

Alethius. *S. Theodosius.* *S. Quinidius.*

18 Quinidius autem Theodosij successor, Vasione natus est, non sine præcedentibus prophetiis Audi Anonymum, sed coëtaneum autorem ejus vitæ. *Festiuitas B. Genesij martyris Christi, Arelate pro ejus confessione passi, agebatur. Et ecce inter turbam, quæ vndequaque ad limina B. Martyris colligebatur, Quinidij mater mox futura grauata sinu, felici puerperio onerata, ardore pietatis ducta peruenit. Nam & ipsa familiariùs locum amplectebatur. Obseratis ianuis Ecclesiæ, cùm pro amore martyris vigilias factura foris substitisset, affectu pio lacrymis suffusa, vt in amorem Dei rapitur, orationem continuat. Illico audit propter memoriam S. Martyris, Angelorum dulcissimum stupendúmque concentum. Nam ianuæ quas custodiæ vigilum clauserant, diuino nutu panduntur. Sancta fœmina terrore pio verecundè introgressa, & visione mirabili perculsa, solo prosternitur, claritate inexpertâ pascitur. Cui ne timeret, de Beatis Angelis vnus ex multitudine illa consolationem præstiturus adstitit. Diligenter, inquit, fœmina quæ munere Dei tui donantur accipe. Habitura es filium, quem Vasensium vrbs aliquando suscepturа est sacerdotem. His votis obsequiisque Deo placiturus, multis est causa*
19 *salutis futurus.* Hactenus ille. Quòd asserit turbam vndequaque ad limina B. Genesij solitam colligi, confirmant ea quæ Gregorius Turonensis libro primo de gloriâ martyrum cap. 66. refert de ponte Arelatensi, *qui super naues locatus nutare cepit, ac præ nimio pondere populorum ipsæ naues debiscentes, in alueo fluminis populum submergebant, in die solemnitatis ejus.* Sed, vt subjungit beatus vir, sub populi vnâ voce martyrem auxilio vocantis preces, *mox flante vento vulgus omne ad littus reductum, miratur se virtute martyris esse saluatum.* Pergit Anonymus de Quinidio dicere, vt primam ætatem in studiis literarum posuerit, vt in clericum attonsus fuerit, vt puer, ac adolescens senibus maturitate grauitatéque morum nihil debuerit. *Verecundia*, subjungit, *quæ in ipsis adolescentibus prima virtus est, adeò illi sociata fuit, vt innata ei videretur: humilitas autem & patientia præter humanum*

manum modum, castitas gratum Deo & hominibus veris indiciis commendabat. Vigilantia orationis, lectionis assiduitas, meditatio & scrutatio legis Dei, illi continuam contra hostes inuisibiles expedituram præstabant. Quod postea affert, diaconum ita non Vasionem & finitimas vrbes, sed Alpinas regiones, & Italiam celebritate nominis impleuisse, vt magnâ totius populi consensione, cui cesserit Arelatensis Archiepiscopus, à Theodosio in Episcopalis curæ adjutorem acceptus sit, profectò immensam viri laudem habet. Verùm antè vlteriùs quàm pergo in rebus à sanctissimo viro præclarè gestis, existimo mihi dicendum esse de B. Rusticula, quæ nata est Vasione, anno 10. post Concilium Aurelianense quartum, Arelatéque in S. Cæsarij monasterio, virginum per annos 9. omnino & 50. mater, omnem Galliam impleuit nomine ex cœlestibus prodigiis, & clarissimâ morum integritate collecto. Felicia profectò Vasionensibus tempora illa fuere, cùm duo ciues, Quinidius & Rusticula, splendidissimas virtutis faces tanto fulgore prælucebant, vt vniuersâ Prouinciâ maribus ille, hæc fœminis ad omne officij genus duces essent. Quoniam Rusticula omnibus ante me literis, si Pontificium Arelatense, & Martyrologium Gallicanum excipias, ignota est, plurimúmque facit ad laudem antiquissimæ ciuitatis, cujus Episcopos oratione sequor, placet de ipsa dicere prolixiùs, & ex Florentio Tricastino, cùm ea viuebat, presbytero qui de istâ ad Celsam scripsit, præcipua illius vitæ capita recensere. 20

Atque vt à sanctissimæ puellæ ortu incipiam, *Rusticula virgo*, inquit ille, *ex familiâ Martiâ Valeriano & Clementiâ nobilissimis & Christianis parentibus orta, commorantibus iisdem in agro Heboſiaco, qui est situs in territorio Vasionensi, factum est vt nasceretur eis filius; & non multo pòst tempore, dedit eis Dominus hanc sacratissimam prolem Rusticulam.* Quis ager Heboſiacus? ignotum mihi est: & in tanta seu rerum, seu vocum omnium non Vasione, sed omni Prouincia per sęcula prorsus decem mutatione, quis aliquid certi afferat? faciunt tamen eũ qui nunc vulgari sermone dicitur Arboſſet: noménque alludit. Hoc etiã juuat addere. Ad Seguretum prope Vasionem pagum duo sunt montes, alterũ vocant *Arboux*, *Mars* alterum: si quid ex nominum similitudine fas est colligere, cur negabis eos agro Heboſiaco, Valeriani gente Martij prædio contineri; & hunc è Martia gente acceptum seruare nomen, illum ex variâ per ætatũ vices demutatione sic appellari, vt non parum de antipua voce sibi seruet? Pergit Florentius: *Contigit autem vt eâdem die, quâ hæc nata est, pater ejus de hâc luce migrauerit. Transactis igitur nõ plurimis diebus, defunctus est & paruulus. Postmodum verò mater viduitatis veste contecta, tristitiã, quam conjugis amissione vel filij assumpserat, per hanc prolem fœcunditatis suæ vtero editã consolabatur, quam genitrix ad sacri baptismatis vndam Christo obtulit sanciendam, eamque in regenerationis fonte ex suo genere Rusticulam vocitauit. Ab omni verò domus familiâ, Martia nũcupabatur.* Hęc ille. Ex ipso habes nomina duo fuisse Rusticulę, alterum è paterna Valeriani, alterum è materna Clementiæ gente acceptũ: & hoc quidem in baptismo à matre impositum fuerat, illud verò à domesticis communi sermone vsurpabatur. Idem omnino Vvaldoni cuidam factũ est apud Gregoriũ Turonensem libro 8. historiæ cap. 22. *accersito*, sunt ipsius verba, *Vvaldone diacono, qui & ipse in baptismo Berthchramnus vocitatus est.* Certe sic ferebant illa tempora, vt singuli fere hominibus nomina duo essent, quemadmodum legere est & apud alios, & apud eumdem Turonensem ac

Flodoardum. Iſte libro primo ſuæ hiſtoriæ cap.10.ita loquitur de S.Remigio: *Remedium eum fuiſſe vocatum in veteribus quibuſdam reperitur ſcriptis.* Ille autem hæc habet in Francorum hiſtoria: *Auſtrigildem cognomento Bobilam*; libro 4 cap. 26. *Gundegiſilum cognomento Dodonem*; libro octauo cap. 22.
23 *Vedaſtes cognomento Auo*; libro 7. cap. 3. Iam Martiorum gens, maximi apud Romanos nominis, ab ipſis pene incunabilis vrbis fuit. Caius Martius in illam intulit conſulatum, anno ab vrbe condita quadringenteſimo ſecundo. Quàm illuſtris autem fuerit Ruſticorum gens magis obſcurum eſt. Sed vt antiquiora tempora non referam, Ruſticum illum in eâ cenſere ego quidem non dubitauerim, quem B.Hieronymus monachum epiſtola 4 inſtituit. Non procul Maſſilia egiſſe ex eo volunt, quòd proximum habebat Proculum in ipsâ Epiſcopum, de quo S.Doctor ita loquitur. *Habes iſtic ſanctum doctiſſimúmque Pontificem Proculum, qui viuâ & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet, & quotidianis tractatibus iter tuum dirigat.* Hic enim ille exiſtimatur Proculus, qui quùd Epiſcoporum omnium Prouinciæ ſecundæ Narbonenſis magiſter fuiſſet, in illa Metropolitani nomen ſeruauit decreto Concilij Tauri-
24 nenſis. Verùm quando legis B.Hieronymum ſcripſiſſe *habes iſtic*, nolim putes Ruſticum Maſſiliæ natum fuiſſe: ſi in ciuitate literis florentiſſimâ ortus fuiſſet, eum non in Gallia, ſed Maſſiliæ operam dediſſe literis adderet his verbis: *Audio te religioſam habere matrem, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudiuit infantem, ac poſt ſtudia Galliarum, quæ vel florentiſſima ſunt, miſit Romam, non parcens ſumptibus, & abſentiam filij ſpe ſuſtinens futurorum, vt vber-*
25 *tatem Gallici nitoremque ſermonis grauitas Romana condiret.* Magis exiſtimo è patriâ, & fortaſſis Vaſione, Maſſiliam vt Monachum ageret perrexiſſe, atque vitam in illo duxiſſe Monaſterio, quod ſub Antonino Pio jam olim conditum, ducentis poſt eum annis Caſſianus vehementer auxit. Huic Ruſtico frater, aut certè conſanguineus alter videtur, cui idem B. Hieronymus epiſt.46. ſcripſit. Gallus etiam ipſe erat, vt intelligitur ex Artemiæ vxoris patria, ad cujus matrem Hedibiam ſic epiſt.150. locutus eſt. *Ignota vultu, fidei mihi ardore notiſſima, de extremis Galliæ finibus, in Bethleemitico rure latitantem ad reſpondendum prouocas.* Et fortaſſis non longè Vaſione degebat, cùm barbari, omnem Galliam victoriis peragrantes, deuaſtarunt Prouinciam: ad eum enim ille ipſe ſanctus vir dedit ſequentia. *Si te rei familiaris tenent reliquiæ, vt ſcilicet & mortes amicorum & ciuium videas, & feroces hoſtium vultus, & Prouinciæ tuæ infinita naufragia, teneto tabulam pœnitentiæ, & memento conſeruæ tuæ, quæ tuam quotidie ſuſpirat & non deſperat.* Scilicet Artemia Ruſtici conjux in Palæſtinam pro ſacramento venerat, Deo in monaſterio ſeruitura, feceráque vt
26 S.Hieronymus maritum ad ejuſdem ſacramenti memoriam reuocandam induceret. Exiſtimauerim quoque Ruſticiam patriciam, cui ob barbarorum metum Conſtantinopolim Roma profugæ, literas dedit B.Gregorius libr.3. epiſtola 44. ejuſdem Ruſticorum gentis fuiſſe. Iſta verò Ruſticia eſt, cui indictione 10. dederat epiſtolam 21. libri ſecundi: vtraque enim patritia erat, vtraque à ſancto Pontifice juſſa eſt ſalutare Euſebiam (quæ ex libro ſeptimo epiſtola 23. indictione 1. Ruſticianę filia erat) & Apionem quidem Ruſticia, Ruſticiana verò Apinionem. Nam quę in nobiliſſima gente vocabantur Ruſticię, Ruſticianę, Ruſticulę, erant Ruſticę, nomine, vt in aliis vulgò fit, ex blanda per parentum amorem deflexione mollito. Quid

autem

Digitized by Google

autem huic ſeu Ruſticæ, ſeu Ruſticianę B. Doctor ſcribat libro nono, epiſtola 38. accipe. *Vnum ægrè ſuſcepi, quod in eiſdem epiſtolis ad me, quod ſemel eſſe potuerat ſæpius dicebatur; ancilla veſtra. Ego enim qui per Epiſcopatus onera ſeruus ſum omnium factus, quâ ratione ſe illa mihi ancillam dicit, cui ante Epiſcopatum proprius fui.* Et iſta quidem ſatis fuerint ſuper nomine & genere S.Ruſticulæ: magis obſcurum eſt quo anno ſit nata. Dixi equidem in ſuperioribus natam anno decimo poſt Aurelianenſe quartum, ac proinde Chriſti quingenteſimo quinquageſimo erimo, ſed vnde id habeam nunc aperiendum eſt. Ita ego mihi quidem videor colligere ex Florentio illius vitę autore. Is tradit accuſatam fuiſſe apud Clotarium regem Pariſiorum, *quòd occultè regem nutriret*, & ad ipſum vt ſe criminis purgaret vocatam adiiſſe. Quem regem occultè nutriuiſſe dicta fuerit docebo poſtea, & oſtendam occuſatam apud Clotarium, ab eoque Pariſios vocatam anno ſexcenteſimo decimoquarto. Hoc iam conſtituto ſic habet. Ex eo ipſo Florentio, cùm Ruſticula paucos dies egiſſet Pariſiis, rediit Arelatem, & quarto decimo pòſt anno ex hac vita deceſſit, ætatis ſeptuageſimo. Quartuſdecimus autem poſt ſexcenteſimum decimum quartum eſt ſexcenteſimus viceſimus octauus, à quo ſi tollas ſeptem & ſeptuaginta, reſtat quingenteſimus quinquageſimus primus. Hoc igitur nata eſt, illo poſt ſeptuaginta ſeptem annos vitæ mortua. Sed hæc omnia ſeſe magis aperient, explicataque erunt ex ſequentibus. 27

Poſt non multos à Ruſticulæ ortu dies vnum aliquid euênit memorandum hoc loco. Florentius pergit. *Erat itaque pulchrâ facie, & eleganti corpore, tantâ verò in dilectione à notis & amicis, vel à familia domus habebatur, tanquam ſi cæleſti eam ſibi gratia condonatam omnes congauderent.* Quid maius de Moyſe legimus? *pulchrâ facie, & eleganti corpore* erat infantulus ex capite 2. Exodi: igitur erat in omnium oculis; atque, vt Paulus ad Hebræos capite. 11. tradit, *fide* à parentibus adamabatur, *quòd vidiſſent elegantem.* Quo autem amore Clementia mater complecteretur Ruſticulam accipe. *Quadam igitur nocte, cùm mater eius ſopori dedita accubuiſſet, vidit in ecſtaſi ſe quaſi duos pullos columbarum ſummo affectu enutrire: & vnum quidem niueo candore præfulgentem, alium varietatis tegmine conſtantem. Cúmque ſuper eodem nimio affectu congauderet, videtur ſibi quaſi domus familiam nuntiare, quòd S. Cæſarius vrbis Arelatenſis Epiſcopus pro foribus adſtaret. Quod illa audiens, ſancti viri gauiſa aduentu, in occurſum eius læta properat, atque officioſiſſimè eum ſalutans, vt in ingreſſu ſuo benedictionem ſuæ domui largiretur, humili prece petebat. Ingreſſuſque domum benedixit eam. Cúmque illa honore debito deprecaretur eulogias eius accipere, mererturque ipſe potum vel cibum accipere, hoc ab eo reſponſum accepit: Dominus tecum ſit, filia mea, nam ego vt pullum illum columbarum, quem tu dulciter tibi videris enutrire, mihi concedas exopto. At illa hæſitans intra ſemet ipſam cogitabat; vnde hoc ſciret quòd hæc illa apud ſe haberet, dicens ſe huiuſmodi rem non habere: At ille dixit ad eam: Coram Deo dico: non hinc egrediar, priuſquam petitioni meæ ſatisfacias. Mox illa negare non potuit, ſed exhibuit, & ſtatim viro Dei obtulit. Ille verò cum magno gaudio apprehendens eum qui nimio candore præfulgebat, ouans in pectore ſuo collocauit, & valefaciens abſceſſit. Illa expergefacta cogitabat intra ſemeipſam quid hoc eſſet, & reuoluebat in animo ſuo, quare ille qui defunctus fuerat ſibi apparuiſſet, ignorans quòd familiam ſuam* (pro in familia 28 29

ſua) Epiſcopus *ſponſam ſibi eligere adoptaret.* Ecce Ruſticulam Clementia ma-
30 ter vehementiſſimè amat, ſed Deus ei per ſomnum ſignificat futurum eſſe, vt illa ſit olim monialis in Arelatenſi cœnobio, quod beatus Cæſarius erexit. Et quidem præſagorum eiuſmodi ſomniorum pleni ſunt libri, pleni viſorum, quibus ſancti homines ſub imagine candidiſſimæ columbæ demonſtrantur. Non igitur velim ego hoc aduertere: quod cogitare te cupio, eſt Ruſticulam Cæſario ad Monaſterium expetitam, cùm prorſus infantula eſſet in cunis, ſcilicet nondum extincto fratre ab illa columba variis tincta coloribus ſignificàto, quiextremum diem obiit *non plurimis*, vt paulò antè vidimus, poſt Ruſticulæ ortum *diebus*; & Cæſario proinde expetitam ſeptimo poſt mortem anno, qui quingenteſimo quadrageſimo quarto Chriſti
31 deceſſit è vita. Ceterùm eulogias pro cibo & potu Florentius vſurpauit cum aliis, & cum Fortunato libro vndecimo carmine nono. Audi Epiſcopos, à Childeberto & Guntramno regibus præpoſitos cauſæ Chrodieldis puellæ regiæ, cum Agnete Abbatiſſa, apud Gregorium Turonenſem libro decimo hiſtoriæ capite 16. *De conuiuiis etiam, Agnes ſe nullam nouam feciſſe conſuetudinem, niſi ſicut actum eſt ſub domna Radegunde, ſe Chriſtianis fidelibus eulogias obtuliſſe, nec ſibi comprobari cum illis vllatenus conuiuaſſe.* Cæſarius in regula ſuarum
32 monialium numero 25. habet *eulogiam panis.* Cur ita Ruſticulam ſibi amaret Cęſarius, Clemētia puellę mater ignorabat; non ignorabat verò dęmon, ſibiq; ab illa timuit, & in futurū præcauens, voluit infantulam deliciis in nutriri, & iam tum, ſi poſſet aliquando matrimonij vinculis irretiri, nuptiarum aliqua veluti rudimenta ponere. *Igitur*, addit Florentius, *cùm eſſet hæc virgo annorum quinque, capta eſt à quodam viro, nomine Cheraonio: cúmque eam ad domum ſuam perduxiſſet, genitrici ſuæ eam obtulit enutriendam, vt cùm ad legitimam peruenisſet ætatem filio ſuo connubio iungeret.* Cùm legis puellulam à Cheraonio captam, ne cogita dolo, aut vi è manibus Clementiæ matris exceptam. Clementia Cheraonio alendam dedit, quæ filij nuptiis parabatur:
33 ſed ſcriptor ſemibarbarus vim ſuam Latinis vocibus non reliquit. Hoc fecit dæmon, quid verò Deus? accipe. *Sed ille*, ſunt Florentij verba, *qui non dormit, neque dormitat, & qui cuſtodit Iſraël, reuelauit ſpiritu ſancto Liliolæ Abbatiſſæ Monaſterij, quod ſanctæ recordationis verbis Arelatenſis Pontifex Cæſarius fundauit, vt peteret à venerabili Siagrio Epiſcopo, qualiter agere deberet apud glorioſiſſimum Gunderamum regem, vt intra ſepta monaſterij eam faceret introire. Tunc ſupradictus Cheroanius cùm hoc factum comperiſſet, cepit multis precibus & muneribus precari, vt ipſa ei concederetur in matrimonium: Sed diuinâ gratiâ concedente, ita ipſi regi in ſuo corde largitus eſt Dominus, vt eam per quendam Abbatem virum magnæ conuerſationis ad Liliolam dirigere debebat.* Liliola hæc illa eſt
34 celeberrima Monaſterij Arelatenſis poſt Cęſariam, aut B. Cęſarij ſororem, aut, vt alij volunt ex Cypriano qui ſancti Cęſarij vitam ſcripſit, aliam ceteris ſcriptoribus ignotam Abbatiſſa, ſanctæque Radegundis reginę in rebus monaſticis, Sigiberto rege poſtulante, magiſtra: quę res fecit vt Fortunatus poſt Cęſariam inter virgines in cœlo per Cęſarij fratris monita conſtitutam ita caneret.

Quos Liliola refert æquatis moribus ambos,
Et claram hæredem proxima palma manet.
Et quæcumque ſuos vigilans meditabitur actus,

His erit egregio participanda gradu.
Concipiente fide, Christi Radegundis amore,
Cæsarij lambit regula quidquid habet.

Cæsaria verò posuerat Massiliæ rudimenta pietatis Monasticæ, in cœnobio quod Cassianus ante centum quinquaginta annos erexerat; & Rusticulę etiam temporibus, religiosis vigebat legibus, vt intelligitur ex S.Gregorio libro sexto epistola 10. Respectæ Massilienſi Abbatissæ. Cur autem Liliola cogitauit de Rusticula in monasterio habenda? quid rei Gunderamo regi ad id proposuit? omnes libri, omnes tabulæ hæc tacent. Si suspicionibus agere fas est, crediderim ego sanguine proximam fuisse Rusticulæ, & cùm pro generis propinquitate puellam & diligeret, & variis per nuntios neque infrequentes literas, vt fit, frequentaret officiis, denique huius ita sibi Deoque deuinxisse animum, vt Beato Cæsario cepta, quæ vidimus, maturante de cœlis, Rusticula Cheraonij nuptiarumque imminentium perosa, cogitauerit monasterium, & de ipso adeundo vehementer egerit cum Liliola. Quando enim inuitam, aut non cogitantem, vel hæc ad monasterium à rege peteret, vel Abbatissæ postulanti rex concederet; quibus verò aliis siue officiis siue artibus duodenni puellulæ aut innotuisset, aut amata fuisset, quæ longè in cœnobio clausa erat Liliola? vtcunque ista habeant, certè Cheraonij iam penè soceri, & Clementiæ matris nullæ artes potuerunt efficere, vt quod rex concesserat, Rusticula Arelatense Monasteriū non adiret. Illas fusè tradit Florentius. Gunderamus autem rex huic scriptori est, quem vulgò Guntramnum dicimus, siue Guntheramnum, Clorarij primi filium, qui cùm adierit regnum Burgundiæ, Arelatem & vniuersam cis Rhodanum Prouinciam complexum, anno quingentesimo sexagesimo quinto, ante huncannū Rusticula non venit ad Liliolam: sed neq; post eum, se Monasterio ipsa addixit, quandoquidē quingentesimo sexagesimo nono in Abbatissam assumpta est octodecim annorū virgo, ne feratur religionum prorsus rudis in hoc dignitatis euecta, quod omni summarum virtutum genere promeruisse statim videbimus. Rusticula ergo quaturdecim annos nata, ambiente Liliola Arelatensi Abbatissa, agente Siagrio Augustodunensi, vt ego quidem arbitrabar, celeberrimo illo iis temporibus præsule, annuennte Guntramno rege, ducente Anonymo quidem sed sanctissimo Abbate, Cheraonij domo excessit, monialemque Arelate professa est. Iuuat hoc addere, si B.Radegundis de Arelatensium monachorum habitu cultuque nihil mutauit, Rusticula vestem lactenam in cœnobio induit, quod præscribit S. Cæsarius in regula num. 44, siue lactineam, hoc est colore lacteam, vt ego quidem interpretabar, & nudos omnem vitam pedes habuit. Nam Fortunatus libro octauo carmine primo sic loquitur de B. Radegunde.

35

36

37

Regia lactineo mutauit pallia cultu:
Vilior ancillæ vestis amata tegit.
Splendida serraco quondam subuecta superbo,
Nunc terit obsequio planta modesta lutum.

Lactineus verò, siue lacteus color *à summa albedine remissus*, autore Theophilo medico de vrinis cap. 5. *similis est lacti, & albedinem χαροπῶ*, id. *glauci superat, qui est instar cornu attenuati perspicuus:* Atque lactinea vestis mihi quidem videtur concolor Cartusianæ, & qui Cæsarianarum erat in veste virginum

ginum pannus, colore & (ſi ex ceteris regulæ partibus coniicere fas eſt) aſperitate omnino par illi, quem in ſuperiore Occitania plebs agreſtis adhibet ad ſua pallia, quæ Galli dicimus *capes de Bearn*: ſic enim profectò erat *vilior*, vt loquitur Fortunatus, ſeu viliſſima *ancillæ veſtis*.

38 Florentius perſequitur ſtudia puellæ iam monialis: addit tantis ceteras virgines anteiiſſe virtutibus, vt paucis poſt annis in Liliolæ mortuæ locum magno omnium conſenſu euecta fuerit. *Tantam autem gratiam*, inquit, *ei Dominus, & memoriæ capacitatem dignatus eſt tribuere, vt intra pauca temporum ſpatia pſalmos omnes didicerit, & omnes ſcripturas diuinas memoriter retinuerit. Nam fertur aliquando dum infans pſalmos pararet, & vt adſolet, infantiæ ſomno occuparetur, recumbens in genua vnius de ſororibus, pſalmum & ipſa in aure dicebat. Quæ mox vt expergefacta fuiſſet, tanquam ſi eum legiſſet, ita memoriter*
39 *recenſebat, implens illud ſcripturæ dictum, ego dormio, & cor meum vigilat. Tanta autem caritate & humilitate circa illam ſanctam congregationem ſibi exhibebat, vt homines eam nimio venerarentur affectu. Erat enim ſtrenua in omnibus, prudens in verbis & moribus bonis, elegans ſpecie, ætate conſpicua, in omnibus manſueta, præceptis Chriſti morigera, ita ſuæ proprietatis nomen actibus demonſtrans, vt iam illi in tempore dignam ſponſi vocem mereretur audire; ſpecioſa ſicut luna. Igitur beatiſſimâ Liliolâ de hac vita migrante, à Domino viſum eſt ad omnem illam ſanctam congregationem, vt dilectam Dei Ruſticulam eligerent ſibi matrem. Illa autem refutabat, indignam ſe eſſe dicens ad hoc opus. Sed multùm fauente Domino impletur deuotio ancillarum Dei, impoſitoque ſibi honore, Chriſti ſancto moderamine, inuigilabat pro animabus ad ſe pertinentibus. Erat autem tunc annorum circiter decem & octo.* Quid plura referam, & quæ Abbatiſſa geſſit re-
40 citem? ea fusè tradit Florentius, virtutes in ſuper, miracula, viſa; in quibus illud eminet, quo Lucia & Melania ſanctæ mulieres ſeſe conſpiciendas Ruſticulæ præbuerunt. Vnum ille omiſit, quod habet Gregorius Turonenſis libro quarto hiſtoriæ capite 26. Theodogildis ex opilionis filia in vxorem & reginam euecta eſt à Chariberto Pariſiorum rege: ſed eo mortuo, & ſuæ à natalibus tenuitatis, & tanti ſupra omnia humanarum cogitationum vota coniugis, oblita ad Sigibertum Metis regem leuiro nuptura proficiſcitur. Hic effrænam impiæ mulieris ſiue arrogantiam, ſiue libidinem deteſtatus, eam anno iſtius ſæculi ſeptuageſimo damnat Arelatenſi monaſterio. *Hæc*
41 *verò agrè ferens,* ſubiicit Turonenſis, *ieiuniis ac vigiliis affici, per multos nuntios Gothum quendam adiuit, promittens ſi ſe in Hiſpanias deductam coniugio copularet, quod cum theſauris ſuis de monaſterio egrediens, libenti eum animo ſequeretur. Quòd ille nihil dubitans repromiſit. Cumque hæc collectis rebus, factiſque volucris, à cœnobio pararet egredi, anticipauit voluntatem eius induſtria Abbatiſſæ: deprehenſâque fraude eam grauiter cæſam cuſtodiæ mancipare præcepit, in qua vſque ad exitum vitæ præſentis, non mediocribus attrita paſſionibus perdurauit.* Vixdum Ruſticula vicennis Abbatiſſa ſecundum in magiſtratu annum perfecerat, cùm Theodegildis ad eam venit. Quo autem Gothus vir cùm ea de matrimonio & Hiſpana profectione egerit, mihi non liquet. Certè totum hoc facinus prudentiam, animoſque virginis religioſam in monaſterio ſuo diſciplinam vehementer amantis, ſanctéque ſeruantis, apertiſſimè demonſtat.

42 Interea rerum dæmon frendebat, grauiſſiméque dolens ereptam nuptiis, ſæculoque,

sæculoque ac sibi nobilissimam virginem; & Rusticulam restitutis cum templo ædibus monasterij, magnóque puellarum agmine sibi ad Dei cultum sociato felicissimè agẽtem, turbare ac perdere cogitauit per importunũ facinus. *Suasit cuidam Episcopo, Maximo nomine, & cuidam principi nobili secundum sæculum, nomine Ricamiri*; sunt Florentij verba, *vt falsum testimonium cogitarent aduersus famulam Christi, quòd illa occultè regem nutriret: & abeuntes ad regem Clotarium accusauerunt eam.* Quis Maximus antistes fuerit, quis Ricamir Princeps me latet. Rex quem ij per insignem calumniam aiebant à Rusticulâ occultè nutriri, est Childebertus Theodorici filius, qui Sygoberto, Corbo, & Meroueo fratribus captis à Clotario *fugaciter ascendens, nec vnquam postea fuit reuersus*, vt loquitur Appendix Turonensis capite 41. Porro Maximus & Ricamir fecerunt, vt Amphidius Arelatis pro rege gubernator (principem vocat Florentius) etsi amicissimus erat Rusticulæ, eam tamen à Clotario juberetur etiam nolentem educere de monasterio Parisios deducendam. Igitur 43
quæ non potuerat minis ex eo pertrahi, hoc Amphidij precibus demum concessit, vt cùm antea præceptum S. Cæsarij de non exeundo è monasterio præ omni à rege terrore posuisset, ex ipso prodiret, atque in illius cellam se reciperet. Præceptum B. Cæsarij habes in ejus regula n. 2. *Nulli*, inquit, *ex vobis vsque ad mortem suam de monasterio, aut permittatur, aut per scipsam præsumat exire.* Id Episcopi omnino septem respondentes Beatæ Radegundi de monasterio ab eâ erecto, & puellis ad illud conuolantibus suâ constitutione confirmant. *Definimus*, inquiunt, *si qua de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi Domino prouidente commissis, in Pictauia ciuitate vestro monasterio meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ domini Cæsarij Arelatensis Episcopi constituta, nulli sit vlteriùs discedendi licentia.* Quàm graue autem habitum ab omnibus fuerit facinus, contra illud à Chrodielde & Basina Regiis virginibus susceptum, inuenies apud Gregorium Turonensem libris nono & decimo historiæ. Arelatensis monasterij cella abs dubio dicitur à Florentio, in quâ 44
excipiebantur hospites: *cella salutatoria* appellatur à Sancto Cæsario in regula numero sexagesimo quinto. Iam cùm Rusticula septem totos dies in eâ cellâ hæsisset, dedit se Parisiensi ad Clotarium regem viæ, & *Deus reuelauit per Spiritum suum sanctum*, ait Florentius, *cuidam apostolico viro, Episcopo ciuitatis Viennensis, vt protinus ad regem graderetur, & denuntiaret ipsi grauiter in Deum offendisse, eò quòd injusto judicio condemnasset famulã Christi, & protinus se à filio orbari pro tam immisericorda iussione.* Sanctus & apostolicus Ecclesiæ Viennensis, qui memoratur, Episcopus est Domnolus. Strenuum appellat Ado in chronico, & in redimendis captiuis egregium, vt non mirere quòd statim atque Rusticulam, clarissimæ sanctitatis virginem, accepit eductam non sine vi è monasterio, haberi per viam honestè quidem, sed veluti tamen in vinculis, ipse Clotarium regẽ accesserit, grauique oratione, & ab impio facinore deterruerit, & eò adegerit vt splendidè per viam tractari juberet. Is S. Desiderio Augustodunensi successerat, quem Brunechildis & 45
Theodoricus recta monentem anno septimo supra sexcentesimum occiderant, teste appendice Gregorij Turonensis capite trigesimo primo: *Theodoricus consilio Aridij Episcopi Lugdunensis perfidi vtens, & persuasu auiæ suæ Brunichildæ sanctum Desiderium de exilio egressum lapi-*

dare præcepit: ad cujus sepulcrum miras virtutes à die transitus sui Dominus integrâ assiduitate ostendere dignatur. Vt martyrem de via salutaret Rusticula, basilicæ fores, quæ serâ occlusæ erant, magno portento repentè patuerunt. Cùm autem Parisios peruenisset, humanè quidem accepta est à Clotario rege, sed cùm is sacramento virginis de non suscepto crimine, cujus apud ipsum accusata fuerat, non haberet fidem, *quod ei fuerat prædictum, per injusta judicia quæ in Dei famulam exercuerat, filium suum se amissurum, compleuit in meritum,*
46 vt loquitur Florentius. Iste puer est filius Clotarij ex Berthrude, quæ eo ipso anno mortua quoque est: is verò erat trigesimus quidem illius in regno Burgundionum, Christi verò sexcentesimuus decimus quartus. Clotarius filio mortuo, Rusticulam in monasterium magno cum honore remisit, procul dubio grauiora sibi ab ipsius injuria, si in eâ pergeret, metuens. Illa post reditum vixit annos quatuor. Ætatis septimo & septuagesimo extremum diem obiit, *lætissimo vultu*, addit Florentius, *oculis præfulgentibus quasi subridens*, Theodosio Arelatensium Episcopo. Hactenus de beatissima puella dictum sit. Neque alienum omnino à scribente de Vasionensibus Episcopis, ego quidem arbitratus sum differere de Vasionensi virgine, quæ & ab illorum institutione sanctitatem accepit in pueritia, & ipsorum ciuitatis præcipuum est decus. Ad Quinidium, à quo pridem discessimus, reuertamur.

47 Florebat omni virtutum genere clarissimus apud suos Diaconus, & Theodosius antistes jam ætate vietâ, quietem ab Episcopali opere cogitabat. Igitur vnus ille huic occurrit, in quem deriuaret laborem. Id meditanti tendentique, populus omnis applausit. *Theodosij autem votum*, inquit Anonymus de Quinidij vitâ scriptor, *& petitio populi ad Childebertum regem, qui Francorum regioni principabatur, pia sollicitudine dirigitur.* Ne mireris Childebertum non regem sine omni appendice, at Francorum regem dici. Vasio tum erat in regno Burgundionum. Cùm Childebertus & Clotarius fratres illud occupassent, hinc certè intelligis Vasionem in sorte Childeberti fuisse. *Sed nec ipsius voluntas dispar*, pergit Anonymus, *in tam bono & præclaro opere inuenitur. Accepit Ecclesiæ preces: dat suâ autoritate fauorem: proceres ipsius absque mora roborant: regina, Vltrogotta nomine, nec ipsa excluditur: scilicet particeps tantæ bonitatis festinat inueniri.* Vltrogoto appellatur à Fortunato libro 6. in titulo carminis octaui, quo ejus hortum laudat, asserens illius arbores manu Childeberti insitas fuisse.

Hæc magno inseruit rex Childebertus amore:
De cultore trahit mellitum planta saporem:
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis.

Vltrogotonem etiam in ipso carmine pergit appellare:

Possideas felix hæc Vltrogoto per æuum,
Cum geminis natis tertia mater ouans.

Poëtæ vota Deus non audiit. Nam quemadmodum habet Turonensis libro 4. historiæ cap. 20. Clotarius Childeberti fratris mortui regnum & thesau-
48 ros accepit, atque Vltrogotam cum filiabus duabus misit in exilium. Sed quo sæculi anno Quinidius Episcopatum iniit? hoc ego quidem non inuenio. Ex vltimo tamen Theodosij senio, qui onta annum primum & quadragesimum factus fuit Episcopus, in eam cogitationē venio, vt non multò ante

Childeberti

Childeberti mortem illum inierit, vicesimo scilicet Episcopatus Theodosij anno aut circiter, & primo ac sexagesimo sæculi. Lego Episcopum anno tertio & septuagesimo interfuisse Synodo Parisiensi. Cetera tanti Antistitis præclarè per vitam gesta, meæ tabulæ non habent, si vnum excipias, quod Anonymus subiungit. *Patritius cui nomen Mummulo, feroci naturâ, Vasensem vrbem fastu turgidus ingreditur. Sanctus vir præceptum præ oculis habens Apostolicum, obuiam elati patritij aliquantulum perrexit. Tunc idem seipsum pro superbia non ferens, in contumeliam serui Dei prorupit, indignans cur ad recipiendum submissiùs & pomposiùs non paruisset, &c. Ad vocem superbi hominis, & gestum austerioris* 49 *circa se animi, beatus Quinidius armis virtutum succinctus, ad cellulam suam regreditur, ac sese in orationem profundens, Domine, inquit, Iesu, &c. properat iter ceptum Mummulus perficere. Diuino iudicio è vestigio correptus, tandem inuitus meminit se hominem esse quod erat. Siquidem præreptus lassitudine, & defectione corporis grauissimè fatigatus, vicinam sibi mortem inesse putabat. Inter famulantium verò manus sustentatus, ad sancti viri cellulam protrahitur potiùs, quàm progreditur. Æstuante incendio officium membra perdunt, horrore sanguis congelascit, supponitur ad pedes sancti hominis, affectu lacrimisque quibus potuit deprecatur, nunquam se deinceps in quemcumque seruorum Dei talia tentaturum pollicitus. Vir Domini, misericordiæ, & pietatis visceribus plenus, veniam roganti* 50 *misero indulsit; sanatumque, vt in seruis Dei Christum veneraretur, pius pastor monuit.* Quis Mummulus iste fuerit tacet Anonymus. Puto eum fuisse, de quo Gregorius Turonensis plurima, & aliis alia locis memorat. *Eunius*, inquit libro quarto historiæ capite sexto & tricesimo, *cognomento Mummolus rege Guntramno Patritiatum promeruit.* Fuit is eodem Turonensi autore *Altissiodorensis vrbis incola, Pænio patre ortus, qui huius municipij comitatum regebat.* Pœnius autem Ferreolo & Industria Clodouei filiâ natus, Ansbertum habuit fratrem Austrasiæ ducem, è quo per Alnoaldum filium ortus est S. Arnulphus Ansegisi pater, & Pipini auus, vnde Caroli Martellus, & Magnus, longâque serie alij Francorum Reges, & Imperatores Romanorum progeniti sunt. Iam Mummolus, pro barbarâ indole, importunisque ac sæuis in omnes moribus, superbiùs & iniquiùs egit cum Quinidio Episcopo. Certè quid non in Pœnium patrem suscepit impius? *Pœnius*, pergit Turonensis, *cùm ad renouandam actionem Comitatus Altissiodorensis, munera regi per filium transmisisset, ille datis rebus paternis, Comitatum patris ambiuit, supplantauitque genitorem, quem subleuare debuerat.* Sed Anonymus prodigium super- 51 riore maius subiungit à me non prætermittendum. *Mummulus humiliatus, & de castigatione cautior factus, reddi debere curatori suo cupiens munera, conducentia seruo Dei direxit, quæ me ad subleuationem pauperum, ne hominem contempsisse videretur, recipere iussit. Sed quid fraus antiqua experiri voluit? vnum de sociis vel contubernalibus ipsius patritij voto auaritiæ aggreditur. Is conciliatore diabolo Pontificem post paululum suppresso dolo alloquitur, se missum qui pecuniam olim datam à Patritio pauperibus erogandam iussu ipsius recuperet. Mentientem non eum vltio diuina vsquequaque sustinuit. Vt enim mentientem Spiritui sancto per Apostolum Petrum Ananiam sententia Diuina coërcuit, & ne deinceps quicunque talia præsumerent pœnâ mortis cum vxore perculit, ita & hunc suo iusto iudicio morte festina prostrauit.* Ita ille: qui, vt vides, non coætaneum modò, sed etiam contubernalem Quinidij se fuisse non obscurè tradit. Et

cetera

cetera quidem accuratè scribit, in eo certè peccat, quòd neque ortûs, neque mortis annum addit; initia quoque & durationem Episcopalis curæ tacet. Nam in iis quæ sequuntur, docet quidem varia edidisse miracula, & præterea tradit nihil egregij sanctíque esse, quod non animosè ac fortiter exegerit, sed diem mortis afferens non adjungit ejus annum. Vnum hîc præterire non
52 possum. Iam à pluribus siue annis, siue sæculis Mauriacenses Aruerni sanctum Quinidij corpus habent, ac debitis venerantur honoribus: sed à quo tempore, & quo faciente illud acceperint, nullibi chartarum lego. Nam quòd eorum nonnulli arbitrantur (& ex non recenti volumine manu nescio cujus scripto duxerunt) Sanctum Honoratum archiepiscopum Arelatensem eum esse, qui per discipuli manus illud Vasione Mauriacum detulerit, ego quidem probare non possum; & vehementer miror esse qui non abjiciant. Certum quippe est Honoratum ex hâc vitâ decessisse annis ferme centum ante natum Quinidium, vtpote qui monasterium Lerinense condiderit multis ante quadringentesimum annis; & si Prosperum audimus, Arelatensem Ecclesiam adierit sexto supra quadringentesimum vicesimum.
53 Magis dixerim, si conjecturi sagere fas mihi est, fuisse in veteribus Episcopis, qui beatissimi viri corpus in templo quondam ei Vasione erecto, è parietinis nunc restituto, posuerit, cùm ad Abbatiam templo additam, & Paschali secundo Pontifici Romano cognitam, euocasset Mauriaco monachos; atque in monachis Sanquinidianis etiam fuisse, qui per Saracenorum aliorumve hominum seu barbarorum, seu barbaris immanitate parium latrocinia ereptum deportauerint Mauriacum. Scilicet Auriliacense, vt alia taceam, in eâ ipsâ Aruernià monasterium etiam per Delphinatum, aliásque longiùs regiones colonias deduxit, & Mauriacense cœnobium à Theodiguilde seu Theuchilde Clodouei filia, ante mille & centum annos erectum, eâ quondam inclaruit morum integritate, vt non magnum videri debeat, si feratur habitatum à monachis, quos Vasionensis Episcopus expetierit.

54 *S. Barthus.* Sancto Quinidio traditur successisse B. Barthus, siue Bartius, vt Vasio gloriari; & quidem meritissimò possit, sibíque gratulari, quæ tres deinceps Episcopos felicissimo hoc sæculo habuerit omni virtutum genere illustres, cœlestibúsque donatos honoribus. Sed vt Theodosij, ita etiam Barthi res obliuione sepultæ sunt vniuersæ, & sola clarissimorum virorum nomina ad nos peruenerunt. Hoc tamen possum asserere, si Barthus post Quinidium sedit, vt à majoribus accepimus sedisse, non multos egisse annos Episcopum. *Arthemius.* Lego enim Arthemium anno quingentesimo octogesimo primo fuisse in concilio Matisconensi, quarto in Valentino secundo, & quinto misisse ad Matisconense secundum qui vices ipsius ageret: vt si Quinidius post Parisiense, cui interfuisse diximus, diem extremum obiit, & Arthemius ante Matisconense primum adiit Episcopatum, Barthus annis tantùm octo præ-
55 *Petronius.* fuerit Ecclesiæ Vasionensi. Post Arthemium non inuenio qui Vasione sederit ante annum sexcentesimum, quo Petronius Cabilonensi concilio interfuit. An is Arthemio successit, qui post Cabilonense mortuus videtur? *Simplicius.* nam Simplicius tertio post illud anno Episcopus fuit. Enimvero potuit Arthemius superare decimum aut quindecimum à sexcentesimo, & Petronius eo mortuo sedere annos supra triginta aut viginti. Quis fando non accepit plures fuisse quondam antistites, qui annos quadraginta, aut quinquaginta,

vel

vel etiam plures in Episcopatu posuerint? Vtcumque hæc habeant, istorum Episcoporum temporibus vixit S. Rusticula Vasionensium insigne decus & ornamentum: scilicet anno 551. nata peruenit ad 628.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM VASIONENSIVM
LIBER SECVNDVS.

QVIS Petronio successerit Vasione, non inuenio. Sed neque in tabulis, quæ ad meas manus plurimæ peruenerunt, memoratur ab eo quisquam Episcopus per 200 annos. Quę prælongi causæ silentij? nemo dicat. Potuit vacare sedes annos supra 100. principio per Clodouei II. & totius ab eo gentis ignauiam, deinde per Saracenorum frequentissimas excursiones, & barbara latrocinia. Sed profectò nunquam ego quidem existimauerim vllâ vi factum vel arte, vt Pipini primùm, postea Caroli magni, & Ludouici Pij temporibus Vasio sine præsule fuerit. Perierunt chartæ, quæ res ab Episcopis per annos 200. gestas ferebant. Imperante Lotario, quem Ludouicus Pius genuit, Simplicius Vasione sedebat anno 3. supra 850. Is Eliam fortassis habuit successorem, qui Mantalensi Concilio interfuit sex & viginti pòst annis. Charta vetustate nobilis est in tabulario Episcopi Carpentoractensis, quâ Carolus rex Antistiti Vendacensi nonnulla elargitur *Vasione*, vt loquitur, *ciuitate*. Eam iuuat exscribere, vt ex aduentu regis ad ipsam, intelligas antiquissimæ & nomilissimę vrbi suum etiam tum stetisse nomen; nam cur ad ipsam alioqui veniisset? Reges non adeunt vrbes modicas, præsertim per quas via non fert ad ampliores. 1

Simplicius. Eli A

In nomine omnipotentis Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Carolus diuinæ prouidentiæ clementiâ rex. Dignum est, vt regalis majestas parochianorum petitionibus opportunis præbeat beneficia, eorúmque vtilitatibus pietatis suæ prouideat adminiculo, quatinus eos nobilitando, eos ad sua reddat obsequia promptiores. Nunc igitur comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque præsentium scilicet & futurorum industria, quia Gerardus illustris Comes nostris detulit obtutibus per Ioannem venerabilem Vendacensem Episcopum, quòd quasdam res nostras ex fisco sibi in beneficio pertinentes, Ecclesiæ suæ sedis S. Dei genitricis Mariæ, & eidem Episcopo conferre debuissemus. Nos qui assensũ petitioni ejus præbentes, salutaribus moniti institutis abnegare non contempsimus. Igitur vnà pro Dei amore, & pro luminariis Ecclesiæ prædictæ continuandis, clericorúmque ejusdem sedis seruientium alimoniis, concedimus in ciuitate Carpentoractis Ecclesiam S. Antonij cum omni fisco, quantum in præfata ciuitate habere videmur. Insuper etiam conferimus totũ ab integro fiscum, ab Alzone riuo vsque ad alium riuum qui vocatur Denesclia, & Protermaruco vsque in Palude Mairre, omnia inter hæc terminata, consistentia de fisco quæ nobis pertinere videntur. Etiam villa quæ dicitur Vnango mansorum quatuor, & colonicas duas; & in valle Nabrone juxta castrum Vennascha Ecclesiam S. Petri cum suo prioratu, & fiscum quantum habere videmur cum ibi, quod & in omnibus præscriptis locis, præsenti tempore & futuro. Tradimus itaque, 2

3 *atque transfundimus omnia iſta ſupradicta cum omnibus ſibi pertinentiis, cum ſeruis & ancillis, campis, agglatis, vineis, perreriis, arboribus pomiferis & impomiferis, cum molendinis, aquis, aquarum que decurſibus, ad prædictam ſanctæ ſedis Eccleſiam per deprecationem ſuprà factam Comitis. Et faciat ex his rebus quidquid elegerit vel voluerit. Sed pro firmitatis ſtudio hoc noſtrum pragmatum fieri decreuimus, per quod cenſentes decernimus, vt iam memorata Eccleſia prædictas res ſub omni integritate perpetualiter retineat, faciatque vt paulò pòſt inſertum eſt. Et vt hæc noſtræ corroborationis autoritas firmior fore noſcatur, & diligentiùs conſeruetur, manu propriâ ſubter firmauimus, atque annuli noſtri impreſſione conſignari præcepimus.*

Signum piiſſimi Domini Ka ℟ I *glorioſi regis. Agrumſagius regiæ dignitatis comerius recognouit.*

Datum decimo octauo cal. Aprilis, anno, propitio Domino Ieſu Chriſto, domini Caroli glorioſiſſimi regis decimo tertio indictione vndecima. Datum Vaſione in Dei nomen feliciter. Amen.

4 Hactenus antiqua charta. Illius ego cetera prætermitto. Quod iſtius loci eſt, exiſtimo Carolum regem, non Magnum, quod plurimi volunt; non Caluum eſſe; ſed Magni pronepotem, filium Lotarij imperatoris, Prouinciæ ac Burgundiæ regem. Vt ita ſentiam facit maximè, quòd is anno regni ſeptimo conceſſit ad preces Gerardi Formicariam in ſulam Rhodanenſem Epiſcopo Viuarienſi, vt retuli ſecundo libro de Viuarienſibus Epiſcopis numero 46. qui ad Gerardi comitis preces Vendacenſi Vnamgonem villam, & alia nunc elargitur anno regni tertio decimo. Eo igitur anno qui fuit Chriſti octingenteſimus ſexageſimus octauus ad ipſam venit Carolus rex, neque tamen Carpentoractem aut Auenionem proximas vrbes adiit. Nam cur alioqui in ea potiùs, quàm in iſtis tabulas ſcripſit?

5 *Humbertus* Humbertus Iſonis frater regebat Epiſcopatum Vaſionenſem anno nongenteſimo vndecimo, & annis 985. ac 989. ex tabulis Arelatenſis Archiepiſcopi quemadmodum intelligitur ex charta pro Montis maioris monaſterio ſcripta à Benedicto octauo. *Benedictus.* Benedictus ſedebat Vaſione anno nongentegimo nonageſimo ſexto. *Alueradus.* Almeradus autem ſeptimo pòſt, ac *Petrus.* Petrus milleſimo nono, Imbertus ſexto & viceſimo eiuſdem ſæculi, Petrus ſecundus quadrageſimo 31. anno 1044. interfuit donationi burgi & Eccleſię S. Promaſij Forcalquerienſis Sanuictorinis à Bertranno Comite Forcalquerij, patre Vvilelmi & Gaufridi. *Imbertus* Epiſcoporum fere ſola nomina ad nos, vt vides, peruenerunt, quos ego quidem non dubito maioribus inferiores non fuiſſe ſapientiâ, pietate, rebus præclarè geſtis, ſed & alia ab aliis variarum gentium ſeu bella, *Petrus 2.* ſeu latrocinia, quæ Prouinciam omnem & ipſorum, & longis etiam poſt ipſos temporibus peſſimè habuerunt, & inſcitia ignauiaque identidem comites temporum, omnia eorum monumenta perdiderunt. Gaufredus & Bertrandus Prouinciæ reguli, mediam Vaſionis partem dederunt Petro Vaſionenſi Epiſcopo, vt autor eſt Paſchalis ſecundus, cuius literas exſcribam poſtea. Quis autem is Petrus Antiſtes, an primus, an ſecundus? hîc hæreo.

6 Gaufridum & Bertrandum lego regnaſſe hoc ſæculo ab anno octauo decimo vſque ad primum & quadrageſimum. Petrus verò primus potuit ſexto & viceſimo mori, quo Imbertus ſedere forſitan cepit; & ſecundus viuebat quadrageſimo. Certe Guilelmus Gaufredi & Bertrandi pater octauo & decimo

cimo viuere desiit, & eo filij cum Fulcone fratre dederunt Sanuictorinis monachis Manuascensia quędam prædia; primo autem & quadragesimo Bertrandus, Gaufridò præsente, Audaonensibus mediam nescio cuius pagi partem. Vt autem in Bertrandi nomine non erres, moneo cognomen viri fuisse. Guilelmus dicebatur, cognomine Bertrandus. Quem etiam Gaufridum legis, inuenies apellatum aliquando Lefridum. Benedictus secundus 7
sedebat anno secundo & quadragesimo: eo enim coram Raimbaldo Arelatensi Archiepiscopo ita professus est: *Ego Benedictus Vasionensis Ecclesiæ vocatus Episcopus, promitto coram Deo, & sanctis eius, omnem subiectionem & obedientiam canonicam, & fidelitatem Ecclesiæ S. Stephani sedis Arelatensis, vbi corpus B. Trophimi confessoris quiescit, Raimbaldo Archiepiscopo, & successoribus eius, si eum superuixero.* Hoc ipsum cum Benedictio professi sunt Rostagnus Aquensis, Bertrandus Foroiulienſis, Bernardus Antipolitanus, & alij in basilica S. Stephani, præsentibus Raimundo Gaufredo, Ioanne Capa, Bertrando Porceleti, Bernardo Oliuario, Rostagno de Posqueriis consulibus. Sed Rostagni Aquensis Episcopi verba placet afferre. Sic loquitur. *Ego frater Rostagnus Aquensis Ecclesiæ ordinatus Episcopus, debitam subiectionem, & obedientiam, & reuerentiam à sanctis Patribus constitutam secundùm præcepta canonum, sanctæ sedi Arelatensis Ecclesiæ, rectoribusque eius in præsentia D. Raimbaldi pertuò exhibiturum promitto, & supra sanctum altare propriâ manu firmo.* Ante Rostagnum Pontius iis ipsis verbis Archiepiscopo Arelatensi fidem appromiserat. Hæc autem retuli, vt videas cùm ea gerebantur Episcopum Aquensem nondum euasisse in Archiepiscopum. Id quo postea factum sit anno non inuenio. Certè Archiepiscopus erat ante millesimum centesimum quinquagesimum secundum. Petrus tertius Raimbaldi Episcopatus Sistaricensis direptione nobilissimi filius, patre melior, interfuit Concilio apud S. Ægidium circa annum 1056. quod habetur apud Marcam, libro 4. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 14. pag. 281. dedit monachis Sanuictorinis ad Massiliam, Abbatiam SS. Petri & Victoris in sua diœcesi positam, sed Abbatiæ nomen extinctum est; & Draponem castrum Raimundo Episcopo Nicienſi. Rostagnum sedisse anno millesimo centesimo octouo docet Paschalis secundus, vtpotè ad quem eo sequentes litteras dedit. *Benedictus 2.*

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Rostagno Vasensis 8
Ecclesiæ Episcopo, eiusque successoribus canonicè intrantibus in perpetuum. Iustis votis assensum præbere, iustisque petitionibus aures accommodare nos conuenit, qui licèt indigni iustitiæ custodes atque præcones, in excelsa Apostolorum principum Petri & Pauli specula positi, Domino disponente conspicimur. Tuis igitur, frater in Christo venerabilis Rostagne, iustis petitionibus annuentes, sanctam Vasensem Ecclesiam, cui autore Deo præsides, sedis Apostolicæ autoritate munimus. Statuimus enim vt Vasensis ciuitatis medietas, quam B. Mariæ semper virginis matris Ecclesia, ex antiquo iure possederat, & altera medietas, quam Gaufridus Prouinciæ Comes, cum fratre suo Bertramno per manum Petri bonæ memoriæ Episcopi eidem Ecclesiæ tradidit, saluo iure omni, & in agris, terminis qui prædictorum Comitum chirographo continentur. Alia etiam ad ius eiusdem Ecclesiæ pertinentia, id. Abbatia S. Cli- 9
nidij, Burgus Balneoli, castrum Rastelli, castrum Cresti, medietas Intereallis cum appenditiis suis, & vniuersa quæ iustè ad eandem Ecclesiam pertinere videntur, in tua tuorumque successorum possessione, dispositione, atque regimine libe-

ra

ra semper & illibata seruentur. Porro clericorum personas & res, tibi semper liberas permanere sancimus, vt nemini præter Episcopale iudicium eis violentiam liceat irrogare. Interdicimus etiam ne post tuum, aut successorum tuorum obitum, quicumque Episcopi fuerint, inuadere aliquis aut distrahere audeat, sed omnia sub clericorum cura & diligenti prouisione seruentur. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat eiusdem Ecclesiæ possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur tam tuis, quàm clericorum & pauperum vsibus profutura. Si quis igitur in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Iudex, aut Ecclesiastica quælibet sæcularisue persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Scriptum per manum Raineri scriniarij, regionarij, notarij sacri palatij.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij 5. cal. Maij, indict. 1. incarnationis Dominicæ anno 1108. Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ nono.

Ex Pontificiis tabulis intellige sequentia. Primum est Ecclesiam Vasionensem iam olim fuisse sacram B. Mariæ: *B. Mariæ semper virginis matris Ecclesiam* Paschalis appellat. Secundum est mediam partem Vasionis in Episcopi Vasionensis ditione fuisse multò ante annum millesimum centesimum: *Vasensis ciuitatis medietas, quam B. Mariæ semper virginis matris Ecclesia ex antiquo iure possidet*, inquit Pontifex Romanus. Sed à cuius munere profluxerit id iuris, mihi quidem nonliquet. Tertium est Abbatiam S. Clinidij, vt ea fuerit cuius rudera ibi nunc videmus vltra Ouidiam fluuium, vbi quondam stabat Vasio, tamèn extra muros vrbis, & ab ea distinctam fuisse, vtpote quam Paschalis cum castris Rastelli, & Cresti seu Cresteti censet inter illa, quæ præter Vasionem ad Episcopum pertinent. Ceterùm, vt id non taceam, Burgus Balneoli fertur fuisse suburbium antiquæ Vasionis, ita dictum à balneis, quæ putatur habuisse, & quorum vestigia nonnulli arbitrantur extare in illius parietinis.

Berengarius de Mornatio.

Berengarius de Mornatio sedit annis tertio & quadragesimo, primo & quinquagesimo, ac tertio & septuagesimo post millesimum centesimum. Sunt quidem tabulæ, & eæ veteres, quæ ferunt anno istius sæculi secundo & quinquagesimo interfuisse translationi S. Trophimi à basilica S. Honorati in campis Elisiis suburbana, ad aliam ædem sacram intra vrbem ipsam Arelatem, cum Episcopis Bernardo Arausicano, Valfrido Auenionensi, Petro Massilienſi, factæ quarto Iunij, Raimundo Archiepiscopo Arelatensi: vereor tamen, si res habet veritatem, vt non suo anno consignata sit literis; iam enim vidimus sanctissimi viri corpus fuisse Arelate tertio & quadragesimo in basilica S. Stephani. Mihi magis verum est anno tertio & septuagesimo Berengarium interfuisse conuentionibus Raimundi Arelatensis Archiepiscopi,

copi, cum Petri de Lambeſco filius de arce Salonia, & aliis Archiepiſcopatus caſtris, quæ hi armis occupauerant tenebantque. Arbitrarij quidem iudices erant Bernardus Cabilonenſis Epiſcopus, Iaufredus magiſter militum Comitiſſæ Forcalquerij, Bertrandus de Baucio, & Bernardus de Sabrano Comes ſtabuli: teſtes autem cum Berengario alij tres Epiſcopi, Gaufredus Auenionenſis, Petrus Arauſicanus, & Hugo Tricaſtinus. Comitiſſæ illius 13
Forcalquerij nomen ignoratur: quocunque ea diceretur, certè vxor erat Guilelmi, qui ſe pluribus in chartis vocitat filium Bertrandi & Ioſſerandæ Comitum, annoque octauo pòſt ſexageſimum ſucceſſit Bertrando fratri. Ioſſerandam volunt Arnaldi Flottæ filiam hanc fuiſſe. Et iſta quidem hactenus dicta fuerint ad recitandos & ex vero conſignandos Berengarij antiſtitis annos. Sequitur vt vnum aliquid afferam, quod & ipſum, & Bertrandum de Lambeſco, Berengarium de Reilana, ac denique Guilelmum de Lauduno ſucceſſores vehementer exercuit afflixitque. Sub annum huius ſæculi ſexageſimum Raimundus Comes Toloſæ filius Faidæ, quam Gilbertus Prouinciæ Comes genuerat, Vaſionem & alia Vaſionenſis Epiſcopi caſtra, quæ in maternæ hæreditatis parte pro clientelâ erant, cogitauit ſibi habere, & ex ipſis præſulem expulit. Quæ Chriſtianum Principem cauſæ ad impor- 14
tunum facinus egerint, nemo hactenus ex veteribus tabulis attulit. Fortaſſe vt medietatem Vaſionis Epiſcopo dederunt Gaufridus & Bertramnus Prouinciæ Comites, ita etiam eiuſdem vrbis alteram partem ac Epiſcopalia caſtra ante illos tradiderant alij eiuſdem Prouinciæ ſeu Comites, ſeu Reges; atque Raimundus vt erga Epiſcopos & Eccleſiam Catholicam ipſam malè affectus erat, doluit erepta Comitatui Prouinciæ (marchionatum, ſuam illius appellitabat partem) atque adeò Faidæ matris hæreditati, & ipſi, vnde per dilapidationem iniurioſam ſublata fuiſſent, duxit reſtituenda. Nam Carpentoractenſem quoque Epiſcopum, ab eius filio barbarè habitum domoque pulſum, ac prædiis ſpoliatum ſcimus, quæ Carolus Prouinciæ Rex, ei non pauca *de fiſco* principis ablata, fuerat elargitus. Sed quoniam tota hæc 15
res ad Pontificem Romanum, & imperatorem Germanorum qui Prouinciam ſibi clientem tum tenebat peruênit; qui cognitores dederunt anno ſequentis ſæculi vndecimo, cùm ad eum annum peruenero, illam afferam. Nunc ſatis erit aduetere teſtes ſupra centum ſuper ipſa tum dixiſſe, & Guilelmum de Proas eorum ſextum & quadrageſimum elocutum eſſe in hæc verba. *Dominus Epiſcopus Berengarius, qui fuit de Mornatio, tenebat, & poſſidebat, ſegnorialiter ciuitatem Vaſionis cum palatio, faciendo iuſtitias, accipiendo Leidam in mercato: & tenebat molendinum, & totum hortum, & furnum, & montem in quo modò eſt caſtrum Vaſionis, & totum territorium, vt dominus.* Paria Guilelmo attuliſſe alios poſtea videbimus.

Bertrandus de Lambeſco ſedebat anno octauo & ſeptuageſimo, ſeque 16
teſtem tabulis inſcripſit, quibus Fridericus primus Raimundo Arelatenſi *Bertrandus de Lambeſco.*
Archiepiſcopo, & eius canonicorum ac clericorum collegio, concedebat immunitatem ab omni vrbano ſiue municipali onere, etiam cùm reficiendi ſunt muri, vel reſtituenda murorum foſſa, aut demum ſeu conſtituendæ, ſeu intendendæ per noctem vrbis vigiliæ. Hic Antiſtes ea recepit quæ Raimundus Toloſæ Comes à Berengario Mornatienſi abſtulerat. Vvilelmus coram quæſitore ſeu Pontificio, ſeu Imperatorio, teſtis quintus ita reſpon-

dit: *Post primam captionem D. Episcopus Bertrandus de Lambesco Episcopus Vasionensis recuperauit palatium,& tenuit in pace & quiete, & castrum de Cresteto & de Rastello recuperauit,& alias res Episcopales,& in pace possedit.* Alij testes addunt seruasse per omnem vitam.

17 *Bereng. de Reilana.*

Bertrando successit Berengarius de Reilana. Hic à Comite Tolosano rursum Vasione pulsus est, atque ceterâ ditione Episcopali priuatus. Istius Episcopi temporibus hoc etiam addidit regulus Tolosanus,vt munitionem nescio quam è ligno imponeret monti, in quo nunc est Vasio. Cùmque nihil aliud posset Antistes,Comitem anathemate petiit,siue,vt vulgò loquimur,excommunicauit, & omnes qui eum in opere juuarent. Munitionis istius erectio fortassis faciet,vt putet aliquis Tolosanum Comitem, ab armis Episcopi timuisse Vasioni receptæ; & quidem abs dubio, quia Bertrandus de Lambesco,ereptam Mornatiensi,restituerat vi. Et verò gens seu Lambescia,seu Reilanæa tum eæ erant,vt illa quidem per Prouinciam,hæc verò per Forcalquerienſem Comitatum opibus dignitatéque florētes,possent Vasionem propinquam vrbem; seu gentilium & affinium,seu amicorum armis, & occupare,& tenere,præsertim cùm Comites Prouinciæ,& ipsis & amore sanguine proximi Comites Forcalquerij,non multùm æqui Tolosano essent,ex

18 nuptiis & hæreditate Faidæ. Verùm audi quæ Vvilelmus testis quintus anno vndecimo supra 1200. dixit ad quæsitores facinoris Tolosanorum Comitum. *Quando Episcopus de Reilania fuit expulsus de Episcopatu Vasionensi,scilicet de ciuitate, & de Cresteto,& de Rastello,ipse Episcopus vocauit canonicos, & presbyteros Episcopatus, apud castrum de Entrechaux, & excommunicauit Comitem Tolosanum & terram Comitis quæ erat in ejus Episcopatu. Idem prohibuit homines Comitis Tolosani, qui faciebant excarrazonatam in loco in quo est modò castrum Vasionense, ne eam facerent, & excommunicauit. Et ita tunc dimiserunt.* Hoc de excommunicatis excarrazonatam facientibus omnino antè factum est, quàm Episcopus Vasione pelleretur. Imò si quid ex sequentibus licet colligere,ea excommunicatio illa est,quæ Raimundum Tolosatem eò furentis sæuitiæ compulit, vt Antistitem Vasione dejiceret. Pergit enim Vvilelmus: *& Episcopus fecit portare ligna dictæ excarrazonatæ ad palatium ad comburendum.*

19 Sedebat ego domi suæ,siue in suo palatio, quietus Antistes, cùm Raimundus Tolosæ Comes excarrazonatam faciebat in summo monte. Quidquid autem intelligas excarrazonatæ nomine, ignotum quippe mihi est, certè videtur mœnium aliquod genus significare, & ejus loco, turrim postea ab eo ipso Comite exædificatam videbimns. Muniebat supremum verticem montis Comes, & *videbatur*, inquit Anierius testis quartus & sexagesimus,*Berengario de Reilana Episcopo,quòd Ecclesia, & ipse damnaretur in opere illo.* Damno huic auertendo latum in opifices est anathema,& Comes injuriam vltus est depulsione Episcopi à domo, ciuitate, & castris Episcopatus.

20 *Vvilel. de Lauduno.*

Berengarium Reilanæum excepit Vvilelmus de Lauduno. Hic Episcopatum omnem à Raimundo Tolosate recepit, & ad mortem vsque tenuit. Armisne,an dignitate,autoritatéque receperit haud scio. Certè gens Laudunensis, iis erat tum opibus per inferiorem Occitaniam, & tam multas affinitate cognationeque gentes nobilitate rebusque bello & pace gestis illustres contingebat, vt cùm ab eius armis sibi timeret Comes, existimandus sit

erepta

erepta Reilanæo voluisse concedere ob ipsius claritudinem. Igitur sic ea tradidit, vt recipi tamen iusserit post Vvilelmi mortem; & ne periculi aliquid esset in mora, tum dolo abrepta sunt, cùm Episcopi cadauer magno Vasionensium luctu efferebatur ad conditorium. Ipsius etiam præsulis domum arte occupauerunt, cùm corpus ex ea educebatur. Barbarum facinus, neque alij quàm hæretico homini cogitatum. 21

Vvilelmo Laudunensi successit Raibaldus Flotta, vir genere, opibus, dignitate clarissimus, his maximè temporibus cùm viuebat Guilelmus Bertrandi & Iosserandæ Flottæ aut amitæ, aut certè consanguineæ filius, qui tegulus Forcalquerij, Ebredunenses, Vapincenses, Sistaricenses, Auenionenses, omnem Druentiam à fontibus ad Rhodani confluuium, amplissima ditione tenebat. Igitur existimabam Vasionenses canonicm in eum hoc maximè conueniisse, quòd intelligerent prorsus futurum, vt Tolosatium Comes Forcalquerienſem certè, vt alia non essent, reueritus sua omnia Raibaldo Antistiti restitueret. Neque fellit sapientes viros sententia. Tolosanus tamen tres omnino annos à Laudunensis morte tenuit, maximo argumento difficillimè factum, vt ab ipso diuellerentur. Quo autem anno Raibaldus vel inierit. Episcopatum, vel à Tolosano Comite sua receperit, tabulæ meæ non habent. Anno 1212. electus in Episcopum interfuit Concilio Vaurensi. Sed cùm Raimundus Faidæ nepos, denique ad Albigenses hæreticos deflexisse videretur, Innocentius tertius Pontifex, & Otho Germanorum Imperator, qui Prouinciam clientelæ iure sibi obstrictam, & arbitrabatur, & tenebat, dederunt Raibaldo iudices, qui de damnis ab eo Vasionensi Ecclesiæ illatis cognoscerent. Vt enim Vasionem ciuitatem, & Crestetum, ac Rastellum, castra restituisset Episcopo, non tamen canonicis, aut etiam Antistiti fecerat hactenus satis, pro clade eorum domibus agrisque illata. Innocentius Raimundum Vticensem Episcopum Legatum in Gallias suum, Otho Michaëlem Archiepiscopum Atelatensem iudicio præfecerunt: & ambo in Vvilelmum Arausicanum præsulem conuenere, qui de propinquo rem quæreret. Is per Hugonem Florentium, Arausicæ quondam Episcopum & Guilelmum de Nouesano presbyterum strenuè opus gessit. Tabulæ quas Vvilelmus seu Raimundo, seu Michaëli confecit, sunt in archiuo Episcopi Vasionensis: placet eas exscribere. Ex ipsis intelliges, quàm grauiter ambo Raimundi Tolosates reguli, Faidæ filius & nepos, in Ecclesiam Vasionensem peccauerint, & quàm necessaria fuerit & Romani Pontificis, & Germanorum Imperatoris autoritas, ad resarcienda quæ ei damna intulerant. 22

Raibaldus Flotta.

Venerabili in Christo patri, & domino, Raimundo Dei gratia Vticensi Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, VVilelmus Dei miseratione Arausicensis Episcopus salutem. Et in omnibus famulari volentes paternitatis vestræ mandatis, in omnibus obedire quæ de negotio Ecclesiæ Vasionensis iussistis executioni mandauimus, testes domini Vasionis Episcopi, pro vt producere voluit, audiendo, quorum attestationes inferiùs continentur in hunc modum. 23

Hugo de Arbues testis iuratus, dixit quòd ipse vidit, & audiuit, quòd dominus Vasionis Episcopus Berengarius, qui fuit de Mornatio, habebat, tenebat, & possidebat palatium & villam Vasionis, vt dominus, in pace & quietus. Et postea venit Comes Tolosæ pater istius qui modò est Comes Tolosæ, cum bracmanzonibus, & aliis mainadis, & vi intrauit cum illis villam Vasionis, & palatium obsedit, & ibi tantam moram 24

fecit oppugnando palatium, quòd aquam abſtulit eis, qui intus aderant infra palatium, & vi eos qui erant in palatio expulit, & palatium vt accepit, villam cremauit dictus Comes. Interrogatus quomodo hoc ſciret, dixit quòd tunc ipſemet teſtis, erat in palatio pro dicto Epiſcopo, & idem fuit cum aliis expulſus. Item vidit, quòd eodem tempore dictus Comes, cum eiſdem mainadis abſtulit caſtrum de Raſtello iam dicto Epiſcopo; & ſunt quinquaginta anni, & plùs. Et Comes tantùm tenuit caſtrum de Raſtello & ciu- atem Vaſionis, quouſque dictus Epiſcopus obiit.

25 *Petrus de Rizone teſtis iu...us, dixit idem per omnia, quod primus; & hoc plùs, quòd caſtrum de Creſto vi abſtulit dictus Comes, cum iiſdem mainatis eidem Epiſcopo. Et nominatim dixit, quòd ciuitatem Vaſionem, & eius territorium, plenariè poſſidebat dictus Epiſcopus, vt dominus.*

Venteirolus de Propriat teſtis iuratus, dixit idem per omnia quod ſupradicti, & hoc plùs, quòd montem, vbi eſt caſtrum Vaſionenſe modò ædificatum, faciebat caſſare dictus Epiſcopus vt dominus, & poſſidebat vt ſuum. Et ipſe teſtis portauit multoties chirogryllos iſtius montis ad palatium D. Epiſcopi, nomine ipſius Epiſcopi. Et iſti duo expreſſerunt, quòd molendinum, & furnum, & mercatum, & totum hortum, & totam iuriſdictionem Vaſionis, vt dominus poſſidebat.

26 *Oliuarius de Propriat teſtis iuratus, dixit idem per omnia quod proximus, & hoc plùs, quòd ipſemet capiebat de nocte, cum luminaribus, & cum filato quod dicitur Sordus, in monte, in quo modò eſt caſtrum Vaſionis perdices, & perdices quas ibi capiebat, portabat dicto Epiſcopo vt domino. Hanc caſſam fecit multoties pro domino Epiſcopo, & quandoque cum Gillio; & cum aliis ſociis. Apes etiam, & fauum apum, multoties in eodem monte extraxit pro dicto Epiſcopo. Item dixit quòd idem Comes Toloſæ, petiit à domino Epiſcopo Berengario qui fuit de Railana, vt redderet ei palatium: & reſpondit Epiſcopus, quòd habebat à Deo & à B. Maria, & non à Comite, & ideo non redderet ei palatium. Et tunc dictus Comes, abſtulit dictum palatium per vim, oppugnando dictum Epiſcopum Vaſionis. Interrogatus quomodo hoc ſciret, dixit quòd ipſe teſtis tunc erat infra palatium, pro Epiſcopo qui de Relania, quando Comes vi cepit illud, & abſtulit dicto Epiſcopo. De prima iniuria, facta à domino Comite Toloſano, domino Epiſcopo Vaſionis quit fuit de Mornatio, ſunt quinquaginta anni & plùs: de ſecunda iniuria, facta ab eodem Comite, Epiſcopo qui fuit de Relania ſunt viginti quinque anni & plùs.*

27 *Magiſter VVilelmus teſtis iuratus, dixit idem per omnia, quod proximus de poſſeſſione, & de vtraque captione, & de tempore captionum. Et dixit quòd poſt primam captionem Dominus Epiſcopus Bertrandus de Lambeſc Epiſcopus Vaſionis recuperauit palatium, & tenuit in pace, & quiete, & caſtrum de Creſto, & Raſtello recuperauit, & alias res Epiſcopales, & in pace poſſedit. Item dixit quòd dominus Epiſcopus Vaſionis, qui fuit de Lauduno, recuperauit palatium, & Epiſcopatum totum, & in pace tenuit vſque ad mortem. Et tunc quando dictus Epiſcopus extrahebatur mortuus de palatio, cùm nuntij Comitis Toloſani viderent Eccleſiam deſolatam; furtim intrauerunt palatium, & illud abſtulerunt; & per triennium tunc dictus Comes tenuit palatium, & accepit redditus Epiſcopales, in ciuitate Vaſionis, & in caſtro de Creſto, & Raſtello. Item dixit, quòd quando Epicſopus qui fuit de Relania, & fuit expulſus de Epiſcopatu Vaſionis, ſcilicet de ciuitate, & de Creſto, & de Raſtello, ipſe Epiſcopus vocauit canonicos & preſbyteros Epiſcopatus apud caſtrum de Entrechalz, & excomunicauit Comitem Toloſanum, & terram Comitis, quæ erat in eius Epiſcopatu. Item dixit quòd dominus Epiſcopus Vaſionis, qui fuit de*

Relania,

Relania, prohibuit homines Comitis Toloſani, qui faciebant eſcarrazonatam in loco, in quo modò eſt caſtrum Vaſionis, ne eam facerent, & eos excommunicauit: & ita tunc dimiſerunt: & Epiſcopus fecit portare ligna dicta excarrazonata ad dictum palatium, ad comburendum ea.

Petrus S. Quinidij teſtis iuratus dixit idem de poſſeſſione, &c. Hic & qui ſequuntur Rogerius de Entrechalz, Saufredus Mazotus, Petrus, Vvilelmus de S. Stephano, Vvilelmus Chana, Gerardus Vrgaz, Petrus Gaiſſernens, Vvilelmus Peregrinus, Pontius Laurentius, Stephanus Berengarius, Vvilelmus Rodulphus, & alij eadem ſuperioribus dixerunt, niſi quòd ſequentes nonnihil addiderunt. 28

Petrus Enaus teſtis iuratus, dixit *quòd de propriis terris, quas habebat in dicto monte, ipſe dabat taſcham domino Epiſcopo.*

Vvilelmus prior de Proaz, vidit, & audiuit, quòd Dominus Epiſcopus qui fuit de Mornatio, tenebat & poſſidebat ſegnorialiter ciuitatem Vaſionis cum palatio, faciendo iuſtitias, accipiendo leidam in mercato; & tenebat molendinum, & totum hortum, & furnum, & montem in quo modò eſt caſtrum Vaſionis, & totum territorium vt dominus. Et vidit quòd in dicto monte, ter vel quater caſſabant pro Epiſcopo ſupradicto: & ipſemet teſtis portauit bis, vel ter, caſſam ad palatium domini Epiſcopi. Et vidit quòd dictus Epiſcopus Berengarius, tenebat caſtrum de Raſtello, & Caſtrum de Creſto, vt dominus, & ipſemet teſtis portauit quartam partem caſſæ ſaluazinæ, quæ fuit capta in territorio de Creſt, ad palatium dicti Epiſcopi, quàm caſſam habuit dictus Epiſcopus ratione territorij, & dominij de Creſt. Poſtea audiuit dici, quòd Raimundus Comes Toloſæ venit cum mainatis, & abſtulit vi dicto Epiſcopo Berengario ciuitatem & palatium Vaſionis, & caſtrum de Raſtello, & de Creſt. Poſtea ipſe teſtis vidit dictum Epiſcopum exhæredatum, & audiuit ab eodem quòd Comes Toloſæ vi abſtulerat ciuitatem, & palatium Vaſionis, & dicta caſtra. Et ſunt ſexaginta anni, quòd primò vidit dictum Epiſcopum in poſſeſſione, & de prima captione palatij & caſtrorum ſunt quinquaginta anni, & plùs. 29

Petrus Gallafredus *vidit, quòd dominus Epiſcopus Berengarius qui fuit de Reliania, tenuit in pace & quiete, & habuit ciuitatem Vaſionem, & palatium, & totum* Epiſcopatum: *poſtea vidit quòd Comes Toloſæ venit cum militibus, & clientibus, & abſtulit dicto* Epiſcopo *ciuitatem Vaſionis, & palatium; & expulit homines* Epiſcopi, *& ſuos intromiſit; & dictus* Epiſcopus *remanſit exhæredatus dum vixit. Et poſtea quòd quando dominus Raibaldus Flotta, qui modò eſt* Epiſcopus, *fuit electus, Comes tenuit dictum palatium per aliquot annos, poſtea reddidit domino* Epiſcopo, *& alias res* Epiſcopales. *Vidit etiam, quòd Comes Toloſæ ædificauit turrim in monte vbi modò eſt caſtrum Vaſionis, faciebat expenſas de blado* Epiſcopi. *Interogatus quomodo ſcit: dixit quòd ipſe vidit quòd homines dicti Comitis extrahebant bladum* Epiſcopi *à palatio, vnde expenſas turris faciebant, quando eam in dicto monte ædificabant. De iniuria facta domino Berengario qui fuit de Reilana, ſunt vigintiquinque anni & plùs, de iniuria quæ fuit facta D. Raibaldo, qui modò eſt* Epiſcopus, *quando fuit electus, ſunt octodecim anni, & plùs.* 30

Petrus Barnoinus *vidit & audiuit, quòd Raimundus Comes Toloſæ, vi abſtulit palatium Vaſionis cum blado, & vino, & pannis, & beſtiis, tempore quo dominus Raibaldus, qui modò eſt* Epiſcopus, *fuit electus: & vidit quòd de blado, & vino dicti electi, quæ erant in palatio, fuerint factæ expenſæ in turrim ædificandam quæ modò eſt caſtrum Vaſionis.* 31

Digitized by Google

& concedo, quòd septem prædicta castra, scilicet .....vbche, Opeda, Balme, Rochamaura, castrum Mornacij, ... cadant in commissum Romanæ Ecclesiæ; & ius quòd habeo in ..... Melgorienſi, ad Romanam Ecclesiam plenissimè reuertatur. Volo etiam vt persona mea excommunicetur ..... & eâdem pœnâ stratas pullicas seruabo. Hactenus Raimundus Tolosæ Comes. Milo Apostolicæ sedis Legatus sequentia subiungit.

In nomine Domini. Anno Pontificatus domini Innocentij Papæ tertij duodecimo, 14. *cal. Iulij. Ego Milo domini Papæ Notarius, Apostolicæ sedis Legatus, præcipio tibi domino Raimundo Comiti Tolosano sub debito præstiti iuramenti, & sub pœna* in forma eiusdem iurantenti adiecta, *vt dominum Episcopum Carpentoractensem tam in ciuitate, quàm extra, pleno iure restituas, & de damnis datis* tam *de rebus, quàm de fructibus eidem Episcopo resarciendis, fide iussores præstes idoneos; & vniuersos ciues Carpentoractenses, à iuramento, quod citra triennium tibi, vel alij tuo nomine, præstiterunt, absoluas omnino, & munitionem quam ibi feciſti fieri, mihi vel cui iussero facias assignari. Item præcipio tibi sub eadem pœna, vt dominum Episcopum, Præpositum, & canonicos Vasionenses tam in castris, quàm aliis, pleno iure restituas, & de damnis datis, & ædificiis destructis, & rebus aliis, & fructibus resarciendis, eisdem fideiussores præstes idoneos; Castrum Vasionense mihi, vel cui iussero facias assignari. Item sub eadem pœna vt Aragonenses, rotarios, catarellos, manadas seu Vascones, vel braibansiones, vel quocunque alio modo vocentur, de tota terra tua, pro posse tuo prorsus expellas, nec in alienam terram eos immittas, vel alij concedas, nec eorum consilio vllo tempore vtaris. Item sub eadem pœna vt vniuersos Iudæos, de tota terra tua pro posse ab omni administratione publica, vel priuata, prorsus amoueas, nec vnquam ad ipsam, nec aliam restituas, vel alios Iudæos ad aliquam administrationem assumas, nec eorum consilio vllo tempore contra Christianos vtaris. Item sub eodem iuramento, & eadem pœna, tibi præcipio, vt stratas publicas securas obserues, saluis his quæ tibi dominus Papa, vel ego, vel alius de mandato ipsius, eodem tempore vel diuersis, tibi duxerit posterum iniungenda.* Quia verò Vasionenſes illi testes, cum sacramento asseruerunt, Comitem Tolosanum cum clientibus suis veniſſe, & vi cepiſſe Vasionem, addam his omnibus consules Auenionis eaipsa die 14. Iulij iurasse & alia se præstituros, & Comiti Tolosano aduersaturos, si iurata non seruet. Vide autem quid subiungant: aiunt se ei aduersaturos *in villis, & castris nostri consulatus, & ipsa ciuitate.* Quæ fuernit villæ castraque Auenionensis consulatus nullibi tabularum lego. Certè nunc etiam diœcesis Vaurensis, tum regio Comiti Tolosano subiecta, (puto, & aliæ saltem nonnullæ in Occitania) per consulatus diuiditur. Cum Auenionis consulibus, sacramentum alij non pauci dixerunt, quos ego quidem non dubito clientes principis Tolosani fuisse (clientes autem ad spoliandum Vasionensem Episcopum adhibuisse audiuimus à Petro Gellafredo) Baucij quatuor, Guilelmus, Hugo, Raimundus, & Dragonetus. Hugo Guilelmi frater erat, & vtriusque nepos Raimundus. Ij sanguine contingebant Raimundum Tolosatem: Faida quippe ipsius auia sororem habuit Stephanetam Raimundi, quondã Baucij coniugem. Vvilelmus Arnaldus, Raimũdus de Agouto, Ricaudus de Caron, Bernardus de Lauduno, Guilelmus Bernardi frater, Bernardus de Andusia, Petrus Bernardi filius, Robertus de Vcetia, Dicanus

37 38 39 40

nus Roberti filius, Robertus de Poscheris, Robertus Gantelmi de Lunello, cum Bauciis erant. Auduſiani gente Bermundi erant, & latè per Occitaniam dominabantur, atque Petrus Raimundi Comitis ſororem habebat in matrimonio, vt ſcripſi 3. de Viuar. Epiſcopis num. 43. ex Guilelmo de Podio Laurentij cap. 5. Ceteri Bermundis nobilitate generis, opibúſque ſuppares erant. 41 Igitur Miloni Legato Innocentij tertij coram Euchariſtia, ligno S. Crucis, & beatorum virorum reliquiis Euangelio ſuperimpoſitis, ipſi quoque jurant ſtaturos ſe illius & Eccleſiæ mandato.

Super expulſione mandatorum perpetuâ,
Iudæis ab omni adminiſtratione vel officio perpetuò amouendis,
Pedagiis & quidagiis dimittendis,
Pace & treugâ juxta mandatum tuum, vel alterius Legati D. Papæ, inſtituendâ.
Plenâ Eccleſiarum libertate ſeruandâ,
Eccleſiis incaſtellatis demoliendis, & penitus dimittendis, & nullo vnquam tempore incaſtellandis.
Damnis datis Eccleſiis, & aliis perſonis ſiue laicis, ſiue priuatis reſarciendis.
Denique quòd de nobis conquerentibus juſtitiam exhibebimus, ſtratas publicas ſecuras ſeruabimus, & eos quos Epiſcopi noſtri hæreticos nominabunt, & receptores 42 *& fautores eorum, animaduerſione debita puniemus.* Hæc illi. Ad Raibaldum Epiſcopum reuertamur. Ex judiciaria illa Arauſicani Antiſtitis inquiſitione, videor mihi colligere, electum in Vaſionenſem Epiſcopum, anno tertio & nonageſimo ſupra milleſimum centeſimum. In eâ quippe anno vndecimo poſt milleſimum ducenteſimum inſtituta fertur electus anno octauo antè & decimo. Cùm autem in eâ ipsâ legamus Railanæum præſulem Vaſione pulſum ante annos quinque & viginti, ac proinde quinto illius ſæculi & octogeſimo, aut circiter, aſſeramus oportet Laudunenſem non ſediſſe Vaſione multos annos, cui mortuo Raibaldus Flotta ſucceſſit tertio & nonageſimo. Vt enim Railanæus eo, quo ciuitate pulſus Intercallem ſeceſſit, obierit extremum diem, 43 annos tantùm omnino ſeptem ſedit. Hîc autem ſubit animum cogitare, Raimundum Toloſatem dediſſe Bernardo & Guilelmo Landunenſibus, qui ejus partes, quemadmodum vidimus, ſequebantur, vt Epiſcopo vel fratri, vel conſanguineo, Vaſionem reſtitueret. Sed neque Lambeſcius diuturnus in Epiſcopatu fuit, quem vidimus anno ſæculi octauo & ſeptuageſimo Antiſtitem. Vvilelmus Berengarius ab Arauſicano Epiſcopo quæſitore rogatus, & alia reſpondit, & ſequentia: *Dominus Epiſcopus Berengarius, qui fuit de Lambeſco, tenebat & poſſidebat mon-* 44 *tem, in quo modò eſt caſtrum Vaſionis, & ipſum defendebat vti dominus.* Qui defendiſſe montem aſſerit, ſignificat fuiſſe qui montem aggtederentur. Igitur eò cogitatione deuenio, vt putem nobiliſſimum Antiſtitem, ſuis & gentilium affiniumque amicorum armis illa omnia recepiſſe, quæ Raimundus Toloſas Faidæ filius à Mornatio, ante ipſum Anti- 45 ſtite, vi abſtulerat; & cùm Comes Toloſanus ipſa rurſum occupare cogitaret ſumma montis aggreſſum, quæ Lambeſcius tutatus traditur. Iam Raibaldus peruenit ad ſeptimum, & viceſimum poſt milleſimum ducenteſimum, & quatuor ac triginta annos, aut circiter tenuit Epiſcopatum.

Ripertus Flotta.

patum. Anno enim sæculi septimo vicesimo Ripertus Flotta ex canonicorum Præposito electus in Episcopum erat. Qui ergo R. Vasionensis Antistes interfuit conuentionibus Archiepiscopi Arelatensis cum Abbate Montismajoris, Raibaldus est. Illi conuenerunt de finibus. Post Ripertum sedisse rebar Guidonem, qui anno sæculi primo & quadragesimo electus, interfuit professioni clientelæ, quam Comes Tolosanus fecit Albigensi Episcopo. Guidonem excepit Faraudus è canonico in Episcopum electus. *Guido.*

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM VASIONENSIVM
LIBER TERTIVS.

MAGNVM sibi nomen fecit Faraudus & aliis rebus præclarè gestis, & conuentionibus cum Comite Tolosano primùm, deinde cum Præposito suorum canonicorum. Illæ enim ex sunt quæ Vasionem, Rastellum, Crestetum, & Intercallem omnino asseruerunt Episcopo; hæ verò, quæ canonicorum collegium verâ pace composuerunt. Sed principio præcipuam laudem habet, quod anno sęculi quinquagesimo, erexit in basilica principe (cathedralem vulgò appellant) beato Quinidio quondam Antistiti altare. Ante ipsum, qui Vasionensium Antistitum hoc susceperit, non inuenio, etsi de illius nomine Abbatiam vidimus jam à Paschali secundo firmatam Episcopis. Sequente anno cogitauit de finienda contentione cum Comite Tolosano, quæ annos ferme centum pessimè habuerat pręsules Vasionenses. Alphonsus Ludouici Francorum regis octaui filius enupserat in Ioannam Comitis filiam, quæ mortui patris hęres fuit Vt ex institutione Blancę matris, & exemplis Ludouici Francorum regis fratris, qui sanctorum virorum honores & promeruit, & consecutus est, ad omne virtutis genus sponte ferebatur, voluit quod ipsi erat de Vasione dissidium, finiri sapientium virorum consiliis, arbitrioque. Igitur Raimundus Gaucelinus Venaissini Comitatus, in quo est Vasio, gubernator, ejus mandato Nemausi cum Faraudo conuênit de re tota, in Guidonem Fulcodium tertio calendas Septembris, qui consultissimus juris vnus illis temporibus vniuersâ Galliâ ferebatur. Hic vir gente Grossus, ad eum honorum apicem denique peruênit, vt Romanum Pontificatum adipisceretur. Clementem quartum dicimus. Qui partium fidejussores pro illorum temporum more fuerunt, illos ego, prętet Alphonsum quidem, putauerim autores Faraudo & Gaucelino ad concordiam fuisse. Dracone- tus toparcha Montis Albani & Raimundus de Medullione stabant ab Episcopo; à Gaucelino Ademarus de Grayano & Isnardus de Montemeirano. Baucij Arausicę Principes hoc sapienter fecerunt, vt ambos amplecterentur; & Raimundus quidem esset ab Antistite, à gubernatore Vvilelmus. Sed his, & illis, magnum quid ad gloriam profectò fuit, opus curare vrgereque. Nam seu rem de quâ agebatur spectes, antiquissimę ciuitatis dominationem; 1 *Faraudus.* 2 3

nem : seu viros qui inter se contendebant, Regis Francorum fratrem, & antiquissimæ ciuitatis Episcopum ; seu diuturnitatem & vim acerbitatemque discordiæ, & ferro igneque exercita per centum annos dissidia, qui id operis occœperunt, næ summi illis ac pene diuini consilij mens fuit. Atque Guido grauissimus sanctissimusque virorum habitus est, cuius vnius arbitrio omnis causa permitteretur. Qualis autem & quàm illustris fuerit, accipe ex *antiquâ Normanniæ chronicâ*, quam Duchesnius edidit. *Guido fuit primitus aduocatus pòst (vt dicitur) miles. Vxore mortuâ factus est Episcopus Sanctæ Mariæ de de Podio in Aruernia, de hinc Narbonensis Archiepiscopus: post ab Vrbano IV. Papa ad cardinalatum vocatus, dictúsque Clemens IV.*

Itaque Sabrani, Laudunenses, Montilienses, & alij per Prouinciam Occitaniamque clarissimi dynastæ voluerunt conuentionis in Fulcodium testes esse. Is eo ipso anno, tertio calendas Ianuarij edixit in hęc verba.

4 *Ego Guido de Fulcodio, auditis diligenter & inspectis his, quæ coram me proposita fuerunt, pacem cupiens inter dominum Comitem, & dominum Episcopum Vasionensem reformare, & disceptationis materiam futuris auferre temporibus, de plenitudine potestatis mihi data, sic præfatas determino quæstiones. Imprimis volo & iubeo, quòd dominus Episcopus restituat domino Comiti supradicto, infra mensem à die instantis Epiphaniæ computandum, castrum seu fortalitium Vasionis, cum omnibus prædiis rusticis & vrbanis, censibus, & seruitiis, feudis seu feudorum dominiis, quæ dominus Comes possidebat, vel quasi possidebat apud Vasionem, seu in territorio Vasionis, die qua dominus Episcopus de meo speciali mandato fuit per senescallum, vel alium eius nomine ad prædicta omnia restitutus, saluo iure Vasionensis Præpositi, si quod habet in aliquibus seruitiis de prædictis, ita quòd his non obstantibus ius suum possit liberè prosequi contra dominum Comitem restitutum. Mando etiam restitui Comitem ad pedagium siue in pedagio, quod apud Vasionem percipiebat & percipere consueuerat, præterquam de roux* 5 (est herba inficiendis rubro colore vestibus) *& plumbo, quarum rerum pedagium mihi constat ad solum Episcopum pertinere. Iurisdictionem autem omnem, merum & mixtum imperium in ciuilibus & criminalibus quæstionibus in parte illa quæ breue* seu regio *Episcopi appellatur, in quascumque personas, exceptis bailiuis domini Comitis, & aliis personis inferiùs nominatis, domino Episcopo & successoribus eius adiudico, & à petitione senescalli quâ petebat in parte prædicta, nomine domini Comitis merum imperium & gladij potestatem, dominum Episcopum* 6 *absoluo. Porro in parte altera, quæ breue* seu regio *Comitis appellatur, firmantias & iustitias criminum capitalium quæ in ea committi contigerint, talium scilicet quæ de iure scripto sunt, & consuetudine curiarum mortis supplicium vel membri mutilationem infligunt, ictus etiam si qui eodem breui quod dicitur domini Comitis, ferro, fuste, vel lapide ex proposito facta fuerint: si tamen ex eis atrox effusio sanguinis, vel ossis fractio secuta fuerit, adiudico domino Comiti præfato in quascunque personas, exceptis baliuis Episcoporum, & aliis personis cum eisdem inferiùs nominatis. Et si ex dictis causis eidem adiudicatis, bona cuiusdam contigerit confiscari, bona mobilia erunt domini Comitis, immobilia verò domini Episcopi, eis exceptis quæ à domino Comite vel eius feudatariis laicis, tenentur in emphiteusin, vel in feudum, &c.* Sequuntur minutiora quędam de punitione criminum, quę non placet exscribere. Tantùm aduerte viros quos suprà dixit inferiùs nominandos, cùm de animaduersione in reos agebatur, esse

baiulum

baiulum & castellanum Comitis, atque eos qui in eius familia sunt, aut ipsius castro custodes sunt impositi; & baiulum ac familiam Episcopi, Præpositi, & canonicorum. *His itaque saluis domino Comiti*, pergit Fulcodius, *quæ circa iurisdictionem, & merum imperium sunt distincta, & eidem Comiti reseruata, omnis alia iurisdictio contentiosa & voluntaria, tam in casibus ciuilibus, quã in furtis, adulteriis, & aliis criminibus ordinariis, & extraordinariis cognitionibus, & omnia ad merũ & mixtũ imperium pertinentia, exceptis his quæ domino Comiti sunt retenta, ad dominum Episcopũ pertinebunt, & ea eidẽ & successoribus eius adiudico, sine contradictione domini Comitis perpetuò possidenda. Bannum verò vini secundum formam multis temporibus obseruatam in tota ciuitate Vasionensi similiter eidem domino Episcopo adiudico. Bannum etiam territorij Vasionis quoad tutelas fructuum & talas cohibendas, ad dominum Episcopum pleno iure pertinere pronuntio, saluo tamen banno Præpositi, & militum Vasionis, qui in tertiis locis bannum habere & habuisse noscuntur. Corratas insuper & ligna in vigilia Natalis Domini in omnibus hominibus totius ciuitatis, eidem domino Episcopo adiudico, exceptis clericis & militibus.* 8 Hîc hæreo, & antè ad vlteriora quàm pergo, placet nonnulla aduertere. Primum est, priùs Guido quàm hæc ediceret, iussisse vt castrum Vasionis traderetur Episcopo cum omnibus prædiis rusticis & vrbanis, censibus & seruitiis (vt ipse modò loquebatur) feudorumque dominiis: sed quo tempore id præceperit non esse in meis tabulis. Tamen cum animo meo reputans, quæ Raimundi ambo, filius & nepos Faidæ, Comites Tolosani per importunam vim aduersus Episcopum susceperunt, in eam cogitationem venio, vt putem Fulcodium huius causæ principio voluisse Antistitem in omnia Vasionis immitti iura dominum, suum etiam deinde si quod esset Comiti aliquâ in ciuitatis parte ius ipsi seruaturum. Ex his autem postea aduerto, factum igitur vt Raibaldus Flotta quondam Antistes, non acceperit à Comite Tolosano omnia Vasionis, sed Raimundum sibi retinuisse castrum, & alia quæ Fulcodius sub ipsa iudicij initia Faraudo iussit testitui. Et fortassis ea res est, quæ Raibaldum commouit, egitque ad postulandos ab Innocentio tertio Pontifice Romano & Othone Germanorum Imperatore cognitores, qui de damnis Ecclesiæ Vasionensi à Tolosate illatis quæreret. 9 10 Tertium deinde quod miror est portorium plumbi, & quâ panni rubescunt herbæ, deberi Episcopo, cùm de ceteris mercibus nullum vectigal colligat. Quis ceteras portorij partes sibi seruans, concessit hanc vnam? abs dubio diuisæ ex quondam erant, & in diuersos tributæ dominos; ad quem verò ista pertinebat, ille ipsam donauit Antistiti. Et is fortasse ille est qui primus antiquissimis temporibus mediam partem Vasionis dedit Episcopo; aut verò Gaufridus, & Bertramnus Prouinciæ Comites qui, mediam alteram elargiti sunt. Sed tu mihi magis quartùm aduerte, quod de duplici breui seu regione ciuitatis dixit Fulcodius. 11 12 Ergone altera Vasionis regio semper spectauit ad Comitem Venaissimum, an ex eo tantùm tempore potiùs, quo in montem ex transouidiana conualle vrbs transiit? Hæc res vehementer dubia est. Ex tabuis pendet, quibus factum est, vt Vasio principum munere ad Episcopum perueniret: ex verò aut perierunt, aut in nocte cæca nescio cuius tabularij obscuræ, omnibusque ignotæ latent. Si quid cogitando assequi licet, existimauerim ego, vt vniuersæ Vasioni iam olim

olim dominaretur Antistes, tamen certa, etsi perobscura, semper Comiti fuisse iura in parte ciuitatis, etiam cùm trans Ouidiam erat posita: cúmque nonnulli principes pro summa Episcoporum veneratione (neque fructuosa valde sunt) ea neglexissent, præsules donata interpretatos primùm sibi ac-
13 cepisse, tum posteris vti omnino concessa reliquisse. Et hinc, vt ego quidem arbitrabar, vniuersa mali moles in eos incubuit. Nam vt Raimundi Tolosates filius & nepos Faidæ, principio non erant Episcoporum obseruantes, postea etiam hostes erant, illa expetiuerunt, & aduersus præsules qui negabant egerunt armis, ac in obsistentes vsi sunt iure summorum principum, & ceteris castris ac Vasione etiam pro rebellione, quam interpretabantur, mulctauere. Igitur quod de palatio Episcopi recitauit Oliuarius de Propriac coram cognitoribus, vt suo loco memoraui, tu hoc de regione vrbis etiam intellige. Raimundus Faidæ filius Comes Tolosæ *petiit à domino Episcopo Berengario qui fuit de Reilana, vt redderet palatium: & respondit dictus Episcopus quòd habebat à Deo & à B. Maria, & non à Comite; & ideò non redderet ei palatium. Et tunc dictus Comes abstulit dictum palatium per vim, oppugnando dictum Episcopum Vasionis.* Iam vi ceperat ciuitatem, & eam quoque abs dubio pro Antistite obsistentem, ignibus dederat; obnitebatur tamen Berengarius tam pertinaci firmitate, tamque eduris animis, vt quæ in palatium deriuabantur aquæ fontanæ, eas Comiti necessum fuerit ruptis canalibus aliò auertere, deducereque. Atque ea existimo esse iura in quæ longo postliminio Alphonsum Comitem nunc inducit Fulcodius. Pergit autem in edicto suo his verbis. *Pro honore verò domini Comitis, & marchionatus Prouinciæ ad ipsum pro domina Comitissa spectantis eius vxore, plenius & melius integrando, volo & iubeo quò dominus Vasionensis Episcopus iurisdictionem, & signoriam & omnem districtum quem habet in territorio & ciuitate Vasionis, & in tribus castris proxi-*
40 *mè nominatis, & territoriis eorumdem à domino Comite supradicto, tanquam domino Venaissini & marchionatus Prouinciæ vt in feudum recipiat honoratum, & quòd fidelitatem iuret eidem, nec ad onus, vel seruitium aliud præter hoc teneatur.* Vides quo damnet Episcopum Guido. Igitur Antistes comiti Venaissino subiici fugiebat, seque negabat illius clientem esse Scilicet arbitrabatur qui Comites Vasionem, aliaqua castra Ecclesiæ tradiderant (& vt aliud nunc non sit, hinc intelligis concessisse) non seruasse sibi apertis verbis ius clientelæ. Atque id erat cur Berengarius de Rejlana diceret se à Deo, & B. Maria, non Comite Tolosano habere palatium, adde & Vasionem, aliaquè Vasionensis Ecclesiæ castra. Subiicit Fulcodius: *hoc saluo, quòd dominus Comes in ciuitate & castris supradictis, cotalatam seu albergam habeat, quantùm hactenus Comites habere consueuerunt, & caualcatam cùm vicinum vocauerit vel commouerit. Item tamen, quòd homines dicti Episcopi, caualcatam redimere data pecuniæ nullatenus compellantur. Et si de danda pecunia cum balliuis domini Comitis conuenerint, illa pecunia domino Comiti & domino Episcopo sit communis*, & cetera quæ se-
15 quuntur, quæ quoniam minutiora sunt, nullius est operæ recitare. Sed quos homines putas Episcopi dicere? an qui in domo & familia illius censentur, vel aliquem sub eo magistatum habent? an potiòs omnes ciuitatis & castrorum, præter eos qui in breui seu regione Comitis Vasione degunt? Atque hactenus edictum Fulcodij latum Parasiis anno primo & quinquagesimo su-

pra

Digitized by Google

pra milleſimum ducenteſimum. Qui de collegio Vaſionenſium rei teſtes interfuerunt, Bernardus præpoſitus, & Guilelmus Ferrandus, ac Guilelmus Operarius Canonici, illos ego interfuiſſe exiſtimabam mandato Epiſcopi, vt viderent ne quid in grauiſſima & per centum annos magnis animis agitata cauſa, pateretur detrimenti Eccleſia.

His feliciter à Guidone Fulcodio geſtis, qui Gauſſelino in Venaiſſini Comitatus regimine ſucceſſit Ioannes de Arſicio pacem corrupit, erigens moletrinam inuito Epiſcopo, in ea regione agri, quæ ipſi cum Comite communis eſt. Sed Alphonſus, vt quietis amantiſſimus erat, & Epiſcoporum ac Eccleſiæ obſeruantiſſimus, indoluit, atque Petrum de Ruzato Prædicatorij ordinis, virum ſapientem ac probum, iuſſit rem cognoſcere de propinquo. Vtque omnia diſcordiæ ſemina tolleret, id ſimul probauit quod Fulcodius peregerat Pariſiis. *Petrus de Ruzato cauſam ſeu cauſas*, inquit, *vel negotia fine debito terminet abſque dilatione, ſecundum quod erit de iure & conſuetudine patriæ faciendum. Reſtituimus*, addit, *& concedimus domino Epiſcopo ſupradicto item claues portalium Vaſionis, & fornagium furni dicti domini Epiſcopi, & partem dimidiam alterius molendini veteris, & hortum, & vineam eiuſdem domini Epiſcopi, & iuriſdictionem plenariam, & dominium in ciuitate Vaſionis, & territorio eiuſdem ciuitatis dicto Domino Epiſcopo reſtitui mandamus & concedimus, ſecundum formam compoſitionis factæ per venerabilem virum dominum Guidonem Fulcodij inter dominum Comitem & dominum Epiſcopum ſupradictum. Item reſtituimus poſſeſſionem & quaſi iuriſdictionem S. Verani* (regio agri eſt ad ædiculam S. Verani dirutam) *& eius territorij, promittentes tenere & obſeruare dicto domino Epiſcopo compoſitionem prædictam, &c. Item ſuper caualcatis de Intercallis, & ſuper pedagio Vaſionis, & ſuper delictis ſeu commiſſis aliquibus, ſeu quibuſque commiſſis, in quibus videbatur vobis dominum Epiſcopum Vaſionenſem commiſiſſe contra curiam domini Comitis prætaxati, cum eodem domino Epiſcopo tranſegimus, & ipſe nobiſcum tranſegit, &c.* Iſta Alphonſus. vt autem id adiungam, Clemens ſextus Pontifex Alphonſum ſecutus, ratum etiam habuit quod Fulcodius peregerat. *Nos ante omnia rationem intereſſe Romanæ Eccleſiæ, quæ poſtmodum præfato Alphonſo in dominio totius Venaiſſini prædicti, in quo ciuitas, & caſtra, ac eorum territoria prædicta conſiſtunt, ex iuſto titulo ſucceſſit, compoſitionem prædictam, & alia in inſtrumento prædicto contenta videri fecimus & inſpici diligenter, ac tandem comperto compoſitionem eamdem partibus vtilem & accommodam fore, & in earumdem partium & ſubditorum ſuorum in ciuitate, caſtris, & territoriis ſupradictis communem vtilitatem notoriè redundare, ipſius Petri* (Petrus de Caſa eſt hic Epiſcopus Vaſionenſis ab anno ſecundo & quadrageſimo ad octauum & quadrageſimum milleſimi trecenteſimi) *ſupplicationibus inclinati, compoſitionem eamdem autoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus.* 16 17

Atque hæc dicta ſint ſuper conuentionibus Faraudi Antiſtitis cum Comite Toloſæ de Vaſione & aliis caſtris, accedamus ad eiuſdem cum canonicorum collegij ſui Præpoſito. Rem vniuerſam poſuerant in arbitrio Ioannis Auenionenſis Epiſcopi. Is hoc præterea accepit ſibi faciendum, vt canonicorum collegium, veluti recenter exortum eſſet, conſtitueret, firmaretque ſuis legibus. Et quidem principio imminuit canonicorum numerum, & voluit eſſe omnino tantùm decem. Tum iuſſit vt ſinguli per ſe, vel per alium, intereſſent matutinis veſpertiniſque precibus, & ſacro quod conuentuale appellant. 18

Deinde ea decreuit quæ ad eorumdem cibum, & potum, ac vestes, & cetera quibus vita honestè ducitur faciunt. Demum de sacerdotiis (præbendas vocant) edixit: reliqua enim minutiora non iuuat oratione sequi.

19 Fuit præterea contentionis aliquid Fataudo Episcopo cum monachis Valriacensibus de decimis. Res neque impedita, & pertenuis est. Ab ea igitur fusiùs recitanda abstineo. Monachi Crudato venerunt. A quo Valriacum seu vocati, seu deducti fuerint mihi non liquet. Sed neque inuenio quibus temporibus inibi sedes fixerint. Crudatum autem, in Comitatu Viuariensi pagus est, non omnino modicus. Aliis domibus ab aliis sensim ad monasterium adiunctis denique surrexit. Eutbertus Theodori Comitis pater hoc erexerat, autore Ludouico pio in Crudati siue Crudaci deserto *in comitatu Viuariensi super Rhodanum fluuium*, vt loquitur Boso Prouinciæ Rex, & ego docui 2. de Viuariensibus Episcopis num. 40. Media decimarum pars cessit Episcopo, monachis media anno secundo & sexagesimo istius sæculi. Guigo Crudati Abbas tum erat, & Merulus Valriaci Prior. Diune postea vixerit Faraudus haud scio. Ab hoc anno ad primum & septuagesimum meæ omnes chartæ de Episcopo tacent.

20 Isto sedebat Giraudus, & rem obscuram atque per difficilem, quæ ipsi erat cum Hospitalariis sapienter composuit. Hi habent duas, vt loquuntur, præceptorias in Episcopatu Vasionensi, alteram in fano Romani Malagardæ, alteram in Villa dei. Faraudus ante Giraudum Antistes tria, vt scriba loquitur, *affaria* (puto esse prædia) prope Villamdei in regione agri dicta *Quesonegas* emerat: vnum à Guilelma Guilelmi de Podio Almatio filia & Peregrini de Bellomonte vxore, alterum à Bertrando & Guilelmo Peregrinis illius Guilelmæ filiis, tertium ab Hugone de Falcone & Guilelma vxore, neptequ Peregrini de Bellomonte quem memoraui, per Luciam filiam. Et Aguillonus præceptor aiebat se in eorum ab Episcopo emptionem assensum non esse, quibus tamen clientelari iure dominabatur; velleque ea sibi ipsum, quando beneficiaria essent. Hoc primum contentionis caput erat, & cùm accerrimè res hinc & inde ageretur, alia antiqui dissidij capita, vt solet, excitauit. Igitur alterum erat de solidis quinque, quos Episcopus ex *affari* nescio quo Hospitalariorum Villadeano sibi postulabat in censum annuum.

Giraudus.

21

Isti proximum fuit tertium de duodecim denariis censualibus ex nemore

22 Lamenorum, in quos iam ab anno millesimo centesimo nonagesimo Hospitalarij cum Antistite conuenerant, & conuentiones anno post septimo & tricesimo probauerat Henricus Cardinalis Albanensis, agentibus Riperto Flotta Episcopo, & Guilelmo Sanromani præceptore. Quartum & vltimum iam ab annis centum durâ pertinacique lite trahebatur. Giraudus Antistes aiebat Henricum Albanensem Episcopum iudicem arbitrarium, iam olim edixisse, vt media pars decimarum Sanromani de Malagarda traderetur Bertrando de Lambesco præsuli: & cùm res rursum vocaretur in controuersiam post annos septem & quadraginta, edictum Henrici sapienti-

23 bus viris probatum fuisse: Ista Giraudus pro se: ex aduerso Petrus Aguillonus & Raimundus de Grassi Hospitalarij, ille Auenionensis & Villadeanus, hic Arausicanus & Sanromaninus de Malagarda Præceptores contendebant se nullos Episcopo denarios, nullos solidos in annuum censum debere, & decimas tum Villadeanas tum Sanromaninas per annos quinqua

quinquaginta, vt aliud non esset, iam suas, sine omni impedimento possedisse. Rem vt vides, ancipitem Giraudus ita composuit, vt cederet Hospitalariis tria Faraudi Villadeana affaria, & quinque solidos censuales annuos; ab Hospitalariis autem acciperet duodecim denarios annuatim pro Lamenio nemore, & decimam partem decimarum Villædei, ac Fani Romani ex agris quos ipsi colonis curandos traderent. Lamenium illud nemus Templariorum quondam fuerat, & Villadeanus quoque prioratus: Arausicanus autem Præceptor Hospitaliorum dominabatur parti Arausicæ, quam anno septimo supra millesimum trecentesimum mutauit nescio quibus rebus cum Carolo claudo Prouinciæ Comite, & Arausicæ per clientelam domino: & ille ipse Carolus sequente anno donauit Bertrando Baucio, cùm se ipsum ex Arausicano principatu clientem profiteretur. Anno quinto & septuagesimo idem Giraudus Antistes rem Podialmeracensem composuit. An diu pòst vixerit nescio. 24

Bertrandus secundus sedebat anno octogesimo, eratque in comitatu Friderici Imperatoris, cùm Arelatensem Ecclesiam onere quopiam pecuniario leuauit. Post Bertrandum secundum alter Giraudus fuit Antistes anno septimo & octogesimo vsque ad quintum & nonagesimum. Et cetera quidem illius sunt pertenuia, nullius que nominis; hoc non tacendum, quòd anno nonagesimo conuenit cum Richauo Petri Templario, præceptore Roaissij, de aqua Ouidiana Rastellum ducenda, per G. Hugolinum Præceptorem Ricarencarum, & Raimundum Raybaudi ciuem Vasionis, virum nobilem, militemque. Post Giraudum secundum Antistes fuit Raimundus de Bellomonte anno sexto & nonagesimo, atque eum secutus vocauit Vasionenses ad professionem clientelæ. Quoniam tabulæ de ea confectæ venerunt in manus meas, nobile antiquitatis monimentum, placet eas exscribere. Et fortassis nonnullos iuuabit legere virorum nomina qui Vasionem tum incolebant Certè Vasionenses in iis videbunt maiores suos, & præter antiquitatem familiæ, intelligentà quibus acceperint cultum ac venerationem suorum Antistitum. Optandum omnino esset, vt tabulæ, quas plures olim de clientelæ professione scriptas fuisse omnino certum est, vsque ad nostra tempora perdurarent. Vt alia non dicam, plurimarum gentium quæ perierunt, clara & illustris perduraret ad hanc diem memoria. 25 *Bertrandus 2.* 26 *Raimundus de Bellomonte.*

Notum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris per hoc præsens publicum instrumentum, quòd anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, scilicet nona die mensis Ianuarij, Guilelmus Artaudi, & Guilelmus Catalani de Vasione, constituti in cemeterio cathedralis Ecclesiæ B. Mariæ Vasionensis, in præsentia venerabilis viri domini Raimundi de Bellomonte electi confirmati prædictæ Ecclesiæ Vasionensis, confessi sunt, & in veritate & ex certa scientia recognouerunt predicto Domino electo confirmato, præsenti & recipienti nomine suo, & prædictæ Ecclesiæ Vasionensis se tenere debere sub dominio & senoria prædicti domini electi, & dictæ Ecclesiæ Vasionensis omnia bona immobilia, & res immobiles, & iura quæ ipsi habent, tenent, seu possident, seu quasi possident, seu alij habent tenent, seu possident, seu quasi possident sub eorum dominio apud Vasionẽ, & in eius territorio exceptis iis quæ ipsi tenent, seu possident, seu quasi possident sub domino alicuius, & pro prædictis bonis & rebus immobilibus, & futuris in modum præmissum per eos suprà confessis & recognitis, & pro personis ipsorum, promiserunt 27

dicto

28 *dicto domino electo præſenti ac recipienti nomine ſuo prædictæ Eccleſiæ Vaſionenſis, eſſe boni & fideles ſibi & dictæ Eccleſiæ Vaſionenſi, & conſeruare ſibi vitam, & membra, & ea omnia quæ in ſex caſibus fidelitatis continentur, ſcilicet incolume, tutum, honeſtum, vtile, facile, poſſibile. Incolume, ne ſint ſibi, ſcilicet Domino Electo, in damnum de corpore ſuo: tutum, ne ſint ſibi in damnum de ſecreto ſuo vel de munitionibus ſuis per quas tutus eſſe poteſt: honeſtum, ne ſint ſibi in damnum de iuſtitia ſua vel de iis quæ ad honeſtatem ſuam videntur pertinere: vtile, ne ſint ſibi in damnum de poſſeſſionibus ſuis: facile, poſſibile, ne id bonum quod leuiter poſſunt facere, ſibi reddant difficile vel impoſſibile. Et quòd prædicta omnia & ſingula prædictus Guilelmus Artaudi & Guilelmus Catalani teneant & obſeruent & contrà non veniant, bona fide promiſerunt prædicto Domino Electo. Et inſuper ſtãtes erecti, & dicto Domino Electo ſtante erecto, oris oſculum fidelitatis eidem Domino Electo prædicto tribuunt, manus ſuas inter manus prædicti Domini Electi prædicti ponendo, & Domino Electo præſenti & recipienti nomine ſuo & dictæ Eccleſiæ Vaſionen-*

29 *ſis homagium faciendo, &c.* Poſt Artaudum & Catalanum

Guilelmus Paſchalis,
Hugo Paſchalis,
Germanus Quintardi,
Guilelmus Roſtagni,
Bertrandus Raynij,
Bertrandus Ebrardi,
Aymicus Andreæ,
Raimundus Fornerij,
Petrus Corderij,
Iannes Coſta,
Petrus Malaucena,
Pontius Gilij
Petrus Boyſſoni,
Ioannes Galafredi,
Raimundus Berengerij,
Raimundus Gontardi,
Raimundus Boyſſie,
Roſtagnus Ruffi,
Bertrandus Blaſmoya,
Pontius Botuelli,
Iacobus Vidonis,
Michaël Ricij,
Pontius Boyſſoni,
Raimundus Riperti,
Bertrandus Bermundi,
Bertrandus Ioannis,
Stephanus Ioannis,
Arnaudus Fabri,
Stephanus Paſchalis,
Hugo Fabri,
Raimundus Andreæ,
Franco Pueti,
Petrus Micerij,
Durandus Achardi,
Bertrandus Fentretij,
Raimnndus Carpentoratij,
Guilelmus Chardoni,
Raimundus Sauinij,
Martinus Benoſa,
Pontius Maſchoni,
Raimundus Guntardi,
Guilelmus Roſtagni,
Guilelmus Bruni,
Guilelmus Fornerij,
Raibaudus Paſchalis,
Guilelmus Lautij,
Bertrandus Belliparij,
Guilelmus Pontij,
Guilelmus Ioannis,
Petrus Blegerij,
Arnaudus Boyſſoni,
Raimundus Fabri,
Petrus Galafredi,
Arnaudus Olerij,
Bertrandus Mererij,
Petrus Pontij,
Iacobus Andreæ,
Iacobus Balma,
Petrus Meerij,
Petrus Teſta,
Guilelmns Auracij,
Raimundus Nigri,

Imbertus

Digitized by Google

Imbertus Christophori,
Giraudus Bruni,
Ioannes Pueti,
Nicolaus Bermundi,
Ioannes Christophori,
Guilelmns Paschalis,
Stephanus Guntardi,
Raimundns Mauratij,
Petrus Bruni,
Pontius Boyssoni,
Petrus Euariacij,
Bertrandus Bretij,
Raibaudus Scoferij,
Laugerius Iuliani,
Petrus Paschalis,
Raimundus Sartoris,
Guilelmus Latili,
Petrus Bermundi,
Petrus de Ramea,
Guilelmus Faraudi,
Hugo Fornetij,
Arnaudus Sartoris,
Petrus Textoris,
Robertus Coretas,
Guilelmus Chatberti,
Stephanus Gilij,
Guilelmus Bermundi,
Guilelmus Martini,
Raimundus Marini,
Petrus Meonij,
Marinus Meonij,
Guilelmus Olerij,
Guilelmus Pelliparij,
Richardus Micerij,
Raimundus Macellarij,
Guilelmus Meissonij,
Pontius Matfredi,
Pontius Iugularij,
Oliuarius Gastaut,
Giraudus Meerij,
Guilelmus Coreni,
Raimundus Sperandei,
Raimundus Scalloni,
Bertrandus Iuuenis,
Bertrandus Leonis,
Bertrandus Regis,
Ioannes Saumata,
Bertrandus Bruni.

Hi omnes, vt in tabulis sequitur, *de ciuitate Vasionis confessi sunt, & in veritate & ex certa scientia recognouerunt prædicto domino Electo, præsenti, & recipienti nomine suo, & prædictæ Ecclesiæ Vasionensis se tenere, & tenere debere sub dominio & senoria ipsius prædicti domini Electi, & dictæ Ecclesiæ Vasionensis, omnia bona immobilia, &c.* vt in superioribus de Artaudo & Catalano dictum est. *Bona fide promiserunt dicto domino Electo præsenti & recipienti & super sancta Dei Euangelia ab eis, & quolibet eorum, corporaliter propriâ manu tactâ, iurauerunt super hoc flexis genibus, dicto domino Electo sedente, fidelitatis oscu-lum eidem domino Electo prædicto in eius pollicibus tribuendo, manus suas inter manus prædicti domini Electi ponendo, & eidem domino Electo prædicto recipienti nomine suo, & dictæ Ecclesiæ Vasionensis, homagium faciendo, &c.* sequuntur hos in tabulis alij: & ego quidem cur ab iis diuisi fuerint, non video, nisi fortè locus omnes capere non potuit, profitentes Episcopo clientelam; igitur priori-bus recedentibus isti accessere:

Simeon Mercerij,
Raimundus Textoris,
Ioannes Milonis,
Guilelmus Nicolai,
Guilelmus Bontos,
Raimundus Iuuenis,
Petrus Mutatoris,
Petrus Marini,
Petrus Olerij,
Guilelmus de Sauoia,
Rostagnus Malaucena,
Guilelmus Eustachij,
Bertrandus Richaudi,
Cuilelmus Frontinarij,
Petrus Iuuenis,
Rostagnus Midolij,
Ioannes Iuliani,
Ioannes Meissonij,

Petrus Carpentoratij,
Ioannes Richaui,
Hugo Giraudi,
Hugo Cabasuti,
Petrus Giraudi,
Raimundus de Valentia,
Marinus Cogullati,
Raimundus Grassi,
Andointus Cabassuti,
Bertrandus Grassi,
Guilelmus Bernardi,
Ioannes Iugularij,
Ioannes Ioannis,
Raimundus Alanzoni.

33 Isti etiam omnes *de dicta ciuitate Vasionis*, vt habent tabulæ, *confessi fuerunt, & in veritate, & ex certa scientia recognouerunt prædicto domino Electo, præsenti & accipienti nomine suo, & dictæ Ecclesiæ Vasionensis, se tenere debere sub dominio & senoria, &c.* vt in præcedentibus immediatè.

34 Denique, pegunt tabulæ, *Leonetus Iudeus habitator dictæ ciuitatis Vasionis promisit, & super sanctam legem Moysis, ab ipso corporaliter propriâ manu tactâ, iurauit prædicto domino Electo præsenti, recipienti, pro se & dicta Ecclesia Vasionensi, esse bonus & fidelis eidem domino Electo prædicto, & dictæ Ecclesiæ Vasionensi, & seruare sibi membra & ea omnia, quæ in sex casibus fidelitatis linguâ maternâ expositis pleniùs continentur fidelitatem & homagium faciendo eidem domino Electo prædicto, recipienti pro se & dicta Ecclesiæ Vasionensi, sicut ceteri proximè nominati.*

35 *Acta fuerunt hæc omnia & singula supradicta, in cemeterio prædictæ cathedralis Ecclesiæ Vasionensis, præsentibus testibus domino Ioanne de Moya Præposito prædictæ Ecclesiæ Vasionensis, domino Arnaudo de Bellomonte monacho, domino Raibaudi milite de Vasione, domino Bertrando de Muris, domino Pontio Boquerij, domino Faraudo de Bellomonte, canonicis Vasionensibus, Raibaudo de Vasione, Guilelmo Petri de Intercallis, Bausano de Menerba domicellis: domino Nicolao de Compedio Ecclesiæ de Albaruffa, Pontio Nicolai, domino Raimundo Pelliparij de Vasione præsbytero, & pluribus aliis, & me Hugolino de Venteirolio publico notario*
36 *Episcopi Vasionensis, qui in omnibus supradictis præsens fui.* Hactenus tabulæ prorsus insignes. Guilelmum Artaudi, qui primus omnium stans se clientem Episcopi dixit, existimo de Artauda siue Artalda illa nobilissima gente fuisse, quam libro 2. de Diensibus Episcopis num. 59. & aliis docui potentem his temporibus fuisse opibus, antiquitate, nominis dignitate, latissimèque dominantem, & Comitatus honores tulisse ante annos quadringentos, atque à Cælestino secundo Pontifice prælatam aliquando Pictauiensi. Neque Vasio multùm à Diensibus remota est. De qua gente autem fuerit Guilelmus
37 Catalani non possum dicere. Lego quidem Guilelmum Catalani, aut hunc ipsum, aut alium isto iuniorem, post annos sex & quadraginta, & ei cognominem, filium Raimundi, cum Antonio de Castello, & aliis, clientelam cum sacramento professos coram Petro de Casa Episcopo. Sed eius maiores tacent meæ omnes chartæ. Profectò nobilissimus genere fuit, qui cum Artaudo, clarissimæ & antiquissimæ gentis viro, vnus & stans, & osculo dato iurauit Antistiti fidem. Denique vt id quoque aduertam, Guilelmus Petri ille Intercallensis domicellus, quem in testibus vidimus, abs dubio erat sanguine proximus Richauo Petri his ipsis annis præceptori Templariorum Roaysij, neque fortassis alius gente à Petri, notario Guilelmi Comitis Forcalquerij, ante annos circiter nonaginta. Sed accedamus ad alia.

38 Anno trecentesimo post millesimum, Raimundus Episcopus quæsiuit

Valriaci

de fide, cum Guilelmo Marroti, & Garino de Ansaduna Minoritis locum Guilelmi de Marcello quæsitoris fidei implentibus, & Pontium Chabassij, Pontium Gilij, Mabilem Artaudi Esmeniant vxorem, Remundam Fabriciam, & Peironam Charbaudam, Valdensium hæreseos damnauit. Lego in præsulis chartulario eumdem Antistitem sedisse anno pòst secundo: sed tabulæ canonicorum collegij, ferunt Bertrandum secundum eodem ipso anno Episcopum fuisse. Illo igitur Raimundus aut sedem mutauit, aut extremum obijt diem. Magis ego quidem putauerim, aut errare has tabulas, aut cùm in ipsis primus tantùm character nominis, pro illorum temporum more non infrequenti scriptus fuerit (eas ipse non legi) alterum pro altero, & B. pro R. non multùm apud antiquos dissimili, acceptum à nonnullis fuisse, qui Bertrandum pro Raimundo, in tabulis canonicorum scripserunt. Nam Raimundus de Bellomonte legitur Vasione sedisse, ab anno sæculi octauo ad tricesimum, neque est, cur eum à superiore Raimundo Bellomontano diuersum faciamus, qui sex tantùm annos sederit, & Bertrandum habuerit per annos etiam sex successorem. Vtcumque res ferat; eam enim ego quidem nolim, quæ vniuersa suspicionibus nititur, omnino definire, Raimundus de Bellomonte, anno sæculi sexto emit à *Raibaldo Iordani domicello* Camareti ciue, *directum* seu nobile *dominium* Cresteteusis cuiusdam agri. Sunt qui velint eum ipsum, anno quintò & tricesimo vocatum ad Sanrufense Auenionis concilium: sed inuenio ego Ioannem, qui Auenionensis Episcopus ei interfuit, dictum in ipsius actis regere anno tricesimò Vasionensem. Cetera & Raimundi, & Ioannis sepelinit obliuio. Dicitur in historia Cameracensi pag. 471. Ioannes Pochon & asseritur fuisse ex canonico Cameracensi episcopus. 39 *Ioannes.*

Post hunc Raterius anno sexto & tricesimo iniit Episcopatum, & post annos quindecim in eo actos, anno sæculi primo & quinquagesimo ad Cassinensem translatus est. Tamen qui Goctium de Bataglia, Ariminensem Antistitem, docent ad Cardinalatum peruenisse anno septimo & tricesimo, addunt ex Vasionensi sede in Ariminensem abiisse. Hoc si veritatem habet; dicamus necessum est sedisse medium inter Ioannem & Raterium, aut annis, aut mensibus incertis post tricesimum, & ante sextum ac tricesimum. Raterius anno septimo post tricesimum vendidit Humberto Delphino duas quartas partes Propiaci pagi. Erit operæ aliquod pretium afferre venditionis tabulas, ob id maximè, quòd ex ipsis intelligimus, quartam eius partem, iam olim Ventairoliis traditam ab Episcopo, sub censu solidorum quadraginta Viennensium; & Delphinum pro eadem ab ipsis accepta ante annos septem & sexaginta censum ei fecisse, quod cetera tacent chartæ, non parùo argumento Vasionenses Antistites alia etiam castra tenuisse quidem olim ditione, sed rem, seu bellorum ac tumultuum impetu, qui per vrbium euersionem, vastationemque prouinciarum, omnia corrumpunt tabularia, seu temporum etiam vi quæ nihil non arrodunt exedúntque obliuione sepultam esse. 40 *Raterius.* 41

Cùm illustris Princeps dominus Humbertus Delphinus Viennensis, Dux Campisauri, Viennæ & Albonis Comes, & palatinus, dominusque baroniarum Medullionis & Montisalbani, teneat tanquam dominus Medullionis, in emphiteosim à domino Episcopo & Ecclesia Vasinensi, quartam partem castri, & fortalitij, 42

iurisdictionis, dominiuj castri de Propiaco Vasionensis diœcesis; item & dominium quod dictus dominus Episcopus habebat & solebat habere in alia quarta parte castri & fartalitij prædicti, quam tenebant seu tenere solebant pro dicto domino Episcopo, liberi & hæredes quondam Hugonis de Ventairolio & Raimundi de Ventairolio, sub annuali pensione quadraginta solidorum Viennensium in Natali Domini soluendorum dicto domino Episcopo Vasionensi, licèt dictus contractus esset emphiteotarius, facere homagium & fidelitatem, iurare cum capitulis in sacramento fidelitatis contentis, & recognitionem facere de homagio & fidelitate prædictâ in mutatione Episcopi tenementarij, cùm dictus tenemẽtarius foret requisitus per dictum dominum Episcopum, & pro dicto affari dictus Dominus Delphinus, tanquam dominus Medullionis, etiâ teneretur iuuare dictum dominum Episcopum de placito & de guerra, prout prædicta latiùs contineri dicuntur in quodam publico instrumento confecto manu Raimũdi Reinaudi de Rastello.....sub anno Domini millesimo ducen-

43 *tesimo sexagesimo nono pridie idus Ianuarij. Hinc est qaòd reuerendus in Christo pater Raterius Episcopus Vasionensis, considerans quòd dictus contractus & dictum affare, modicam vtilitatem afferebat dictæ suæ Ecclesiæ Vasionensi, ipsius Ecclesiæ vtilitate consideratâ pro se & suis successoribus in dicta Ecclesia, sciens, spontaneus, & nomine suo, & dictæ Ecclesiæ permutauit, & nomine permutationis tradidit & concessit prædicta omnia superiùs contenta, & quidquid iuris, actionis, & requisitionis habebat in prædicto castro, territorio, & districtu, & in, & contra dictum dominum Delphinum occasione prædicta dicto domino Delphino præsenti recipienti, & stipulanti pro se & suis hæredibus & successoribus pro decem florenis Delphinensibus & ponderis Delphinensium florenorum, quos dictus dominus Delphinus pro se & suis hæredibus & successoribus, dat & concedit & causâ permutationis prædictæ pro dictis rebus, iuribus, & rationibus sibi permutatis eidem domino*

44 *Episcopo præsenti & recipienti vice & nomine prædictæ Ecclesiæ Vasionensis, percipiendos perpetuò anno quolibet in festo omnium sanctorum in, & super pedagio, & valore pedagij castri & loci de Nionis, &c.* Post multa, *Acto inter dictos dominos, quòd qaicumque pedagerij seu exactores pedagij dicti loci de Nionis, teneantur iurare in creatione sua, ad requisitionem dicti domini Episcopi, seu eius procuratoris, soluere dictos decem florenos anno quolibet, termino supradicto, absque difficultate quacumque, &c. Actum apud Buxum in cemeterio fratrum Prædicatorum, præsentibus reuerendo patre domino Ioanne Episcopo Turinensi, nobilibus viris Agato do Baucio domino de Brantulis, Guigone de Morgiis domino de Spina, Guilelmo de Bezigano nulitibus, &c.*

45 Quarto post Propiaci venditionem anno, scilicet sæculi quadragesimo, Raterius Antistes à Benedicto septimo pontifice missus est, cum Roberto Patriarcha Constantinopolitano, ad Robertum Neapolis, & Petrum Siciliæ reges, componendæ inter eos paci. Rem tradit Fasolus decade prima de

46 rebus Siculis libro nono cap. 4. sed Messanenses portu prohibuerunt. Raterium excepit Petrus de Casa ex Priore Generali quartodecimo Carmelitarum assumptus. Vir suo tempore clarissimus sapientiâ, sanctitate, doctrinâ. Le-

Petrus 4 de Casa. mouice in Aquitania nobili genere natus est. Paradisus & Athenæum Carmelitarum volunt corruptè dici de Casa, qui de Cesis appellandus esset, atque Cesia de gente Cardinalibus, & Ducibus, Principibus, Marchionibus apud Italos illustrissimâ ortum esse. Puer ad Carmelitas sese applicuit, seu Bononiæ Gallorum, seu Lemouice; id enim inter Carmelitarum etiam scriptores du-

bium

Digitized by Google

bium est. Anno sæculi tricesimo, cùm Ioannes de Alerio Tolosas Valencennis Belgij in comitiis generalibus lubens magistratũ abdicasset, magno omnium consensu in eius locum suffectus est. Ter vniuersi Ordinis comitia, singulis trienniis singula, coëgit. Nemausi primùm anno præfecturæ tertio, tum Bruxellæ sexto, demum Lemouice nono. Eruditissimos scripsit libros in Magistrum sentẽtiarum, & Aristotelis politica, sermonesque de B. Virgine de tempore, & de sanctis. Cùm que dicendi vi, & eruditione, ac sapientiâ, vitæque sanctitate toto Christiano orbe celebraretur, tantum habuit in Gallia Italiaque nomen, vt à Clemente sexto Pontifice euectus sit principio in Episcopatum Vasionensem, deinde in Hierosolymitanum Patriarcharum Anno sæculi octauo & quadragesimo, obiit Vasione tertio nonas Augusti, per vitam, & post mortem magnâ, vt ferunt, prodigiorum multitudine clarus. Accipe carmina, quæ autor Athenæi Carmelitarum de eo recitat. 47 48

Dicitur à Casa: Petrus Ieconius hic est,
Diui Carmeli qui Generalis apex,
Hunc sibi doctorem in studiis pietatis amauit,
Clemens cui series nomine sexta fuit.
Et tandem Antistes Solymæ moderatus habenas,
Conditus in tumulo plurima signa dedit.

Casano mortuo, Petrus de Beretto Grassensis Episcopus, accepit curam Vasionensis Ecclesiæ. Hic etiam fuit Carmelita, & (si Generum audimus) Magister sacri palatij. Doctus vir multa scripsit, Placita Theologica, Canones Repertorium, Deprecatorium, Manuale. Quàm lõgo tempore rexerit Vasionensem Ecclesiam, aut etiã vixerit me latet. Lego illam texisse anno sæculi quinquagesimo; Laurentium verò d'Albiac Vasione sedisse annis nono & quinquagesimo, ac duobus sequẽtibus. Huic ex tabulis Pontificiis scimus successisse Ioannem Morelli anno secũdo ac sexagesimo. Anno 1365. interest concilio Aptensi. Hic ille est, qui consequente anno quæsiuit de sanctitate vitæ & miraculis beatę Delphinę Ariani Comitissę, cũ Ioanne Archiepiscopo Aquensi, ex mandato Vrbani V. Romani Pontificis. Audiuit Angelicum Aueninensem Episcopũ fratrem Vrbani, Philippum Patriarcham Ieroselymitanum, Guirandũ de Simiana, Ioannem de Sabrano, aliosque omnium ordinum nobilissimos testes ad octo & sexaginta, qui tam illustria seu summæ virtuti, seu pręcipuę ex prodigiis omnem rerum à Deo productarum vim excedentibus admirabilitatis exẽpla, cum sacramento retulerunt, vt ad ea quæ ipse legi, ego quidem satis stupere non possim. Sed hæc aliàs fortassis fusiùs exequar. Petrus Boëtius fuit Ioãnis in Episcopatu successor. Hic anno septimo & sexagesimo sedere cepit, & eo ipso damnauit veneficij, feraliumque carminũ, Petrum Sollier & Eliã seu Elisam (Electam quoque & Alaidem vorabant) coniugem, omniaque eorum bona addixit Ecclesiæ Rastellensi S. Andreæ. Eblo post Petrum fuit Episcopus. Sedebat anno 2. post 70. Ad 80. peruẽnit. Res per se mũnima est, sed ad habendam cognitionem tẽporum maximè facit. Tabulæ tradunt anno 7. post 70. *feciſſe gratiam de furno.* 80. illo Episcopatum iniit post Eblonem Raimundus. 7. autem & 90. post Raimundum Radulphus sedebat ab ignoto mihi tempore. Redulphum excepit Guilelmus. Anno 1401. Antistes sextum non superauit; eo enim vocabat sedes. Diarium Benedicti XIII. est in codice Vaticano 7. & 20. supra quinquies millesimum sexcentesimum. Fert Pontifi- 49 50 51 52

Petrus 5. de Beretto.
Laurẽtius. d'Albiac.
Ioannes Morell.
Petrus 6.
Eblo.
Raimũdus 2.
Radulphus.
Guilelmus 2.

Digitized by Google

cem, Monœci die Iulij sexta & vicesima, cùm haberet in comitatu duos tantùm Cardinales, Fliscum & Pompilonensem, cum iis tamen in concilium (consistorium vocant) conuenisse, & Ecclesiis Cauallicensi ac Vasionensi vacantibus præsules imposuisse, huic quidem Guilelmum de Pesserato, illi

53 verò ignotum mihi alium quem. Pesseratius in Episcopatu fuit ad vndecimum vsque sæculi. Decimo vnum aliquid suscepit, cuius ego quidem causas non inuenio, quod non expeditam successori litem perperit. Bernardono de Serris omnem fecit in Episcopatus vniuersos fructus potestatem, eum assumens in Ecclesiæ suæ protectorem. Virum audi.

Guilelmus 3. de Pesserato.

54 *Nos frater Guilelmus de Pesserato Dei gratia Vasionensis Episcopus studentes die noctesque loca Ecclesiæ Vasionensis & nostra, ac homines subditos, & bona sua ab iniuriis, grauaminibus, & offensionibus præseruare, ac sub alicuius teneri custodia, sub cuius vmbra ipsa, loca, & homines, ac bona eorum conseruentur illæsa, dispposuimus curam illorum alicui committere, cuius solerti diligentiâ & peruigili custudio, præfati homines, & loca, ac bona eorum, præseruari valeant & gaudere. Ecce igitur ab experto meritò confidentes de nobilitate, lettalitate, & industria magnifici viri Bernardoni de Serris domini Malaucenæ, quem tenemus indubiè dictos homines, loca, & bona eorum, conseruaturum veluti suos proprios, eidem magnifico Bernardono committimus curam & regimen locorum & hominum dictæ*

55 *Ecclesiæ, & nostrorum. Et per præsentes eumdem Bernardonum, in temporalibus rectorem, & gubernatorem, & administratorem nostrum, & dictæ Ecclesiæ, & hominum & bonorum quorumcumque ipsius; dantes & concedentes, Bernardono plenam potestatem, & liberam facultatem regendi, gubernandi, protegendi, ponendi, corrigendi castigandi dictos homines, & eorum quemlibet, prout eorum demerita existant, & sibi videbitur, ac percipiendi, leuandi, recuperandi omnia & singula iura, reditus, emolumenta, prouentiones, &c. Si verò contingat in posterum ipsum Bernardonum pro defensione, custodia, saluatione prædictorum, vel alicuius eorum, expensas aliquas de suo proprio facere, & vltra reditus & prouentus ipsorum, promittimus eidem Bernardono, & ordinamus, quòd dictas expensas sic facienti, de quibus stare volumus conscientiæ & dicto ipsius, eidem Bernardono restituemus, &c. pro quorum quidem restitutione dicta causa fiendorum, eidem Bernardono obligamus, & obligata esse volumus omnia & singula loca, & bona, ac res dictæ Ecclesiæ Vasienensis, &c.* Hactenus Antistes.

56 Quæ causæ virum adegerunt, vt quod nullus ante ipsum Episcopus in summo etiam rerum omnium discrimine cogitauerat, faceret ipse pacato facilique tempore, non possum dicere, atque vt maximè possem non ausim ego quidem. Non modicam pecuniæ vim cùm id faceret accepit mutuam à Bernardono. Sed lectori relinquere satius sit, quàm de tanti Antistitis & ante Episcopatum vitam regularem professi in ordine mihi ignoto (se enim ipse fratrem, vt vidimus, appellabat) consiliis iudicium ferre.

57 Episcopales tabulæ docent Hugonem de Theysiaco seu Theriaco, patriâ Sabaudum, sedisse anno sæculi duodecimo. Eo se Pontificis pro Vasione, & aliis castris clientem, professus est ipse, coram Ioanne de Pictauia Episcopo Valentino, qui Comitatus Venaissini tum rector erat. Scilicet Episcopatum intrabat nouus Antistes, & sacramentum pro more dicebat Pontifici. Sed vt Vasionem intrauit, vt Bernardono de Serris mortuo Garciotus fratris hęres

Hugo de Theysiaco.

exegit

exegit florenos auri supra quingentos & mille, quorum quisque solidis Delphinalibus quatuor & viginti responderet. Capita verò nominum hæc proponebat. Bernardonus frater Guilelmo Episcopo dedit in rem Episcopatus 58
florenos auri omnino mille & triginta nouem, ac insuper tres grossos numeratione duplici. Is ipse Crestetum annos tres tutatus est, neque tamen quidquam ex ejus reditibus sibi in solidum promissis accepit: annis singulis ad sex supra centum florenos perueniunt. Demum in custodiam Crestеti, & ejus mœnium instaurationem, seu Bernardonus, seu Garciotus frater florenos prorsus ducentos impenderunt. Hugo hæc in Guilelmi Episcopi, non in Ecclesiæ commoda reponebat impensa, vt taceret importunè postulari pecunias à præsule, limen Episcopalium ædium subeunte, & redituum ejus ac rerum penitus ignaro. Addebátque iniquam esse Garcioti postulationem, qui Crestetum multo milite occupatum teneret. Sed contendentes Franciscus Narbonensis Archiepiscopus composuit, restituto ante omnia Præsuli Crestеto cum omni supellectile. Anno sæculi nono supra decimum, 59
Hugo Episcopus ad mediam Intercallis partem, quam Antistes ante annos trecentos possidebat, addidit vt alteram, quæ ad Ioannem de Podio pertinebat, sibi emeret auri florenis bis mille viginti quatuor. Media hæc pars Intercallis, peruenit ad Pontificem Hugone mortuo sine hærede, & octauo pòst anno væniit ex mandato Fuxij Cardinalis à Pontifice Legati Bernardo Gaufridi. Anno quinto & vicesimo, interfuit Hugo finitioni limitum Salonis inter Archiepiscopum Arelatensem, & ciues. Tertio pòst præfectus est erectioni Auenionensis collegij de Anneciaco à Ioanne de Bruniaco Ostiensi Cardinale ipsum moliente. Sexto & tricesimo fecit, vt Eugenius Pontifex juberet reddi Ecclesiis Vasionensi & Tricastinæ (hanc Hugo Vasionensis Antistes regebat) bona præter jus fásque ab illis avulsa, & rei cognitores daret Decanum Auenionensem atque Officialem Viuariensem.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Decano Ecclesiæ Auenionensis, & Officiali Viuariensi salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilis fratris nostri Hugonis Episcopi Vasionensis, qui Ecclesiam Tricastinam ex concessione Apostolica obtinet in commendam, precibus inclinati, præsentium vobis autoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ad Vasionensem & Tricastinam mensas Episcopales spectantibus, alienata inueneritis illicitè, vel distracta, ad jus & proprietatem earumdem mensarum legitimè reuocare curetis, &c. Bononiæ anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſexto, 15. Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo. 60

Addidit etiam Hugo, vt is ipse Pontifex quarto pòst anno Tricastinum 61
Episcopatum vniret cum Vasionensi, quemadmodum habes in ipsius regesto folio ducenteſimo octogesimo octauo. Inuenio præcedente anno dedisse in emphiteusin, mediam partem frumentariæ moletinæ ad Ouidiæ amnis pontem positæ, Saluiano de Viuariis Iudæo, cum facultate deriuandi aquam fluuij ad illius vsum, sub censu aiminarum frumenti annuarum sex; & mediam partem furni sub censu aiminarum totidem, ac vnius insuper denarij. Hoc non mirabitur, qui meminerit Leonetum Iudæum, se clientem Raimundi Bellomontani Antistitis dixisse, ante 100. & 40. annos. Samson Iudæus anno milleſimo quadringenteſimo octogesimo quinto *recognouit* Abbati Sanrusensi Auenione, vt ferunt illorum temporum tabulæ, *vineam trium aiminata*

aiminatarum, confrontatam à Borea recto cum Vinea Iacob Messæ Iudei, qui eidem Abbati ipsam beneficiariam esse professus est. Hugo denique in pau-

62 cis clarus Antistes anno quinto & quadragesimo Cresteti moritur, & Pon-

Pontius de Sadone. tius de Sadone Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ Auenionensis qui adjutor viuenti fuerat, successit mortuo, & ad nonum ac sexagesimum vsque seruata Auenionensi Præpositura peruenit. Octauo & quadragesimo Robertum Archiepiscopum Aquensem comitatus, interfuit cum aliis pluribus Episcopis illi celeberrimæ inuentioni corporum Mariæ Iacobi & Mariæ Sa-

63 lomes ad Arelaten, coram Renato rege Siciliæ & Comite Prouinciæ, atque Petro de Fuxo Cardinali & Auenionensi Pontificis Legato. Nono autem pòst anno fuit in Synodo, quam Pontificis Legatus coëgerat. Anno 1458. vicarius Alani Cardinalis vltimi Auenionis Episcopi posuit sub altari supremo templi S. Agricoli corpus S. Magni. Ex vita S. Agricoli in Bibliotheca

Ioan. de Monte Mirabili. Lerinensi pag. 324. Pontium excepisse fertur Ioannes de Montemirabili. Certè anno tertio & septuagesimo vocauit sacerdotes suos in concilium. Referendarius fuit Apostolicus: igitur & vixit, & extremum diem obiit Romæ, ædibus suis testamento datis Beatæ Mariæ de populo, in cujus templo ędiculam sancto Ioanni exędificauerat. In ea visitur conditorium viri, & inscriptio sepulchralis in hæc verba. *Ioannem de Monte mirabili hic sepultum, intelligentia Apostolicum Abbreuiatorem, fides Referendarium secretum, probitas Sixto quarto Pontifici maximo familiarem, religio Episcopum Vasionensem fecit; quibus perfunctus septuagenarius obiit tertio Iunij, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Hæc si consideres satis admonent.* Eo ipso anno Amalricus

64 *Amalricus.* Ioanni substituitur. Sedebat primo & octogesimo: an eum superauerit dubito vehementer. Cùm enim Benedictus de Paganotis quinto sederit, inter

Odo. ipsum tamen & Amalricum fuit Odo Antistes, qui fortasse paucos menses,

Benedictus de Paganotis. aut vnum certè annum tenuit Episcopales infulas Vasione. Benedictus Flotię natus, moritur Florentiæ; & Ordinem S. Dominici professus sepelitur in Dominicanorum templo. Peruenit ad primum à millesimo quingentesimo vicesimo, annos omnino quinque & triginta Episcopus.

DE REBVS GESTIS
EPISCOPORVM VASIONENSIVM
LIBER QVARTVS.

1 POST Benedictum Paganotium Vasione sedit Hieronymus Scle-

Hieronym. de Scledus. dus. Hic vir Vicentiæ in Italia natus, ita Clementi septimo se probauit, vt ad grauissima negotia, ad animam quoque pœnitentiâ eluendam, ab ipso adhibitus fuerit. Sed res viri prędarè gestas epitaphium paucis verbis in patriâ positum complectitur. *Hieronymo Scledo, Episcopo Vasionensi, Clementis septimi Pontificis maximi domus Magistro, in Hispaniam Legato ab eo ad Carolum quintum Imperatorem misso, rebus supra omnium spem ejus prudentiâ celeriter & ex voto confectis, affinitate etiam inter illos junctâ, Cæsare in Italiam adducto, cum Venetis ceterisque Italiæ principibus fœdere inito, duce Insubrum Cæsari conciliato, in Belgis iterum apud eumdem*

legatione

Digitized by

legatione functo, Romæ in majori de se expectatione sublatâ, Ioannes Petrus fratri optimo ac innocentissimo P. Vixit annos duos & quinquaginta, dies duos. Obiit quarto nonas Ianuarij anno 1533. Tacere tamen non possum, quod cum 2
suis canonicis gessit. Res vt omnino aperta fiat, paulò altiùs repetenda est. Ex conuentionibus Faraudi Episcopi cum collegio suo, canonici poterant abesse ipsi à diuinis in basilica laudibus; & si, quem sui loco reponerent, fruebantur omnibus sacerdotij fructibus. Vt nihil est quo vetustate non debilitetur primùm, & postea sensim deficiat, ita euênit vt Canonici cùm vicarios sibi principio supposuissent in rebus sacris: demum causati non esse in non multùm magna, neque frequentissima ciuitate, qui absentium vices pro collegij dignitate implerent, & abfuerint ipsi, & sui tamen loco neminem ad Deo dicendas laudes subiecerint, acceptis, sibique scilicet seruatis sacerdotij fructibus. Scledus Antistes rei seu insolentiam, seu importunitatem tulit ægerrimè, eámque Clementi septimo emendandam proposuit. Pontifex anno tertio & vicesimo supra millesimum quingentesimum ita edixit.

Quia Præpositus, Archidiaconus, Sacrista, Præcentor, necnon Canonici Vasionensis Ecclesiæ, tot reditus in absentia, quot in præsentia, vel quasi ex dignitatibus, necnon canonicatibus & præbendis ..... percipiunt, non curant in Ecclesia residere, in maximum ipsius Ecclesiæ dedecus, ac diuini cultus detrimentum, & populorum scandalum, &c. autoritate Apostolicâ tenore præsentium omnes & singulos fructus, reditus, & prouentus, ac emolumenta quæcumque dignitatum, necnon canonicatuum & præbendarum ..... ab iisdem dignitatibus, necnon canonicatibus & præbendis, perpetuò separamus ac dismembramus, ac in dicta Ecclesia vnam mensam communem capitularem, quatenus erecta non sit, erigimus & instituimus, ac eidem mensæ omnes & singulos fructus, reditus, & prouentus, ac emolumenta quæcumque eiusmodi, perpetuò applicamus, & approbamus, vt quòd illa ac alia quæcumque emolumenta, ac fructus, reditus, & prouentus dictæ mensæ in distributiones quotidianas de cetero existant, & inter Præpositum, Archidiaconum, Sacristam, & Præcentorem, & Canonicos, pro tempore dictæ Ecclesiæ inibi continuò personaliter residentes, ac diuinis officiis intereſſentes, distribui debeat, & portio absentis aliis inibi residentibus & intereſſentibus accrescat, &c. Addidit etiam 4
vt pergeret in hæc verba. *Approbamus, quòd dictus Hieronymus Episcopus, quæcumque statuta, & ordinationes, licita & honesta, ac sacris canonibus non contraria tam circa residentiam, intereſſentiam, ac fructus, reditus, & prouentus, necnon distributiones quotidianas huiusmodi ipsorum fructuum reddituum, ac prouentuum, & distributionum participationem ac distributionem, & ipsius Ecclesiæ seruitium, & alia quæcumque præmissa, quomodolibet concernentia, quoties sibi placuerit, facere, alterare, ac mutare, quascumque etiam permutationes perpetuò dignitatum, necnon canonicatuum & præbendarum prædictarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad illa, ac pecuniarias alias quascumque, de quibus sibi placuerit censuras & pœnas in quemlibet contrauenientem apponere, &c.* Canonici ad Clementis literas ingemuerunt, & anno sex- 5
to ac vicesimo prouocauerunt ab illarum executione. Sed demum re sæpius agitatâ, inque varias partes non indiligenter versatâ conuenerunt cum Hieronymo Antistite in capita sequentia, quæ Clemens Pontifex postea comprobauit. Primò *fructus, reditus, & prouentus ciuitatis ac territorij Vasionis, &* 6

S. Marcellini sint ipsius collegij, & in commune conferantur. Secundò Archiediaconus eidem collegio *dat* Ecclesiam S. Quinidij, & illius fructus, atque iura omnia *reseruatis sibi oblationibus dictæ Ecclesiæ, & tenemento antiquo dictæ Ecclesiæ, ac pensione annua sex ducatorum auri de camera quoad vixerit.* Tertiò Sacrista etiam tradit collegio suo *decimas, fructus, & emolumenta, quæ ratione suæ sacristiæ percipit ratione Ecclesiarum S. Verani, & S. Martini in territorio Vasiononsi, ac territorio S. Verani vocati le Flesc, seruatâ quoad vixerit pensione*
7 *annuâ viginti quinque ducatorum auri.* Quartò Firaudus Borelli, sacrorum curio, cedit omni suo iure, & eidem collegio illud concedit, seruatis in omnem vitam fructibus eius. Atque hactenus ista. Scledus Antistes moritur anno sæculi tertio & tricesimo, die secunda mensis Ianuarij: & illorum temporum vir anonymus Archiepiscopo Toletano scribit Clementem septimum voluisse, vt duo serui cadauer Episcopi à muscis ventabulo defenderent, quod solis Cardinalibus tum dabatur.

8 Thomas Cortesius Prati in Tuscia natus, Hieronymum excepit anno illo
Thomas Cortesius. ipso tertio supra tricesimum: & datarius siue notarius Pontificis scripsit matrimoniales tabulas Henrici Ducis Aurelianensis & Catharinæ de Medicis Massiliæ die 27. Octobris quas recitat Iustellus in probationibus historiæ Aruerniæ pag. 129. Cum illo eas scripserunt Ioannes Breton & Gilbertus Bayard Secretarij regij. Ipsis Episcopalis curæ initiis finem imposuit liti, quam de Intercalli olim venum ab Hieronymo Paganotio data, Scledus intentauerat Hieronymo Guiramando. Hic omnia Episcopi in pagum iura emerat à Paganotio triginta in singulos annos florenis, & Iulius secundus Pontifex emptionem probauerat anno sæculi sexto. Indigna Scledo post Paganotium Episcopo res visa est, neque vnquam potuit adduci vt probaret venditionem non ignobilis pagi iniquis conditionibus factam: sed mors præpropera fecit, vt causa edicto iudicum non fineretur. Vt Guiramandus Thomam
9 illi suffectum accepit, vt saniora secutus consilia cum eo conuênit, datis supra annuum triginta florenorum cẽsum nummis aureis septingentis & quin-
Iacobus Cortesius. quaginta. Thomæ Iacobus ex vxore ante sacerdotium filius successit in Episcopatu, anno sæculi primo & quinquagesimo, arque ad Patriarchatum Alexandrinum euectus interfuit Concilio Tridentino. Rexit Vasionensem Ecclesiam annis octo supra viginti. Sexagesimo sæculi acceperat sibi adiutorem operis Rainerium Geuli Dominicanum sororis filium: sed is ante auunculum septuagesimo Cresteti mortuum obiit.

10 Eo anno Guilelmus nobilissima Cheisolmorum gente in Scotia natus,
Guilelmus Cheisolmus. Eccleſiâ Dumblanensi, patriâque cum catholica fide pulsus, Vasionensem regendam accepit. Sed antiquæ pietatis Antistites, cùm in ea curanda posuisset annos quatuordecim, honorum opumque pertæsus, Cartusianorum instituta magno in omnem partem exemplo amplexus est. Concessit tamen Mariæ sanctissimæ Scotorum reginæ; quod negare non poterat, vt pro ea ad Pontificem orator præter ordinem esset. Obiit Romæ, anno tertio & nonagesimo sæculi, Cartusianorem Priot, qnem in sanctissimo Ordine magistratum iam Lugduni sapientissimè gesserat. Eo ad Cartusianos profecto,
11 Pontifex tradidit Episcopatum Vasionensem Guilelmo ipsius ex fratre ne-
Guilelmus S. Chrisolmus. poti, anno quarto & octogesimo sæculi. Hic post Sacratum Carpentoractensem Episcopum rexit Comitatum Venaissinum, & cùm ad Scotiæ re-

gem

gem electus à Pontifice nuntius fuisset, edidit librum aduersus Caluinistas hæreseos in patria fatores. Moritur nono & vicesimo anno supra millesimum sexcentesimum. Michaël Dalmerassius viuentis in Episcopali opere adjutor successit mortuo. Natus Balneolis in Occitania, moritur quarto post adeptum Episcopatum anno. *Micha. el Dalmerassius.*

Erat tum Romæ, in comitatu Francisci Cardinalis Barberini, Ioseph Maria Suares, intimus summi Pontificis Cubicularius, vir Græcis & Larinis literis eruditus, & antiquarum rerum, seu sacratum, seu profanarum apprime sciens, atque mortuo Michaële fit Vasionensis Antistes, ex adjutore Auenionensis in basilica metropolitana Præpositi. Licebit puto mihi, & locus postulat, fusiùs dicere de amicissimo mihi ante annos triginta Episcopo, ejusque ex domesticis tabulis gente. Atque, vt aliud non esset, id debeo Ioanni Francisco patruo, quem cùm pueritiam exuerem, & à Societatis IESV tyrocinio recens, prima Philosophiæ spatia discipulus emetiret, Turnoni amantissimum & boni supra paternum animi Rectorem habui. Igitur Ioseph Maria, per Iosephos patrem & avum, à Didaco illo descendit, qui, vt erat ingenio, prudentiâ juris, rerúmque gerendarum peritiâ summus, & Belgarum imperium in Hispania non ferebant nobilissimi per Castellam, Andalusiam, aliásque regiones viri, & cogitabant de Calabriæ duce, Neapolitani regis filio, educendo ex arce Sciatiua, & post nuptias cum Ioanna regina vidua in regem euehendo, turbarum pertæsus excessit de patriâ, & quietissimas supra Regem à Romano Pontifice sedes elegit, Comitatum Venaissinum, Pontificiam in mediâ Galliâ ditionem. Is ille Didacus est qui Suaresiorum gentem antiquissimâ apud Hispanos nobilitate illustrissimam, Cordubâ Auenionem transtulit ante annos 130. Genuit verò ex Eleonorâ Oliuaria, Francisci Franciæ Cancellarij & Seraphini Cardinalis consanguinea, Iosephum, qui de Clementiâ Lopia sustulit filios omnino quinque, Franciscum, Iosephum, Ludouicum, Ioannem Franciscum, Henricum, omnes sapientiæ laude clarissimos. Franciscus eruditionem & eloquentiam probauit etiam Romę. Vim mentis & pietatem Ludouicus omni vitâ constanter præstitit. Iosephus omnia post parentem togæ decora tulit, omnes magistratus in patriâ, & supra ipsum in Arausicani Principis curia Senator fuit consultissimus juris. Henricus Iosepho non impar inclaruit & ipse togâ, Henricúmque cognominem habet filium & magni nominis hæredem, & eruditum in paucis. Ioannes Franciscus amauit Societatem IESV & à puero secutus est, in eáque Theologiam cum laude docuit, & Tolosanam Prouinciam summâ rexit prudentiâ. Sed præcipuum nomen ducit à pietate, quam in viro tam accuratam verámque vidimus ac suspeximus pueri, vt velut innatam verámque vidimus ac suspeximus pueri, vt velut innatam diceremus. Certè, vt fatear quod est, annus sæculi vertebatur vndecimus, cùm in adolescentiæ limine grauissimâ febre correptus sum. Ardente per immodicam æstatem cœlo totum corpus ignis vrebat, jámque viscera durè depastus, proximè erat vt certissimam mortem inferret, eruditissimo Tardino qui de pilis sapientissimè scripsit, omnem medicam artem nequiquam contendente. Interea rerum Ioannes Franciscus Rector, cùm in hominibus nihil esset opis, ad Deum ipse confugit, precibúsque ac lacrymis per dies omnino quatuor apud illum sic egit, vt animam pene fugientem

Ioseph Maria Suares.

12

13

14

15

16

diſtinuerit in corpore. Hic vir exitus habuit pares vitæ, & quod ab omni virtutum genere, ac in deum pietate potiſſimùm tulerat per omnem vitam nomen, ſeruauit in morte: & fertur nonnihil etiam à morte ſupra hominum vim egiſſe, è quo intelligas in cœlo viuere. Ad Ioſephum Ioannis Franciſci fratrem qui Ioſephum Mariam Epiſcopum genuit redeamus. Is ex Paula
17 Santronquetia quinque liberos ſuſtulit, maioribus non minores. Hoc etiam patruis maior eſt Ioſephus Maria primogenitus, quòd Epiſcopatum Vaſionenſem in familiam intulit, & plurima de rebus antiquis eleganter, doctè, ſapienter ſcripſit. Ludouicus præpoſituram metropliotanę baſilicæ à Franciſ-
18 co patruo acceptam prudentiſſimè gerit, vir factus ad pietatem, caritatem, & omne virtutis ac officij genus. Carolus Ioſephus Canonicum ſequebatur, cùm hęc primùm ſcribebam, nunc eſt Epiſcopus. Franciſcus ex Eliſabetha Spinæa Guilelmi, & Ioannæ Vrrææ Podij Sanmartinenſis filia, duos habet liberos in ſpem illuſtris familiæ ſuccreſentes, Auditorum rotæ Decanus; Aulanique & Poëti in Delphinatu dominus. Denique Ioannes Franciſcus togæ ſagum prætulit, & alæ equitum leuioris armaturæ præfectus, arma non ſine laude in Italia tulit. Sed iſta de gente Suareſia fuerint ſatis. Iam Ioſephus Maria Epiſcopus, Vaſione ſedit ab anno ſæculi tertio & triceſimo, Chriſtianamque rem ſanctè curauit, & vehementer vrſit magno certè fructu, Atque Antiſtitem peſtulabat diœceſis, qui & in ipſa hæreret, & indefeſſo illius culturæ allaboraret ſtudio. Multa ille Vaſione ciuitate, multa per pagos & oppida, pro cuiuſque vſibus ſapienter occepit, & perfecit animosè. Ea non apertiùs neque faciliùs intelligentur, quàm ſi Epiſcopatum omnem in ſuas regiones diuidam, & per ſingula earum loca lectorem ducam.

19 Epiſcopatus Vaſionenſis trifariam ſectus eſt. Eccleſias habet duas in Arauſicano principatu, in Delphinatu ſedecim, reliquas in comitatu Venaiſſino. Celeberrimum eſt in Arauſicano principatu monaſterium Sancti Andreæ de Rameriis. Tenent moniales Cartuſianæ ab anno milleſimo centeſimo octogeſimo. Quis, & vnde illas eò deduxerit nemo hactenus dixit. Per iniquitatem temporum expertæ ceteris in rebus furentium hæreticorum vim, nemo mirabitur amiſiſſe tabulas, quibus & inſtitutio cœnobij, & ædium erectio, & alia in quotidianos etiam vſus continebantur. Nunc ipſarum Abbatiſſa, & Gigondatij, de quo ſtatim dicam, Prior coguntur quoque hæreticis pendere annuatim aureos duodecim ſu-
20 pra ducentos, peſſimo in omnem partem exemplo. Ioannes Maria Epiſcopus hîc grauiter laborauit. Ad finem nemoris domum habent puellæ nobiles in Cartuſianâ veſte, neque Cartuſianorum quemquam tamen videas, à quo ſeu leges ſanctiſſimi Ordinis accipiant, ſeu ſapientiſſimis monitis exempliſque ad omne officij genus informentur. Quod igitur facile alioqui pro hominum imbecillitate erat, neque monachorum illorum, quæ veſte præferunt, ſequuntur aut etiam nouerunt inſtituta, & id ſolum virtutis exequuntur, quod cuique bona mens, & ſapientis preſbyteri, apud quem peccata deponunt, ſermo ſuggeſſerit. Cogitauerat quidem Epiſcopus eas pro Concilij Tridentini mandatis deducere è ſilua Gigondatium, & quibus monachas teneri decet leges dare. Sed magna conſilia nondum ſuos exitus inuenerunt. Cetetùm latè per nemora dominarur

cœnobium

cœnobium, & vndecim Ecclesias per pagos sibi subiectas habet, præter suam ædem sacram, in qua ipsis datus sacerdos, rusticis per monialium villas latè sparsas etiam sacramenta ministrat curio. In eodem Arausicæ Principatu Gigondatium est oppidum non ignobile, & Suseta pagus, atque Castrum nouum Redorterij, & Monsmirabilis pagus tenuis vicatim habitatus. A catholicis quidem ferme incoluntur, sed aut vi per hæreticorum tumultus, aut seu temporum quæ nihil non exedunt, seu Priorum suorum incuriâ (res enim obscura est) ceciderunt sacræ ædes. Pro diruta ergo quæ in agro erat basilica, Gigondatiani aliam intra oppidi muros tribus sacellis ornatam habent, & in ipsa eius porta ædiculam beatæ Virgini sacram. Polyandrium tamen adhuc in agro est ad parietinas veteris basilicæ. Redorterium, Suseta, & Mons mirabilis sacerdote carent, & à Gigondatio petunt sacra ceteris præter pauciſſimos illos anni celeberrimos dies. Ioſephus Maria Episcopus scripsit metro chorographiam suæ diœceseos. In ea sic loquitur de Gigondatio. 21

Inclinat iucundatium, & pendere videtur
E monte: hîc siluæ, plenaque lustra ferûm.
Principiis hîc iucunda fuit venando voluptas.

In Delphinatu Buxum & Nionium habent aliquid nominis; neque Vinsobrium omnino illaudatus est pagus: cetera diœceseos modica ignotaque sunt loca. Igitur Buxum oppidum celebre, & regionis (baronias vocant) caput, cui regius in eo dat iura, vt loquuntur, balliuus. In eius agro quondam fuit Dominicanorum cœnobium. Hugonotti euerterunt. Raimundus Medullionis regiunculæ dynasta, & Delphinis tum Viennensibus & qui Valentinorum & Diensium Comites erant Pictauiensibus fere suppar, erexerat anno quarto & nonagesimo supra millesimum ducentesimum, ad preces Raimundi fratris, ex Dominicano Archiepiscopi Ebredunensis, Ioanni Genesto & Radulpho de Monte seniote, pauciſque aliis à Petro de Miterno Prouinciali post capitulum, vt vocant, generale Monpessulanum missis, & eos acceperat domi suæ seruaueratq; donec in propriam post annos sedecim immigrarunt. Nunc alio in loco restituitur viris ædes. In oppido sunt hæretici non omnino pauci. Longè plures Nionium habet. Neomagum Prolemæi faciunt, Tricastinorum ciuitatem, Montalbanæ caput dynastiæ. Nobile est singulari prorsus vento, cui Pontiacus nomen, & aquis ad humani corporis sanitatem, ventum admirabilitate superantibus. Audi Ioſephum Matiam præsulem in sua Episcopatus Vasionensis chorophia canentem de S. Cæsario deducente monachas Arelate Nionium. 22

Prece Cæsarij ventos spirare secundos
E rupe, ac medias surgere iussit aquas.

Hîc, cùm pestis grassaretur, fecit Episcopus, vt hæreſos ministro fugiente Franciscani, quos Recollectos vocant, eâ tactis essent auxilio; quod maximo omnium ciuium vsu ab iis actum est, hæreticorum etiam nonnullis ad catholicam fidem adductis. Sed prætermittendum non est, quod Antistes ipse magnâ suâ laude suscepit. Cœnobium Sancæsarianarum monialium Nionij quondam inclytum erat. Deiecere Caluiniani, & suis spoliauerunt reditibus, eorumque testes tabulas aut accepere sibi, aut etiam corrupere ac perdidere, id enim obscurũ est. Igitur cùm Ioannes Maria Episcopatu accepto 23 24

recens in oppidum veniſſet, vnam inuenit puellam ſine ſuis ædibus, quæ veſte magis, quàm moribus monacham præ ſe ferret. Quid in re deplorata faceret non habebat: reſtituere tamen cœnobium conatus eſt. Nunc ali-
25 quot ſunt in eo virgines, ſeruantque leges ab Antiſtite datas. Vinſobrium pauci habent catholici: & ea res fecit vt anno quinto & triceſimo hæretici ſuam in ipſo pſeudoſynodum cogerent. Sed aduolauit ad oppidum ſapiens Antiſtes, firmandis in fide catholicis, & conuincendis, ſi res poſtularet, hæreticorum miniſtris. Quieta fuerunt omnia, neque turbatum aliquid eſt à Caluiniſtis. Octo & ſexaginta qui conuenerant errorum ſatores, non ſuſtinuerunt doctiſſimi Præſulis conſpectum, fugeruntque. Cetera quæ ſequuntur in Delphinatu loca cenſere ſatis erit. Tuleta ſeu Aleta modicus ac pertenuis pagus ſe, quod mireris, Principatus nomine circumſpicit, Proatium, Belliuicinum, Propiacum, fanum Mauritij, Noueſanum, Venterolium, Mirabellum, Caſtrum nouum Bordettæ. Guigonis podium, Merindolium, Petralonga cuius curio Penam etiam regit, vt Beneuadium, Aulo-
26 num, & Rocamblancam tector Eccleſiæ Belliuicini, denique Molanum, nihil habent memorabile & hoc loco dignum. Sed tacere tamen non poſſum, quod anno & quadrageſimo huius ſæculi euenit Molani. In agri regione quam à vitulis dicunt, ad montis Ventoſi radices, centum aut circiter à Tolloureno amne paſſibus, ſtabat quondam ædicula beatæ Mariæ, quam ob ignotas mihi cauſas appellabant Candidam, ſacra, & ab ea non longè villa Petri Vrræ torparchæ. Hæretici, vt totis regionibus cætera, ſic Marianum illud ſacellum euerterant. Et Petrus, vt gente nobiliſſimus erat, & Molani etiam pro toparchia omnino clarus & ſpectabilis, facilè à Guilelmo, ante Ioannem Mariam Epiſcopo, lapides ruderum ipſius acceperat, in villæ conſtructionem impendendos, appromittens futurum vt
27 Marianam ædiculam reſtitueret. Igitur villam de ſacelli ruderibus excitans, neque ſacellum tamen ipſum inſtaurat. Puto equidem cogitanti opus, vt morum iuteger accuratuſque pietatis erat, mortem interceſſiſſe: verùm Deo non placuit maior villæ, quàm ædiculæ Marianæ cura. Nam, ecce tibi rem prorſus ſtupendam, Ludouica Landona Antonij & Ludouicæ Heliæ filia, annorum quatuordecim puella, die menſis Octobris tertiâ decimâ, neſcio quid ad villam (Antonius pater eam colonus habebat) ex parentum preſcripto faciebat operis ruſticani, & ecce tibi Petrus ante annos octo decim mortuus, ei ſe conſpiciendum præbet. Multo puluere videbatur ſordidus, omniſque veluti terreus, niſi quòd velatus erat humeros linteo ſemi-
28 putrido. Neque vno eo die, ſed aliis etiam conſequentibus ſæpenumero vſque ad ſextum & decimum Nouembris, triſtes illos vultus, fœdamque ſpeciem, trepidanti puellæ propoſuit, nunc extra villam, nunc in villæ feneſtris. Pauca alia, ſed hoc maxime per puellam poſtulabat clarâ voce, vt ædicula Sanmariana quàm primùm inſtauraretur, aiens futurum vt eâ maturatò excitatâ purgantibus educeretur è flammis. Cúmque Ludouicæ, referenti viſa auditaque, non haberetur fides, minitatus eſt non ſemel ignes villæ, pro nimia cuius cura ipſe cremabatur poſt vitam, & pecori armentoque cædem; occepitque hanc inferre: ſed deſiit etiam videri, cùm ædiculæ, monente Epiſcopo, manus admota eſt.

In Comitatu Venaiſſino occurrit principio Valriacum præſtans & incly-

ta

ta vrbs. In ea sunt Benedictini, Crudatensium apud Viuarienses monachorum colonia, Antoniani, è Franciscanis Minoribus Conuentuales & Capucini, ac demum virgines Vrsulanæ. In Conuentualium æde sacra visitur corpus Martini de Vlmis Episcopi Tricastini, & in magna populi veneratione est. Illud Alansono, Diensium pago Guilelmus Gaudiberti curio, iuuantibus Petro de Laya & Giraudo Tortelli, Valriacum clam ceteris hominibus tulit anno millesimo trecentesimo nonagesimoquarto, per tumultum Tureniorum militum, omnia sacra profanaque importunis miscentium latrociniis, vt non quod Chetino de Recherchenis barbarâ feritate factum fuerat, aliquando pollueretur. Et Valriaci etiam Franciscani, omnia tuta timentes, humo condidere loco ignoto. Sed centum & octo pòst annis, cùm certissima conditorij argumenta essent, in Conuentualium æde sacra inuenerunt, effossa humo coram Gauterio Ademaro Grignani barone cœnobij fundatore, quem Marmetus Clareti, Stephanus Dies, Georgius de Foresis, Astorgius de Alriots, Petrus de Bologne nobilissimi toparchæ, comitabantur cum innumera plebis multitudine.

Malaucena oppidum, æstiuâ Clementis quinti Pontificis domo, ad caput 30
Gratzelli fontis aquarum copiâ splendoreque visendi in agro positâ, clarum est. De hoc fonte Ioseph Maria Episcopus ita carmine cecinit.

Ausit olim Cauares prælongo formire, circi
Hunc ad Arausicaces ducere Naumachias.

Anno millesimo quadringentesimo suberat Bernardono de Serris, quem anno pòst decimo Guilelmus de Pesserato Antistes voluit Ecclesiæ suæ patronum. Inuenio habitatum quondam à pluribus Iudæis, qui (cur hoc non afferam?) *ratione cemeterij & scholæ* debebant Episcopo annuatim libram piperis, zingiberis libram, & duo ceræ pondo. Anno tertio & tricesimo supra millesium quingentesimum omnes, præter duo capita, Iacob de Belliquadro, & Samuelem Mehio, defecerant. Hi vectigal pendere recusabant, & Samuel (quid socio factum sit tacent Episcopales tabulæ) denique sapientum virorum consilio damnatus est octodecim per annos singulos grossis.

Crestetum, Rastellum, & Intercallis, pagi non contemnendi, sunt in di- 31
tione Antistitis. Eorum vicecomes appellatur. Ante Hieronymum Scledum non inuenio qui hunc dignitatis titulum sibi acceperit, qui se etiam Capreriarum Comitem ferebat: sed ante eum non multas habet Episcopium chartas. De Capreriis Iosephus Maria Episcopus ita cecinit.

Cum titulo Comitis Capreriæque iugum.

Igiturne existimandum est iugo seu vertici montis datum ad iniuriam magis quàm decus, nomen Comitatus? abs dubio vrbs siue castrum in iugo quondam fuit, cum nomine Comitatus; perque illam de Vasionis dominatione, ac proinde comitatu, qui antiquis illis temporibus vrbibus quæ Episcopos haberent tribuebatur, cum Comite Tolosano contentionem, Episcopo caprearum Comitis nomen hæsit. Placet his adiungere, quæ Antistes in sua chorographia scripsit de Cresteto & Rastello.

Crestetum vocitant quia cristæ montis inhæret,
Rastellum rastro simile est.

Seguretum tenuis pagus habet in agro æditulam S. Iusti prodigiis frequen- 32
tibus illustrem. Est ea in modico nemore ad Arbautium & Martium montes.

tes. Dicitur Aubuſſoni,quondam in cognomine monte pagi,fuiſſe,cujus incolæ,furoris Turenij triſtes reliquiæ, Seguretum ſeceſſerint, ſuo ad ipſius agrum addito cum nemore, S. que Iuſti ſacello. Quis fuerit Iuſtus, qui in ædicula colitur,non omnino mihi conſtat. Priſcæ,quibus de illo ſcribebatur tabulæ,aut bellorum,aut tumultuum vi omnes perierunt.Putatur Complu-
33 tenſis,cum Paſtore,per Dacianum ſub Diocletiano martyr. Ante omnem non hominum,ſed tabularum, memoriam ſe tam beneficum eo loci mortalibus oſtendit,vt admirationem vniuerſis circùm populis moueat. Igitur non marmore,non auro ſplendidiùs ornabitur vnquam ejus ædicula, quàm ſubalaribus fulcris,cereiſque tibiis,pedibus,brachiis,manibus,oculis,& id genus anathematis; quæ mortales pro valetudine inſtaurata beneficij memores nunc etiam appendunt,inclareſcit. Poſſum ego multa & antiquorum & noſtrorum temporum prodigia recenſere; perdurat enim ante multas ætates
34 cepta vis. Placet vnum afferre quod anno hujus ſæculi primo & triceſimo magnos fecit animorum motus. Ioannes Baptiſta Aubric, Franciſci & Mariæ Brunellæ filius, Sableteníis, annos natus ſeptendecim, altero pede niti non poterat, contractis in fœdam ſpeciem tibiæ neruis. Igitur ſubalaribus furcillis & ſuſtinebat, & ad greſſum mouebat agebátque ęgrum corpus.Magno & ipſius,& parentum labore ducitur ad ędiculam B.Iuſti : ſolidam noctem in eâ non ſine bonis precibus agit : ſummo manè peccata apud ſacerdotem deponit expiátque. Cùm poſtea intereſſet ſacrificio, ecce tibi patitur deliquium cordis, & in ſomnum veluti ſoluitur. Sed ſibi redditus ſumit Euchariſtiam, & redeuntis in membra valetudinis, cúmque morbo pugnantis veriſſimum argumentum, ingens dolor, adoleſcentem occupat. Redibant ſuâ per neruos viâ de ſummo vertice ſpiritus, cogebanturque per arctatos humore pingui concretóque meatus, & vehementiſſimos ad deliquium vſque ſopori ſimillimum ciebant cruciatus. Nam vt omnia ceptæ pietatis opera perfecit adoleſcens, vt in pedes erectus, ſtupentibus cunctis mortalibus iuit ſine baculo, ſine furcilla per ſacellum, perque omnem Sabletum vſque viam. Miraris adoleſcentem doluiſſe,cùm curabatur diuinâ per Iuſtum vi? accipe quid Flodoardus libro 1. de Remenſibus Epiſcopis ſcripſerit cap.22.de Flotgilde puella annum ſextum & decimum nata,quam B.Remigius curauit. *Diuinâ ſibi gratiâ ſuperueniente, vim medicinæ vix ferre valens,magnis cepit vocibus ſtrepere,& ejulatus acerbos edere. Sicque nodis neruorum reſolutis, omnique poplitum contractione relaxatâ,vnius horæ ferme ſpatio, viribus exhauſta jacuit quaſi mortua. Sed qui contulit abſolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Móxque ſeu de graui euigilans ſomno, vbi ſupernum ſibi ſentit obueniſſe beneficium, pignoris almi petit loculum, cujus gratiâ ſibi contigiſſe non hæſitabat beneficium.*

35 Bellimons, Queirana, Buiſſonum, Fana Pantaleonis, Romani de Malagardia, & Romani de Vianeſio, Sabletum, Villa Dei, Fara, Falconum, Podialmeratium, Roaſſium, tenues modicíque pagi ſunt. Albarufum à Ioſepho Maria Epiſcopo vocatur Alba Rufi in chorographia Epiſcopatus : & in eo gypſum laudatur,vt ſabulum Sableti,& mala ſeu poma Malagardiæ,

Eminet Alba Rufi,gypſi generoſa metallis.
Sabletum cliui ſabuloſi dorſa coronat.

Coloni.

Confer

Digitized by Google

Confertis calathis mitia poma legunt.
Guardia malorum dicta hinc.

Albarusi signum est B. Virginis ligneum coloris oleacei, jam olim eui- 36
dentissimis aduersus omne quidem malorum corporis genus, sed vertiginẽ potissimùm, morbum Herculeum, & alios ex inualetudine cerebri ortos prodigiis celeberrimum. Vnum certè cum hæreticorum etiam admiratione stuporéque à centum ferme annis euenit. Albarusum ab Hugonottis per effera totis Gallis tumultuantium seu latrocinia, seu bella captum est. Pago direpto, imagines sacræ omnes, cum libris & chartis Ecclesiasticis, in rogum ingentem conjectæ sunt, subjectisque ignibus crematæ: vnum hoc B. Mariæ signum in mediis flammis perdurauit illæsum, & sine fumo etiam suliginéque intactum.

Vasio denique ciuitas, diœceses caput, non ampla, neque ædibus seu sa- 37
cris, seu profanis visenda est. E monte saxeo, cui insidet, decliuis resupinatur pene omnis versus Ouidiam borealem fluuium. Fuit olim trans amnem amplissima, vt intelligitur ex dictis libro 1. Sed cum à Raimundis Comitibus Tolosanis, Faidæ filio nepotéque, Episcoporum odio furentibus, vastata crematáque fuisset, castrum principio, quod nunc etiam stat, in monte erectum est à Faidæ nepote, deinde sensim aliæ post alias aduersus militum omnia diripientium incursus & latrocinia domus additæ, donec vniuersa ciuitas, fluuio superato, sese ad castrum in vrbem quam videmus applicuit. Scilicet non hominibus tantùm, ciuitatibus etiam sua sunt fata. Iosephus Maria Episcopus in antiqua recentéque ciuitate plurimùm laborauit, mul- 38
táque sapienter egit ac fortiter. Taceo quòd suam Beato Quinidio ruderibus purgatam ædem restituit in antiqua; quòd in nouæ basilica reliquias Sanctorum & diligenter inspexit, & apto ad populi venerationem loco reposuit: quòd non pauca in illius principe (cathedralem dicimus) Ecclesia quæ omnis de lapide quadro stat etiam nunc, & non pauca in istius Episcopio perfecit: vnum & alterum prætermittere certè non possum. Vt anti- 39
quissima Vasio est, erátque olim perillustris & nobilissima, habet plurima variáque venerandę antiquitatis argumenta in nummis, sepulchris, inscriptionibus, statuis. Eminent in istis de lapide seu deorum, seu senatorum imagines; & vestis siue insolentiâ, siue majestate commota plebs, vt rerum hujusmodi ignara est, Sanctorum arbitrabatur statuas, colebátque præcipuis honoribus, sanctas Niobes (à quo & vnde acceptum fuerit nomen nemo dicat) appellitans. Doctus Antistes ex veste quæ essent imagines intellexit, & de doctâ plebe domum suam deportauit, ex oculis vulgi omnes erroris causas sapientissimè rollens. Aliud erat quod non mulier- 40
culis, plebíque, sed toti fermè ciuitati in non exiguum Christi aut Episcopi contemptum imponebat. Die beato Stephano sacrâ, quæ Christi natalem sequitur, ouum à gallina recens per vrbem humeris hominum manè portabatur, cum festo tibiarum & fistularum sonitu in domum non inopulenti ciuis, in qua deinde ad vesperam vsque compotationibus certabatur. Quid ouo hoc per plateas, vicos, & angiportus tanta celebritate delato significaretur, ego quidẽ non video. Si cogitabis homines festam ouo re- 41
cèns orto veluti sacrantes diẽ, insultare Christo voluisse per frigora, omniúq; rerum egestatem recenter nato, vt ego quidem animum inducere non

poſſim, non tamen temerè cogitabis: ſi aliquid, quod non puto, ille ciuis ſibi inde honoris, & in ceteros quaſi clientes ſibi juris ſumebat, næ multùm ille peccabat in Antiſtitem, cui & ipſe, & ceteri Vaſionenſes, exempla majorum ſecuti, ſæpenumero ſe clientes eſſe profeſſi ſunt. Sed hæc omnia de Vaſione placet claudere inſignibus per B. Virginem prodigiis, in cujus clientela ab antiquiſſimis temporibus eſt Vaſionenſis, & Eccleſia, & per Eccleſiam, vt puto, ciuitas.

In illius agro ſunt plures ædiculę: duę Virgini ſacræ, ſanctis Stephano, Laurentio, Martio, Verano prorſus quatuor, ſingulis ſingulę. Celeberri-
42 ma ſemper fuit, quæ Virginis agrorum, vulgò Noſtrę Dominę de campis, appellatur. Annus incertus, ſupra centeſimum quinquageſimum tamen fuit, cùm Iacobus Ioannes die ſancto Barnabę ſacrâ, vt erat pius & ſacrarum rerum amans, Creſteto ad eam venerabundus ibat. Vt ad Tarainum torrentem, qui in mediâ viâ eſt, venit, vt videt beatam Virginem ad dexteram rupis: in cujus caua ſeſe ille immittens influit in Ouidiam, & vehementer ad inſolita viſa hæret. Solatur ſtupentem Maria, jubétque ſuos Creſteti ciues ac Vaſionis moneat de vitiis ad auertendam, quę immineret, iram Dei, doceátq;
43 ſacellum ſibi eo loci exædificandum eſſe. His dictis ea recedit ab oculis Iacobi, & ipſe pergit in via, principio vehementer pro viſo attonitus, poſtea cùm ſibi redditus fuiſſet, malè omnino certus quid ageret. Redeunti ex Mariana ædicula domum, beata Virgo igitur rurſum ſeſe viro videndam præbet, ad eamdem Taraini in Ouidiam ſeſe exonerantis rupem, ſuáque mandata repetit. Iacobus Ioannes jubenti paret, atque Vaſionenſes Creſtetenſibus juncti ſacellum extruunt imperatum, tanto beatæ Virginis fauore vt ſe loco præſentem magnis, & frequentibus prodigiis ab eo tempore docuerit. Singulare eſt quod anno primo & viceſimo poſt milleſimum quingenteſimum euênit. Placet illud innominati ſed coëtanei auctoris vocibus recita-
44 re. Vt barbara ſit, vera tamen eſt oratio, & ſuâ ſimpplitate fortaſſis non erit ingrata lectori. *Verceyranus juuans Petrum Garini, mercatorem Carpentoractenſem, quamdam magnam tinam* (cuppa vinaria eſt) *mutari, in mutatione fuit auersè confractus, brachio toto penitus diſcuſſo. Manſit per dies, quibus nullo chirurgico inde valuit ſanari. Ex quo rediens ex Mirabello, cepit ſe vouere beatæ Mariæ de Tarayno, dignaretur ſuccurrere, & brachium perditum, de quo deſperabat, penitus ſuæ priſtinæ ſaluti redderet. Aduenienſ ad pontem Vaſionenſem licèt à multis diſturbaretur, ne iret ad cœnam cum eis..... vt ſe vouerat, pedibus nudis cepit eò ire, & quamquam..... vix pedem mouere valeret, vtì cepit, leporiùs tamen acceſſit. & ſtatim ad locum capellæ deſtinatæ peruentus cepit vltroneus liberè brachium mouere, &c.* docet redditum priſtinæ ſanitati in ipsâ ædicula. Quis autem Iacobus Ioannes fuerit non inuenio. Certè is mori-
45 bus fuiſſe videtur, vt pietate ac ceteris Chriſtiani viri officiis meruerit conſpectum & colloquium beatę Virginis, atque ad Creſtetenſes ſuos, ac Vaſionenſes ab eâdem legationem. Sintne nunc Creſteti viro conſanguinei neſcio. Qui Vaſionis ciues anno ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum Bertrandus Ioannis, Stephanus Ioannis, Guilelmus Ioannis, & Ioannes Ioannis ſe dixerunt clientes Epiſcopi, videntur ejuſdem cum Iacobo generis fuiſſe. Audio qui etiam nunc Malaucenam incolunt, ipſi cognomines, ex eâdem cum Creſtetenſibus gente eſſe; ex

iis autem noui ego à primâ pueritiâ Ioannem Baptistam, qui vno post me anno Societatem Iesv ingressus, pietatem Iacobi constanter à puero, æmulatur, omnesque viri sapientis & probi numeros nunc implet in procuratione Prouinciæ Lugdunensis, post acuratam & diligentem collegiorum Tumonensis, Auenionensis, ac Lugdunensis: atque institutam ab adolescentiâ in tyrocinio mecum amicitiam perpetuis per quinque & quadraginta annos seruat officiis colítque.

Atque hactenus dictum sit de Vasione totáque ipsius diœcesi, atque adeò de Iosepho Maria Suares illius episcopo.

Carolus Iosephus Suares ex Auenionensis basilicæ Metropolitanæ canonico Episcopus Iosepho Mariæ fratri successit anno 1667.

EGo Hugo Guilelmus Prouincialis Societatis Iesv in Prouinciâ Lugdunensi, facta mihi potestate ab admodum R.P. nostro Generali, facultatem concedo, vt Liber cui titulus est *Manuasca*, à Patre Ioanne Colvmbi ejusdem Societatis Professore Theologiæ compositus, & à tribus Societatis ejusdem censoribus approbatus typis mandetur. In cujus rei fidem has litteras, sigillo nostro munitas, & manu meo subscriptas dedi Arelate die 10. mensis Febr. anno 1659.

HVGO GVILELMVS.

MANVASCA.

Antiquiſſimæ nobilitatis viro

IORDANO DE GVASQVI,

IOANNI CATHELINOT,

STEPHANO ALIGNI,

CONSVLIBVS MANVASCÆ.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

VR ego ſeu de Manuaſca ſcripſerim, ſeu ad vos *Sapientiſſimi Conſules*, de eâ ſcriptum volumen deferam, non eſt quod ediſſeram pluribus. Illud patriæ, hoc vobis debebam. Certè patria parens eſt. Cùm aliud rependere per vitam à puero inſtitutam non poſſim, orationem refero. Decennis eram puerulus, cùm Auenionem iui ad ſtudia literarum, vbi ſexto pòſt anno inij Societatem Ieſu, longè à Manuaſca omnem ætatem acturus. Sed fortaſſis oratione non ſum minùs in ipſam gratus, quàm ſi omnes ab incunabilis annos in eâ ad vrbanos vſus poſuiſſem. Ceteri ciues claram, ſpectabilem, opulentam quotidianis laboribus faciant: dico ego ſitu opportunam, felicem agro, terra, aquis, aëre ſalubrem; inſtitutis præclaram, religionibus venerandam: & ſpeciem cùm à naturâ inſitam, tum ab incolis affuſam, deduco per alias vrbes & regiones; ſpectandámque, & prædicandam propono. Igitur aliis ciuibus, vt majora ſuſcipiant, etiam collaboro, in publicam lucem educens ornamenta, quæ addũt patriæ. Neque eſt quòd vitio generis humani, puter illius amore deluſus, Manuaſcam extollere fictis laudibus. Nihil affero de loci natura, quo illuſtriora hoſpites non emirentur, laudéntque: nihil ad naturam à ciuibus adjunctum, quod ex fidelibus chartularij vrbani auctoribus non ſit acceptum. Et verò non is ego ſum à gente, ab ortu, ab inſtitutis, vt pro illa mentiri debeam.

debeam. Societas Iesu,quã ab annis sexaginta profiteor, neque habet à Manuascâ causas,quibus ad fingendum adducar; &,vt haberet,nescit fallere. Ego patriæ ortum debeo : sed non est ipse tanti,vt me, qui pene infans ab illâ in omnem ætatem recessi,cogat aut sollicitet ad mendacium.Gens denique,cùm nàtus sum, non multos annos supra triginta in vrbe numerabat. Ad quos autem magis,quàm ad vos, id quidquid est muneris deferre debui ? patriæ patres, capita potiùs estis: & quæ de ipsâ affero,non tam ad vos spectant, quàm de vobis sunt : Igitur næ sim vehementer iniquus,si non ea vobis repræsentem. Præterea cùm Manuascæ, pro munere nominéque consulatis, vestrum est videre,an ex vero illam expresserim, ejusque singula secutus fuerim decora. Demum si quis ipsius ornamenta,quæ profero,tentet arrodere, vos magna tuebimini ope,quibus omnes ante quingentos & quinquaginta annos Comites ac Reges, post Guillelmum iilum juniorem dederunt vt *regere & gubernare*, ita *defendere patriam.*

AVCTOR LECTORI.

AD ipsum hujus libri conspectum miraberis fortàsse, mi Lector, quòd in tanta clarissimarum vrbium per omnes Gallias multitudine, vnam elegerim, de qua scriberem, Manuascam: maximè cùm, si in Prouincia amabam harere,habeamus Massiliam, Arelatem, Aquas sextias, Auenionem, antiquitate,amplitudine,celebritate,ceteriscque ornamentis,ante omnem temporum memoriam florentissimas ciuitates. Scilicet vt alia taceam, Manuasca, et noua est, non enim ante annos trecentos è burgo non ignobili quidem,sed burgo tamen, cùm ad ipsum è pagis prorsus quinque circumiacentibus omnes accola aduenissent,surrexit in vrbem ; neque omnino magna,vtpote qua murorum per stadia nouem circuitu capit ciues tantùm ad decem millia. Sed vbi perlegeris istud de Manuascâ volumen,erit abs dubio quòd mireris,me non eadem cum ceteris nostrorum temporum scriptoribus sentire de Guigone, Bertrandique fratris filiis, Comitibus Forcalquerij ; & Prouinciam dicere non,vt fere nunc fit, Galloprouinciam, aut Phocensem,aliove ejusmodi cognomine auctam Prouinciam. Reor itaque facturum me ex tuâ, meáque re, si causas mea super tribus istis capitibus sententia in ipso voluminis huius limine proponam.

Purgabo nomen ego meum, teque omni admiratione prohibebo.

Maximarum illarum per omnes Gallias, vrbium, nulla mihi, per suas partes, ad scribendum satis nota est: & singula pro suâ dignitate scriptores inuenient, qui accuratè ornatéque sequantur vniuersa ipsarum decora. Ego Manuasca orationem hanc debeo, scilicet patria est: & illius pene omnia noui. Quid meam memorem in rebus ejus cognoscendis operam? Ioannes Antonius Audifredus in Aquensi curia patronus, vniuersum ipsius chartularium indefesso labore euoluit, & capita, per summam fidem exscripta, mecum bonus communicauit. Vt peruetustis instructum est tabulis, sapissime pugnandum viro fuit cum blattis & puluere. Per semiesas etiam chartas non rarò iuit post fugientes characteres. Sed optimo viro suauissimus erat pro patria labor.

Si quis autem putat de magnis tantùm vrbibus scribendum esse, ea is vehementissimè fallitur. Principio regionum rationem, quæ maxima est in omni geographia & historia, nullam, aut, vt moderatè loquar, modicam ducit. Vnam fere qualibet regio, aut alteram habet vrbem clarissimam, certè non multas: totaque aut verò plurima mediocribus, aut etiam modicis, in castrorum & pagorum veluti capita, vrbibus continetur. Has ergo si ignorabis, regionem etiam, quæ ex ipsis constat, nescies: si verò nullis ponantur in libris, quando poteris omnes cognoscere? Optandum potiùs mihi quidem videtur, vt non vrbium etiam minimarum, aut oppidorum, sed castrorum quoque ac pagorum situs, origines, progressusque, ac vniuersa demum diligentissimè scribantur, qui ab ipsis intus habeant eos incolæ, quibus institutis regantur & legibus; quis & quantus sit ipsorum ager, quibus distinguatur riuis, finiatur montibus, fluuiis alluatur, fructibus quoque ac frugibus abundet. Hoc si aliquando fiat, magna regionum descriptioni, ac vniuersæ geographiæ lux affundetur; historiæ verò sua constabit sinceritas & firmitas, quæ alioqui, vt magnarum illarum vrbium nihil taceatur, sit omnis fere in tenebris, & labascat necessum est. Deinde quid tanti est in clarissimis vrbibus, vt vnæ celebrandæ sint? abundant fateor, illustribus viris, abundant ædibus sacris & profanis: sed agro ferme carent, hæ multo, culto illæ: & vt aliquem magnum etiam, nonnullæ habeant, pro scientiarum, ac armorum, & deliciarum, alio in aliis ciuibus, amore negligunt. Is autem & præcipuam laudem per se habet, & in cæteris vrbibus ferme plurimus est: neque à scriptoribus abjicitur, qui etsi de hominum rebus aut pace, aut bello præclarè gestis gaudeant dicere, non tamen fugiunt, amant potiùs, disputare de illis, quæ natura per plana camporum, vallium concaua, alta montium, splendidè sapientérque posuit.

Digitized by Google

ſuit. Sed vt præclaræ omnium generum magno numero ædes illis vnis concedamus, fortiſſimi viri non omnes prodeunt ex ampliſſimis vrbibus: non paucos edunt aliæ, & ab iis illæ, cùm minores, aut permodicæ erant, in ſummas euaſerunt. Enimvero quas ab amplitudine ac diuitiis nunc laudas vrbes, è tenuibus ac ferme nullis prodierunt initiis, magnámque partem laterent exteros homines, ſi cùm erant mediocri, aut nullâ magnitudine ſpectabiles, ſcriptorem nacta non eſſent. Quid demum dubitem dicere? noſtrâ, & patrum, ac majorum memoriâ, atque antiquiſſimis etiam illis temporibus, fuere qui dicerent, non de ſummis tantùm ciuitatibus, ſed de omni vrbium genere, ac oppidis quoque, & pagis. Didymus Alexandrinus grammaticus Cabaſſum *olim ſcripſit; & nonnulli faciunt oppidum Cappadociæ, Appio autem pagum Mezacam inter atque Tharſum.* Hubam, & Laureacum, *illaudata ceteroqui nomina, ſcripſit ante annos centum Gaſpar Bruſchius. Fuere qui non ita pridem ſcriberent de* Bernia, *qui de* Victria, *qui de* Belna, *ſingulares de ſingulis oppidis libros. Nonne* Dornanum *ſcripſit Iacobus Leſcornaius, nonne* Argiſi montem *non ignobilis hiſtoricus? Ægidius Coninckius* Bellæ *patria, quam Iodocus Hondius facit* villete municipèe, *dicauit ſuum de virtutibus Theologicis tomum, additis carmine laudibus quas innominati poëtæ cecinerant de eâ plurimas. Quid afferam Ioannem Chollium ſcripſiſſe de* quercu & monte Pilati, *Paulum Thomam de* Tonera *Engoliſmenſium fluuiolo, et alios de aliis montibus, fluuiis, fontibus? Plenæ deſcriptionum Bibliothecæ ſunt, plenæ laudum, quibus oppida etiam, pagíque per ſua decorantur volumina. Nemo certè neſcit de monaſteriis non ita amplis ſcribi à ſapientibus viris; tu verò vrbéſne maximis illis minores poſt ea ſingula ponere audeas, quæ multas non Monachorum ſed Clericorum ædes ſuis concludunt muris? Igitur vt de Manuaſca vna loquar, habet illa ſupra curiales baſilicas monaſteria quinque, quorum res ſi ab ipſis initiis repetens dicerem, plures mihi conſcribendi forent libri. Hoſpitalariorum certè, quos Melitenſes vocamus Equites, ante annos quingentos domum vno volumine non exequar, nam quâ eam oratione per laudes & aliorum ſeu Præceptorum, ſeu Balliuorum, & Berengarij Monachi, aut Ioannis Bonifacij, qui ſanguine, armis, pietate ſanctiſsimum Ordinem vehementer ornarunt. Errores & caſus Caroli Graſsij librum ſoli ſuum impleant: res autem ab Elione Villanouano, poſtea Hoſpitalis Magiſtro, geſtæ, vno contineri nunquam poterunt. Sed iſtud hactenus*

nus dictum sit. Magis id premere, fusiúsve persequi non placet.

Iam quid de Guigone, Bertrandique fratris filiis, Comitibus Forcalquerij, sentiam, paucis accipe. Guigonem, Guilelmi & Garsendis filium, aio fuisse fratrem Bertrandi minorem natu, quia post eum semper scribitur, etiam à parentibus. Celeberrimæ sunt illæ tabulæ, quibus Adelais auia, Bertrando & Guigoni fratribus, sua omnia in Prouinciam iura concesit. Præterea nego dominatum Forcalquerio, cuius nomine tenus, pro Principum minorum natu illis temporibus in Prouincia more, Comes esset. Bertrandus scilicet, frater natu maior, ei imperauit dum ille viueret, vt omnes tabulæ ab ipso scriptæ docent. Sed tibine videtur testamentum Comitis, Forcalquerienſi ab Auenionensibus ad Vapincensium & Ebredunensium extrema regioni, latissimè dominantis, in quo vbi dixisset Guigo, dono Hospitali Ierosolymitano Manuascam, *subiunxit,* reliqua bona mea, vbicumque sint, filiis fratris mei relinquo; *non potiùs viri, qui alia aliis per Forcalquerij Comitatum locis possideret? Bertrandus fratris filius longè alia in testamento scripsit:* Dono Hospitalariis quidquid ego habeo, vel habere debeo, in castro de Manuascâ, & de reliquo Comitatu meo sic dispono, vt frater meus Guilelmus Comes mihi heres existat. *Iam Bertrando illi Guigonis fratri fuerunt filij omnino tres, qui singuli, alio sine liberis post alium mortuo, imperstauere Comitatui Forcalquerienſi, Guilelmus, Bertrandus, & Guilelmus alter, quem vt à primogenito distinguam, consueui appellare iuniorem. Et Guilelmus quidem maximus natu regnabat Eugenio tertio Pontifice, qui ab anno quinto & quadragesimo post millesimum centesimum ad tertium & quinquagesimum rexit ecclesiam: conuênit enim cum Hospitalariis in nonnulla de Manuasca capita, suadente Guilelmo de Beneuento Archiepiscopo Ebredunensi, quem Eugenius legatum habebat in Prouincia. Is ipse non multis post patris mortem, & ante Guilelmi fratris ortum diebus, anno illius sæculi quinquagesimo, cum Bertrando fratre, & Garsende auia concesit Leporianum Templariis, & octauo post anno* castrum de Horreis *Archiepiscopo Ebredunensi. Bertrandus autem secundogenitus, & regnabat, & Vvilelmum fratrem, scilicet iuniorem, ac minimum natu, testamento dicebat heredem vniuersi Comitatus, anno octauo & sexagesimo, vt modò retuli. Demum hic ipse Vvilelmus, seu Guilelmus iunior in tabulis, Manuascæ pro Lurensi Abbate scriptis, anno primo & nonagesimo, ait se* annorum esse quadraginta, *ac proinde natum quinquagesimo; regnátque*

à morte Bertrandi fratris, vſque ad octauum à milleſimo ducenteſimo, quo Manuaſcam, & Manuaſca palatium, à ſe regiâ magnificentiâ exædificatum, dat Hoſpitali Ieroſolymitano, iiſque datis moritur, vt intelligis ab Andrea Delphino Beatricis ex Garſende filia neptis conjuge, qui anno pòſt ſecundo docebat mortuum olim *fuiſſe; et ex Garſende vxore* quondam *Ildephonſi Comitis Prouincia, qua* anno milleſimo ducenteſimo nono, pridie Calendas Decembris, *dat Berengario filio, ſub tutela Petri Aragonum regis conſtituto, ſua omnia in Forcalquerij Comitatum iura,* ex donatione Comiti olim conjugi facta à Guilelmo quondam Comite Forcalquerij, *per patrem auo. Iſti quatuor Principes, ſunt illi quatuor Comites Forcalquerij, quos in Manuaſcenſibus pro habenda Forcalquerienſi gratura chartis, legimus ſepultos Manuaſca in cœmeterio ſancti Petri; & Hoſpitalariis Ieroſolymitanis, qui eamdem ſacram ædem olim curabant, bonos amicòſque fuiſſe docebo ſuis locis. Diarium Conſulare ipſis adiungit Comitiſſam, Guigonis ex marito ſororem, & ceterorum trium matrem.* Sacrum in Sancti Petri celebratur, *ſunt eius verba*; pro Guilelmo Comite, *ſub iuniore, qui prærogatiuarum Manuaſcenſium auctor eſt,* pro Comitiſſa matre & aliis, *ſub. Comitibus*, in Sancti Petri cœmeterio ſepultis. *Iauſſerandam hanc, ſeu Gauſſerandam appellat Guilelmus iunior pluribus in tabulis. Flottam gente arbitrabar, & Arnaldi Flottæ ſororem: nam cur hunc vnum alioqui* auunculum *dicit? Certè cùm Guilelmus auus, & Ermengardus abauus nullam progenuerint filiam, Arnaldus amitam eius non duxerat. Et quidem hactenus dixerim de iſtis Forcalquerij Comitibus.*

Cur autem Prouinciam ſemper ſcripſerim, nunquam Phocenſem, aut Narbonenſem Prouinciam, nec Galloprouinciam, accipe. Antiqui ſcriptores, ex quo tempore Prouincia Narbonenſis erepta eſt Romanis, omnem illius cis Rhodanum partem dixere Prouinciam. Aliquos de innumeris affero. Sanctus Remigius in teſtamento apud Flodoardum ſcripſit quæ ſequuntur: Septimania, & Aquitania conceſſit, & eas quas in Prouincia Benedictus, *&c. Gregorius Turonenſis libro primo hiſtoriæ capite ſeptimo.* Albinus ex Præfecto, per Dynamium, rectorem Prouinciæ, extra Regis conſilium, ſuſcepit epiſcopatum Vticenſem: *& capite vndecimo.* Apud Maſſilienſem vrbem Dynamius rector Prouinciæ grauiter inſidiari Theodoro Epiſcopo Maſſilienſi cœpit. *Fortunatus libro ſeptimo, carmine vnde-*

cimo & duodecimo, ſcribit ad Iouinum rectorem Prouinciæ. *Angradus in vita Sancti Anſberti Rothomagenſis Epiſcopi:* Duſera vltra fluuium Rhodanum, in regione quæ propriè vocatur Prouincia. *Fredegarius libro quinto.* Carolus germanum ſuum Hildebrandum ducem partibus Prouinciæ dirigit. Auenionem vrbem *&c. S. Bonifacius epiſtola tertia, Ethibaldo Merciorum Regi:* gentibus Prouinciæ,& Burgundionum populis contigit. *Annaliſta Francorum à Pithœo & Petauio editus anno ſeptingenteſimo triceſimo nono.* Carolus intrauit in Prouinciam vſque Maſſiliam. *Ludouicus Pius in priuilegiis Hiſpanorum*; In partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Prouinciæ: *& in diuiſione regni inter filios*; Totam Prouinciam, & totam Gothiam. *Nithardus libro ſecundo, de diſſenſionibus filiorum Ludouici Pij:* cederet Carolo Aquitania, Septimania, Prouincia. *Annaliſta Fuldenſis anno ſeptingenteſimo triceſimo octauo.* Carolus Prouinciam ingreſſus. *Paulus Diaconus libro ſexto, de geſtis Longobardorum capite quinquageſimo quarto:* Saraceni Gallorum fines ingreſſi, vſque ad Prouinciam venerunt, & captâ Arelate omnia circumquaque demoliti ſunt. *Agobardus libro contra Simoniacos:* Clari & honorati viri per Septimaniam & Prouinciam conſiſtentes. *Hermannus Contractus anno 738.* Carolus Prouinciam petens. *Petrus venerabilis libro ſecundo, epiſtola decima nona, Henrico Vvintonienſi Epiſcopo:* ſolent Marciniacum venire, Lugdunum adire, Prouinciam penetrare. *Petrus Cellenſis libro octauo, epiſtola ſecunda, Epiſcopo Auenionenſi:* commitimus Prioratum noſtrum, cum his quæ ad nos pertinent in Prouincia. *Quid afferam capitularia noſtrorum Regum, Flodoardum, Adonem, & alios de Gallicanis rebus Scriptores? Quos attuli ſufficient cogitanti nomina regionum ex antiquiſsimo & communiſsimo illuſtrium omni antiquitate virorum vſu pendere, vſurparique.* Non poſſum tamen Auitum prætermittere. Hic vir poſt annum à Chriſto quingenteſimum queritur de Sigiſmundo Gundobaldi Regis filio, quòd è Sabaudia vadens in Prouinciam non adierit Viennam: *non abſque ſcrupulo poteſt accipi,* inquit, *quod de Sabaudia itineribus exquiſitis videmur ad Prouinciam præteriri.* Chronicum Virdunenſe ita etiam ſcripſit anno ſexcenteſimo triceſimo. *Aribertus Dagoberti Regis frater regnabat in Prouincia. Scio Prouinciam ſcribi nunc à nonnullis cum additamento, eoque alio ab aliis, vt à* Prouincia, *appellatiuo nomi-*

ne

ne, distinguatur. Sed hæc res mihi quidem non videtur tanta, vt suum nomen regioni mutare debeas. Nolo plura dicere, non enim est iste locus aliena carpendi. Erit satis addere, antiquissimos viros neque regionum, neque vrbium nomina idcirco mutauisse, quòd alij cuipiam rei etiam tribuerentur. Nouam *Augustinus memorat inter vrbes Africæ*, Forum *Paulus Diaconus facit patriam Sancti Baudolini*, Octauum *Gregorius Turonensis ponit in Lugdunensibus vicis*, & Tertium *in castellis Italiæ*, *Ioannes Biclarensis castrum nescio qnod impositum Rhodano appellat* Hodierno. *Quid referam* Leges *Plutarcho populum esse*, & Nouas *Antonino Mysiæ vrbem*, *atque* Legionem *Hieronymo Iudææ vicum*, *aut vrbem? Sed vide quid beatus Doctor scripserit libro de locis.* Omnis vsque ad montem Sinai eremus Sin vocetur; & ex tota prouincia, etiam locus nomen vnius mansionis acceperit, sicut Moab tam vrbis, quàm prouinciæ nomen est.

Ciuis animum non habet, qui vrbis suæ gratiâ non tenetur. *Cassiodorus libro* 8. *variarum epist.* 30.

Digitized by Google

MANVASCÆ.

LIBER PRIMVS.

1 AGER Manuaſcenſis, Volſienſi ad Orientem; Santalliano, Petrauiridenſi, atque Monfuronio ad Occidentem; Villamurio, Sanmartinenſi,& Dalphinio ad boream finitus; per ſeptem in longitudinem, & ferè totidem in latitudinem, milliaria ducitur, ad Druentiam vſque fluuium, meridionalem limitem. Antiquæ tabulæ appellant vallem, quia quibus perpetuis montibus collibúſque ſuper alios aliis,ab ortu, occaſúque,ac Borea ſurgit, ſub illorum finem aperitur medius in theatri figuram, & reſupinatur interior ad vegrandem veluti aream,quæ verſus Meridiem æquatis omni parte ſpatiis panditur in latiſſimè fuſam planitiem. Affluit frumento, vino, oleo, pomis, pyris, prunis, nucibus, ac demum reliquis omnium ferme generum vniuersâ Galliâ fructibus frugibúſque. Plures oleas ipſi vidimus, quæ ſeu gleucini, ſeu tortiui, liquoris pondo darent omnino centum. Amygdalæ tam frequentes in planitie ſunt, tamque multis brachiatæ ramis, vt Ioanna Prouinciæ Comes earum florem emirata, Manuaſcæ addiderit cognomen *Florentis*. Vites hæ collinæ, campeſtres illæ,& aliis populis,& per montana Delphinatibus, vinum largè miniſtrant,
2 quod nulla geſtatione corrumpitur. Quid afferam frumentum, aliáſque fruges,aut poma,pruna,& ceteros arborum fructus? nullus non eorum hîc feciliciſſimè naſcitur. Scilicet ſuum cuique ſolum eſt,in plurimis, & altitudine,ſitu, magnitudine, accliuitate variis montibus, tumulis, collibus, quos frequentes appricæque valles interſecant, quos ampliſſima planities excipit. Quod ergo Belleforeſtus montium longos ordines, latéque jacentes campos in Prouincia demiratus, aſſeuerauit eam Galliæ reliquæ compendium eſſe, hoc æmulari fas mihi ſit, & agrum Manuaſcenſem pro ſitu vario & multiplici partium fœcunditate,non vnius vrbis, ſed regionis, ſiue (vt moderatè dicam) regiunculæ agrum appellare,ac prouinciæ,& adeò Galliæ breuiſſimum compendium. Certè nihil ab accolis expetit; omnia incolis, alia pro aliis,vt ita loquar,plurimúmque diuerſis plagis,ad vitam honeſtè agendam,non neceſſaria,ſed apta,copioſè ſuppeditat. Ad remotas etiam gentes magnam rerum de terra pene omnium dimittit vim.

3 Ad lætum & nobile ſoli ingenium maximè faciunt aquæ, eas ſalubritate laudabiles,nitidas,hilares, ſplendore viſendas, per omnia illius viſcera in generoſum fuſas eſſe ſuccum demonſtrant fontes,qui plurimi paſſim prorumpunt. Denique tam multi ſunt, vt omnino quatuor principes riuos (quid enim recenſeam ignobiles?) progenerent, perpetuíſque agminibus alant.

Digitized by Google

Ijà ſeptentrione in meridiem longè decurrunt, Ridauius, Sanctalbanus, Furnocalcius, & Valueranus. Sanctalbanus tamen ac Furnocalcius, ſub fontes Droüilios, coëunt in eum, cui à magna jam aquarum cópia datum eſt Magni riui nomen. Et verò amni ſuppar ante annos quatuor erat, maximè poſt acceptam, foſsâ per Volſienſes ductâ, Lanici fluuioli partem. Nunc in plurimas ſciſſus particulas, id decoris non habet. Henricus Latillius Entraguius occluſit alueum, quem ingentem ſupra annos quinquaginta ei foderat Carolus Graſſius, ante ipſum, vt Equites Melitenſes vocant, Balliuus. Igitur ſortem ſuam indignatus, variis per vicinos agros foſſulis errat, donec inglorius, & ſine nomine, ac veluti aſperſus puluere, lutoque, de pratis quæ rigat, & agris quos interluit, deformis, non tam influat Druentiam, quàm eâ ſe condat. Eſt quidem in montana regione etiam quintus Septifontius riuus, 4
eſt ſextus Lauſſellatius: ſed ij ab extremis ad Septentrionem montibus oriuntur, & ad Delphinios campos eunt, non ergo placet in Manuaſcenſibus numerare. Iuuit tamen afferre, vt videas fontium reliquo omni agro multitudinem. Illum edunt ſeptem (vnde ipſi nomen) per gypſi tumulos, in eumdem alueum confluentes, quâ mons non modica Delphinum decliuitate deſcendit. Inuenies prætetea in veteribus chartis riuos, Sanmartinenſem, Droüilium, Eſpellium, Albetæ, & Conchetarum. Sunt hæc nomina Sanctalbani, & Furnocalcij, ita dictorum ab originis loco; eaque varia pro agri varia regione, per quam eunt: illius quidem priora duo, iſtius verò cetera.

Aquarum & ſolis felicitatem comitatur par cœli bonitas. Aër neque acri 5
ſubtilitate corrodit viſcera incolarum, neque præpingui ſpiſſitudine caput grauat. Non æſtas, non hyems vrit campos, aut homines. Pluuiæ, venti, niues fere ſeruiunt ſegetibus & arboribus: omnino infrequenter nocent. Sol plurimus licet: rarò nubilus eſt. Igitur ad extremam ſenectutem incolæ magnam partem perueniunt. Atque ſi aliquando ſæuiat hyems in montibus, ſub illis latè patet aprica planities, quam ſui Principes ob amœnitatem ſic olim adamauere, vt Forcalquerienſes reguli hybernas Manuaſcæ ſedes habuiſſe ferantur. Sin è contra æſtas plus æquo vigeat, & ab vrente ſirio ardeant agri, tam multa per montes vallis eſt, & arboribus frondoſa, & aquis rigua, vt per calidiſſimam æſtatem in ea ver eſſe cogites.

Ager quippe Manuaſcenſis quadratus eſt. Qua parte videtur oblongior, 6
diuiditur in duas regiones, Septentrionalem alteram, alteram Meridionalem: montoſam illam milliarium quatuor, trium fere hanc planam. Vbi montana planæ iungitur, arcuatur media in aliquam theatri ſpeciem, plana autem æquato ſitu omnis protenditur, niſi quòd cùm mons omnium ventorum, ſiue *Totarum*, vt vulgò loquuntur, *aurarum*, qui theatrum ad Occidentem claudit, non aſpera rectitudine, non vt Aureus in oppoſita ad Orientem parte mons, difficili & duro deſcenſu præcipitet in planitiem, ſed molliſſimâ deuexitate per longiſſima verſus Meridiem ſpatia ſenſim demittatur, illi ſeſe ita immiſcet per Sauellum vtrumque, vt aliquando neque tumulus etiam ampliùs, neque tamen omnino planities eſſe videatur. An omnem agrum in tres partes diuidas aptiùs? montana, cùm deſinit, aperit ſe mediam in hemicyclum theatralem: plana ab extremis montoſæ in theatrum ſeſe diducentis cornibus, ad Druentiam vſque fluuium per tria milliaria porrigitur: area inter vtramque media ſic habet, vt principio perpetuis ſeu mon-

tium, ſeu collium radicibus, in ſemicirculum per milliaris,& quod excurrit, diametrum extendatur, deinde extrema planam, ipſis ſuperatis latè profundat. Sed in montibus eſt vnum aliquid prorſus ſingulare. Illi neque præ-
7 longi ſunt, & in multos vertices fere ſcinduntur. Amœnas igitur in valles, ad Orientem maximè & Occidentem, paſſim reſupinati deſcendunt. Tres in ortiuis feliciſſimæ ſunt. Gaudea fontibus rigua, arboretis vmbroſa, frumento, vitibus, omnique reliquo frugum ac fructuum genere diues, Eſpellio, Pimaiore, (Podium majus appellant veteres tabulæ,) & Furnocalcio montibus cingitur. Sanroſtaniana vnum milliare longa lataque, nihil vbere glebæ, nihil hilaritate camporum debet Gaudeæ. A Columbarij montis radicibus aperitur. Pimaior mons, & Valueranius riuus à tertia inno minata ſeu valle, ſeu planitie, per ſtadia ſeptem vel octo fuſa ſejungunt, quæ ceteris omnium rerum abundantiâ par, habet hoc eximium, vt Hoſpitalario, & Siluacutio montibus, multa quercu nunquam folia perenni virore læta dimittente (quòd in Thurini agri vna poſt Varronem ſuſpexit Plinius) ad omnem delectationem nemoroſis, à Meridie claudatur. Occiduos verò montes à Septentrione ad Meridiem longiſſimè diuidit ſinuoſa conuallis. A faucibus ea Soproſis per Sanctalbanam & Pontailaudiam regiones, in Sanmartinianum pontem deſcendit. Quid iſtis vallibus ad omnem hilaritatem cogitari poteſt factum magis? Certè ſi, vt poëtis mos eſt, ita mihi jam liceat ludere, dicam ego ver, quando cetera ſeu planorum, ſeu montanorum, æſtuant, in eas pulſum recedere, jucundéque cum Nymphis otiari?
8 Ceterùm hic ager à cœlo, aquis, terra, in omnem opum vim, & vitæ honeſtatem inſtructus, vt aliquod regiunculæ nomen prorſus impleat, reliqua etiam habet, quæ minùs aſpectu grata, ſuo vſu & neceſſaria, & commoda ſunt. In vltimis ad Septentrionem montibus, toto ferme ab Oriente ad Occidentem tractu, poſt alios veluti latent inhonora. Ibi paſcua gregibus, & armentis: ibi carbo, lignúmque: calx, gypſum, lapis ibi plurimus eſt. Denique Gypſarij, & Furnocalcij colles, ipſis nominibus docent qui ſint. Carbo autem (vt hoc non taceam) duplex effoditur: hic accepto igne ardet per ſe, ille non ſine follibus: ambo non in vna fodina, ſed in vno etiam ordine immixti videntur. Quid referam aquas Eſpellias parandis coriis, lanis inficiendis, & aliis hujuſmodi rebus manu laborandis, maximè idoneas eſſe? verùm eas, vbi ad vilia opera dejiciuntur, puduit ſe ad ludibrium ſpectandas proponere campis & montibus, frumento, vitibus, oleis ad omnem inuidiam ſpecioſiſſimè conſitis, ac, vt aliud non ſit, tumulorum & collium, per quorum aream fluunt, theatro. Igitur vt lateant, foderunt altè ſibi alueum, donec Sanctalbanis mixtæ, in Magnum proficiant humilioribus ripis riuum.
9 Qui, & quàm multi homines habuerint primi hunc agrum, vbertate, vſu, venuſtate ſpectabilem, & ſufficientem ſibi, ac regiunculæ ſupparem, ignotum mihi eſt. Indigenarum nomen nulli Scriptores tradidere. Aliqui ſuſpicantur à Romanis, poſt indigenas, habitatum fuiſſe, qui & amœnitate loci, & viæ Maſſiliâ ad Alpes Cottias opportunitate adducti, coloniam ad ipſum miſerint; atque Manuaſcam, à manu, quàm in ſignis elatam præferebant, dixerint. Alij Bormannicum Plinij, aut Antonini Alaunium Seguſterionem inter ſeu Siſtaricum & Aptam Iuliam poſitum, in eo conſtituunt. Fuit qui vellet Gregorium Turonenſem memorare Manuaſcam li-

bro 4.

bro 4. hiſtoriæ Francorum cap. 39. atque, vt territorium non ſemel ſcribit pro Comitatu aut Ducatu, ſeu pro regione Comiti Duciue ſubiecta, conſtituere in Auenionis territorio, cui per illa, quæ recitat, tempora ſubiecta eſſet. Vnde etiam factum fortaſſis eſt, vt, S. Majolus Valentiolæ, quã Druentia fluuius à Manuaſca diuidit, autore Franciſco de Riuo natus, feratur ab innominato Siluaniacenſi, *regione, quæ Prouincia nominatur, oriundus, oppidanorum Auennicorum*, ſiue vnius ex oppidis, Auenionenſi foro & ſeu Ducatui ſeu Comitatui tum ſubjectis, alumnus. Neque rem mirabitur, qui cogitauerit anno etiam milleſimo ſeptuageſimo ſexto Epiſcopatum Aquenſem fuiſſe in Comitatu Auenionenſi, ex tabulis, quibus *Petrus & Pontius* dant *aliquid de alode ſuo* Sanuictorinis Monachis. Poſt annos à Turonenſi quadringentos fuit in Comitatu Siſtarico, in Forcalquerienſi jam à centenis pluribus annis eſt. Legimus quidem Macao apud ipſum: ſed non ineruditus vir, addit duplicem ab exſcriptonbus errorem, eſſe in vna voce. Qui vulgò contrahebant nomina veteres, exiſtimat Macam ſcripſiſſe, cùm Manuaſcam legerent: ſed quoniam & Manuaſca tum ignota erat, & Maca nullibi locorum extabat, alios Macao pro Maca ſequentibus temporibus poſuiſſe. Igitur Paulus Diaconus libro 3. de geſtis Longobardorum capite 3. eadem Turonenſi recitans, appellat Machouillam, veluti diſtinguat à Machocaſtro, & Manuaſcam villam (vt quondam diuerſa omnino erat) à Manuaſca caſtro. Quid ſapientem virum adduxit, vt iſta longiuſculè petita ſentiret? Ipſa res, quam Gregorius Turonenſis tradit. *Tres Longobardorum duces* inquit, *id. Amo, Zabam, ac Rhodanus Gallias irrupere. Et Amo quidem Ebreduneníem carpens viam, vſque Macao villam Auennici territorij, quàm Mummolus munere meruerat regio, acceſſit, ibique fixit tentoria. Zabam verò per Deenſem deſcendens vrbem, vſque Valentiam venit. Rhodanus autem Gratiopolitanam vrbem aggreſſus eſt, ibique papiliones extendit. Et Amo quoque Arelatenſem debellauit Prouinciam, cum vrbibus quæ circumpoſitæ ſunt. Et vſque Lapideum campum, qui adjacet vrbi Maſſilienſi accedens, tam de pecoribus, quàm de hominibus denudauit. Aquenſibus autem obſidionem parauit, de quibus viginti duabus libris acceptis abſceſſit.* Hactenus Turonenſis, quem pene verbatim exſcripſit Paulus Diaconus. Iam doctus vir ita ſubjungit. Qui Ebreduno exercitus cogitat Arelatem, & ex eo Aquas Sextias, atque vrbes vtrique ciuitati vicinas, is profectò non inueniet certiorem, neque faciliorem, quàm quæ Manuaſca fert, viam. Denique Manuaſcam Ebreduno ducit Druentia exercitui ſuperanda. Neque aluei fluuius ambigui, maximè cùm creuit, trajicietur aptiùs quàm ſeptimo aut octauo ſub Manuaſca lapide, vbi impatiens cogi, & aquarum impotens, hinc & inde prærupe coërcetur. Hæc ille. Ego autem inuenio agrum Manuaſcenſem, locis omnino ſex habitatum fuiſſe ante annos ſeptingentos. Antiquiora nullis in libris, tabulis in nullis lego; & non lecta ſuſpicari veritatis amantem pudet. 10

Eminebant Caſtrum Manuaſcæ in monte ad Orientem Aureo, & Burgum ſeu Villa (vtráque voce appellant veteres chartæ) in vallis medio. Suum neque paruum nomen habebat Fanum Petri ad Meridiem Villæ, in ipſis ingentis planitiei initiis, non procul confluente riuorum Sanctalbani & Furnocalcij, vtpote quod etiam burgum vocauerunt tabulæ ante annos quingentos ſcriptæ: maximum pagus Omnium ventorum in monte cog- 11

nomine

nomine, cui nomen quoque caſtri, à mœnium (vt arbitror) firmitate, dabant. Ignobiliores fuere pagi, Montacutius ſupra regionem Eſpelliam, & Sanmaximæus ſub monte Aureo ad Boream, incolis tamen non infrequentes, vtpote quibus ſingulis ſuus ſacrorum curio erat anno quadringenteſimo ſupra milleſimum. An iſtis ſex locis ſuos incolas habentibus, ſeptimum adjungere debeam Fanum ſepulcri hæreo. Fuit quidem ſepulto Chriſto ſacra ſuo cum curione in agro ædes, ſed id nominis pago tamen datum non inuenio in antiquis tabulis. Igitur volunt, neque injuria, Fanum Petri ab illa cepiſſe proximum ſacra. Erexere fortaſſis principio templum Principi Apoſtolorum in agro, & ad illud poſtea, aliis ad alias ſparſim additis domibus, ſurrexit viculus: tum poſtquam excreuiſſet hic in burgum, ei datus eſt ſacerdos, & ſacerdoti proximè excitatum jacentis in ſepulcro Chriſti delubrum.

12 Iſta ſex loca, vt ſitu ab inuicem longè disjuncta fuerint, nunquam tamen inſtitutis & moribus ſejuncta fuerunt. Diuerſæ potiùs, latéque per agrum fuſæ regiones & paroeciæ vnius vrbis videbantur. Manuaſcam olim appellabant totam vallem, ea verò ſex loca, aut partes aut appendices partium Manuaſcæ. Audi Guigonem Forcalquerij Comitem. *Dono* inquiebat anno nono & quadrageſimo poſt milleſimum centeſimum, *Hoſpitali Ieroſolymitano Manuaſcam.* Petis quid intelligat nomine Manuaſcæ? accipe. *Burgum*, pergit, *& Caſtellum, & Totas auras, cum toto territorio, & omnibus ad Manuaſcam pertinentibus.* Ecce docet Manuaſcam ex tribus partibus conſtitiſſe, Burgo ſeu Villa, Caſtro, & Totis auris. Fanum Maximi verò, Fanum Petri, & Montem acutum ponit in iis quæ ad Manuaſcam pertinent. Atque ita patruum intelligebat Guilelmus junior, cùm ſcripſit quæ ſequuntur anno milleſimo ducenteſimo ſexto. *Confirmo donationem, quam Guigo bonæ memoriæ Comes Forcalquerij, avunculus meus, domui Hoſpitalis fecit de Manuaſca, Burgo ſcilicet, & Caſtello, & de Totis auris, cum eorum territoriis.* Quas Manuaſcæ appendices appellaui, Hoſpitale Ieroſolymitanum vocabat ſuburbium & aliàs, & anno poſt Guilelmum juniorem 6. & 40. cùm probaret pacta, in quæ Ægidius Railanæus, Prior Ægidianus, vices Hoſpitalariorum Manuaſcenſium agens, venerat cum Manuaſcenſibus. Neque immeritò ſic vocabat, ſuburbia enim non vbique regionum quondam juncta fuere vrbibus aut villis, vt Catellus aduertit libro 2. hiſtoriarum Occitaniæ capite 2. cùm tra-

13 dit Toloſana longiſſimè ab vrbe quondam fuiſſe. Iam ſi poſtules, quæ trium Manuaſcæ partium nobiliſſima fuerit, reſpondebo Caſtellum, & ſitu, & arte munitiſſimum, maximi per bella fuiſſe nominis; Burgum verò ſeu Villam, & ſubvrbiorum numero ac amplitudine, & ciuium opibus, multitudine, viribus, & agri varietate, dignitate, vbertate Totas auras, atque Caſtellum longiſſimè ſuperaſſe. Alſatia Meſollana recentiſſimos vniuersâ cis Druentiam Prouinciâ tumultus, & Vaſconum latrocinia ſpectabat, cùm de beatæ Dalphinæ ſanctitate ad judices dicto ſacramento loquens, viſa eſt præferre Caſtellum ſeu Caſtrum Villæ; & hanc, vt inferiorem, de illius veluti nobilioris nomine appellans, aſſeruit monaſterium Franciſcanarum eſſe in Caſtro Manuaſcæ, quòd Saunariæ erat proximè Villam. An potiùs nomen caſtri, non vt proprium Manuaſcæ parti accepit, ſed vt commune arci-

14 bus, lociſque non immunitis, qualis Villa ipſa erat? Certè Ioannes de Villaribus,

ribus, Hoſpitalis Ieroſolymitani Magiſter, iſto poſteriore modo vocem vſurpabat, cùm ita ſcripſit anno ſexto & octogeſimo ſupra milleſimum ducenteſimum; *in ipſius caſtri ſeu Burgi Caſtellania.* Palatium quippe foſsâ, loricâ, turribuſque munitum, caſtri ſpeciem habet, noménque caſtri Villæ tum dabat, maximè cùm emineat ſitu. Enimvero quæ de collibus, tumulis, & montibus in hemicyclum poſitis ſeſe aperit area, ſic habet, vt non æquis vniuerſa ſpatiis, planóque ſitu tendatur: ipſo hemicycli medio ſurgit in terræ lingulam, quæ principio ſtadium lata, deinde dorſuatim in vtrumque latus deuexa, per tria aut circiter ſtadia verſus Meridiem obtuſo, & dextrorſum verrucato mucrone protenditur. Sed omnis tamen deſcendit, ſcilicet à Meridie quidem nunc ſenſim, non vt quondam abruptè, in latiſſimam illam planitiem, ab Occidente autem, viâ per Guilelmi petriam conuallem in Sanctalbanum riuum præcipiti; ab Oriente demum, non omnino molli in Furnocalcium decliuitate. Hujus lingulæ dorſo villa ſic erat impoſita, vt cùm per longa & æqua ſpatia, à porta Sobeirana ad Mercatoriam vſque plateam jacuiſſet, facillimo cliuo ſenſim aſcenderet ad tumulum Libonoto oppoſitum. Altè igitur ſeſe efferebat, & ab Occidente potiſſimùm aut 15
Libonoto venientibus, munitiſſimi caſtri ſpeciem palatio, quod etiam hodie ſtat, ampliter turrito præ ſe ferebat. Sed Guilelmus junior, Forcalquerij regulus, apertè docuit Villam Caſtello, & Totis auris præſtare, cùm ei vni anno milleſimo ducenteſimo ſexto nonis Februarij conceſſit inſignes prærogatiuas. Ipſius etiam dignitatem & copia paucis pòſt diebus aperuit, cùm Totas auras tacèns, illas ad Caſtellum extendit, déque duodecim vtriuſque conſulibus, ac ſexaginta conſiliariis, voluit tertiam tantùm partem è Caſtello aſſumi, vt libro 2. referam. Fulco autem de Villareto Hoſpitalis Ieroſolymitani Magiſter rem prorſus confecit, complexus nomine diſtrictus Villæ, Caſtrum, ac Totas auras, & quas dixi Manuaſcæ partium appendices. *Concedimus*, aiebat anno milleſimo trecenteſimo octauo, *vt deinceps in Villa Manuaſcæ, nec ejus diſtrictu, aliquis incola vel habitator Manuaſcæ, vel ejus diſtrictus, ad aliquod officium publicum judicaturæ nullatenus admittatur.*

Et putabam ego quidem Villam ceteros edidiſſe pagos, caſtráque, & per 16
alias agri partes alios ſparſiſſe ciues, coloniarum in morem. Neque falletur meo judicio, qui dixerit poſuiſſe primùm caſtra ad totius Vallis ſecuritatem & quietem, in Aureo, & Omnium ſeu ventorum ſeu aurarum montibus (Caſtellum ſeu Caſtrum Manuaſcæ, & Totas auras, ſeu Totarum aurarum caſtrum antiquæ tabulæ vocant) deinde ad delicias ædificaſſe domos in amœniſſimis agri partibus, quæ aliæ ad alias additæ ptofecerint in pagos S. Maximi, S. Petri, & Montis acuti. Nam cùm Vallis Manuaſcæ illis de montibus aperiatur in planitiem, quibus ad Meridiem extremis ea duo caſtra erant impoſita, certè ipſorum incolæ velut in cuſtodia poſiti fuiſſe videntur, vt hoſtium aduentum ciuibus in Villa, aut per agrum, conſtitutis, ære campano, vel ignibus nuntiarent, &, ſi vſus ferret, impetum oppoſitione corporum ſuſtinerent, frangeréntque. Ager verò ita habet, vt omnis
quidem abundet frugibus, fructiferáſque lætè ſurgat in arbo:s, tamen ſi 17
montem Eſpellium, conuallem Gaudeam, Portaleti clauſum, Beatę regiunculam Roſtanæ, Columbarij collem, Cuniculorum accliuia, Plana Sobeirana,

Magnana demum latifundia,ceteris præter Aureum montem, in quo ſummo Caſtrum Manuaſcæ quondam ſtabat,componas partibus,videberis opponere ſolem ſtellis, & riuo flumen aut mare. Iam ergo cur in iis reliqui pagi,niſi ad delicias ædificati fuere? nam profectò nullum ad Tiblam, vel Corcoſſonum, nullum ad Fodinas gypſi, loca magni quidem ac neceſſarij
18 vſus,ſed injucunda,exædificauere pagum. Montacutum ſupra montem Eſpellium non longè erat,qui per ſexcentos longitudinis,& trecentos latitudinis paſſus, non paucioribus ſeu patet, ſeu ſurgit amœnitatis gradibus;decliuíſque deſcendit in vallem Gaudeam, quæ vt à Petro Gaudio poſt annum milleſimum centeſimum ditiſſimo viro, Gaudiæve gentis alio dicta fuerit, pro ſuo tamen nomine gaudiorum ad ſatietatem omnium,& riguarum hilaritate aquarum, & herbeſcentium viriditate pratorum, & multiplici arboretorum varietate parens altrixque eſt. Ante ſe autem videbat feliciſſimam illam S. Roſtanæ regiunculam, Clauſumque Portaleti, ſic appellatum, quia montibus Eſpellio,Pimaiore, Columbario,& Aureo ita clauditur, vt inter eos,per conualles non omnino amplas, veluti ingentes aperiatur in portas. Fanum Maximi lego fuiſſe paucis à Montacuto ſtadiis, in borealibus Aurei montis radicibus, atque adeò ad illum, ſub ipſis finibus regiunculæ Sanroſtananæ, quæ in mille ſeu longitudinis, ſeu latitudinis paſſus patet. Denique Fanum Petri, quàm latè ad Magnum riuum funditur meridionalis planities;mittebat diuites colonos per Valuerania,Sobeirana, Contalia ſeu Comitalia, Magnanaque arua. Neque parum ad hoc facit,quòd à ceteris ſeu caſtris,ſeu pagis jam olim incolæ ad Villam acceſſere,eò veluti redeuntes,vnde quondam diſceſſerant,domúmque patriam veluti poſtliminio repetentes.Igitur dirutis primùm,deinde per cæmenta pendentia euerſis, à fundamento demum avulſis eorum ædibus, reliqua eſt vna turris in Caſtro Manuaſcæ,mole etiam nunc ſitúque viſenda.Nam quod ex Omnium ventorum caſtro reliquum vides templum Mariæ,id è ruderibus erutum eſt, vt B.Petri etiam delubrum in cognomine quondam pago.

19 Quibus verò temporibus caſtra,& pagi, incolis vacuati fuerint, cecideritque,non omnino liquet, atque hoc loco neceſſarium tamen eſt dicere. Igitur ſic habeto. Caſtrum Manuaſcæ tum ſtabat vigebátque, cùm Guilelmus junior Forcalquerij regulus,anno ducenteſimo ſexto ſuprà milleſimum pridie idus Februarij imponebat Manuaſcę conſules 12.& conſiliarios 60.ſimul enim edixit,vt de Caſtro quidem conſules 4.& conſiliarij 20. ceteri autem de Villa aſſumerentur. Stabat quoque altero pòſt anno Omnium ventorum caſtrum, quo idem ipſe regulus & alia, & palatium, quod ſibi exædificauerat, viſiturque etiam nunc, dedit Hoſpitalariis Ieroſolymitanis.
20 Illius enim incolæ in doni teſtes ſunt adhibiti. Sed quàm multis pòſt annis vtrumque caſtrum ſteterit, non facilè aſſeuerauerim. Robertus Siſtaricenſis Epiſcopus, in literis anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimotertio ſcriptis, videtur docere, ipſa, & Fanum Petri quoque, centum poſt illas Guilelmi Comitis tabulas annis cecidiſſe. Cùm enim aſſeruiſſet Caſtrum Manuaſcę *à ſexaginta annis & vltrà funditus depopulatum, ac gentibus omnino deſtitutum*, ſubjungit, *eccleſias S. Martini in Caſtro Manuaſcæ, Sancti Sepulchri* in Fano Petri, *& B. Mariæ de Totis auris eſſe, atque fuiſſe à tanto tempore quòd memoria hominum non exiſtit, depopulatas parochianis,*

&

& gentibus funditus deſtitutas. Quia nihil ejuſmodi memorat de Fano Maximi & Montacuto, additque iſtius curionem *teneri ad procurationem, & Synodalem comparitionem*, crediderim ego ſtetiſſe quidem ipſius temporibus, ſed paucis ac ferme nullis habitata ciuibus, quandoquidem ante annos centum & quinquaginta deſierunt. Quæ autem cauſæ paganos omnes coëgerint in Villam, minùs facilè dicas, in magno antiquarum ſilentio chartarum. Etenim quod nonnulli aſſerunt, id per teterrimam illam Vicecomitis Turenij ſeditionem factum eſſe, vt in aliorum caſtrorum excidio, magnaque regionum etiam vaſtitate habere placeat veritatem, profectò nullam in euerſione Caſtri Manuaſcæ ſimilitudinem veri habet. Ejus incolas, & ſitus loci, & turris de ipſo reliquæ, cujus firmitatem laudamus, ac alia, quæ de turri non difficilè colligas, mœnia, tutos ab hoſtibus latrocinio magis, quàm magni exercitus vi agentibus ſatis præſtabant. Ego, quandoquidem ſolis ſuſpicionibus locus eſt, eô cogitatione veniebam, vt ducerem publicæ potiùs rei conſiliis ſuſtentandæ causâ, vniuerſos in vnum locum, &, quoniam peropportunum erat, in Villam ſub mediam Vallem conueniſſe. Ita enim videmus noſtris temporibus, & audimus à ciuibus grandi natu, atque in antiquiſſimis etiam tabulis legimus, Manuaſcenſes publicæ attentos rei ſemper fuiſſe, vt non eam, ſed ipſius ſpeciem, priuatæ antepoſuerint. Scilicet vno in loco poſiti, & velociùs in tumultu, & ſecuriùs per bellum, & certiùs quæcumque fortuna homines ſollicitet, conſulunt in commune. Nam ſi aliquæ agri regiones ſuperandæ ſunt, ſi aliquot milliaria ſub dio perficienda, vt ad curiam venias, nunc æſtus, nunc venti, aut pluviæ morabuntur euntem; atque, ſi aliud non fuerit, certè fugient tempora, è quorum momentis vniuerſa res pendet. Iam hoſte campos habente, aut etiam latè rura vaſtante, quî fiet vt per illa vitæ ſecurus eô pergas, vbi cum ciuibus agendum eſt. Bello autem factum eſſe, vt è caſtris & pagis in villam coierint Manuaſcæ vallis totius incolæ, ego quidem nunquam crediderim. In Caſtrum potiùs ſitu artéque munitum è Villa confugiſſent, quæ & humilitate ſitus, & mœnium infirmitate longè opportunior illo eſt hoſtibus. Ceteros ad Manuaſcæ vallem pagos ſui non deſeruerunt incolæ, non Dalphinum, non Volſium, non Fanum Tulliæ, non Villamurum. Sed quid tantum opis, è Villâ ſperari in re dubiâ potuit, à circùm per vallem jacentium deſertoribus caſtrorum & pagorum? vt cetera taceam, ſi caſtra manibus hoſtium ceciderunt, quo conſilio factum eſt, vt prealta firmáque turris Caſtri Manuaſcę illas euaſerit, quę vna maximè hoſtium vim experta eſſe, ac eorum furori ſuccubuiſſe dicenda eſt? Stat tamen ipſa, ad agri cuſtodiam dubio procul ſeruata, cùm ciues ad Villam incolendam deſcenderunt. Atque ſcimus (quid alia memorem?) quo iimpia fœdera tempore omnem Prouinciam in duas diuiſere partes, militem in eâ cum ęre campano conſtitutum fuiſſe, qui moneret agricolas de hoſtium ad latrocinia aduentu: atque brutas quoque animantes ſic audientes monenti ſe prębuiſſe, vt ſigno dato ad vrbem concito curſu perfugerent. Non igitur bello factum eſt, vt caſtra pagíque deſererentur à Manuaſcenſibus: mediâ magis pace actum id ego dixerim, & quidem vt publica res, quam ſemper antetulerunt priuatæ, conſiliis felicibus opportuniſque gereretur. Hîc ſentio me in locum difficilem incidiſſe. Enimvero quid rei tandem fuit, cur caſtra pagíque, à Guilelmi

junioris reguli morte,aliis poſt alios incolis viduati ſenſim fuerint,ac demùm anno poſt ipſam ducenteſimo,aut circiter,illis omnibus defecti ceciderint, & quidem publicos in vſus,atque vt faciliùs inter ſe conſulerent? Eane incidêre tum tempora,vt viri ſuis ædibus deſertis,ad alienas in Villam confugere debuerint? rem vt à ſapientibus viris accepi referam.

25 Guilelmus junior regulus,Bertrandi & Ioſſerandæ Flottæ filius,ille eſt qui Manuaſcam vallem,cum ſuis burgis,caſtris,& pagis,Hoſpitali Ieroſolymitano,à Guigone patruo, Guilelmi & Garſendis filio natu minore, conceſſam, demum aſſeruit anno Chriſti milleſimo ducenteſimo octauo, poſt graues variáſque, vt libro ſecundo afferam, contentiones. Is ipſe duobus antè annis plurimas & inſignes prærogatiuas conceſſerat principio ciuibus Villæ, & aliis etiam deinde adjunctis, eaſdem ad Caſtri Manuſcæ incolas extenderat. Hæc omnium malorum ſemina ſunt,quæ in caſtra & pagos incubuere plurima, & demum fecere, vt viduarentur incolis, ſua omnia ad villam neceſſariò deferentibus. Neque pauca hanc quoque ipſam afflixerunt! ſed ſuis ea viribus ſtetit inconcuſſa, multúmque etiam accepit ad firmitatem, quòd

26 in illam de omni valle ceteri accolæ commigrarunt. Scilicet Guilelmo juniore mortuo Hoſpitalarij iniere Dynaſtiam Manuaſcæ,& quoniam Guigo eam ipſis conceſſerat, fuere qui aſſererent Bertrandi fratris filium nullas valli, iam non ſuæ,prærogatiuas potuiſſe largiri; & aliquas ſi donare potuerit, eas certè Villæ, & Caſtro, quæ memorat, conceſſiſſe; non ceteris, quos non loquitur, pagis. Igitur qui pro illis agebant, omni contenderunt ope,vt inanes ipſæ eſſent, atque omnino vt non pertinerent ad pagos. Manuaſcenſes rem vrgentibus obſtiterunt, eóque acerbitatis demum deuenit iam per plures annos reciprocata contentio, vt ſequentis ſæculi tertio & ſeptuageſimo, Ioannes Sauini Hoſpitalariorum Præceptor, clauſerit carcere Ioannem Burle ſcribam, fortiter obeuntem munus pro patria, populuſque pro re com-

27 motus tumultum decreuerit, ediderítque. Scriba ſibi reſtitutus, eſt atque Manuaſcenſibus reddita tum quies, ac poſtea omnes etiam à Guilelmo regulo prærogatiuæ, quas Ioannes de Villaribus & Guilelmus ac Fulco de Villareto,Hoſpitalis Ieroſolymorum Magiſtri, ſuis literis ante Ioannem Sauini firmauerant. Per illos turbarum annos (& ſupra centum quinquaginta fuerunt) non aliâ magis re quàm concordiâ ſteterunt Manuaſcenſes. Igitur cùm varia prærogatiuarum ad maximos vſus capita ſint,neque pagorum incolis ſpes earum vlla, dum in ipſis habitabant effulgeret, alij ab aliis, vt res domeſticæ animique ferebant, ſua omnia in Villam deportauerunt, & Omnium denique ventorum Caſtrum, Montacutius pagus, & Fanum Martini anno tertio & nonageſimo poſt milleſimum ducenteſimum à nobilibus viris deſerta ſunt. Eo quippe factum inuenio, vt in Villa tantùm, & Caſtro Manuaſcæ, ac Fano Petri habitarent ij, quo ſcilicet pro prædiatoriis, cete-

28 riſque tributis,cum plebe conuenerunt. Vt autem antiquiſſimarum gentium nomina non pereant, placet illa ex ipſis conuentionum tabulis recitare. Igitut in pacta cum ceteris ciuibus venerunt *nobiles* viri, *Guilelmus Rainaudi,Fulco de Fontiana,Raibaudus Garnerij, Bertrandus Trimundi, Simon Ricaui,Bertrandus Portalis, Gaufridus filius Iſnardi, Hugo Hoſpitalarij, Guilelmus Fulconis.* Nono autem & viceſimo pòſt anno conuenerunt etiam cum plebe *Nobiles & generoſi viri*, vt habent veteres chartæ, *Petrus de Selhono, Guilelmus*

lelmus de Montebruno, Bertrandus Gaufridi, Bertrandus Portaleſij, Guilelmus Barratij, & Barratius Barratij fratres, Bertrandus de Montelauro, Alfantus Aycardi, Iſnardus Gaufridi, Bertranda vxor quondam Hugonis Roſtagni pro ea & filiis, & Guilelmus Bertrandi de S. Michaële procurator, & procuratorio nomine Dominæ Laurę Trimundæ. Hîc placet aduertere Raimundum Garnerium, Bertrandum Trimundum, & Petrum Selonium Laurámque Trimundam memorari. Quorum gentes non dubitamus ad hanc vſque diem perdurare. De Seloniis multa lego in veteribus chartis. Habitabant in caſtrò Manuaſcę. In chartâ anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto ſcripta, ſic habes, *nobilis Raibauda vxor quondam nobilis Petri de Selono de caſtrò Manuaſcæ.* In alia ejuſdem anni hæc leguntur: *Nobilis & diſcretus vir Gaufridus de Seloni de caſtro Manuaſcæ.* Inuenio Robertum de eâ ipsâ gente monachum Sancti Euſebij. In charta anni 1347. ſunt verba ſequentia: *Nobilis & religioſus vir Robertus de Selono monachus monaſterij S. Euſebij.* Dè Garneriis opportunior erit locus dicendi num. 33. De Trimundis fusè ſcriberem ſi eorum gens ab anno illo 1293. ad nos vſque hæſiſſet Manuaſcæ. Vniuerſa enim ejus ab auo Bertrandi ſeries ad noſtra vſque tempora, fuit in manibus meis expanſa. Sed quoniam vrbe à pluribus annis exceſſit, Mediósque primùm, Aquas deinde deportata eſt, ad hunc locum ea non pertinet. Hoc tamen tacere non poſſum. Bertrandus Alphonſi filius avum habuit Raimundum; genuit verò Petrum ex Catharina de Caſtellanâ Georgius, Monetus, Bernardinus, Antonius, Thomas, Antonius, Honoratus, Leo, alius ab alio & poſt patres filij duxere familiam; & Leo demum ex Eliſabetha de Villanoua genuit Honoratum qui in Parlamento Prouinciæ Conſiliarius Regis eſt. A Caſtro Manuaſcæ, & Fano Petri non multò poſt illa tempora receſſere non viri tantùm genere nobiles, ſed etiam ceteri; & de reliquis pagis, totáque adeò valle, conceſſere demum omnes in Villam Manuaſcæ.

Vtcunque verò hæc habeant, ex quo pagani conuenerunt in Villam, profecit ea in vrbem, quæ cenſu ante aliquot annos inſtituto capiebat hominum capita ſupra octo millia. Longè plura nunc habet, maximè poſt triſtes ante decem annos totâ Prouinciâ turbas, cùm viri quietis amantes in ipſam, vt conſilio plurimum viget, pacatam tranquillámque, velut ad certiſſimum aſylum, non infrequentes confugerunt. Numerant ad decem millia, iis adjunctis qui per agrum perpetui ſunt in villis. Hæ cùm ſint omnino centum & quinquaginta, octoginta de ipſis habitantur à ſuis colonis. Igitur anno ſeptimo & nonageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, à comitiis Prouinciæ in illarum numerum vrbium adſcripta eſt, quæ ad ea ipſa communibus vocantur literis. 29

In quatuor regiones diuiſa, aperitur totidem portis ad quatuor partes vniuerſi, Sobeirana, Aurorulæa, Saunariana, & Guilelmipetria. Vnde nomen Aurorulææ acceptum ſit, non difficilè dicas: porta reſpicit Orientem. Guilelmus Petrus, aut potiùs Petri, fuit nobilis & potens ciuis, atque ille abs dubio, qui anno milleſimo ducenteſimo octauo, cum aliis nobilibus viris, dicto ſacramento pollicitus eſt, facturum ſe vt omnis Manuaſca in Hoſpitalis Ieroſolymitani ditionem, ex Guilelmi junioris reguli munere veniret. Neque multùm à vero recedere mihi videbitur, qui dicet fuiſſe illum Petri notarium, ſeu cancellarium Principis, cujus manu exaratas habemus literas 30

ab eo,quẽ modò memoraui,Guilelmo in maximas opportunitates Manuaſ-
31 censium. Primum Manuaſcæ priuilegium ciues appellant. An ei ſanguine propinquus fuit Bernardus Petri, quem in teſtem accepit Hermengardis Vicecomes Narbonæ, cùm Regi Aragonum Alphonſo nuptura dabat ſuæ ditionis vrbes pagóſque? An Arnaldus Petri Iudex Toloſæ anno ſecundo & quinquageſimo ſupra milleſimum centeſimum? An Richauus Petri Templariorum Roayſij anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo, & Graſſæ, Niceæque,ac Biſaci trecenteſimo Præceptor,& Bernardus Hoſpitalariorum ..... eodem anno? Certè per illa tempora, cùm Prouinciæ & Forcalquerij Comites, Toloſanis, aliiſque per Occitaniam principibus,ac Aragonum regibus eſſent affinitate conjuncti, ferme fiebat,vt ab alia in aliam ſub ipſorum imperio regionem commigrarent & viri,& familiæ. Igitur, vt in Manuaſca noſtra hæream, neque ceteras memorem vrbes Prouinciæ, ſcimus Gaufridos Aquis Sextiis, & Trimundos Mediis eſſe; Raimundos autem, Garnerios, Montelauros variis in ciuitatibus ego vidi. Ante quingentos annos Gaufredus, cum aliis ſanguine junctis, excitauit Vauri prioratum Benedictinis, quem Ioannes Pontifex eò nomine ſecundus & vigeſi-
32 mus in epiſcopatum euexit. Non errabit ergo qui aſſeret, quos Petros, ſeu Petri, Manuaſca olim habebat,eos & Occitaniam, & Comitatum Venaiſſinum junctis ſanguine viris aliquando tenuiſſe. Guilelmo illi Principis notario, gente opibuſque illuſtri, ingens domus, quæ ad Portaleſios poſtea peruenerit, ibi fortaſſe quondam ſtabat, vbi nunc eſt Carmelitarum cœnobium. Quoniam ſitu alta imminebat portæ vrbis,& ædium ſubſtructionibus viſenda vrbem ingredientes admiratione ſuſpendebat, à domino potente opibus, nobilitate præcipuo, dignitate ac autoritate ob curatas illas à
33 Principe literas ſummo, factum eſt portæ nomen. Saunaria fuit ſuburbium, de quo poſtea fusè dicam. Ab ea, proximæ portæ hæſit nomen. Dicta etiam fuit *Dam Garnerij porta verſus Saunariam*,ex tabulis ante annos fere 300.ſcriptis,quæ ferunt eam Parroni Sauini,& Hugonis Roche nobiliũ virorum curâ inſtauratam fuiſſe. Vox *dam*,Hiſpanis *dom* eſt,Latiniſque *dominus*. Itaque à Philippo Mouſkeſio ſiue Meuſio, Gauterio Metenſi, & aliis antiquioribus poëtis tribuitur etiam Deo, vt annotauit Frenæus in Gloſſario antiquarum Villeharduini vocum: *Dam le Diex*,inquiunt; quas voces ſi Latinis efferas, dices, *Domine Deus*. Tamen Andreas Ducheſnæus in hiſtoria familiæ Pleſſæorum Richeliææ cap.1. putauit nomen ſolis Equitibus datum fuiſſe: *Damoiſeau*,ſunt ejus verba,*à voce diminutiua dam,quæ ſignificat ſire,aut Monſieur; & Equitibus vnis competit*. Verùm, ſeu equitem qui olim miles dicebatur, ſeu dominum vox *Dam* ſignificat, certè qui Garnerius nomen ſuum impoſuerat portæ vrbis clarus erat in paucis: num.28. vidimus Raibaudum Garnerij repoſitum fuiſſe anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, in nobilibus viris. In aliis pluribus chartis lego dominatum etiam aliquot caſtris. Qui Manuaſcam habent nunc Garnerij, originem ſuam ab illo repetunt: & ex ipſis Baltazar majorum nomini virtutique reſpondet. Vitrius Franciæ Mareſcallus, & Ludouicus Valeſius, cùm Prouinciam pro rege tenebant,habuerunt domi ſuę in nobilibus quos vocant ordinarios; marique & terrâ cohortem ducens fortiter egit: igitur anno 1638. meruit laudem pugnans cum Hiſpanis, quam trirennium Præfectus ſua manu obſignauit.

Porta

Digitized by Google

Porta denique Sobeirana in conſulum diario appellatur *ſuprema*. Sunt ergo 34
qui velint illud ex vulgari ſermone nomen, huic Latino ſignificatione par eſſe; & eo portam idcirco vocari, quòd ceteris ſuperior ſitu ſit. Ego autem vereor, vt qui diaria conſulum Latinè ſcripſit, reddiderit aptè vocem *Sobeiranæ*. Is ipſe, annis quinto, & ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimum, *Sagnariam* pro *Sanguinaria* dixit: igitur voluit *Saunariam*, nomen vulgo acceptum, eſſe idem ac *Sanguinariam*, ſiue, vt vulgus etiam loquitur, *Sagnariam*, & à *Sanguinando*, ſeu *Sagnando* deduci. Hoc ſi veritatem habet, cur poſtea *Salſam* Latinè reddidit anno illius ſæculi ſeptimo, quaſi *Saunaria* ſit, quam vulgò appellamus *Saunerie* & à *Sale* deſcendat? vt vt iſtud habeat, certè Sobeirana ceteris Manuaſcæ portis non eſt ita ſuperior, vt ex eo nomen habere debeat. Nam ſi majores noſtri ſitum in ferendis portarum nominibus conſuluere, cur inferiorem aut infimam non dixere, cui in vallis imo poſitæ nomen de Aurorula fecerunt? In conuentionibus Elionis Villanouani 35
Hoſpitalariorum Præceptoris, quorum poſtea fuit Summus Magiſter, capite 45. traditur, cùm racemi per vindemiam duabus tantùm portis inferrentur in vrbem, poſſe in poſterum deportari per tres, Guilelmi Petri, Eimonis, & Chabaſſij. Nominum ordo, facit vt putem Eimonis fuiſſe, quam Sobeiranam vocamus; & Chabaſſij, quæ ab Aurorula appellatur. Saunariana enim, quæ quarta eſt, tum vocabatur *Raimundi veteris*, aut *Dam Simonis*, quemadmodum intelligetur ex poſtea dicendis. Scilicet quę porta Aquis Sextiis, Principis ſede, venientes admittebat, nolebant pro regię majeſtatis cultu, quem animo altè fixum ſemper habuere, & prę ſe tulere, jumentis vindemiam inferentibus, & muſta ſpumantibus, impediri ac dehoneſtari. Verùm de Aurorula potiùs poſtea voluerunt, quàm de Chabaſſio (quem non inuenio quis fuerit) portarum vnam harum dicere, & Sobeiranam alteram, quàm de Eimone. Illud nominis fecit ſitus ad Orientem. Vt tamen de Aurorula, magis quàm de Aurora, dicerent ſuaſit mons Aureus. Is ad Orientem ſolem poſitus, non longè à porta incipit; illique igitur auroram tum ferme aperit, atque adeò modicam, cùm Sol pene videtur à ceteris partibus vrbis: Sobeiranę verò nomen, putabam de incertę originis è vulgo voce, additum alteri portę. Certè Sobeiranam nunc etiam appellamus planitiei partem, quingentorum ex omni parte paſſuum ad Druentiam flumen, juxta agrum Volſienſem. Alia duo nomina portarum lego, quæ quibus attributa fuerint 36
difficile dictu eſt. Ante Elionem Villanouanum annis duobus & viginti, Berengarius Monachi, ſeu Monachus, venerat in pacta cum Manuaſcenſibus. Hi querebantur domos, (quod jam olim ex fœdere cautum fuerat) excitari *in vallatis, quæ barrio conjunguntur*; petebantque vt id præterea non liceret. Cum Berengario demum conuenerunt, Præceptorem non vltrà commiſſurum vt id fiat. Sed quæ tamen ædes, inquiunt, *jam exædificatæ ſunt in vallatis, quæ barrio conjunguntur, remaneant in eo ſtatu vt nunc ſunt; ſcilicet à Porta Rainaudi veteris, vſque ad portam nouam.* Hic hæreo. Quæ vallata, quas por- 37
tas, in iſtis conuentionibus dici putandum eſt? Age afferamus tamen, quæ veri videbuntur ſimilia. Vt hinc incipiam, fuit qui nomine vallati publicam extra vrbem ad muros viam intelligeret. Is refellitur ex prædij, quod *Caſum* vocant, finibus à Ioanne Coſſino, fratrum Minorum Gardiano, præfixis in clientelari profeſſione, facta Berengariæ Sauinæ Aureſoni dominæ, implenti

vices

vices Coliadi, ſeu Nicolai de Cruce, filij. *Situm*, aiebat, *prope vallatum dictæ villæ Manuaſcæ, camino in medio. Caminus* via eſt illa publica, *vallatum* foſſa.
38 Hinc etiam rejicitur, quòd ex diario conſulum, cùm vrbs anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto ſibi timeret ab hoſtibus, muros quidem à porta Saunaria ad Sobeiranam per Aurorulæam circumpoſuit, ad omnes verò tota circùm vrbe tanto *vallata* opere fodit, vt *quinquenarij* plures inſtarent laborantibus, & è nobilibus viris Raimundus Portaleſij eſſet *quinquenariorum* vigeſimus. Quam hîc mihi viam tu cogitabis, propugnationi vrbis ſcilicet peropportunam, non potiùs circum muros foſſam? Deinde, ex eo ipſo diario, pecudes anno milleſimo quadringenteſimo viceſimoquarto prohibitæ ſunt paſtu in *vallatis*; & opiliones, qui ipſas illo non arcerent, damnati non leui pœna, niſi fortè eæ *currendo intrauerint vallata*. Erithe jam qui putet alias hîc dici, quàm foſſas vrbis? In iis, vtpote per pacem neglectis, herbas latè ſuccreſcere nemo neſcit, & ad ipſas factâ alicubi per mollem
39 deſcenſum viâ, pecudes intrare & paſci poſſe. Præterea anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo conſules in hæc verba jûſſerunt: *Nemo fimum, paleas, terram, ſordes deponat in vallatis Manuaſcæ, & itineribus circumcirca dicta vallata*. Quæ hæc itinera circum *vallata*, niſi publicæ viæ, quas vulgò nominamus *les lices? vallata* certè igitur ſunt ad illas foſſæ. Demum anno milleſimo quadringenteſimo octauo diſputatum lego à conſulibus in vrbano conſeſſu *de locandis foſſatis Villæ, & ad certum ſeruitium tradendis*. Putas cogitaſſe de locandis publicis viis? Abs dubio *vallata* hîc feruntur eadem cum *foſſatis*, ſeu foſſis muralibus Villæ. Id ſi negas; certè (vt de voce non contendamus) concedes ſuas tum Villæ ad muros circumpoſitas foſſas. Sed *vallata quæ barrio conjunguntur*, in illis Manuaſcenſium cum Berengario conuentionibus, fortaſſis non ſunt foſſæ, muris omnibus circumdatæ. Eæ quippe nunc quidem nullæ ſunt, quæ autem olim fuerint nulla videntur veſtigia.
40 Neque verò potuerunt aliquæ circum ipſos omnes duci. Vt enim antea monebam, lingula terræ, cui vrbs impoſita vniuerſa eſt, multùm ab Oriente deuexa deſcendit in riuum Furnocalcium; & ab Occidente in Sanctalbanum, poſt mollem ſub Guilelmipetriam aliquanto ſpatio deſcenſum, præcipitat. Iam ea orientalis deuexitas, poſt paucos à porta Sobeirana paſſus incipit, longúmque per lutoſa, neque non aſpera hîc demittitur, illic dejicitur, donec ad Aurorulæam portam peruenieris. E qua ſi ad Saunarianam progrediaris, eundum tibi erit per alti radices tumuli, in cujus ſumma murus perdifficili aſcenſu ducitur. Superato tumulo proxima occurret porta Saunariana, non procul extremo lingulæ vrbem habentis. Hinc verò prætergreſſus, inibis viam paſſus duodecim latam, inter vrbis murum, & hîc non mollem deſcenſum, illic nonnihil prærupti, quod in altè demiſſum præcipitat campum. Iam cum vrbis murus per alta tumulorum, vallium declinia, auguſta viarum feratur, certè nullus, vt maximè volueris, tibi locus eſt ducendæ circ-
41 cum omnem foſſæ. Fortaſſis tamen cùm à porta Saunariana, per Guilelmipetriam, æqua ſint ad Sobeiranam ſpatia, foſſa ad illam ab iſtâ olim erat aliqua, ſeu lata, ſeu anguſta, pro ſitu loci. An potiùs non erat vna perpetua, ſed omnino duplex: & quidem altera ab eo loco incipiebat, è quo à Saunariana ad Aurorulæam deſcenditur, deſinebátque ſub initia ipſa anguſtiarum in Guilelmipetriam viæ: altera his ſuperatis anguſtiis, per Guilelmipetriam & Sobeiranam

beiranam, desinebat in deuexitate, quæ ad Aurorulæam fert, iis scilicet locis, hosti per æqua spatia patet ad vrbem aditus, cui prætercludendo aperiuntur circum ipsam fossæ. Nam per cetera, neque pro locorum iniquitate fossa duci potest, & in nullos patebit vsus, cum per ea ipse situs satis arceat hostem ab vrbe. Sed siue vna perpetua fossa, siue duplex, hîc vna, illic altera, 42
aperta fuerit, quod tu mihi *portale nouum* villæ, quod *Rainaudi veteris* fuisse putabis? profectò alia aliis temporibus, neque multùm diuturna, portis vrbanis, si Guilelmipetriam excipias, fuere nomina. Abs dubio, quæ *Dam Garnerij* post nonaginta annos appellata legitur, vocabatur *Rainaudi veteris*, temporibus Berengarij Monachi. Hoc vehementer suadet, portæ, quam *nouam* appellitabant, situs. Quæ enim hæc fuerit accipe. A palatio ad vrbis vsque muros regiuncula, nomine Gaudia, versus meridiem est. Vnde id nominis acceperit non inuenio. Gaudiorum potentissimæ quondam gentis vnus quis illud ei, vt in agro valli, fecit. *Gauschiam* quoque, & quidem à voce, quæ corrupta de vulgo gaudium significat, dictam lego. In eâ mediâ apertus erat in portam, & ipsam Gaudiam, seu *Gauschiam*, murus. Clausæ vestigia etiam nunc in eo videas. Quis aperuerit, clauserítve ignoratur. 43
Et id ego quidem non miror. Consulum enim diarium, quam vrbanarum ejusmodi rerum vnam chartam habemus, incipit ab anno nono & sexagesimo supra millesimum trecentesimum. Hoc omnino est, quod emiremur, cùm munitissima quæque portarum scripta in ipso sint, seu claudi earum aliqua ob coortam in proximo pestem debuit, & valetudine restitutâ recludi; seu refici limen, vestibulum, fores, seras demum oportuit, nusquam tamen habes occlusionem portæ illius Gaudiæ. Anno millesimo trecentesimo octogesimo quinto appellat *portale nouum*; & cùm jam occlusa fuisset secundo post & nonagesimo, *portale clausum*. Septimo & septuagesimo post millesimum quadringentesimum sic loquitur: *Prohibetur burlare nisi in burlaria antiqua, videlicet à portali superiore vsque ad portale clausum, vocatum le portal de gausch.* Abs dubio ea non fuerat aperta in necessarios ciuium vsus: ex quo enim occlusa fuit, non est inuentus illorum vnus, qui reclusam voluerit: &, cùm de portis vrbanis, ad publicæ rei opportunitates, sermo à consulibus, eâ apertâ, habebatur, nunquam de ipsa institutus fuit, ceteris quatuor, suo quoque nomine, memoratis. Ad priuatos Principis in proximo habitantis vsus aperta omnino fuerat.

Hactenus dixerim de portis Manuascæ: ad muros in quibus ex patent 44
accedamus. Illis in speciem pyri, per stadia nouem ductis, vrbs circumdatur. An minus in spatium ante acceptos paganos collecta fuerit, vehementer addubito. Nam à porta quidem Sobeirana, vsque ad Saunarianam, ij per Guilelmipetriam omnino steterunt ante omnem tabulatum memoriam, quos nunc etiam videmus: per Aurorulæam verò qui feruntur, excitati sunt anno sexto & sexagesimo post millesimum trecentesimum. Ceciderántne igitur tum ij magno portento, quàm longè per vnas trecentas septuaginta tres hodie protenduntur, ceteris qui per Guilelmipetriam ducti sunt, majore stantibus? An potiùs vrbe ad Orientem ampliata, muri quoque sunt excitati per longiorem circuitum, ceteris ad Occidentem immotis? Certè illo anno, mense Martio, die vicesima, consules conuenere cum latomo, *de mutandis & ædificandis* illis orientalibus, vt fert ipsorum dia- 45

rium. Et verò, ſi terræ lingulam, cui impoſita eſt vrbs, ſequaris à Meridie per Orientem oculis, videbis illam paucis poſt portam Saunarianam paſſibus, curuari, & in hemicyclum verſus Septentrionem protendi ad macellum vſque, non penitus nullo argumento, qui quondam à Saunariana ad Septentrionem Orientales erant muri, ibi ſtetiſſe, antequam *mutarentur & ædificarentur*, vbi per ambitum fere ſemicircularem, qualis occidentalibus muris competit, nunc à Saunariana ad macellum vſque vicus porrigitur, & ex eo per Franciſcanorum regionem, extremam tum & neglectam, Iudæiſque habitatam, ſubiiſſe ad portam Sobeiranam. Vtcumque id quondam habuerit, ingrediamur vrbem, deque ipſius regionibus, vicis, & domibus dicamus.

46 Regiones Manuaſcæ vrbis ſunt quatuor, Hebreardæa, Paganica, Martellæa, Palatina. Cur hæc à palatio nomen acceperit, facilè dictu eſt. Habet Principis domum peramplam illam, & foſsâ, loricâ, turribus munitam, quæ à Guilelmo iuniore, Forcalquerij regulo, Hoſpitalariis Ieroſolymitanis attributa eſt. Vnde nomen aliæ duxerint, magis, quam cur ita fuerint appellatæ, afferas. Putabam tamen Hebreardos, Paganos, Martellos ciues, quia præ ceteris gente excreuerant, junctíque domibus latè vicos implebant, ſuum quoſque ſuæ regioni nomen dediſſe. Pagani fecerunt etiam nemori, ſiue (vt ferunt conuentiones Elionis Villanouani cum Manuaſcenſibus capite 24.) *boſqueto* ſuum inter Villamuriam & Sanmartinenſem ſub faucibus Soproſis vias. Hebreardæa, & Martellæa regiones ſunt omnium fre-
47 quentiſſimæ, ac nobiliſſimæ: obſcuriſſima Paganica. Omnes ab vna vrbis porta, per ampliſſimos vicos ſinuatim progreſſæ quieſcunt in proxima. Paganica quidem incipit à Sobeirana, & vbi primùm via ſe in duas ſcindit, ſiniſtrorſum per Hoſpitalem domum, & ignobile vulgus, flectitur ad Franciſcanos Obſeruantes, quos prætergreſſa, deſcendit ad Clariſſarum parthenonem, ſub portam Aurorulæam. Hebreardæa verò, ab hac per literarias ſcholas, ad nobile Bernardinarum Virginum monaſterium adſcendit; tum, poſt aliquid viæ, ſenſim in anguſtiorem immiſſa vicum, ſeſe ab eo ad beatæ Mariæ læuas fores educit in Mercatoriam latè plateam, è qua per vicum ſitu & nomine *Rectum* ad portam Saunarianam longis progreditur itineribus. Iam Palatina regio, cùm ab eadem Saunariana porta, per illum ipſum vicum, ad plateam Mercatoriam peruênit, rectà ſeſe infert in portam Guilel-
48 mi petriam. Cetera vrbis Martelli ampliſſimè occupant. Quintamne vrbis regionem dicere debeam, quæ *burgata* vocatur in diario conſulum anno nono & ſeptuageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, & Saunaria in tabulis à Petro Atanulpho ſcriba exaratis milleſimo trecenteſimo triceſimo nono, prorſus ſubdubitem. Extra vrbem ea, cùm ſtabat, poſita erat ad portam, quæ primùm Rainaudi Veteris, tum Dam Simonis, poſtea Dam Garnerij, demum Saunariana, nomine ab ipſa accepto, appellata eſt. Neque igitur pars illius erat, & nunc omnino deſiit. Quia tamen, cùm ſtabat, fuit
49 appendix vrbis, neque debeam neque poſſim nunc tacere de illa. Incipiebat à porta vrbis proxima, deſinebat in Clariſſarum ad Meridiem ædibus: quæ enim vltra has erant, *grangiæ* ſeu *boſalia*, & in agro domus, ac villæ jam dicebantur. In tabulis de vnius illarum auctione ſic habes: *Grangia ſiue boſal, ſita eſt verſus eccleſiam, ſeu carreriam Minoretarum, confrontata ab vna*

parte

Digitized by Google

parte cum eccleſiâ dictarum Minoretarum, & cum domo & viridario Raimundi Robaudi, & cum carreria publica, & cum viridario ipſarum dominarum Minoretarum. Quàm verò latè ad Orientem ac Occidentem porrecta fuerit hæc *burgata*, ſeu Saunaria, nuſquam tabularum inueuio. Fortaſſe, vt in ſuburbiis ferme fit, ad vici illius, quem vidimus, latera, minores vici ſparſis mage quàm junctis errabant domibus, vt extra illam habitaſſe dicendi ſint Franciſcani, in prædio, quod Caſum vocant, ante in vrbem quàm immigrarent. Quæcumque fuerit ejus ſeu longitudo, ſeu latitudo, area inter ipſam, & ſeu Villam ſeu Vrbem, appellabatur quondam *platea vlmi*, ſicuti ferunt veteres chartæ. Ingens vlmus eam opacabat: inde ipſi nomen. Ad quos vſus olim hæc vlmi fuit area? non inuenio. Viennenſes ante aliquot ſæcula habebant plateam Vlmi ſua in vrbe quondam regia, & in eâ jus ab vltimâ Burgundiæ regum memoriâ ferebant. Quid miraris? Rhama Francis antiquiſſimis fuit judiciorum locus; & rhamallus forum competens: denique dicebant *adrhamire* quod Latini *deliberare* ac decernere. Voces à ramis, vt vides, ortæ ſunt. Et ſub ramalibus apud eos ſedebant judices; ac proinde ſub patulis & latè brachiatis arboribus. Ceterùm, vt excitaretur Saunaria, 50
fecerant & alij, & muliones maximè, ſeu Maſſiliâ in Delphinatum, ſeu è Delphinatu Maſſiliam perpetui. Neque nihil momenti fuerat in illis, qui ad Manuaſcenſium merces aliò deferendas veniebant. Sed ij etiam ipſi vni poſtea fecerunt, vt euerteretur. Scilicet per Torum inuenerant ſibi viam vno milliari breuiorem, ſingulari Manuaſcenſium damno; quos niſi ad opera neceſſaria jam nemo adibat. Torus autem eſt agri pars ſub infimam planitiem, duobus ab vrbe milliaribus. Ita vocatur ab eminulo ſitu: Torus enim Prouincialibus mons eſt. *Extra Torum, ſeu montem,* inquiebat ſcriba in conuentionibus Epiſcopi Dinienſis cum Comite Prouinciæ anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Igitur vt ſuorum quiſque compendiorum attentus eſt, fuit è ciuibus, qui ad portam viæ obuerſam, publicas inuitandis hoſpitibus ædes excitaret, ſi qui nocte deprehenſi, Manuaſcam tamen amarent accedere. Cúmque res ei perbelle cecidiſſet, (ceteri quippe viatores, & alias ob cauſas, & vt ſummo manè, antè vrbanæ quàm recludebantur portæ, ſe darent itineri, auebant hoſpitari extra vrbem) alia ab aliis diuerſoria ad illud excitata ſunt. Tum autem etiam principio propolæ, poſtea ceteri mercatores, denique alij ciues, quibus cum aduenis nulla erat negotiatio, ſibi domos extruxerunt, totumque, nec ignobile nomen ſuburbij, ſeſe pluribus vicis explicuit. Nam non pauci jam & Santulliana, & Volſienſia, modicorum ſcilicet pagorum, in proximo hoſpitia, poſt Manuaſcenſia, cùm elegantiam vrbis & abundantiam repræſentarent, habebant. Hæc aduenarum frequentia, quò ſpectabilis mage ad nonnullorum è ciuibus 51
opportunitates erat, eò grauiorem in dies ipſi vrbi cladem infetebat. Viduabatur aliis poſt alios optimatibus immerita, cùm etiam denique in ſuburbium commigrarent non pauci, vt cum cognatis, affinibus, amicis, & jucundiùs laxiúſque veluti in agro habitarent, & ampliores ad omnem vitæ honeſtatem adjungerent domibus hortos, & liberiore (ſi aliud non erat) aëre fruerentur. Igitur etiam publicæ rei curatores (Syndicos vocabant) vrbs ſibi è Saunaria aliquando accepit; & in eam ciues exceſſere, vt peritiſſimos juris viros audirent. Quid verò tum Conſules? in re & ancipiti, & angu-

ſta vnum aliquid inuenerunt,quo neque vlli ciuium noceret,& omni commodaret vrbi.Cogitauerunt denique illam perTorum viam intercludere,faceréque vt Principis edicto non alia Fano Tulliæ Volſium, quàm Manuaſcâ,eſſet via. Saunarianos ſic facilè redituros in vrbem,maximè ſi eorum domus (quod maximo ciuium conſenſu decretum fuerat) ære publico emerentur. Quod ſapienter cogitauerant, id feliciter perfecerunt. Ludouicus rex eo nomine duodecimus audiuit æquiſſimas ipſorum querelas, atque,vt erat populorum ſuorum amantiſſimus, interclusâ per Torum viâ,juſſit antiquiſſimam Manuaſcâ reſtitui.Et Franciſcus mortui firmauit edictum: cúmque Siſtaricenſes & Santulliani Torenſem nuper reſtituiſſent,re apud Ludouicum tertiumdecimum ingentibus animis agitatâ,damnati ſunt;intentatæque non leues pœnæ,ſi quid turſus mouerent. Saunaria ergo etiam eorumdem Regum Ludouici XII.& Franciſci I. mandato euerſa eſt,anno ſuperioris ſæculi quarto & viceſimo,cùm Paliſſæus Franciæ Mareſcallus opportunè juſſiſſet, vt ad ſeptuageſimum ab vrbe paſſum reſcinderetur,ne Carolo Borbonio, qui maritimam Prouinciæ oram latè vaſtare ferebatur, vtilis ad ciuium oppugnationem eſſet. Quot annos ſteterit non poſſum dicere,illius enim initia non inuenio. Florebat anno milleſimo trecenteſimo,ſub quem Petrus Muratoris de jure,cujus erat ſcientiſſimus, conſulentibus in illa reſpondebat. Saunariam verò dixerant à ſale,è ſalariis (vulgò Saunariis) ſeu hoſpitiis, ſeu tabernis. Salariam, ſiue Salinariam Latini diceremus. Maximam ſalis vim perpetui muliones deferunt ad Siſtaricenſes,Vapincenſes, ac Ebredunenſes: neque omnino modicam propolæ in vicina loca diſtrahunt. Hi tabernas, hoſpitia illi habebant in ſubvrbio. Hactenus de Saunaria dictum ſit: ad regiones Manuaſcæ vrbis redeo. In illis alia aduertent alij: ego vnum ſatis laudare non poſſum. In ſingulis ſuæ ſunt ædes ſacræ,ſua ſunt monaſteria. Quod palatium ambitioſa turrium majeſtate ſpectandum & ſublime ſuſpicis, Guilelmus junior Forcalquerij regulus fecit *monaſterium* Hoſpitalariorum (quos nunc vocamus Equites Melitenſes) è domo ad ſancti Petri in cognomine burgo eductorum anno octauo poſt milleſimum ducenteſimum, ſeu *conuentum*, (vt traditur in conuentionibus Elionis Villanouani cum Manuaſcenſibus,) Hoſpitalariorum Manuaſcæ. Et quidem vt omnium, ſed maximè ſacrarum rerum initia feruent,anno pòſt quinto & decimo milites ſex,& preſbyteri octo degebant in eo cum ſuo Præceptore. Sed alius erit de auguſta domo dicendi locus. In illam Hoſpitalarij Rhodo captâ intulere corpus beati Gerardi, qui ſanctum & Chriſtianis peruti lem inuênit Ordinem,& eo veluti ſacrauere regionem Palatinam.Martellæa antiquiſſimam habet Sanuictorinorum Monachorum ædem, à Sancta Maria ob illuſtre cœleſtibus prodigiis ſignum dictam, & Carmelitarum cœnobium. Hebreardi ingente Saluatoris hominum baſilicâ ſe circumſpiciunt, & clariſſimâ Bernardinarum virginum domo. Ignobiliorem,& egentiorem ceteris Paganorum regionem ſanctus Franciſcus ſuis cum Obſeruantibus,& de beata Clara Monialibus,amauit poſt Chriſtum, qui Hoſpitalem egenorum,ſcilicet ſuam,domum in eâ poſuit.Et in palatio quidem,domeſtica tantùm eſt ſine ſacerdote nunc ædicula. In ea ſingulis diebus feſtis facit ſacerdos,ab Hoſpitalis Præceptore vocatus. Cetera ſeu parœciarum, ſeu monaſteriorum templa omnibus ad quotidiana ſacra ciuibus aperta ſunt.

52 53 54

Ad

Digitized by Google

Ad ſingula non inelegantes de quadro lapide fontes pluribus fluunt tubis, ſi Bernardinarum ædem excipias, quæ ad hanc diem ſuo fonte neſcio 55
quo fato caret, non ſine magna aduenarum omnium admiratione, vt non dicam, conuitio, qui ſatis intelligere non poſſunt, quo conſilio factum ſit, vt virgines & numero ſpectabiles, & pietate inſignes, & præcipuis tota vrbe gentibus ſeu ſanguine, ſeu affinitate junctæ, tam vilt, aut etiam neceſſario, ad domeſticos vſus adminiculo hactenus careant, maximè cùm ſuus Carmelitis, Obſeruantibus, Capucinis, & Clariſſis, ſit quoque intra domum fons, atque tanta per vniuerſam vrbem decurrat aquarum vis, vt nouem omnino fontibus, ad infimæ etiam plebis opportunitates poſitis, fluant ſupra quatuor, extra eaindem ſingulos ſingulis portis additos. Vetuſtiſſimi omnium ampliter eunt tubis quatuor ad ædes S. Saluatori & B. Mariæ ſacras, in antiquis earum cœnieteriis, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, ex edicto Honorati Vallis Sanctæ in epiſcopatu Aptenſi Abbatis, miſſi à ſummo Pontifice, ad quem in id Conſules, pro ſua pietate, & ſacrarum rerum veneratione, adierant. Ante illum annum ciues vtebantur putealibus fere 56
aquis. Et alios quidem puteos alij foderant domi ſuæ, ſed ad communes populi vſus, viſebantur ſinguli, ad ſingulas vrbis portas. Qui ad Sobeiranam olim ſtabat, cùm occluſus fuiſſet anno octauo & nonageſimo ſuperioris ſæculi, aperuit nuper caſus neſcio quis ampliſſimè quadratum, ad læuam ingredientium vrbem. Remotior à Guilelmipetria ſuus erat, ſcilicet inter duas tranſuerſarias ſemitas, & viam publicam quæ fert Pertuſium. Cùm hortus, cui proximus erat, peruenisſet ad Ioannem Ingilardum, eum nono & quadrageſimo præcedentis ſæculi anno obducti ſedes auxit, venum illi à ciuibus data. Quâ ceteri ad Saunarianam & Aurorulæam defoſſi parte fuerint, non lego. Conſules ante annos ducentos & quinquaginta voluerunt, qui ad iſtam viſebatur, *alſari de muro, vt non ſtet in tanto periculo vt nunc eſt.* Prætet puteales, fontanarum tamen aquarum erat tum 57
aliquis ex agro vſus, ſcilicet Aurorulæarum, quę manant proximè cognominem vrbis portam; Conchetanarum, inter eamdem non longè, & Saunarianam fluentium; Droüilenſium denique ad cognominem, qui Sanctalbano riuo impoſitus, eſt pontem, duplici decurrentium loco. Sed neque à puteis, neque ab his fontibus, conſultum ſatis erat vrbi. Illi, vt patebant omnibus, infimæ etiam plebi ac pueris, ſordidi, ab horum maximè laſciuiâ, ferme erant: iſti ſine omni cultu, artéque, ſuos tum dabant è terra, neque omnino integros, latices. Igitur inuenio (quis ciuium non mirabitur in aquarum, quæ omnibus ferme compitis nunc fluunt, copia?) aquam veniiſſe Manuaſcæ ante annum milleſimum quadringenteſimum. Eo denique vetitum eſt vltrà vendere; & puteis proinde, ac fontibus cura major impenſa. Sed an- 58
no ſeptimo pòſt & ſexageſimo non potuit vllo labore fieri, vt iſti non areſcerent. Scilicet ſic habent, vt non apertâ è mari, aut fluuiis decurrant viâ. Potiùs principio modicę per terrarum viſcera, è quo capite incertum eſt, eunt aquæ, aut tenuiſſima, vt ita loquar, aquarum fila; & poſt multos errores denique in alium aliæ conueniunt temerè fonticulum. Ante id conjugij, non aperto certóve decurrunt illæ alueo, ſed veluti tertâ exudantes, abeunt per ipſius poros, aut etiam per partes veluti ſpongioſas. Iſti fonticuli poſtea ſuo pondere faciunt ſibi alueolos, donec vbi plures incertâ currentes viâ coie-

rint in vnum,denique tum aperto, quod ſibi foderint, prodeunt ore. Iam cùm ſæuit æſtas,vt terram vrit, ita illius humorem ebibit plurimum; tum verò neque in tam multos latices exudat ima tellus, & qui jam ſuo alueo minores fluunt, eos fugit, magnámque partem ſorbet. Anno illo ſeptimo & ſexageſimo poſt milleſimum quadringenteſimum,æſtus tam vehementer ſæuiit toto agro Manuaſceuſi, vt cùm intima terrarum peruaderet vreretque, hæ ſuctu conſumpſerint omnes memoratorum fontium aquas.
59 Quid facerent in illis anguſtiis Conſules non habebant. Cogitauerunt tamen,quod vnum reliquum erat, perficere concamerationem fontis Aurorulæi ante annos quatuordecim cæptam. Hic proximus vrbi eſt; ad potum ciuium igitur maximè opportunus. Poſt quinque & viginti annos eam exegerunt. Opus eſt omnino illuſtre ac viſendum. Fons ad vrbis portam, vbi pontem riuo Furnocalcio impoſitum ſuperaueris,labitur,& per ſe profectò nobilis,& aquarum ſeu ſalubritate, ſeu jucunditate ſuperior ceteris. Scilicet ex imis Aurei montis viſceribus,educitur per alveum lapide quadro ſtratum, ac per ducentos & quadraginta paſſus Orientem verſus ad hominis altitudinem fornicatum, qui in duos eodem opere per longiſſima ſpatia laboratos poſtea diuiditur. Nam è duorum conjugio laudatiſſimorum fontium
60 naſci debuit, ne vnius tantùm dotibus inclareſceret. Si vel in vrbem quoque inductus fuiſſet, vel tanto iret aquarum agmine, vt in ipſam inductus pares toti ſufficeret ad potum,næ conſultum ex eo ciuibus erat. Sed quando tam multis hominum millibus aquæ petantur ad potum de vno fonte non maximo,eoque trans Furnocalcij riui pontem in agro? Conſules attenti publicæ rei hoc videre,& cùm fontes Conchetanus atque Droüilenſes, nequeant pro inferiore ſitu in vrbem deriuari, modicíſque decurrant agminibus, quinquageſimo illius ſæculi anno egere conſilia de Garinio, & ſequente de Gaudeo,è Septentrionalibus montibus in ipſam deducendis. Cùm ille ad vrbem peruenisſet,aquarum copia,ex incertâ mihi causâ, non reſpondit labori, & neglectus eſt,ac nunc pene exaruit. Hîc anno quingenteſimo poſt milleſimum manauit primùm intra vrbem,ipſique anno poſt quinqua-
61 geſimo adjunctus eſt Morellius. Sed locus monet,vt cùm de Aurorulæo dixerim, non taceam de duobus iſtis. Hoc faciam,ſi priùs eos retulero qui, vt non ſint publici vſus,nomen aliquod tamen habent. Vnum Paulus de Colongue,Prætoris litium apud Forcalquerienſes capitalium pater, è non remoto Hoſpitalariorum, ipſis volentibus, agro effoſſum, aperuit rure ſuo, quod ad ſiniſtram viæ Pertuſium ferentis, riuo Sanctalbano impoſitum, ornabat,& ad omnem honeſtatem atque elegantiam componebat. Illa ipſâ via alterum habet, vbi principio longa decliuitate deſcendit,poſteaque præceps etiam fuit. Sunt qui velint aquis fluere, quas puteus ad portam Guilelmipetriam olim apertus,multas perenni ſcaturigine dabat. Sed fortaſſis ille Colonguius ipſis fluit. Anno enim ſecundo & vigeſimo præcedentis ſæculi, cùm eæ tertio jam anno ſenſim per operoſos labores ducerentur in Droüilenſium vnius conjugium,prædura rupes vetuit ire longiùs, & in ipſo
62 Hoſpitalariorum campo continuit. Tertius eſt in Pauli Figuerij opulenti ciuis prædio. Conchetanum vocabant à Conchetis,quæ agri regio eſt. Attentè curatum lego, cùm nullus intra vrbem manabat,Poſtea neglectus eſt, atque anno tertio & triceſimo ſuperioris ſæculi,quæ pro illo patebat area,in

hortum

horum à Conſulibus ad quindecim annos locata primùm, póſtque varias incerti temporis locationes, deinde vendita eſt. Quartum Elio Villanouanus,qui à Colleta nomen habet,de principe tota Prouincia nobilitate vir; ſexcentis ab vrbe vltra Droüilium pontem paſſibus, in villa magno agmine fluentem excipit. Quinto quondam ignobili, Patroni Aquenſes fecerunt celebritatem,cùm Senatus præcedente ſæculo Manuaſcam veniſſet,hæreréteque in eâ,donec Fœderatorum aduerſus Regem furor, qui omnem Prouinciam miſcebat,quieſceret. Vt ſunt viri elegantes ingenio,amauere ſplendentium aquarum ſalubritatem,& non raris frequentauere conuiuiis. Igitur ex eo,ab illis facto nomine, dicitur Fons patronorum. Sextus ægris mage, 63
quàm ſanis opportunus ac bonus eſt. Leuat pectus, renes purgat, ciet lotium : medicumque experiuntur nephretici & aſthmatici. Sed apud Manuaſcenſes,à cœlo ſcilicet, aquis, terra fere ſanos,in honore non eſt. Sulphureum ab odore appellat vulgus. Septimum Droüilium, eúmque duplicem, Aquenſis ad cognominem,qui Sanctalbano riuo impoſitus eſt,pontem excipit via. Ij magnum quondam habuere nomen : ſed neque ad vrbem omnino ſunt,& ad illos ab ipſa non facilè deſcenditur per lapidoſa & quaſi abrupta loca. Senſim ergo deſierunt celebrari. Ceteros,neque pauci ſunt, ſed ferme illaudati, qui per agrum fluunt, tacere placet. Ad eos redeundum mihi eſt, quos ſitus ſuaſit, & aquarum abundantia, in vrbem ad publicos, priuatóſque ciuium vſus deriuare. Vt hinc incipiam,omnium,qui intra Ma- 64
nuaſcam decurrunt, ſi Clariſſæum excipias, fontium origo eſt in montibus agri borealibus. Duobus ſurgunt capitibus,altero Orientali, Occidentali altero. Quod Morellorum dicunt, viſitur ad Paganorum nemus,Sanmartinenſi non procul agro. Ab eo ingentes magna vi prorumpunt aquæ, quæ ſuis acceptæ tubis, tam per decliuia feruntur diu, donec centum circiter à porta Sobeirana paſſibus miſceantur illis, quæ ab Orientali borealium montium latere, magnis de ſumma conualle Gaudea ortæ agminibus, per pontem Eſpellium ipſis occurrunt.Ex hoc aquarum confluuio naſcitur omnis fontium intra vrbem multitudo, paucis enim pòſt paſſibus, in minores tubos diuiſæ, immittuntur per varias illius partes. Qui verò fontes fluunt, ſiue in domo, ſiue ad fores Franciſcanarum virginum, habent, omine pro puellarum ſanctitate non contemnendo, ortus ſuos à Paradiſo. Regionis ad Orientales vrbis muros hoc nomen in agro eſt. Denique inuenio in veteribus tabulis *Fontenam ſtreciam,fontes ſtellerium,Botini, Coopertum,Petri Ioannis.* Ætaſne ſuas iſtis fontibus aquas abſtulerit,an mutauerit potiùs nomina, vt ab iis quos jam memoraui non differant,non poſſum dicere.

Ceterùm per vrbis regiones quatuor recitatas,ſunt domus omnino ducen- 65
tæ ſupra mille : quid enim referam in agro poſitas, numero centum & quinquaginta ? Antiquæ conſtant lapide ex ſeptemtrionalibus agri montibus eruto. Omnes gypſum,ex agri quoque fodinis erutum, ornat ad omnem elegantiam & venuſtatem. Nulla in vicum è primâ contignatione prominet. Cùm plurimæ de eâ extarent, anguſtarentque vicos, vrbano decreto actum eſt per Senatum Aquenſem anno milleſimo quingenteſimo octauo, vt Petrus Matthæi,Reuerſi dominus,& Simon de Tributiis,regij Senatores, id dedecoris ex omnibus reſcinderent. Neque nihil ad ciuium valetudinem res facit. Per apertos ventus, per apertos ſol multus, ſeſe immittit vicos,

purgátque

purgátque aëra. Ad ſpeciem verò id prorſus neceſſarium erat. Dejectis contignationum prominentiis ſuum lumen totum eſt vico, ſua inter oppoſitorum tectorum ſubgrundas ſpatia, ſua denique domibus æqualis, &, vt ita loquar, ex vero facies.

66 Neque minùs eſt vrbi à publicis ornamentum plateis. Circa palatium latè vacat omni parte. Perpetuâ veluti plateâ cinctum diceres. In media ipſa vrbe viſitur in quadrum oblongior, mercatorum officinis circumdata. Mercatoriam ergo poſſumus appellare. Longè amplior proximè hanc eſt, ad ædes Marianas, foro nundinario deſtinata. Vt ſit ampliſſima, certè vix ſufficit hebdomadario per ſabbatum mercatui. Nam cùm ſolemnes ſunt, & per annum quater celebrantur nundinæ, tanta & emptorum, & ſeu mercatorum ſeu propolarum confluit multitudo, vt vniuerſa ipſa vrbs forum eſſe videatur. Scilicet ſupra frumentum, vinum, oleum, pomorumque ac nucum omne genus, & frugum, lino, cannabe, telâ, corio, cerâ, pice, melle, reſinâ, vt de ſerico lanáque pannos, & alia ſapientis manu artificis labarata, prætream, abundant officinæ. Vnum hîc tacere non poſſum. Tanta vis amygdalæ in vrbem ex agro ſeu proprio, ſeu vicino deportatur, vt, cùm tempora ferunt, exteris mercatoribus centumpondia ad centum & quinquagin-
67 ta dietim apparentur. Ex ea ergo Manuaſcenſibus lucrum obuenit ſupra centum millia Francorum. Sed putamen lignoſum eſt, pinguique ac oleoſo ſaturatum ſucco facilè in flammas emicat, & ligno omni accenſo vehementiùs ardet. Amygdalinum carbonem dicas. Certè ligneo non eſt inferius ad domeſticos vſus, & colore odoréque ſuperius. Pro Saluatoris hominum templo jacet etiam platea, ſed longè minor, ex eo potiſſimùm tempore, quo in illius parte, læuo templi pariete aperto, tres ædiculæ exædificatæ ſunt. Sua quoque ad Franciſcanorum Obſeruantium, ſua ad Carmelitarum, ſua ad Clariſſarum ædes, neque prorſus anguſta eſt. Cœnobium Bernardinarum non poſtulat plateam, populo, qui è ſacris confertim exit, capiendo. In ampliſſimo, & ad non modicæ plateæ ſpeciem latiſſimo, vico poſitum eſt.

68 Igitur cùm Manuaſca ſit agro ſpecioſa & diues, domibúſque, plateis, & fontibus commoda & ſpectanda, abundauit etiam olim nobilibus viris. Et quidem in ſuperioribus non modicam clararum nobilitate gentium multitudinem attuli. Nunc placet nonnullas adjungere, quas ego ipſe ex publicis archiui vrbani tabulis accepi. Sauini, Rochæi, Valentiæ, Simianæi, Panerij, Villamurij, Veteres-Berardi, Mainerij, Caſanouij, Altouiti, Hoſpitalarij, Bardocij, Thomacij, Coruini, Fabri, Taloni, Crucij, Vetulæ, Pontij, Bruneti, Lauenæ, Safalini, Redorterij, Aiminij, Rainerij, Blanchardi, Textores, Lauenturæ, Iuſtacij, Burgij, Campiſaurij, Boiſſoni, Bartilloni, Brocherij, Roſtani, Pugeti, Clementes, Arnaudi, Boneti, Veirerij, Tillij, aliíque non pauci il-
69 luſtres genere viri, habitauerunt in vrbe. *Nobilis vir Guilelmus Piolla*, (in tabulis ita legitur) anno ſeptimo & ſexageſimo ſupra milleſimum trecenteſimum, agebat judicem Manuaſcæ, & eum conſequente habitabat in ipſa, vt ferunt plures eorumdem annorum chartæ. Quæ Piollarum gens vrbem, & ex eâ Forcalquerium, atque Maſſiliam habet, ſuam originem ab illo repetit: & Ioannes, Ioſephi apud Forcalquerienſes regij Conſiliarij filius, poſt annos ferme trecentos, magnâ ſuâ laude locum Guilelmi, judicem agens, nuper impleuit.

Digitized by Google

pleuit. Scilicet æmulatus exempla Franciſci fratris egregij juuenis, ſequitur patrem non iniquis paſſibus, qui, vt Gallicanæ vim poëſeos, & cetera taceam ornamenta, conſultiſſimus juris eſt. Ioſephus poſt vtrumque fratrem eſt ſola ætate. Ingenio, memoriâ, dicendi ad concionem copiâ & vi, totâ morum indole præſtans ſeſe Deo addixit Theologica Sorbonicorum ſpatia nunc ingentibus decurrens animis ponit magna pietatis Eccleſiaſticæ rudimenta apud celeberrimos vniuersâ Europâ Sanſulpitianos aſcetas. Franciſcus (vt hoc addam) nuper duxit Iſabellam Scipionis de Gombert filiam, qui nobiliſſimâ ortus gente dominatur Dromono, Sangeneſio, & Sangeneſianæ valli.

Quo autem ſcelere prætermittitam Guaſquios? Egregia eorum ſupra qua- 70
dringentos annos, ſingulis ſæculis, vt in aliis ſuper alias chartis lego, pro vrbe facinora antiquiſſimæ gentis nobilitatem plurimùm augent. Sed hoc maximè Manuaſcenſibus caram faciat, quòd vna de indigenis claritatem à majoribus acceptam, ad noſtra vſque tempora, perenni velut agmine fluentem, deduxit, etiámque nunc ſeruat. De ipsâ omnium celeberrimus fuit Petrus. Ab anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ad octauum ſequentis ſæculi, per octo & viginti rem patriæ publicam ſapientiſſimè egit, geſſitque. Aduerſus Iudæos Auenionem iuit ad Legatum Pontificium anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimoquarto, Lugdunum ad Regem milleſimo quingenteſimo. Per Ioannem patrem, auum Ioannem, Raimundum proauum, id odij in perfidum genus hominum, & 71
amoris in patriam, acceperat ab Iſnardo abauo. Ceterùm exiſtimo Guilelmum Gaſc, qui centeſimus ſexageſimus quintus, coram Guilelmo juniore Forcalquerij regulo ſacramentum dixit de ſeruanda Hoſpitali Ieroſolymitano Manuaſca, fuiſſe Guaſquium, &, per nominis exitum Prouincialibus familiarem, dictum quoque *Guaſqui*, atque hoc nominis accepiſſe à valle *Gaſc*, ſeu Gaſquia, vltra Louberiam vallem & Sanctalbanum montem, ad fines agri Manuaſcenſis, Monfuronium inter ac Petrauiridenſem poſita, cui dominaretur. Certè Sanmarthani fratres tomo 3. Galliæ Chriſtianæ ita loquuntur in Epiſcopis Nemauſenſibus: *Ioannes Gaſc*, aliàs *Gaſqui*, *ex Abbate Anianæ in Occitania, Eccleſiam Nemauſenſem ſuſcepit adminiſtrandam, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, ex tabulis Vaticani.* Neque hic (vt id non prętermittam) è Guaſquiis primus geſſit epiſcopatum: *Ioannes Guaſqui* fit Maſſilienſis Epiſcopus anno milleſimo trecenteſimo triceſimo quinto, moritur quarto, & quadrageſimo. Qui fortia poſterorum Guilelmi facinora, per grauiſſimas cum Hoſpitalis Ieroſolymitani Præceptoribus contentiones, legerit in Conſulum diatio, is non mirabitur tardè, ac veluti ægrè, veniſſe ad illud ſacramenti. Tardiùs etiam venere, poſtque ipſum longè, Raimundus ac Guilelmus Rainaudi, Roſtagnus Hoſpitalarius, Guilelmus Gaufridi, illuſtres genere viri. Guilelmus Guaſqui nepos avum æmulatus eſt. Serò & proximè tamen Petrum Hoſpitalarium nobiliſſimum virum, venit in pacta cum Berengario Monachi, Præceptore Ieroſolymitano. Cætera clariſſimę gentis ornamenta prętermitto. Vnum tamen placet hîc addere, quòd Carolus Auguſtus de Sales Epiſcopus Geneuenſis, & Sancti Franciſci de Sales ex fratre nepos ſcripſit in libro de gente

ſua pag. 506. *Ludouicus de Sales, frater Franciſci aui, duxit Ianinam de Guaſquis, filiam Ioannis de Guaſquis domini de Mallamos, & Annæ Ludouicæ Roux. Ioannem de Guaſquis genuerant Petrus de Guaſquis & Pernetta de Liuron, ab anno milleſimo quingenteſimo duodecimo die triceſima Aprilis conjuges: Petrum verò Matthæus de Guaſquis & Iaquelina des Bois. Dicitur gens Guaſquia hæc, originem ex Prouinciá duxiſſe.*

72 Quo tempore Laduncellij, ſeu Laincellij, aut (vt vulgò loquimur) Lincellij ad Manuaſcam acceſſerint, non inuenio. Ante quingentos circiter annos habebant in agro clientes atque in iis Lambertus Petrum Gaudium opulentum ciuem. Ditione tenebant Landucellum, vnde genti nomen, anno primo & ſexageſimo ſupra milleſimum, Romolas, & Fanum Martini Ranacatienſis. Poſt annos ab illo trecentos, de eâ ipsâ gente Lambertus alter, emit à Beata Delphina Ariani Comite, cùm prædiues & illuſtriſſima virgo ſua omnia diſpergeret in pauperes, Podium Michaëlis, & Hoſpitaletum, teſte Guilelmo Henrici ad judices dicente, qui de ejuſdem Dalphinæ ſanctitate quærebant. Dominati ſunt præterea Toramæ vtrique, Monſtrereto, Albenatio, & aliis pluribus per Prouinciam pagis. Sed vide quis, & quàm clarus fuit ſuo tempore, Georgius Laincellius: Simianæis, & Flottis non impar habebatur. Denique anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono, cùm Rodulphus de Luperiis gubernator Delphinatus, & Raimundus de Agouto Seneſcallus Prouinciæ, in pacis fœdera pro ſuis regibus conueniſſent, conſeruatores pacis dicti ſunt, Guirannus de Simiana, Oſaſicca Flotte, Georgius de Laincello & Bertrandus de Caſtello milites. Gaufridus eo ipſo genere ortus Vapincenſem gerebat epiſcopatum, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo. Quid taceam Berengarium, Oliuarium, & Ioannem Hoſpitalarios Equites? Hic anno octogeſimo poſt milleſimum quadringenteſimum cecidit Turcæ manu, cùm fortiter ageret in propugnatione Rhodi. Gouſſancurtius in Sanctiſſimi Ordinis martyrologio facit Lioncellum gente, non Laincellium; & Delphinatem patriâ, non Prouincialem, manifeſto errore. Teſſerarium antiquiſſimæ gentis ſymbolum eſt argentea tranſuerſaque lanceæ cuſpis rubra in areâ. Sanmartinenſis Lincelliorum familia viget etiam nunc in vrbe, omnibúſque vetuſtiſſimæ nobilitatis inſignibus floret. Ioſeph, amiciſſimus mihi vir, Laurentia matre, auia Caſtellana, Raſcatia proauia genitus eam ducit. Plures in ſpem illuſtriſſimi generis liberos, ex Magdalena Lumbarda ſuſtulit. Accipe illius ſeriem per ſua capita numeratam ab anno 1150. ad nos vſque.

Stemma Laduncelliorum Sanmartinenſiorum.

I. Lambertus de Laduncello, ſeu Laincello
& ..... anno 1150. & 1190.

II. Gaufridus 1222.
& .....

III. Lambertus II. 1241.
& .....

IV. Lambertus III. 1259.
&

&

Tiburgis d'Alamanon.

V. Berengarius 1273.

&

Raibauda de Vngula.

VI. Berengarius II. 1299.

&

.....de Borbone.

VII. Lambertus IV. 1318.

&

Sibylla de Podio Michaëlis.

VIII. Gaufredus

&

Mabilla de Caſtellione.

IX. Berengarius III.

&

Berengaria de Venello.

X. Berengarius IV.

&

Sancia d'Albe.

XI. Berengarius V.

&

Catharina de Barras.

XII. Berengarius VI.

&

Conſtantia d'Alamanon.

XIII. Claudius

&

Conſtantia de Laincello.

XIV. Gaſpar

&

Catharina de Villanoua.

XV. Antonius

&

Catharina de Raſcas.

XVI. Antonius II.

&

Ioanna de Caſtellana.

XVII. Hubertus.

&

Ludouica de Laurens.

XVIII.

Ioſeph

&

Magdalena de Lumbard.

73 Volandos hoc extremo loco memorare placet. Ij plurimùm contulerunt ad erectionem Franciſcanorum Obſeruantium templi. Sed omnia ſeu majorum, ſeu ceterorum gentilium decora virtutis magnitudine ſuperauit puella, æternum nobiliſſimæ gentis ornamentum. Excidit ipſius nomen omnium temporum memoriâ digniſſimum, profectò vt è perituris mortalium voluminibus, tranſcriberetur ab Angelis in librum cœleſtis vitæ. Anno ſexto & decimo ſuperioris ſæculi Franciſcus rex, eo nomine primus,
74 Manuaſcam adiit, & in Antonij Volandi domo hoſpitatus eſt, cujus filia nubilis (& præſtantis formæ virgo erat, atque ſupra natiuam ſpeciem vehementer, pro more, ornata) claues vrbis, cùm eam ingrederetur, obtulerat. Honeſtiſſimum puellæ fuerat id officij deferre Principi, illiuſque patri ſupra omnem votorum inuidiam ipſum habere domi ſuæ. Verùm hæc vtraque res caſtiſſimam virginem grauiſſimè afflixit. Cùm Manuaſcæ claues offerebat Regi, notauit Franciſcum oculos in ejus vultum, omnémque corporis habitum, non illubentes deflexiſſe, & ſupra ætatem, re tum quidem diſſimulatâ, indoluit. Vt primùm facultas data eſt, vt ſe ab omni hominum turba principio, deinde etiam congreſſu, ſeductam cubiculo clauſit. Et, quid agimus anime, in lacrymas ſoluta exclamat, quid agimus? Viuimus, an perimus? Vidi Principis oculos in meo vnius vultu hærentes. Abs dubio igitur illi placet. Atque juvenis ipſe eſt. Sed viuamus, quando ita videtur Deo. Illud potiùs de facie pereat, quod in virginitatis contumeliam placere potuit viro. Vix dixerat, & quibus potuit ſordibus vultum infecit. Cúmque per illas forma minor quidem, ſed gratior, atque prorſus illecebroſa pelluceret, ſulphur ardentibus impoſuit carbonibus, flammantíſque turpem fumum tam hauſit diu genis, totoque vultu, donec viuidum illud natiui coloris, ac ſplendidum, pallido luteóque mutatum eſt, atque nonnihil etiam fœditatis inſedit faciei. Magnum facinus, & ſupra puellæ annos, omnium,
75 qui Regem ſecuti Manuaſcæ tum aderant, admirationem meruit: atque ejuſmodi profectò eſt, vt cum omni poſterorum memoria coæquari debeat. Franciſco etiam Regi, vt accuratus rerum æſtimator erat, plus eo puella placuit, quàm ſpecie placuerat. Igitur excedens vrbe, noluit indotatam eſſe. Non pauca, neque maximo Principe indigna, pro ætate ipſius & ſanctitate, ad eam miſit. Antonius virginis pater duodecimo pòſt anno cùm gereret conſulatum, mortuus eſt. Nicolao & Hugueta Arnauda natus, genuerat liberos octo, Georgium, Claudium, Gaucherium, Poncetum, Raimundum, Honoratam, Nicolaam, & Catharinam. Gaucherius, & Raimundus, cùm in Britanniam iuiſſent, in eâ ſedes fixerunt. Et familia quidem à Gaucherio ducta, omnis jam ab aliquo tempore deſiit; quæ verò à Raimundo prodierat, cùm in fœminam vniuerſa defeciſſet, à Marino D. de la Pyaie genitam, ea nupſit Baroni des Arcis Conſiliario in Parlamento Redonenſi & poſt liberos duos genitos nuper mortua eſt. Georgius ex

Clara

Digitized by Google

Clara Barcilona Albenatij domina,ſuſtulis Gabrielem, Pontium,& filias 5.
Gabriel duxit Lucretiam de Bonne ſororem Vicecomitis de Talard,& Comitis d'Auriac, atque Carolum ex eâ progenuit,qui ex Dianâ de Blacas primâ vxore genuit filias duas; & ex Ioannâ de Matharon D. de Sallignac & d'Entrepierres ſecunda, Carolum & filias duas. Carolus habet in matrimonio Dianam de Seguiran, & ex ipsâ ſuſcepit Ioſephum,Antonium, & filiam innominatam. Vt autem Volanda gens, ad hanc vſque feliciter propagata floreat Aquis Sextiis,tamen Manuaſcæ non viget Manuaſcenſis Volandorum familia poſt Antonij mortem florere deſiit, quaſi viribus in puella memorata ad omne officij genus informanda exhauſtis, iam victa deficeret. Deſierunt poſt illam plurimæ quoque gentes, antiquiſſimâ illâ nobilitate 76
inſignes, aut vrbe exceſſerunt. Quæ ſuperant & paucæ ſunt in plebeium ordinem ſe deiecerunt, agrorum delicias, & ex mercatura opes præ generis claritate habentes. Illarum quidem locum multæ jam implent, Villanouana etiam, quæ ſupra omnem tabularum memoriam, inter nobilitate vniuerſam per Prouinciam principes, & quondam habita eſt, & nunc habetur. Ex eâ Ioſias Tortonæ dominus in Suſannam Safalinam enubens,ampliſſiamam hereditatem Manuaſcæ adeptus eſt. Sed non id ego ſuſcepi, vt veluti cenſum agens, per ſingulas gentes eam. Antiqua vrbis,non noua, ſequi oratione animus eſt. In patriam tamen certè peccauerim, ſi Petrum Vallatorium 77
clariſſimæ ſtirpis virum præteream,qui ad illam ipſius ornamenta plurimùm aucturus nuperrime venit. Vallatoria gens, ex quo Antonius Vallatorij, Dromoni, Sangeneſij, Brianſoni, & Autonni dominus Margaritam Villamuriam ante annum milleſimum quadringenteſimum octogeſimum ſextum duxit vxorem, Volſio de ipſius dote dominatur. Cùm Villamurij, præ eo, & Villamuro, ſuæ ditionis pagis, Manuaſcam habuiſſent, Vallatorij tamen alia omnia hactenus ſecuti hæſerant Volſij. Sed Petrus Antonij trinepos, cùm videret liberos è Gabrielâ Forbinorum Soleria latè inclareſcere, tum Manuaſcæ fixit ſedes, augendo ſcilicet (nam quid aliud animo ſequebatur?) illius nomini. Nicolaus Regij in proximo Epiſcopus eſt Franciſcus Auguſtus à puero armis aſſuetus, adoleuit in exercitu, & nomine de magnis per Germaniam,Catalauniam, Belgium, & Italiam facinoribus collecto,Galliam omnem impleuit: nuper in Papiæ,& Valentiæ Inſubrum obſidione Legatum Mutinæ Ducis egit. Huic etiam expugnandæ maximum fuit momentum. Non minore vigilantiâ nunc ei pro rege præeſt. Palamedes,& Ludouicus inhærent fratrum veſtigiis. Iſte pietatis & literarum ſtudiis æmulatur Epiſcopum: ille alam equitum in Italia ducit, Hoſpitalarius, ſiue, vt nunc loquimur, Melitenſis Eques. Vnum addere hîc mihi liceat. 7
Anna Petri ſoror,ingentium & ſupra fœminam animorum, capaciſſimæque mentis puella,quæ à primis annis erat S.Bernardi apud Auenionenſes alumna,Manuaſcam ante fratrem acceſſit,& poſtquam excitaſſet, ſanctiſque legibus ac moribus conſtitutum parthenonem diutiſſimè rexiſſet,à duobus annis extremum diem obiit, magno cum pietatis ſenſu,vt referam libro tertio.

MANVASCÆ

LIBER SECVNDVS.

1 MANVASCA nobilis & peramœna portio Comitatus, quem principio Sistaricum, postea cùm Ebredunenses & Vapincenses Sistaricensibus addidissent, atque per Aptenses vsque ad Rhodanum peruenissent, Forcalquerienſem dixerunt, anno nono & quadragesimo supra millesimum centesimum, attributa est Hospitali Ierosolymitano à Guigone dynasta. Hîc Guilelmo Regulo, & Garsende genitus, Bertrandum fratrem habebat natu majorem, & paterni scilicet principatus hæredem Manuascâ ipse, Pertusio, aliaque non multâ ditione, donatus est à parentibus, honestumque Cominis nomen pro illorum temporum consuetudine, quæ nunc etiam viget in Germania, ab iisdem in omnes
2 liberos deriuatum, tulit. Magna pietas adegit optimum principem ad id muneris in Hospitalarios conferendum. *Temporalibus*, inquit, *æterna, transitoriis permanentia cupiens comparare, pro salute animæ meæ, & parentum meorum dono Deo, & Hospitali Ierosolymitano, & pauperibus in perpetuum Manuascam.* Fecit etiam ea ipsa, vt majus aliquid susciperet: *Et meipsum* pergit, *eidem Hospitali, & pauperibus in perpetuum ad seruiendum contrado.* An Hospitalariorum Ordinem vouet? An Hospitali Ierosolymitano se donat, pro præcellentium illis temporibus pietate virorum, è qua, cùm in ignobilia capita emanasset, profluxit denique *donatorum*, vt loquuntur, genus, vt dicam libro 3. num. 40. & 41. Quoniam Manuascæ Hospitalariis concessio, est in omnem partem illustris, atque per annos quinquaginta, & quod excurrit, damnata fuit à Comitibus Forcalquerij; & cùm à Guilelmo juniore firmitatem suam aliquando habuisset, postea tamen & à Prouinciæ Regulis agitata fuit, & magnas iis ipsis Hospitalariis cum Manuascæ ciuibus contentiones peperit, locus omnino postulat, vt Guigonis tabulas referam. Sic habent.
3 *Cùm præcipua philosophia Christianorum sit cogitatio mortis, prudentium est diem mortis præuenire, & sic super suis bonis disponere, vt possint de immortalitate sperare. Idcirco ego in Dei nomine Guigo Forcalquerienſis Comes, temporalibus æterna, transitoriis permanentia cupiens comparare, pro salute animæ meæ, & parentum meorum, dono Deo, & Hospitali Ierosolymitano, & pauperibus in perpetuum Manuascam, Burgum, & Castellum, & Totas auras, cum toto territorio, & omnibus ad Manuascam pertinentibus. Hoc est vsque ad territorium Sanctæ Tulliæ, & vsque ad territorium Petræuiridis, & vsque ad territorium Montis furonis, & vsque ad territorium Sancti Martini, & vsque ad territorium Dalphini, & vsque ad territorium de Vols, & vsque ad flumen,*
4 *quod vocatur Durentia. Et meipsum eidem Hospitali, & pauperibus in perpetuum ad seruiendum contrado. Reliqua bona mea, vbicunque sint, filiis fratris mei relinquo, & eos per suam fidem rogo, vt hanc donationem, hoc salubre relictum, quod pro redemptione animæ meæ in pauperes confero, firmum illibatumque conseruent. Quod si violare præsumpserint, eis omnia quæ reliqui aufero, & Guiranno & Bertrando Rainibaldi omnia bona mea relinquo, & eos per suam fidem rogo, vt*

quod

quod reliqui Hoſpitali, & pauperibus, firmum manere faciant; & tam ipſi, quàm hæredes eorum perpetuò defendant. Sciendum tamen eſt, quòd in iis omnibus, quæ filiis fratrùm mei relinquo, matrem meam dum vixerit vſum fructum habere volo. Præterea matri meæ jure proprietatis relinquo, quod ejus induſtria caſtro, quod vocatur Pertuis, accreuit. Facta eſt hæc diſpoſitio anno ab incarnato Domino 1149. *tertio Calendas Iunij, luna* 21. *regnante Imperatore Conrado, in præſentia domini Petri Siſtaricenſis Epiſcopi, autoritate cujus & teſtimonio confirmatur. Præterea iſti homines teſtes exiſtunt, Garſendis Comitiſſa mater ipſius Comitis, Bertrandus Raymbaldi, Hugo Boſo, Aicardus de Saignone, Iſnardus de Mota, Faraldus Fairol, VV. de Bellomonte, VV. Raimundi de Caderachiæ, VV. Cornutus, & VV. Cornutus filius ejus, Bermundus Leotaudus, & VV. Bermundus filius ejus, Raimundus de Bonauilla, Bertrandus Nigrellus, VV. Nigrellus, Petrus Adam, Hugo de Auſonigas, VV. de Clumans, VV. Ramoardus, Aicardus de Manuaſca, Raimundus de S. Martino, Raimundus Roſtanus, Aicardus de Roca.* 5

S. Petri Siſtaricenſis Epiſcopi.

Guigone mortuo, Hoſpitalarij adeunt Manuaſcæ dynaſtiam infelicibus initiis. Bertrandi fratris filios ſcripſerat hæredes: & is Manuaſcam, abactis Hoſpitalariis, inter filios cùm moreretur diuidendam ſibi accepit, ex incerto mihi jure: niſi quod ipſius, Bertrando mortuo, in filios tres diuiſio ſuadet à Guilelmi aui teſtamento repetitum, qui donata Guidoni filio ſecundogenito, ſi abſque liberis moreretur, voluerit in primogeniti filios diuidi. Hæreditarium certè appellault eorum vnus, vt ſuo loco referam. Quodcumque fuerit, probauit ipſorum pater. Viuebat ſcilicet, cùm Guigo frater teſtamentum ſcripſit. Anno enim ſequente, qui erat quinquageſimus ſæculi, Iauſeranda conjux genuit Guilelmum juniorem filiorum tertium ex tabulis anno ſeptimo ſupra milleſimum ducenteſimum exaratis, in quibus hic aſſerit ſe annorum quadraginta factum eſſe primo & nonageſimo poſt milleſimum centeſimum Nouembri menſe. Probauit Garſendis auia, à patre & liberorum & Comitatus adminiſtrationi poſtea teſtamento admota. Hæc quidem ſubſcripſerat Manuaſcæ Hoſpitalariis donationi, atque, vt fit, non inuita: ſed optimam principem jura nepotum edocuit Bertrandus filius. Putabam ego probatum quoque Guiranno & Bertrando Raimbaldi; qui dejectis Manuaſcæ ditione Hoſpitalariis, ſe non geſſerunt pro Guigonis hæredibus. Certè ij tum erant & gentis claritate, & opum vi, & clientum multitudine, vt Guigonis fratri, Hoſpitalarios Manuaſcæ dynaſtia prohibenti, obſiſtere omnino poſſent. In conuentionibus Abbatis Montis majoris cum Bauciis principibus ita legitur: *Guirannus de Simiana, & frater ejus Bertrannus Raimbaldi.* Hinc intelligis & fratres, & gente Simianæos fuiſſe. Imperitabat hæc illis temporibus Apt Iuliæ, Caſanouæ, Saignono, Auribello, & aliis ſupra ſex & quadraginta caſtris, pagíſve. Suberat quidem regulo Forcalquerij, vt intelligere eſt ex tabulis, quibus anno mileſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio judices à Beatrice, Guilelmi junioris ex filia pronepte, & Caroli Ducis Andegauenſis vxore, dati, damnauerunt iniquorum per Comitatum Forcalquerienſem portoriorum, & alios nobiliſſimos viros, & Bertrandi Raimbaldi filium, Roſciámque matrem, ac Guideti de Simiana filios. Sed plurima tamen ſupremi principis habebat: vocabat ſub ſigna equites, bella ſuis gerebat auſpiciis, monetam ſuo nomine

6

7

nomine inſcribebat. Quid verò non tentaſſet aduerſus Forcálquerij Comitem, ſi jure agere poſſe cogitaſſet, quæ pro Stephanetta Baucia aduerſus Prouinciæ Regulum contendere armis non dubitauerat? Sed etiam ipſa profectò exiſtimauit Bertrandum jure facere, qui Guigonis fratris hæreditatem ſibi ſumeret in filios diuidendam. Hoſpitalarij Manuaſcæ dynaſtiâ dejecti, ſeſe in ſuâ per Principis teſtamentum iura connituntur reſtituere, & omnibus prædiis, quæ ante Guigonis mortem poſſidebant, à fratre regulo depelluntur. Quid enimvero viri potentiâ præcellentes non audent, perficiuntve? Igitur cùm neq; virem agere valerent, & juri alius non videretur locus, confugiunt ad Eugenium Pontificem eo nomine tertium. Quid Romę actum ſit non lego. Guilelmus de Beneuento Archiepiſcopus Ebredunenſis rem compoſuit. Legatus erat Pontificis. Igitur capita in quæ ipſo agente cum tergeminis, poſtmortem Bertrandi patris, fratribus conuenerant, ad eum ſcripſit in hæc verba.

8 *Talem inter eos tranſactionem, vtriuſque partis conſenſu, dictauimus, vt Hoſpitalarij iure perpetuo haberent, & quietè poſſiderent, quidquid* ibi ideſt Manuaſcę, vt intelligitur ex orationis ſerie & ex repetitione hujus particulę in conſequentibus, *nec Comes quidquam ab Hoſpitalariis ibi haberet, nec Hoſpitalarij Comite.* Igitur mirari ſatis non poſſum, quòd Boucheus in hiſtoria Prouinciæ tom. 2. velit *ibi* eſſe hic idem atque *in comitatu. Habebant Manuaſcæ antequam Guigo Comes hanc donationem eis feciſſet. Cetera verò, videlicet caſtrum cum aliis poſſeſſionibus ad illud pertinentibus, & caſtrum quod dicitur Totas auras, cum territorio ſuo, æqualiter inter ſe diuiderent; vt medietatem Hoſpitalarij pleno iure haberent, & liberè poſſiderent; & aliam medietatem haberet & poſſideret Comes eodem modo: ita quòd nec Comes cum fratribus, & auia, quidquam penitus ab Hoſpitalariis ibi haberent, nec Hoſpitalarij à Comite, vel ejus fratribus. Præterea in tranſactione expreſsè fuit comprehenſum, vt non liceret Comiti, nec alicui de parte ejus, nec Hoſpitalariis, nec alicui de parte eorum, in caſtro quod dicitur Manuaſca, turrem, vel aliquam munitionem ad inſtar turris ædificare. Si verò Comes, & fratres ejus, & ſoror decederent ſine legitimis liberis, pars illorum, quæ ex tranſactione ita eis obuenerat, Hoſpitalariis libera ex pleno iure cederet. Vnde in ſignum & in argumentum hujus rei, Comes & fratres ejus ſingulis annis cenſualem libram incenſi in feſtiuitate Pentecoſtes Hoſpitalariis ſoluerent.*

9 Hactenus Eugenio Guilelmus. Raimundus Hoſpitalariorum Magiſter, fecit vt Pontifex probaret, quæ Legatus conſtituerat; & anathemate damnaret, qui illa violarent. Sed longè alia Forcalquerij gerebantur. Guillelmus de Beneuento non egerat cum ipſis Principibus. Fratrum vltimus erat in cunis, vnius anni, aut paucorum menſium infantulus: ſecundus & tertius non multùm majores quarto, ad pueritiam nondum peruenerant: primus, à Garſende auia, puer, cum principatu regebatur. Quod cum hac, nepotum nomine, egerat, principes ętate majores non probauerunt, ipsâ etiam, mutato jam conſilio, non repugnante, & Manuaſcam ſuâ quiſque parte ſibi pertexerunt habere. Neque Hoſpitalarij vehementer obſtiterunt, ſuis ante Guigonis mortem prędiis reſtituti: omnino etiam, ad ſpeciem certè, probaſſe videntur & aliàs, & anno ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum. Eo Guilelmus junior fratrum tertius, & Comitum vltimus ipſis Manuaſcam omnem donat, & profectò ſuam; nam quid aliena concederet? ſcilicet *Burgum*

Digitized by Google

gum Caſtrum, & Totas auras cum omnibus pertinentiis. Fulco Ægidiarus Prior, Hoſpitalis Ieroſolymitani nomine, pium munus, & alienam igitur rem, admittit adſtantibus volentibuſq; Præceptoribus ex eodem Ordine tribus, grauiſſimis viris, Bertrando de Oliuello Raimundo de Ludiuizonio, Petrillono. Sed vt de Manuaſcæ ditione hæreditaria taceam, quando Folcalquerienſes Principes iam ætate firmata (& tres, alius ab alio ſine liberis mortuo, regnauerunt) ſubſcriberent ceteris conuentionum capitibus, quę Guilelmus de Beneuento tulerat? Potueruntne aliquando patienter audire Hoſpitalariis ita conceſſam medietatem Manuaſcæ, vt *ibi nihil habeant à Comite*; ſibique in altera prohibitum, *turrem vel aliquam munitionem ad inſtar turris ædificare?* potueruntne probare, ſibi mandatum *ſoluere ſingulis annis libram incenſi, in feſtiuitate Pentecoſtes Hoſpitalariis?* Profectò illis qui deiicitur, aut prohibetur, abdicatur ſummo principatu Manuaſcæ: hoc qui facit, partem ſummi ſui principatus ſubiicit Hoſpitalariis. Guilelmus itaque iunior, vt Guigonis patrui donationem, ad Legati Pontificij articulos exactam, fratribus mortuis aliquando, ſicuti poſtea referam, probauerit, turritum tamen, foſsâque & loricâ munitum palatium, quod nunc etiam ſtat, extruxit Manuaſcæ. Non dubitauerime rgo Archiepiſcopi Ebredunenſis arbitrium, quod improbabatur ipſo vſu, quod ab iis quorum in vſus datum fuerat negligebatur, demum à Pontifice quoque ad regulorum preces abrogatum fuiſſe. Hoſpitalarij eo gradu deiecti, non cadunt tamen animis. Quam ſibi ex Guigonis teſtamento debitam arbritrabantur, de Manuaſca per illorum ipſorum Principum aliquem vnum habenda, quando aliud non occurrebat, cogitant. Neque nulla ſpes erat, futurum vt quatuor certè poſt primum vnus patruum æmularetur pietate. Et tenera ætas, & armorum tyrocinium, poterant illa ſeu indole, ſeu fortunâ puerulos admouere & nobilibus, & ſacris Equitibus. Quid cum Guilelmo fratrum primo, & poſt Bertrandum patrem Regulo, egerint, non inuenio. Bertrandus frattum ſecundus, eo mortuo Comes, ad ipſos vehementer adiecit animum, maximè cùm florens ætate, armiſque aptus, Ieroſolimitani in Saracenos belli conſilia mente volueret. Non pauci de Gallia principes viri, id non ſine laude tum gerebant. Iſoardus Dienſis in proximo Comes, cum Godefrido Bullionio profectus in Syriam, magnum ab arte militari nomen ſibi collegerat, vt Guilelmus Tyrius tradit libro primo. Comes Ægidianus, totum Orientem ante paucos annos impleuerat clariſſimæ famæ gloria, ex rebus illuſtriſſimè geſtis ducta. Horum, & aliorum procerum virtus iuuenile pectus incendebat & laudis, & pietatis amore. Neque parum vrgebant animum, tot principum virorum exemplis incitatum, quæ ad Hoſpitalarios frequentibus nuntiis deferebantur ex Oriente. Quos armorum ſocios habiturus ſibi videbatur, eos ſub ipſam expeditionem ſibi prorſus deuincire conſtituit. Scilicet plurimùm iam poterant armorum à triginta annis profeſſione ſuſcepta Suam Manuaſcæ partem ipſis elargitur. Tabulæ à Ieroſolymam perfecturo ſcriptæ ſic habent.

Notum ſit cunctis tam præſentibus, quàm futuris, quòd ego Bertrandus Comes, amore & ſalute animæ meæ, necnon parentum meorum, bono animo, & ſincera voluntate, in bona mente, & corporis valetudine, dono, & irreuocabiliter concedo, & relinquo, omni dolo, omnique xumanâ machinatione poſtpoſitâ, Domino Deo, &

Sancto Hoſpitali Ieroſolymtano, & pauperibus ibidem degentibus, præſentibus ſcilicet, & futuris, vt meliùs ſine enganno dici, vel cogitari poteſt, totum hoc quod hereditario iure habeo & poſſideo, vel habere & poſſidere debeo in caſtro de Manuaſca, & Totis auris, & in toto eorumdem territorio, & ſuis dependentiis, terris videlicet & aquis, ingreſſibus & egreſſibus, vt fratres Hoſpitalis præſentes & futuri, abſque alicuius requiſitione, calumnia, moleſtia, & quietè in perpetuum habeant & poſſideant. Hanc ſiquidem donationem facio, & offero ſuper altare S. Petri, in eccleſia domus Hoſpitalis de Manuaſca, in præſentia domini Petri Siſtaricenſis Epiſcopi, & VV. Prioris Hoſpitalis S. Ægidij, in cuius manu hoc donum facio,

13 *& fratris Rainaudi S. Michaëlis. Et iterum factum recognoſco in præfata eccleſia, & cæmeterio, in præſentia domini Hugonis Aquenſis Archiepiſcopi, & domini Petri Aptenſis Epiſcopi. Et ego prædictus VV. Prior tibi præfato Bertrando Comiti, ſi fortè, quod Deus concedat, ab Ieroſolymis reuerteris, cum conſilio fratrum noſtrorum, iam dictam hæreditatem commendamus, vt quamdiu vixeris eiuſdem fructus ad vtilitatem Hoſpitalis habeas & poſſideas: te verò defuncto tota & integra prædicto tenore Hoſpitali reuertatur. Teſtes huius donationis ſunt Raimundus de Medullione, VV. de Seſinana, frater Stephanus Capellanus, VV. Baiuli, Petrus de Rognonatio, Petrus de Draforte, VV. de Craco. Factum eſt hoc anno ab incarnato Domino milleſimo centeſimo ſexageſimo octauo, regnante Friderico Teutonicorum Imperatore.*

14 Hæc Bertrandus, Quæ vt pro Hoſpitalariis ſcripſerit bonus & pius, vide tamen vt ſe caſtri Manuaſcæ, & Totarum aurarum dynaſtam *hereditario iure* dicat, vt Guigonis patrui donationem taceat, vt nihil Mauuaſcæ ditionis ad Hoſpitale Ieroſolymitanum pertinere memoret, Vvilelmi Antiſtitis Eredunenſis conuentiones, hereditario à maioribus ſui iuri contrarias, dedignatus. Has ipſas etiam damnare videntur Hoſpitalarij, & fateri ſe nihil Manuaſcæ caſtrorum habere, cùm ab illo accipiunt, poſt ipſius mortem poſſidenda. Sed regulum, arma pro Chriſto in Iudæa cum Saracenis cogitantem, grauis morbus excepit, quem mors ſecuta ingentes animos, grandiaque vota, intercluſit in ipſo profectionis articulo. Hîc quo eſſet in Hoſpitalarios animo aperit. Non ſuam Manuaſcæ partem, ſed plurima etiam alia caſtra ipſis moriturus donat. Accipe teſtamentum reguli viros vehementer amantis.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini mille-

15 *ſimo centeſimo ſexageſimo octauo, regnante Friderico Teutonicorum Imperatore, ego in Dei nomine Bertrandus Comes Forcalquerienſis, pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum, irreuocabiliter dono, atque concedo Deo, pauperibus Ieroſolymitani Xenodochij, & tibi Gaufrido de Breſil Priori domus Hoſpitalis S. Ægidij, & per te Hoſpitalarijs, tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum, quidquid ego habeo, vel habere debeo in caſtro de Manuaſca, & in caſtro de Totis auris, & in eorum territoriis ſiue pertinentiis, & quidquid iuris habeo in caſtro Garenbosij, & in caſtoo de Limaſſia, & in territoriis eorum ſiue pertinentiis, & in terris cultis vel incultis, nemoribus, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, ingreſſi-*

16 *bus, & egreſſibus. Præterea causâ mortis meæ dono tibi Gaufrido prædicto Priori, & per te fratribus Ieroſolymitani xenodochij, præſentibus & futuris, caſtrum de Bellomonte, & caſtrum de Rota-cuberia, & caſtrum de S. Tullia, & duo caſtra quæ nominantur de Petrauiridi, & caſtrum de S. Maximo, & caſtrum de Daphino*

phino, & caſtrum de la Rocha, & caſtrum de Volſo, & caſtrum de Monteacuto, cum territoriis & omnibus pertinentiis eorum: Tali ſiquidem pacto, vt præſcriptam donationem nullo caſu reuocare valeam, niſi liberos qui mihi ſuccedant de legitimo matrimonio accepero. De reliquo Comitatu meo ſic vltimam meam voluntatem diſpono, vt frater meus Guilelmus Comes mihi hæres exiſtat in reliquo. Tali tamen lege, vt liberalitatem quam in domum Hoſpitalem contuli, perpetuò ratam & firmam habeat & ab omni interpellatione & inquietudine defendat & protegat, & partem ſuam, quam in prædictis caſtris habet, & in eorum territoriis Hoſpitali domui donet, & liberè habendam & poſſidendam in perpetuum concedat. Si verò 17
voluntatem meam infregerit, omnia quæ iure inſtitutionis ſibi reliqui aufero, & totum quod habeo à Siſtarico verſus Alpes, relinquo Raimundo Comiti Toloſano: quod autem habeo à Siſtarico vſque ad Rhodanum, conſanguineis meis VVilelmo de Sabrano & Guiranno de Simiana, & fratri eius, & liberis Bertrandi Raimbaldi: & conſanguineo meo Raimundo de Medullione relinquo Siſtaricum & vallem de Noguerris, & vallem S. Vincenty. Sorori autem meæ Adelais relinquo caſtrum S. Martini de Braſca, & caſtrum de la Mota, & caſtrum de Cucurone. Tali quidem pacto fratri meo, ſi voluntatem meam infregerit aufero, & iſtis relinquo, vt per omnia liberalitatem meam, quam in domum Hoſpitalis contuli impleant, ab omni inquietudine perpetuò defendant. Volo autem & iubeo, vt quicunque mihi hæredes extiterint, pecuniam totam, quam mihi Hoſpitalarij crediderunt, & expenſas, quas mandato meo fecerunt, integerrimè perſoluant. Fa- 18
ctum eſt hoc in villa S. Ægidy, in domo Hoſpitali, iuxta eccleſiam beati Ioannis Baptiſtæ, rogatis teſtibus VV. de Fontiana, Raimundo Girino, Bertrando de S. Maximo, Bernardo de Panargio, Bertrando Bedocio, Raimundo fratre eius, Martino Remigio, Ildino de Caſtello; & Hoſpitalariis VVilelmo baiulo, Ioanne Rainaldo de Saluiniaco, Bernardo de Nemauſo, Raimundo de S. Michaele, Pontio Piſtore, Petro de Podio, Lantemo capellano, Raimundo de Montilio, Raibaldo de Montaforte, fratre Rogerio Ricardo capellano, fratre Villano Bertrando armigero, Viuano armigero, Rodulpho cauſidico, Villano Iacobo clerico Prioris qui hæc ſcripſit. Ego iam dictus Bertrandus Comes ſupra ſcriptam donationem ſecundum conditiones prætactas, me perpetuò firmam habiturum, ſub præſentia teſtium ſuprascriptorum, tactis ſacroſanctis euangeliis iuro, & ſigilli mei impreſſione præſentem paginam confirmo. Ad hoc dominum Aquenſem Archiepiſcopum precor, & Ebredunenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopum Vapincenſem & Siſtaricenſem Epiſcopum, & Aptenſem Epiſcopum, vt amore Dei, & animarum ſuarum ſalute, hanc meæ eleemſynæ ſtabilitatem eccleſiaſticâ cenſurâ Hoſpitali tueantur, & ſi ab Hoſpitalariis requiſiti fuerint, ſigillis ſuis præſens ſcriptum corroborent.

Quis Guilelmus Comes, Bertrandi frater, & ex teſtamento hæres fue- 19
rit, dubitatum inuenio. Eſt, qui cùm careret liberis maſculis, Garſendem filiam vnicam Raini Sabronorum Caſtellario dedit in matrimonium: diem extremum obiit anno milleſimo ducenteſimo octauo. Atque falluntur, qui eumdem faciunt cum illo, qui ſuperioris ſæculi quarto & quinquageſimo caſtrum Leporianum tradidit Templariis, atqua nono pòſt villam de Horreis, & alia Archiepiſcopo Ebredunenſi. Is enim Bertrandi & Iauſſerandæ regulorum primus filius, patri ſucceſſit in Comitatu, & apud Guilelmum de Beneuento, Legatum Pontificium egiſſe cum fratribus, omnino iuniori-

bus, legitur, ſcilicet per fidum Garſendi auiæ tutrici miniſtrum, de Manuaſca, atque Bertrandum fratrem moriens reliquit hæredem, è quo alter Guilelmus, quem ſoleo dicere juniorem, fratrum tertius, annóque quinquageſimo illius ſæculi natus, vt annotabam n. 6. Comitatum ex teſtamento nunc recitato heres accepit. Hic ſub ipſa principatus initia, Hoſpitalarios non tantùm omni Manuaſcæ dominatione prohibuit, hæreditario, vt ante ipſum fratres, jure ſubnixus, ſed variis etiam grauibúſque damnis immerentes affecit, vt ipſemet fatetur in tabulis anno octogeſimo ſcriptis. *Multa & varia damna*, inquit, *venerabili & ſanctæ domui pauperum Hoſpitalis Ieroſolymitani, peccatis exigentibus, irrogaui.* Et poſtea: *grauiſſima damna, & injurias domui Hoſpitalis, in caſtro de Manuaſca, & aliis pluribus locis mei Comitatus me*
20 *confiteor & recognoſco irrogaſſe.* Quæ ea damna fuerint non adjungit, & in aliis tabulis non lego: neque igitur poſſum recenſere. Abs dubio Hoſpitalarij, & Manuaſcæ caſtri, ac Totarum auratum, atque aliorum caſtrorum ex Bernardi teſtamento hæredes ſe ferebant, & Guilelmum vehementer aduerſantem ſenſerunt, illis etiam depulſi prædiis, quæ Manuaſcæ ad S. Petri, & in aliis Comitatus Forcalquerienſis partibus, quietè hactenus poſſederant. Annos ſupra decem ira durauit regulo: demum fractus Henrici Albanenſis Epiſcopi precibus, deſcendit ad leniora conſilia, & Hoſpitalariis jam bonus, & alia, & Manuaſcam, pro Guigonis patri teſtamento, re tamen ad conuentiones cum Guilelmo fratrum primo per Archiepiſcopum Ebredunenſem quondam inductas expensâ, conceſſit Aquis Sextiis. *Donationem, quam in teſtamento patruus meus Guigo de caſtro Manuaſcæ, & ejuſdem Burgo, & caſtro de Totis auris, eorúmque territoriis, adjacentiis, & pertinentiis fecit, ſecundum quod in inſtrumento autentico compoſitionis VV. de Beneuento, quondam Ebredunenſis Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis legati, continetur, &c. concedo, laudo, & confirmo.*
21 Henricus à Pontifice Legatum *in partibus Prouinciarum*, vt adjungit Guilelmus, agebat. Hoc placuit aduertere, vt intelligas non vnam illis temporibus Prouinciam, ſed multiplicem fuiſſe; & præter Prouinciæ Comitatum, Druentiâ, Rhodano, Alpibus, Matíque mediterraneo comprehenſæ à Friderico Imperatore, cùm eam dabat in feudum Raimundo Berengario, alias fuiſſe Prouincias. Ex eo duas lego, quo Boſo ſecundus vniuerſam in Guilelmum & Rothboldum filios partitus, alterâ quæ Prouinciæ nomen ſeruabat primo filiorum datâ, alteram nomine Comitatus Forcalquerienſis appellatam conceſſit ſecundo. Iſta diuiſione factâ Rudolphus Alemannorum rex, dicitur in pluribus chartis Prouinciarum quoque rex. Tertiam Prouinciam inuenit Gilbertus poſt annos centum & quinquaginta, cùm id omne quod à Druentia ad Iſaram vſque regulo Forcalquerienſi non ſuberat, donauit Faidę filiæ Alphonſo Comiti Toloſano nuptæ, quem autor vitę S. Petri Tarentaſienſis Epiſcopi docet dominatum Gratianopolitanę regioni. Tertiam hanc trans Druentiam Marchionatum fere vocabant. Lego tamen Comitis Prouincię nomen, non rarò attributum Comiti Forcalquerienſi: ſcilicet ab illo trahebat hic originem, & Bertrandus Guigóque fratres, ab Adelaide
22 matre jus neſcio quod in Prouincię Comitatum repetebant. Sed vt ad Guilelmum juniorem reuertar, is cùm Manuaſcam omnem ex Guigonis patrui teſtamento, ad capita conuentionum per Archiepiſcopum Ebredunenſem latarum exacto, tradidit Hoſpitalariis, non tamen dum viueret habendam

conceſſit:

Digitized by Google

conceſſit: ſeruiauit omnem ſibi per vitam, vt intelligitur & ex aliis chartis, ex ea quâ rurſum vniuerſam largitus eſt anno milleſimo ducenteſimo ſexto, cùm *propriam* quoque *domum, ſcilicet palatium de Manuaſca*, quod foſsâ, loricâ, multáque turri munitum, ſibi regiâ magnificentiâ exædificauerat, addidit muneri, appendicem ſplendidam. Quam donationem, vt omnino certa eſſet, nullóque ex capite vllis vnquam temporibus vacillaret, altero pòſt anno non ſine ſacramento repetiit, & Manuaſcenſes omnium ordinum ciues ad Hoſpitalariorum, ipſo mortuo, clientelam adegit. Quia res & illuſtris exempli eſt, & Manuaſcam ſanctiſſimo fortiſſimorum Equitum Ordini vniuerſam aliquando aſſeruit, neque nihil facit ad cognitionem gentium, quæ tum amœnam per plures pagos, caſtráque, & burga vallem habebant, non fortaſſis nullum operæ fuerit pretium tabulas, quibus omnis continetur, exſcribere.

In apicibus literarum memoria commendatur, ne res geſta obliuioni tradatur. 23
Præſentibus igitur & futuris hoc præſenti ſcripto cunctis notificetur, quòd anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo octauo, indictione vndecima, pridie nonas Februarij, dominus Comes Vvilelmus filius domini Comitis Bertrandi, & dominæ Comitiſſæ Iauſſerandæ, in palatio ſuo Manuaſcæ, in camera ſubtus capellam, in ſuo ſcilicet ſedens lecto ante fornellum, nobiles viros ſuos, caſtellanos ſcilicet, & milites, ac filios militum terræ ſuæ, burgenſes & proceres, totumque pòpulum ſuum de Manuaſca, tam diuites, quàm pauperes, tam iuuenes quàm ſenes, nomina quorum omnium inferiùs ſcripta ſunt, cum pietatis affectu, atque pia cum diligentia, cum religioſa mente, ad ſe in conſpectu ſuo venire juſſit, atque curauit. Quibus omnibus in conſpectu ſuo aſſiſtentibus confeſſus fuit, & recognouit donationem auunculi ſui Guigonis, & eam ſpecialiter confirmauit, & proprium corpus ſuum ſepulturæ deſtinando, & deſtinationem ſeu votum ſuum ſacramento confirmando, dono in domum Hoſpitalis, donatione inter viuos, contulit in hunc modum.

Ego Vvilelmus Dei gratia Comes Forcalquerij, filius domini Bertrandi, & D. 24
Comitiſſæ Iauſſerandæ, & pietatis intuitu, & in redemptione peccatorum meorum, & parentum meorum, & in compenſatione damni domui, & fratribus Hoſpitalis, à me illati, dono, & jure perpetuo donationis inter viuos trado in perpetuum, ſine omni retenemento Domino Deo & fratribus Hoſpitalis Ieroſolymitani præſentibus & futuris, necnon tibi Petro de Falcone ejuſdem Hoſpitalis Priori, propriam domum meam, ſcilicet palatium de Manuaſca, cum omnibus pertinentiis ſuis, quod meis ſumptibus ædificaui. Et præterea quidquid quòcunque jure ad me pertinet, vel quocunque modo pertinuit in Burgo, & Caſtro de Manuaſca, & eorum pertinentiis, & in Totas auras, intus, & extrà, cum terris cultis & incultis, pratis, nemoribus, aquis, aquarúmque decurſibus, & cum hominibus & feminabus, & cum juſtitiis, firmantiis, & juriſdictione, & explechiis, ſicut meliùs generaliter, & ſpecialiter poſſet nominari, ſicut ego vel aliquis de genere meo, per alium vnquam meliùs vel pleniùs habuimus vel poſſedimus vel habere & poſſidere juſſimus, vbicunque in omnibus ſupraſcriptis territoriis, ſeu quolibet eorum, hoc eſt vſque ad territorium Petræ viridis, & vſque ad territorium Montiſfuronis, & vſque ad territorium S. Martini, & vſque ad territorium Dalphini, & vſque ad territorium de Vols, & vſque ad flumen Durentiæ, quæ vtique omnia in eâdem donatione in formam ſupraſcriptam concludo. Et profiteor in veri- 25

tate & recognosco, me eamdem dudum domui Hospitalis & fratribus celebrasse donationem, & à tempore prædictæ donationis, omnia prædicta pro domo Hospitalis & fratribus possedisse, & modò in præsenti totum prædictum palatium, & Burgum, & Castrum de Manuasca, & Totas auras, & si quid meo nomine in prædictis locis, vel infra prædicta loca possideo, nomine domus Hospitalis, & fratrum ibidem Deo seruientium, præsentium, & futurorum, me constituo possidere tantumdem vixáro; & exinde fratres Hospitalis sui autoritate, nullius requisito consilio, nec alicuius expectatâ voluntate, omnium prædictorum possessionem absque contradi-
26 ctione valeant occupare, vt propriam habere, ad omnes voluntates suas inde plenariè faciendas. Præterea corpus meum vouens & offerens pro sepultura in cœmeterio domus Hospitalis, profiteor, & in veritate recognosco Guigonem auunculum meum bonæ memoriæ, prædictorum locorum omnium domui Hospitalis, & fratribus, præsentibus videlicet & futuris, fecisse donationem, quam specialiter bona fide, & sine omni dolo laudo, & in perpetuum confirmo. Omnia itaque & singula, sicut superiùs scripta sunt, me perpetuò bona fide seruaturum per me successoresque meos; nec aliquo iure scripto, vel non scripto, vel ratione contrauenturum, per stipulationem promitto, & meos inde deuestio, & domum siue domos Hospitalis, &
27 fratres, præsentes scilicet & futuros, inde inuestio. Et vt prædicta donatio, & omnia suprascripta, post obitum meum, maiori & perpetua gaudeant firmitate, barones, & proceres meos, & homines de Manuasca, quorum nomina infrascripta sunt, per sacramentum fidelitatis & hominij, quo mihi tenentur adstricti, commoneo, eosque de nouo iurare præcipio, vt prædictam donationom deuotè factam pro posse suo seruent, & seruari procurent. Et si quis in posterum, contra dictam munificentiam, aliquando venire tentaret, contra illum, vel illos, pro posse suo domui Hospitalis auxilium, & consilium impendatur, & ab omni violentia defendatur; ac ipsis Hospitalariis homines de Manuasca, in omnibus, & per omnia tanquam veris dominis, obedientes existant, & de prædictis (si necessitas exigeret, testimonium ferant..... donationi specialiter addico, scilicet vt iure præfato donationis habeant in perpetuum, omnes hæreditates seu possessiones, vel honores, qui fuerint militum vel hominum de Manuasca, quas pro malitia, seu perfidia, vel proditione, quam contra me commiserunt, iure confiscationis occupaui, ita vt nullius eorum aliquo tempore suas valeat possessiones recuperare, nisi ad recognitionem domini Prioris pro tempore in Prioratu Hospitalis residentis, à crimine tantæ
28 perfidiæ sese purgauerint. Ad maiorem verò suprascriptorum omnium firmitatem atque cautelam, hanc cartam plublicari volo Domino Papæ, & Domino Imperatori, & in eorum notitiam quidquid in ea continetur deduci, & ad perpetuam rei memoriam, & indubitabilem fidem, eorum sigillis præsentem paginam precor communiri. Ad hæc nos barones, & proceres, & homines infrascripti, piæ Domini Comitis donationi gratum præbentes assensum, bona fide promittimus, & tactis sacrosanctis euangeliis iuramus, quòd omnia prædicta, & singula, pro posse nostro damui, & fratribus Hospitalis, præsentibus & futuris, defendemus, & contra omnes homines ad tuitionem prædictæ donationis, auxilium, & consilium ipsi præstabimus. Et nos homines de Manuasca ipsis post obitum Domini Comitis tanquam dominis obediemus. Illi itaque qui iurauere sunt hi.

29 VV. de Sabrano. Raibaudus Osasicca, & Raimundus frater eius. Bertrandus Villamuro. Guigo Roze. Isnardus de Dalfino. Bertrandus de S. Maximo, & Laugerius frater eius. Petrus Ferulfus. Durandus Basili. Tibanus Guigo. Barba Toste.

Hugo

Digitized by Google

Hugo de Manuaſca. Arbretus Maij. Guilelmus de Cucurono. Guibertus de Railana, & Lambertus frater eius. Hugo de monte Iuſtino. Petrus Nigrellus. Bertrandus Sauini, & Laugerius frater eius. Guilelmus Cornuti. Guilelmus de Forcalquerio. Raimundus Riperti. Roſtagnus Roſe. Guilelmus de Villamuro. Guilelmus Petri de Manuaſca. Bonus Tes. Bertrandus Felici. Guilelmus Vetula. Bertrandus de Sauone. Guilelmus Garini P. Petri. Guilelmus Rainaudi. Iſnardus Rainaudi. Petrus Roſtagni. Giraudus Ebrardi. Guilelmus Simon. Bernardus Meuli. Petrus Nigri. Guilelmus de Taradello. Stephanus Morderij. Guelelmus de Croſo. Paran. Pontius Rainaudi. Petrus Gaudi. Ioannes Capuci. Matheus. Petrus Bona filius eius. Petrus Bone. Rainaudus de Bariolo. Roſtagnus S. Petri. Bernardus Caſari ..... Boiardi. Guilelmus No..... Guilelmus Macellarius. Guirinus. Petrus Racemi. Bernardinus Odo. Guilel. Moëſg. Petrus Coſerius. VV. Migro. Iſnardus Enſendius. Petrus Blanc. Buerius Ruffus. Nendis Corderour. Raimundus Seſtaronus. Guilelmus Bergopnoni. Guilelmus Faber. Bernardus ..... Petrus Niger. Trotinus. Ioannes Boneme. Bertrandus Furni. Giraudus Mantelli. Iacobus Malpel. Petrus Rireme. G. Martini. Bertrandus de Arelate. Guilelmus Nicolaui. Redon. Giraudus Buerius. Bertrandus Macellarius. Guigo Arguerius. Guilelmus Aurici. Petrus Gallina. Petrus Radeyrus. Fulquerius. Petrus Andreas. Guilelmus Benedictus. Guilelmus Marelli. Arnaudus Aygrene. Ioannes Deſcalane. Petrus Raſcacius. Albertus de Villamuro. Adam. Guilelmus Ioannis. Guilelmus Vincentij. Tedanus. Guilelmus de Lemio. Iacobus de Primeriis. Guilelmus Feutrerij. Petrus Barretti. Martinus Troterij. Michaël Ginardi. VV. de opere. Ioannes de Nonay Stephanus Recobie. Ioannes Laya. Iacobas Breti. Stephanus Roſalpayrus. Petrus Stephanus. Bertolomeus Monacus. Bonetus Vfre. Guilelmus Garembge Totas auras. Rogerius. Guilelmus Blanc. Petrus Bernardus. Menetus Coſte. Andreas Panuini. Pontius Sartor. Giraudus Sartor. Petrus Sutor. Raimundus Durandi. Ioannes Ricardi. Mauranet. Stephanus Sartor. Guilelmus Rainaudi. Vv. Ruffi. Vv. Roreni. Petrus Autrici. Petrus Adam. Geraudus de Valanſolia. Petrus Monachus. Petrus Brauidacius. Maurannus Roſt ..... Barbegerius. Petrus Bone. Michaël Arnulphi. Bernardus Galiguerrans. Vincentius Sagnator. Ioannes Brunelli. Rodulphus de Voluey. Raimundus Babarot. Bertrandus Coroſſonus. Buyerius. Bertrandus de Malafogacia. Petrus Roterelli. Michaël Totabonga. Petrus Robaudi. Hugo Bernardi. Ioannes Garini. P. Fremini. Ioannes Menerij. Guilelmus Bonus. Bernardus de Reclus. Columbus Pipeti. Hugo Martini. Pontius Gebelini. Guilelmus Robaudi. Roma Sentroneti. Geraudus Fugonis. Bertrandus de Falco. Guilelmus Gaſc. Guilelmus Furgonis. Germanus Audibertus de Valenſolia. Guil. Bibenſaquam murator. Ioannes Faber. Iacobus Burgarelli. Guilelmus Imberti. Raimundus Rainaudi. Imbertus Faber. P. Babareti. Guilelmus Felicij. P. Niger. P. Gontardus. Guilelm. Bibenſaquam. Blegerius Pontius. Menonus Aymus. Caputi. Guigo Caputi. Petrus Oliue. Guilelmus Carembge. Petrus de Curello. Petrus Seg-tra. Raimundus Moneti. Petrus Remuſati. Bernardus Faber. Simon Raimundus. Benonus. Martinus. Garini. Raimundus Rutrerius. Roſtagnus Hoſpitalarius. Bertrandus Teſta. Guilelmus Recobraire. Petrus Remardi. Guilelmus Raimundus. Giraudus Faideti. Guilelmus Gaufridi. Guilelmus Guido. Iſoardus Coſinus. Martinus Corderij. Bernardus Ioannis. Frumen. Martinus. Florenti. Raimundus Arnaudus. Iſnardus Roſtag. Petrus Reuelli. Petrus Robaudi.

Giraudus

Giraudus Gerini. Ioannes Menerij. Guilelmus Bonus. Bernardus. Guilelmus Rainaudi. Bernardus Iacobus. Raimundus Gœnandani. P. Bueyſerius. P. Alnemacij. Pontius Cabrerij. Petrus Berblegerij. Guilelmus Bonduni. Gaufridus Ranulfi. Petrus Bon. Raimundus Aſtorgo. Petrus de Muza.

Petrus notarius, ſupradicti Comitis mandato, hanc huius piæ donationis chartam dictauit, & propriis manibus conſcripſit.

Guilelmo mortuo, Hoſpitalarij Manuaſcam omnem domini tenuerunt,
30 ſi Montacutium pagum demas. Neque Raimundus Berengarius Prouinciæ Regulus, per Garſendam ex vnica filia, quæ etiam Garſendis appellabatur, pronepos quidquam turbauit: Atque Carolus, Beatricis quam Raimundus genuerat, coniux, cùm poſt plures annos intercеſſiſſet dominantibus, milleſimo tamen ducenteſimo ſexageſimo ſecundo non iniquis conditionibus firmauit illorum dynaſtiam. Ex eo, poſt centum & tredecim à Guigonis donatione annos, ad hæc vſque tempora, Hoſpitalarij Manuaſcam omnino quieti poſſident. Tanti erat dominari amœniſſimæ valli, quam villa vna, caſtra duo, treſque pagi nobilitabant, & caſtris pagiſque euerſis vrbs perinſignis, ampliatis Villæ muris, nunc facit illuſtrem. An illis caſtris, pagiſque ſingulis, ante Guigonem Comitem, ſinguli domini fuerint, vehementer addubito. Fuiſſe ſuum Montacuto dominum hinc intelligis,
31 quod Hoſpitalariis non ſubeſt. Petrus Calueto anno ſexto ſupra milleſimum ducenteſimum dominabatur Caſtro Manuaſcæ *in parte*, vt tradit Guilelmus iunior Regulus Forcalquerij. Sanuictorinus B. Mariæ Prior imperitabat Villæ Manuaſcæ, *à portali ſuperiore*, Sobeiranum vulgus dicit, *vſque ad furnum ſuperiorem, & vſque ad eccleſiam S. Ioannis, & à domibus Robertorum & Renaudorum, vſque ad domum quæ fuit Odonis. Et ex alia parte à domibus Imberti Roberti, vſque ad eccleſiam B. Mariæ*, vt habent tabulæ conuentionum illius cum Hoſpitalariis anno milleſimo ducenteſimo decimoſexto. Hugonem de Manuaſca, & Bertrandum de S. Maximo vidimus probaſſe donationem Manuaſcæ Hoſpitalariis, à Guilelmo iuniore. An id nominis ferebant, quòd maiores dominati fuerant Villæ Manuaſcæ & Fano Maximi? Certè Villamuriis, Dalfiniis, Cucuroniis, Moniuſtiniis toparchis immixti ſacramentum dixerunt. Vtcunque hoc habeat, Sanmarianus Prior ſuam Villæ partem vendidit Hoſpitalariis autore Carolo Regulo Beatricis coniuge. Quid Caluetonis toparchia factum ſit, nemo dicat in magno chartarum omnium ſilentio. Manuaſcæ Villa fertur (ſine certo autore rumor eſt) eam, cum ſine hærede fuiſſet mortuus, adepta ex priuilegiis, quæ vocant à Guilelmo iuniore conceſſis. Lego Abbati Luræ, Laincelliis, ex Berengaria Sauina Cruciis, & per hos Aureſoniis Marchionibus, Aimericis quorum Ioannes Manuaſcam ſuarum omnium rerum filio vnico ſubrogauit hæredem, Panneriis, atque aliis ciuibus non paucis, fuiſſe quondam Manuaſcæ ſuos à poſſeſſionibus clientes: ſed directi, vt loquuntur, dominij hoc iuris eſt, non illius quod nunc dicimus, & vni toparchæ competit.

Ipſis dynaſtiæ initiis, Hoſpitalarij, & alia de Manuaſcenſibus queſti ſunt,
32 & duo maximè, grauium & longarum ſeminarium litium. Alterum eſt, quòd de ſuis vtros, publico ciuitatis concilio probatos, iudici ab ipſis conſtituto adiungebant, ad ſententiam de reis ferendam. Hoc interpretabantur

non

conſtituto adiungebant; ad ſententiam de reis ferendam. Hoc interpretabantur non ſine ſua fieri iniuria, ad quos vnos, vt cetera dynaſtarum, pertineret cauſas capitales per iudicem congnoſcere. Id vt graue putarent, minùs tamen dolebant: alterum & prorſus inſolens, neque ferendum videbatur; Conſules, eoſque duodecim, ſibi annuatum imponere, maximè cùm id ſibi aſſumerent, vt dynaſtam, & ab ipſo iudicem, ſi peccaſſent, arguerent. Et profectò capita hæc duo, & per ſe illuſtria ſunt; & vt quæ afferunt taceam commoda, faciunt vt Manuaſcenſes ſuis dominis autoritate ſuppares, non multùm ab illis diſtent. Ea, & alia, in magnos vſus acceperunt à Guilelmo iuniore Rugulo Forcalquerij. Priuilegiis quæ Manuaſcenſes vulgò appellant continentur. Sunt tabulæ duæ. Prioribus prærogatiuas aliquot tribuit ciuitatibus Villæ ſeu Burgi Manuaſcæ: poſterioribus eas ipſas & multùm auget, & ad incolas Caſtri extendit. Et his, & illis Manuaſcenſes meritò gloriantur, & exultanter ſe circumſpiciunt. Eæ Principibus ſeu Comitibus ſeu Regibus, ad noſtra vſque tempora, per annos quadringentos & quinquaginta probatæ, perpetuoque vſu firmatæ, non plurimas tantùm & perutiles, ſed nobiles & honoratas opportunitates ad ceterorum Prouinciæ incolarum inuidiam ipſis afferunt. Locus omnino poſtulat, vt ipſas recitem. Priores accipe.

In apicibus literarum memoria commendatur, ne res geſta penitus obliuioni tradatur. Præſentibus igitur, & futuris hoc præſenti ſcripto cunctis notificetur, quòd ego Guilelmus Dei gratia Comes Forcalquery, filius domini Comitis Bertrandi, & dominæ Comitiſſæ Iauſerandæ, non ad monitionem, non ad preces alicuius, ſed meâ ac ſpontaneâ, & propriâ bona voluntate meâ, & puro animo, & pro bono & legali ſeruitio, & naturali fidelitate, quam ſemper in vos, naturales homines meos & fideles, Burgi de Manuaſca inueni à tempore, quo ego regnare cœpi, vobis omnibus communiter, paruis & magnis, diuitibus & pauperibus, tam præſentibus quàm futuris, remitto, laxo, & deſemparo, & guirpio omnia mala vſatica, & omnia mala alleuamenta, omneſque malas & prauas conſuetudines, quas ego, aut villici mei, meo conſilio aut voluntate, vel ſine mea voluntate & conſilio, à die & tempore, ex quo ego terram meam, & Forcalquerij Comitatum meum regere & gubernare cœpi, in iam dicto Burgo de Manuaſca alleuaueram & ſtatueram. 33

Et dono vobis, & concedo, atque confirmo per totum Comitatum meum, tam per terram, quàm per aquam, omnibus vniuerſaliter hominibus, qui nunc habitant, vel in antea habitabunt in Burgo de Manuaſca, omnia pedagia mea, & vſatica; vt ipſi nec mihi, nec baiulis meis, nec aliquibus, qui meo nomine, vel pro me, vel nomine villicorum meorum, vel pro eis in aliquo loco totius terræ meæ, vel Comitatus mei, infra villas, vel extra ciuitates, vel extra caſtra, vel intra, præſtare de cetero teneantur: ſed liberè & ſine vllo grauaminis impedimento, hâc illac, hîc & vbique, cum omnibus rebus ſuis quas modò habent, & in futuro habebunt, ſemper ire & redire valeant. 34

Volo etiam, dono, & confirmo, & à me ſtatuiſſe cunctis notificetur, quòd ſi aliquis præoccupatus fuerit in aliquod delicto vel malefacto, pro quo in curia appelletur, cum conſilio proborum hominum de iam dicto Burgo de Manuaſca, iuſtè & legaliter iuſtificetur. 35

36 *Hoc ſimiliter volumus ineſſe ſtatutum & compoſitum, & à nobis confirmatum, quòd ſi aliquis veſtrum alicui in Burgo de Manuaſca poſſeſſiones & res ſuas pignori obligauerit, antequam veniat triceſimum annus, redimendi habeat poteſtatem. Et ſi fortè in aliquo caſu, vel aliquo modo, iam dictum pignus, vel dicta pignora non redimeret infra hos ſupraſcriptos triginta annos, pro hac facta à nobis inſtitutione, & compoſitione, & confirmatione, quaſi de iure valeat ſe defendere qui poſſederit pignora, & ab illo tempore in antea, non teneatur alicui de pignore, vel de pignoribus reſpondere, ſed ſicut propriam rem ſuam habeat, & in æternum poſſideat.*

37 *Si quis honorem ſuum, & hæreditatem, alteri vendere voluerit, vicinus, vel extraneus, licentiam habeat, exceptis eccleſiis, & domibus religioſis, ſaluo tamen iure domini, ſcilicet vt dominus habeat à venditore tredecim denarios pro laudamento, & cenſum, ſicut poſitum erat antea in honore vel hæreditate, de impignorandis honoribus & hæreditatibus quibuſlibet, exceptis eccleſiis, & domibus religioſis, ſaluo iure domini, bene facere poſſint. Si autem aliqui vel aliquæ, ſani vel ſanæ, in infirmitate poſiti, vel poſitæ, voluerint condere teſtamentem, poſſint pecuniam, & res ſuas mobiles relinquere eccleſiæ, vel cuicumque voluerint, modo tamen legitimo pro liberis obſeruato.*

38 *Item ſi qui res ſuas immobiles eccleſiæ relinquere voluerint, hoc facere poſſint, ſaluo iure domini pro quo poſſident, ſi poſſeſſione illa aliquid præbeant cenſuale. Si verò poſſeſſionem aliquam liberam habeant, & pro qua domino cenſum aliquem non præbeant, poſſint de illa poſſeſſione vel hæreditate, provt eis placuerit, eccleſiis, vel domibus religioſis relinquere.*

39 *Si fortè maritus obierit ſine teſtamento, & ſine hærede, habeat vxor res mariti, & poſſideat, dum vixerit ſine marito: vel ſi vxorem præmori contigerit ſine hærede, & ſine teſtamento, habeat & poſſideat maritus res mulieris, ſimiliter dum vixerit ſine vxore. Et quando tamen ille vxorem duxerit, aut illa marito nupſerit, res & poſſeſſiones defuncti, vel defunctæ, in voluntate, & arbitrio probarum hominum Burgi de Manuaſca valeant remanere.*

40 *Si aliquis etiam ſine vxòre, vel aliqua ſine marito, ab inteſtato deceſſerit, ille qui proximus fuerit vſque in quarto conſanguinitatis gradu, habeat res ſuas ſimiliter, & poſſideat. Si tamen propinquo careat, iam dictæ res ſuæ & poſſeſſiones ſint in arbitrio, & voluntate proborum hominum de Manuaſca.*

41 *Si tamen aliquis extraneus, vel extranea obierit in Burgo de Manuaſca, & non habuerit ibi proximum, res illius defuncti vel defunctæ, ſi quas habuerit, teneantur fideliter, & cuſtodiantur, niſi hoc, quod pro anima ſua reliquerit, per circulum anni & vnius menſis, quod fortè aliquis defuncti proximus veniet cui reddantur. Si verò in annum vnum & menſem aliquis non veniat propinquus, proceres poſtea ſupradicti Burgi de Manuaſca, de iam dictis defuncti rebus facient voluntatem ſuam.*

42 *Si autem commendæ factæ fuerint, cuilibet de Burgo de Manuaſca, ab extraneo qui non ſit de Burgo, & guerræ exortæ fuerint inter dominium extranei, & dominum Burgi, commendatæ illæ ſaluæ ſint extraneo.*

43 *Hanc prædictam libertatem, donationem, conceſſionem, remiſſionem, & finem omnium pedagiorum meorum, & vſaticorum meorum, & has iam dictas inſtitutiones & conſuetudines bonas, facio ego iam dictus Guilelmus Dei gratia Comes Forcalquerij, & conſtituo pro me, & omnibus ſucceſſoribus meis, vel & omnibus ſucceſſoribus*

Digitized by Google

ceſſoribus veſtris, præſentibus ſcilicet & futuris in perpetuum, ita quòd liberè, abſolutè, ſine aliquo vitio, ſiue ingenio iuſtè habere, & in æternum de dono meo poſſidere valeatis. Et ſi quis contra hanc donationem & libertatem, conſuetudines, & inſtitutiones frangendo venire præſumpſerit, iram Dei, & ſuam incurrat maledictionem.

Et nos itaque communiter omnes homines Burgi de Manuaſca, præſentes & futuri, diuites & pauperes, & parui & magni, vobis venerabili, & naturali domino noſtro, Guilelmo Dei gratia Comiti Forcalquerij, poſt Deum grates multiplices referimus, de tanta libertate, & tanto bono, & honore, atque donatione, de tam bonis inſtitutionibus ac conſuetudinibus, quas nobis facere, donare, componere, ſtatuere dignati eſtis. Vnde ad dies vitæ veſtræ, & noſtræ, in illa fide firma, & naturali fidelitate, in qua nos ſemper inueniſtis, perſeuerabimus, & in maiori, ſi poſſumus, vel ſcimus, & illi ſucceſſori veſtro, cui nos dare & relinquere vobis placuerit, promittimus, & tenemur fideles exiſtere in omni firma fide, & naturali fidelitate, fideliterque facere, & incorruptè obſeruare illa ſeruitia, & antiqua vſatica, quæ inter veſtros & noſtros fuerint olim compoſita, & ſtatuta prædeceſſores. Actum eſt hoc apud Manuaſcam in palatio, & in camera ſubtus capellam, & in præſentia multorum procerum circumſtantium, nonis Februarij, ſub Dominicæ incarnationis anno milleſimo ducenteſimo ſexto, indictione nona. P. curiæ domini Comitis notarius propria manu ſcripſit, & dictauit. Sed ad maiorem huius ſcripturæ confirmationem dominus ſupradictus Comes, eiuſdem P. Notary ſui hanc cartam cum hoc ſigillo plumbeo præſenti corroborando ſigillari præcepit ipſi Petri. 44

Hactenus priores tabulæ. Alia in iis aduertent alij. Ego animum intendebam in tria. Portorium omne, tam viarium, quàm aquarium, toto Forcalquerienſi Comitatu Guilelmus remittit Manuaſcenſibus. Hoc primum eſto. Alterum ſit velle eumdem, vt criminis reus ſine *proborum hominum conſiliis* damnari à iudice nequeat. Tertium denique eſt, Manuaſcam ab illo ipſo conſtitui eorum ciuium ex aſſe hæredem, qui ſine omni pet leges, ac teſtamentum, hærede mortuus fuerit. In iſta capita ego quidem animum defigo, quia ipſorum conſtitutio ea eſt, vt à Summo Principe vno pendeat: ab illo, qui ſub Regulo fuerit Maunaſcæ dominus, nequeat proficiſci. Nam ſi illorum vſus ſpectare præterea velis, inueniés maximarum in omnem partem opportunitatum pleniſſima. Suas omnes Manuaſcenſibus merces relinquit Guilelmus integras, cùm eximit portoriis; etiam eorum opes, ſine alicuius iniuria, cùm hæredes conſtituit, quibus à teſtamento, aut lege nullus eſt. Demum eripit illos dynaſtæ (ſi quæ in tanta ingeniorem varietate aliquando fuerit) libidini, cùm iudicis ab eo pro nutu conſtituti, improbitatem conſiliis *proborum hominum* temperat. Neque patuum puta illud de omni portorio munus Forcalquerij Comitatus latiſſimè tum patebat. Guilelmus à Bertrando fratre ipſum accepit ex teſtamento: Bertrandus verò Siſtaricum in illius medio reponit, docetque conſtitiſſe duabus partibus, altera quidem *à Siſtarico verſus Alpes*, altera verò *à Siſtarico vſque ad Rhodanum*. Prior illa pars ea eſt, quæ Beatrici ex Garſende vnica filia nepti, â Guilelmo iuniore attributa eſt, cùm Andreæ Delphino nubebat, & Vapincenſi ac Ebredunenſi regionibus continetur. Vt Comitatus Forcalquerienſis id terrarum omne complecteretur, quod cis Druentiam per Auenionenſes (exceptâ aliquâ Auenionis vrbis parte) Aptenſes, Siſtaricenſes, Aquenſes 45 46

Vapincēſes,ac demū Ebredunēſes Diœceſes,longè latéque ducitur.Quæ igitur per ampliſſimas horum populorum regiones ſunt portoria, illis omni-
47 bus Manuaſcenſes eximit optimus Princeps. Erant ea tum (nam quid ad noſtrorum temporum res deſcendam ?) omnino quinque in illa parte Comitatus, quæ à Siſtarico ad Rhodanum pertinet, vt intelligitur ex eorum virorum edicto, quos anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio,Beatrix Guilelmi iunioris abneptis (auiæ ſoror partem, quæ *à Siſtarico verſus Alpes* fertur, adiunxerat Delphinatui) dedit iudices. ij fuere Humbertus Siſtaricenſis Epiſcopus, Falco de Podio, Richardus, Gaufridus de Taraſcone, Artaudus dominus de Veneliş, Robertus de Leueno. *Dicimus*, inquiunt, *& pronuntiamus pedagia Pertuſij, & Libreilanæ, & Petroſij, & Podij pini, & Sezariſtæ iuſta & antiqua eſſe*. Locum iudicio fecerat, quòd ante Guilelmi iunioris mortem *in Siſtarico, & Manuaſca antiquitùs pedagium capiebatur*, & poſt ipſius mortem plurima alia ad ingens populi detrimentum, inſcio Principe, inuenta fuerant. Igitur damnauere portoria Caſtrinoui,Sandonati, Volſij, Relaniæ, Sanmartini Caroloci, Petrauiridis, Santulliæ, Sanmargaritæ, Turris, Baſtidæ Iordanorum, Vitrolæ, Sanmartini de Braſca, Balmetæ, Sanuincentij. Sic autem edixerunt *Saluis libertatibus, quas dicunt ſe habere homines Forcalquerij, & Manuaſcæ, & Bellimontis, & Montis Iuſtini, ex conceſſione Comitum aliàs facta*. Iudicium inſtitutum eſt *citatis omnibus quos res tangit, & ſpecialiter dominâ Mabiliâ Comitiſſâ Forcalquerij, & D. Caſtrinoui, & dominæ Roſcia dominæ Aptæ, & S. Donati, & Domino Bertrando de Simiana, & domino Gaucherio domino Sezariſtæ, & domino Raimundo de Medullione, & domino Raimundo Raynouo domino de Turri, & domino Guilelmo de Pertuſio, & domino Iuſtacio domino Podij pini, & dominis de Vols, & dominis de Baſtida, & dominis de Balmeta, & dominis de Relania, & dominis Sancti Vincentij*. Sed iſta ſatis dicta ſint. Ad poſteriores Guilelmi iunioris Reguli tabulas veniamus.

48 *In apicibus literarum memoria commendatur, ne res geſta penitus oblivioni tradatur. Igitur præſentibus & futuris præſens publicum inſtrumentum viſuris, lecturis, & etiam audituris, cunctis notificetur, quòd anno milleſimo ducenteſimo ſexto, indictione nona, pridie idus Februarij, ego Guilelmus Dei gratib. Comes Forcalquerij, domini Comitis Bertrandi, & Comitiſſæ Iauſſerandæ filius, non ſeductus, non deceptus, non monitus, non errans in iure, nec in facto, ſed certificatus de iure meo, proprio nutu, puro corde, & ſano animo, per me & hæredes, & omnes ſucceſſores meos, & dominos ſiue rectores, qui pro tempore erunt, locorum meorum Burgi ſeu Villæ Manuaſcæ, & Caſtri Manuaſcæ, donatione purâ, ſpeciali, generali, perpetuâ, & irreuocabili inter viuos, dono, trado, cedo, concedo, & in perpetuum inſtituo, confirmo libertates, priuilegia, franqueſias, inſtitutiones, & ſtabilimenta infraſcripta omnibus, & ſingulis hominibus, naturalibus meis, dictorum locorum & cuiuſlibet eorum in ſolidum, præſentibus & futuris, pauperibus & diuitibus, paruis & magnis, natis & naſcituris, & qui nunc in dictis locis, vel eorum altero, vel in eorum territorio habitant, & pro tempore, ſeu futuris temporibus habitabunt, vt infrà ſequitur.*

49 *In primis in Dei nomine approbo, amologo, & in perpetuum confirmo dictis hominibus dicti Burgi, omnes & ſingulas libertates, franqueſias, priuilegia, donationes, & inſtitutiones, conſtitutiones & ſtabilimenta & conſuetudines, per me dictum*

Guilelmum

Digitized by Google

Guilelmum Comitem eis olim donatas, traditas, & conceſſas, contentas in quodam publico inſtrumento, ſcripto manu Petri notarij mei publici, ſub anno quo ſuprà, nonis Februarij.

Item quòd annis ſingulis, & in quolibet menſe, & in qualibet ſeptimana, & in quolibet die, omnes dictorum locorum & vtriuſque eorum, omnes ſimul, aut 50
tot quot voluerint totieſcunque & quotieſcunque, & vbicunque voluerint, ſe valeant, & poſſint inſimul congregare, & colloquium facere, & concilium facere, & habere, & omnia, & ſingula negotia, tam ad agendum, quàm defendendum, & ad omne quare faciendum & procurandum, liberè, & impunè, & licentiâ domini, baiuli, iudicis, & prætoris, non requiſita, & non obtenta.

Item & quòd ſexaginta homines de melioribus & ſapientioribus, quadraginta 51
de dicto Burgo, & viginti de dicto Caſtro, duodecim Conſules, octo de dicto Burgo, & quatuor de dicto Caſtro, quandocumque eis videbitur & placuerit, illi ſexaginta valeant & poſſint eligere, facere, ordinare dictos duodecim Conſules, qui habeant omnes, & eorum ſubſequentes, & quilibet in ſolidum, plenam, & liberam poteſtatem dominum ſiue rectorem, baiulum, & iudicem, qui pro tempore in dictis locis, vel eorum aliquo fuerint, de eorum malè geſtis arguere; & homines dictorum locorum, in bonis operibus, & conſuetudinibus, regere, & gubernare; & iura, actiones, libertates, conſuetudines, priuilegia dictorum locorum defendere, exigere, & recuperare, & contra quaſcumque perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares in iudicio ſtare, & litigare, & omnia alia, & ſingula, quæ ad iudicium, & in iudicio pertinent, facere, & dicere, tam in agendo, quàm in defendendo.

Item quòd annis ſingulis ſubſequentes illi duodecim Conſules, qui pro tempore 52
fuerint electi, de voluntate, conſilio, & conſenſu ſexaginta hominum dictorum locorum, vt prædictum eſt, alios duodecim Conſules, octo de dicte Burgo ſeu Villa Manuaſcæ, & quatuor de dicto Caſtro eligant, conſtituant, faciant, & ordinent, licentiâ domini, vt ſuprà non requiſitâ, nec expectatâ.

Item quòd quotieſcumque in dictis locis, vel eorum aliquo, per mortem, vel 53
aliter quoquomodo dominus ſiue rector, aut baiulus, ſeu iudex, aut notarius mutabitur, quilibet in principio ſui regiminis, ad requiſitionem duodecim Conſulum, vel eorum maioris partis qui pro tempore fuerint, infra decem dies ad requiſitionem eorum ſubſequentium, ſuper Sancta Dei Euangelia iurare debeant omnes & ſingulas libertates, franqueſias, conſuetudines, & ſtatuta dictorum locorum inuiolabiliter obſeruare debeant, & cuſtodire, & non contrà venire. Alioquin eum, & eos, dominum ſiue rectorem, & baiulum, & iudicem non eſſe valeant, & poſſint recuſari, quouſque præſtiterint, vt præmittitur, iuramentum.

Item & quòd baiuli, & iudices, & notarij curiæ, & nuntij ſint annuales: & 54
qui ſemel baiulus, aut iudex, aut notarius, aut nuntius curiæ fuerit, quouſque quinque anni ſubſequenter & continuè fuerint lapſi, in eodem officio non audeant remeare.

Item & quòd pro fiſcali pecunia non audeat fieri detentio perſonalis, ſi de ſol- 55
uendo infra quadraginta dies dare poterit cautionem.

Item & quòd ornamenta aratro partinentia, nec lecto pertinentia, nec animalia 56
ad agriculturam dedita, nec ornamenta perſonæ, ei pertinentia & neceſſaria, pro pignore capi non audeant aliqua ratione, niſi in defectu aliorum bonorum.

Item quòd valeant, & poſſint dictorum locorum Conſules, qui pro tempore fue- 57
rint, quomodocumque eis placuerit, nomine vniuerſitatum prædictarum, infra territo-

torium dictorum locorum, & intra dicta loca vbicunque voluerint, molendinum, & molendina, & paratoria ædificare, conſtruere, & facere, & in eis blada dictorum locorum, hominum, & aliorum tridere, & telas parare, & etiam clibanum, & clibana facere, & in eis coquere.

58 *Item quòd dominus ſiue rector, vel baiulus, vel iudex, nec eorum alter qui pro tempore in dictis locis fuerint, pœnam ſeu multam aliquam, nec bannum ſeu banna aliqua hominibus dictorum locorum vniuerſaliter audeant imponere, conſtituere, vel ordinare abſque voluntate, conſenſu, & conſilio Conſulum, & ſexaginta hominum prædictorum, vel maioris partis eorumdem: quod ſi fieri contigerit, nullum præiudicium eis valeat generari.*

59 *Item quòd milites, & eorum filij, & nepotes, nec eorum vxores, nec qui de genere, ſeu progenie, tam ex linea maſculina, quàm feminina Petri Caluetonis militis, & domini in parte dicti Caſtri fuerint deſcendentes, qui pro tempore in dictis locis fuerint, vel eorum altero habitantes, non adſtrigantur, nec teneantur ſoluere annis ſingulis mihi nec hæredibus aut ſucceſſoribus meis aliqua ratione banna, per eos, vel eorum liberos, vel per eorum animalia habita, vel habitura committitura, nec bladagium ſiue albergam, nec contalagium ſiue ciuatam, nec coſſias, ſiue medias coſſias de eorum bladis, & rebus quæ ad menſuram ſeſtarij venduntur, & menſurantur. Et nihilominus rectores menſurarum eis ſeſtarium, & alias bladi menſuras præſtare teneantur: alioquin cum eorum legali ſeſtario, & bladi menſura impune & liberè valeant menſurare.*

60 *Item quòd aduocati, & notarij publici, qui pro tempore in dictis locis, vel eorum aliquo, fuerint habitantes, & habitabunt, gaudeant in omnibus, vt milites, priuilegio antedicto.*

61 *Item & quòd homines omnes & ſinguli, præſentes & futuri, qui in dicto Caſtro habitant, & qui in futuris temporibus in eo habitabunt, & domicilium facient, omnibus & ſingulis libertatibus, priuilegiis, & franqueſiis, & donationibus in ſuprà deſignato inſtrumento contentis pariter gaudeant, cum hominibus dicti Burgi ſeu Villæ Manuaſcæ, vtilitatem ſimilem & profectum recipiant: quòd non adſtringantur aliqua ratione ad excubias faciendum, nec ad eundum ſine lumine de nocte per dictum Caſtrum. Et quòd liberè & impune ſingulis annis valeant & poſſint, quandocumque & quotieſcumque, in omni tempore, menſe, & ſeptimana, & die, quicunque voluerint extraneis & priuatis perſonis eorum, vinum, & vina vendere, & in minuto, & in groſſo, publicè, & ad tabernam.*

62 *Item quòd quotieſcum homines dicti Burgi per ſe, aut cum domino ſiue rectore, baiulo, vel iudice, qui pro tempore fuerint, voluerint aliquam, vel aliquas ordinationes ordinare, quòd teneantur dicti Caſtri Conſules, & alios decem homines vocare, requirere legitimè, & habere, & de eorum voluntate, conſilio, conſenſu ea facere & ordinare. Quòd ſi ſic factum non fuerit, aut quando Conſules, & decem homines dicti Caſtri non conſenſerint & per dictum Caſtrum præconizatum non fuerit, hominibus dicti Caſtri nullum præiudicium modo aliquo valeat generare.*

63 *Item quòd quotieſcumque talliam ſiue quiſtam, quacunque ratione vel cauſa, tam realem, quàm perſonalem, in dictis locis fieri, ſeu facere neceſſe fuerit, quòd vniuerſitates doctorum locorum, ſiue homines eorundem, eam, & eas ſimul debeant ordinare, & vtraque vniuerſitatum per ſe colligere. In hunc modum, quòd quicunque vſque ad quantitatem viginti ſolidorum in bonis non habuerit, pro quiſta nihil ſoluat.*

Digitized by Google

ſoluat. Et quicumque à viginti ſolidis vſque ad quantitatem viginti librarum in bonis habuerit, pro qualibet libra vnum denarium ſoluat. Et à viginti libris vſque ad centum libras, pro qualibet libra tres pictas ſoluat. Et ſi à quingentis libris vſque ad mille, vel plùs, in bonis habuerit, pro qualibet libra vnam pictam ſoluat. Et quòd quilibet ſuo ſacramento credatur, & ſtetur, & bona omnia ſua teneatur æſtimare.

Item quòd vniuerſitates prædictæ, nec homines earumdem, vel aliquis eorum, 64
libertatibus in præſenti inſtrumento contentis, nec libertatibus in ſuprà deſignato inſtrumento contentis, aliquá ratione, vel cauſa poſſint renuntiare. Et quòd antiqua poſſeſſio in contrarium obtenta, aut vetuſta ceſſatio de non vti libertatibus antedictis, aut earum aliqua, hominibus dictorum locorum, qui pro tempore fuerint, nullam præiudicium valeant generare. Nec præſcriptiones decem, viginti, triginta quadraginta, & centum, aut mille annorum, vel plùs, contra homines dictorum locorum vel aliquem eorum, aliquo iure valeant interuenire.

Et quicunque contra prædicta, in præſenti inſtrumento, aut in ſuprà deſignato 65
contenta, aut eorum aliqua venire præſumpſerit, aut contradixerit, aut obſeruare noluerit, aut contrà in aliquo ſe oppoſuerit, ira Dei omnipotentis veniat ſuper eum, & ſuper eos, & inſuper Nunc, prout ex tunc, & tunc prout ex nunc, iuriſdictioni, coërcitioni, atque punitioni, & condemnationi curiæ Forcalquerij, & eius iudicis qui pro tempore fuerit, ſubmitto, & remitto coërcendum, & coërcendos, puniendum, & puniendos, quemlibet, & qualibet vice, in decem millia denarios auri fini, dandos & ſoluendos, medietatem fiſco dictæ curiæ Forcalquerij, & aliam vniuerſitatibus antedictis, infra decem dies à die ſententiæ proximè ſubſequentes. Quam condemnationem ipſe iudex nullatenus valeat mitigare. Et vt de prædictis omnibus æterna memoria habeatur, volo fieri publicum inſtrumentum per te Ioannem Albi notarium publicum, bullâ plumbeâ meâ roboratum, & tot quot habere voluerint. Acta fuerunt hæc omnia iuxta palatium Manuaſcæ, in camera ſubtus capellam. Adhæc fuerunt teſtes vocati, & requiſiti, Petrus de Albagnano, & Guilelmus de Sabrano, de Rocha, milites; & Hugo Iauſſerandi, & Petrus Auenaſſi dicti Burgi Sacerdotes; & Guilelmus de Villamuris dominus in parte caſtri de Vols. Et ego Ioannes Albi autoritate imperiali, & autoritate dicti domini Comitis notarius publicus, qui ſupradictis omnibus interfui, ex mandato dicti domini Comitis hanc publicam chartam ſcripſi, & bullam plumbeam eiuſdem pendentem in alba corrigia apposui, & ſigno meo ſignaui.

Hæ poſteriores tabulæ plurima, eaque grauiſſima, capita ad priores 66
adiungunt. Publicam rem præcipuè conſtituunt. Imponunt Manuaſcæ & Caſtro, & Villæ Senatores, ſeu Conſiliarios ſexaginta, qui annuatim ſibi addant Conſules duodecim. Conſulibus verò id muneris eſſe volunt, vt *rectorem, baiulum, iudicem de malè geſtis arguant: ciues in bonis operibus, & conſuetudinibus regant & gubernent:* Manuaſcenſium *iura, conſuetudines, priuilegia defendant, exigant, recuperent in iudicio:* faciant vt *rector, baiulus, iudex, notarius iurent in libertates, franqueſias, conſuetudines, & ſtatuta eorumdem;* iurare fugientes prohibeant munere: baiulum, iudicem, notarium, nuntium anno concludunt. Demum concedunt omnes ſine prætore, baiulo, iudice, Con- 67
ſulum & Conſiliariorum conuentus. Cetera prætermitto. Ambarum tabularum omnia probauere Ioannes de Villaribus, Guilelmus, & Fulco de Villareto Hoſpitalariorum Magiſtri: & in ea ſanctè iurarunt, quotquot ipſorum

Digitized by Google

rum Præceptores, & adiere hactenus dynaſtiam Manuaſcæ. Tamen ante Ioannes quàm ipſis ſubſcriberet, grauibus longiſque contentionibus vehementer, & non ſine magna animorum acerbitate, actum eſt de Conſulum dignitate, & Proborum ciuium per priores tabulas in iudiciis capitalibus vi. Sed, vt ab hac incipiam, quotieſcumque peruenit ad iudices, & non ſemel ad illos delatam lego, toties edicto regiæ curiæ firmata eſt. Ac meritò. Nam quid magnum, aut inſolens, Manuaſcenſibus optimè de ſe meritis, conceſſit Guilelmus iunior Forcalquerij Regulus? *Volo*, inquit, *quòd ſi aliquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vel malefacto, pro quo in curia appelletur, cum conſilio Proborum hominum de Burgo de Manuaſca iuſtè, &*
68 *legaliter iuſtificetur.* Qui hoc à Principe conſtitutum miratur, næ ipſe non ineuidenter oſtendit, ignorate ſe iudiciorum ordinem, qui poſt euerſum à Francis, Burgundionibus,& aliis eiuſmodi gentibus, in Galliis Romanorum imperium, aut inductus eſt, aut cùm iam haberet vim ſuam diutiſſimè viguit, etiam poſt Caroli Magni tempora. Nam quid tum iudices ſine Probis ciuitatum, vrbium, oppidorum, pagorum hominibus tandem ſuſcipiebant? rem accipe ex veteribus iuris formulis ad Marculphum adiunctis. *Iudex vnà cùm Bonis hominibus* cognoſcebat de homicidio ex formula triceſima Veterum ſecundum legem Romanam, ſeu legem quæ ante iura à Francis inducta ſeruabatur à Gallis, quos Romanos, quia Romanis ſubiecti fuerant, vocabant. Qui leuda, ſeu leude damnatus fuerat à Comite, *apud ipſos Bonos homines, qui in ipſo mallo*, ſcilicet cum eo ipſo Comite, *reſidebant*, *epiſtolam ſecuritatis manu eorum firmatam* capiebat, ex formula octaua variarum. Quid? quòd aliquando, vt habes in harum ipſarum prima & quinquageſima, *Boni homines*, ſine Comite, ſine iudice, ac demum ſoli ius dicebant. Ante *Bonos homines* fit agri venditio, vt habeat ſuam vim nonâ & decimâ formulâ Variarum; & ſerui quoque, primâ & viceſimâ. *Boni homines* de chartis igne conſumptis teſtimonium ſcripto ferunt, formulâ ſecundum legem Romanam vigeſimâ ſeptimâ; orphanorumque indicibus ſubſcribunt quarta &
69 viceſimâ. An ergo potiùs eſt quòd miremur, *Probis* Manuaſcæ *hominibus* id modò datum à Guilelmo Regulo, vt *in delicto & malefacto* ciues ex eorum conſiliis capiant iura, ſine quorum ſententia, aut illius, aut non multò ante ipſum præteritis temporibus, nulla ceterarum rerum fiebat in iudiciis? Certè Carolus magnus anno regni ſui duodecimo voluit, vt *duo Miſſi*, cum probis hominibus, præeſſent *altercationibus, & negotiis cauſarum dirimendis, & iuſtis vel rectis judiciis faciendis*, legitur in chartâ de recuperatione duarum villarum Eccleſiæ Maſſilienſis. Hugo etiam quartus Burgundiæ Dux juſſit, vt *probi homines* quatuor, judices cauſarum eſſent Cabilone. Denique *Miſſi, & judices, vel plures Boni homines, reſident ad cauſas dicendas*, ex charta Caroli Magni anno 14. regni Francorum, quâ Milo damnatus eſt reſtitutione bonorum Eccleſiæ Narbonenſis, teſte Beſſio in hiſtoria Ducum Narbonis, & Caſtello libro 5. de Langothiæ rebus pagina 742. & 743. Igitur idem Beſſius affert *ſigillum Proborum hominum Carcaſſone*. Iam vbi hæc Manuaſcenſium prærogatiua, cum reliquis omnibus, probata eſt Hoſpitalariis, vt ipſis magè, quàm ciuibus æqua, ex eo per annos fere ducentos, in Epiphania Domini, è conſiliariis ſexaginta eligebantur annuatim probi & ſapientes viri, quorum ſententiâ ſtarent aut caderent

edicta

edicta iudicis. Ab anno quarto & ſexageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, Conſules ipſi id loci implent. Maior fuit de Conſulibus,& eo- 70
rum dignitate contentio. Ipſos Guilelmus iunior anno milleſimo ducenteſimo ſexto, vt modò referebam, inuênit, pluribuſque ornamentis auxit. Vt omnia per Occitaniam, Prouinciam, & quem Delphinatum nunc dicimus, tum pro Albigenſium erroribus turbata erant, ipſiſque etiam Summis Principibus ab Eccleſia non parcebatur, magna erat Innocentij tertij Pontificis autoritas. Per Milonem,& Thediſium Legatos maximè agebat: & omnia grauiſſimarum quoque rerum ad ipſos deferebantur. Igitur Hoſpitalarij apud Thediſium querelas depoſuerunt. Aiebant Manuaſcam vallem cum Villa ſua, caſtris, & pagis omnem, ante annos duos & ſexaginta, datam Hoſpitali Ieroſolymitano à Guigone Forcalquerij Comite, cum iuris dicundi facultate, & ceteris honoribus, qui ad dynaſtam pertinent. Sed Guilelmum ex fratre Guigonis genitum, cùm patrui vota ſequi velle ſe diceret ex aſſe hæres, ea nuper non ſine graui iniuria truncaſſe: impoſuiſſe Villæ, Caſtroque Conſules, eoſque duodecim, qui, vt alia taceantur, non æquales dynaſtis, ſed ſuperiores ſint. Enimvero quis hos iure arguat inferior? Certè ſuperiorem iudice, ac rectore ſeu domino facis te, qui eum reprehendis. At qui *de malè geſtis* illos cogitas arceſſere, damnareque, putas nullam cum ipſis contentionem futuram, maléne, an ſecùs rem geſſerint? Sedebis ergo iudicis iudex, rectoriſque ac domini tui ipſe rector, ac dominus, ipſis dices iura, legeſque. Hæc illi, quæ, vt nonnulli ſentiunt, non iniqua Thediſio viſa ſunt. Verùm non tam Manuaſcenſium, quàm 71
Remundi Berengarij, ex Beatrice matre Comitis Forcalquerij, res agebatur, ac Summi Principis; & is puer admodum erat, neque vna ad Rhodanum de ipſius ditione vrbs hæreſeos Albigenſium ſuſpicione laborabat. Igitur Toloſani in proximo Comitis clade commonitus, totum Manuaſcenſibus permiſit negotium; noluit apud Thediſium agere, quando in iudicium à nemine vocabatur; melioribuſque temporibus ſeruauit ſe, conſcius ſui ex ſummo principatu iuris, certuſque futurum aliquando tempus, cùm per Eccleſiam, procul omni hæreſeos ſuſpicione, liceret docere Guilelmum Comitem proauum id egiſſe, quod ſine vlla dynaſtæ iniuria commodaret plurimùm omni Manuaſcæ. Nam, inquiebat, cùm Gilelmus huic impoſuit conſiliarios, & cum ſuis prærogatiuis Conſules, nihil de eius dynaſtæ iuribus detraxit, ſed quæ ſibi Summo Principi ſupra dynaſtam habebat Manuaſcæ, illorum nonnihil diſperſit in populum, de ſe, pro antiquiſſimâ fide ac pietate, optimè meritum. Nunquid poteſt Comes ipſe iudicem rectoremque *de malè geſtis* arguere, cùm publica ſunt; nunquid conſulere ciuibus, vocare iudicem ac rectorem ad ſacramentum de ſeruandis ſubditorum à principe prærogatiuis, cogere ciues ad conſilium? An ſi hæc aliquando fecerit, inclamabis tua proculcari iura? ſi neſcis, qui Manuaſcam conceſſit tibi, non exuit Supremum Principem. Quod proauus meus per ſe poterat, id per Manuaſcenſes ſibi de probitate, fide, integritate notiſſimos voluit in perpetuum tempus agi. Atque, vt de optimi principis animo non dubitares, videreſque ſui loco ipſius excitare Conſules, prohibuit illorum conuentibus omnem ſeu à dynaſta, ſeu à Regulo magiſtratum, quos ſcilicet vt populum *regere* ac *gubernare* iubebat, ita Caſtri, Villæque veluti re-

ctores ac gubernatores inſtituebat. Hæc Berengarius, quæ non poſt eum Comitibus Regibuſque, ſed Pontificibus probata ſunt. Et verò Reges (quid
72 enim atiquiora de Comitibus reuocem?) Prouinciæ pro rege ſummi rectores, Senatus demum Aquenſis, Conſules Manuaſcæ (cùm res ferebat) ad noſtra vſque tempora, & dixere gubernatores vrbis, & pro illius gubernatoribus habuere. Anno huius ſæculi decimo Antonius Giraudus Conſul Aquis Sextiis erat, cùm de morte Henrici Magni venere nuntij, & vt pro re commotus eſt Senatus, vt iuſſit imponere militem vrbi caſtroque, ac videre ne publica Manuaſcæ res aliquid detrimenti pateretur. Anno autem primo & vigeſimo Ioſeph Guaſquius à Conſulibus dictus eſt militum in vrbe caſtroque dux, & iuſſus à Senatu primùm, deinde à Prouinciæ prorege
73 cauere patriæ. Sed audi Honoratum Tendæ Comitem, qui pro Rege imperitabat Prouinciæ anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Ita loquitur Conſulibus. *Capite arma: eum militum numerum caſtro imponite, qui vrbi cuſtodiendæ neceſſarius vobis videbitur: demum videte, vt vera quies ſit omni Manuaſca.* Henricus rex eo nomine tertius, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, his verbis pro Franciſco Gouſonio Manuaſcæ, vt loquuntur, Balliuo Conſules compellauit: *Reddite illi domum ſuam, ita tamen vt à vobis, ad eius cuſtodiam, illum è ciuibus numerum militum in ipſa habeat, qui neceſſarius videbitur.* Quid afferam plura, aut vetera repetam? anno iſtius ſæculi primo & vigeſimo res coram Senatu Aquenſi acta eſt: is edixit in verba ſequentia *Conſules teſſerariam vocem, vt vrbis & caſtri gubernatores decet, dicant, donec aliud imperetur.* Illam Hoſpitalariorum balliuus dicere pro dominio contendebat. Sed iſta hactenus. Ea vrgere, premereque non eſt huius loci. Nam extinctis Albigenſium erroribus, reddităque populis ex illorum odiis pace, & has ſeu de ciuium in iudiciis per probos homines autoritate, ſeu de dignitate Conſulum, & ceteras à Guilelmo iuniore, aliiſque Comitibus prærogatiuas, etiam Hoſpitalarij probauere. Accipe Ioannem de Villaribus ſupremum ſanctiſſimi Ordinis Magiſtrum. *Omnes gratias*, inquiebat anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, *omniaque priuilegia à Comitibus indulta, autoritate præſentium confirmamus, inhibentes ne Prior aliquis, Præceptor, vel alius Balliuus cuiuſcumque & quatæcumque autoritatis, ſeu poteſtatis exiſtat, contra confirmationem huiuſmodi aliquid attentare præſumat.* Guilelmus, & Fulco de Villareto, in ſumma illa Hoſpitalariorum dignitate deinceps conſtituti, ſubſcripſerunt Ioanni. Igitur omnes ab eo ſeu Præceptores, ſeu Balliui, in ipſis magiſtratus initiis, ad hæc vſque tempora, ſanctè iurauerunt in Manuaſcenſium à Guilelmo iuniore prærogatiuas. Lego quidem Petrum de Vteſio ante Ioannem de Villaribus Præceptorem, anno ſecundo & quadrageſimo poſt milleſimum ducenteſimum, ad ſacramentum addidiſſe ſequentia: *Per iuramentum per me præſtitum nullo modo intendo derogare iuri Hoſpitalis noſtri ſacræ Religionis.* Verùm ad voces non ante eam diem auditas, vniuerſa Manuaſca infremuit: & cùm ciues proximè turbas eſſent, Petrus eiurauit additicia verba, ſolitumque ſacramentum in iſta concepit: *Iuro dicta priuilegia, libertates, franqueſias, con-*
74 *ſuetudines, ſtatuta obſeruare, iuxta tenorem priuilegiorum, & non contrà venire.* Neque immeritò ita decreuerunt Hoſpitalariorum Magiſtri; & poſt eorum decreta,

decreta, ſacramento dixerunt, ſeu Præceptores, ſeu Balliui Manuaſcæ. Vt pientiſſimi erant, obſecuti ſunt Clementi id nominis quarto Pontifici. Hic (& erat conſultiſſimus iuris) anno ipſo pontificatus primo, ſcripſit ſequentia Siſtaricenſi Epiſcopo. *Libertates & priuilegia, olim donatas & conceſſas* Manuaſcenſibus *per Guilelmum Comitis Bertrandi, & Comitiſſæ Iauſſrandæ filium, Forcalquerij Comitem, provt ſcriptæ ſunt, obſeruare recuſant* Hoſpitalarij, *contráque venire & annullare nituntur. Si ſic eſt, autoritate Apoſtolicâ, per epiſtolam ſcripta, diſcretioni tuæ mandamus, partibus conuocatis, ſine iuris ſtrepitu, & figura iudicij, coràm audias & debito fine decidas: & quoſcumque cuiuſcumque ſtatus, aut dignitatis fuerint contra ipſa priuilegia venientes, & eorum fautores, per tuam, & Aptenſem dioceſem autoritate Apoſtolica excommunicatos, ſingulis diebus dominicis & feſtiuis publicè in eccleſiis facias nuntiari: & quos nunc, prout & tunc, autoritate Apoſtolicâ excommunicationis vinculo innodamus.* 75

Nam quod numero 70. allatum eſt, Hoſpitalarios, cùm agerent apud Thediſium, dixiſſe Guilelmum iuniorem, quas non poteſt, prærogatiuas attribuere Manuaſcenſibus? & Guigoni patruo cõtraria ferre, qui Manuaſcam Hoſpitali Ieroſolymitano conceſſerit; atque ſcilicet huic detrahere honeſtates & dignitates, quas in illos contulerit. ego quidem nunquam exiſtimauerim, non in iudicio, ſed in conſeſſu, hominumue corona dixiſſe. Nobiliſſimi gente viri, & ex rectiſſima ſanctiſſimi Ordinis diſciplina inſtituti, moderatiùs profectò locuti ſunt de tanto, &, vt alia non eſſent, optimè de ipſis merito Principe. Ea verba omnino ſapiunt forum, & à viris profluxere, qui actores in curia pro Hoſpitalariis ſtabant. ij vt elegantes ingenio ſunt, præſtantque dicendi vi, non omnia ſic proloquuntur, quaſi ſingulis tendant rem conficere; neque nudam iſtam ita pro iudicum oculis ponunt, vt ſine ornamentis, ac veluti veſtibus, inhonora conſpiciatur. Multa de ſe illi addunt, fucum etiam non rarò: ſic enim & viuidum præfert colorem, & illuſtris ac ſplendida intrat in contuentium animos. Guigonis tabulas iactant poſt Bertrandi fratris filiorum mortem, quas Hoſpitalarij regnantibus ipſis neque vnquam oppoſuere, & ſuo damnauere iudicio. Fridericus, cognomine Ænobarbus, Guilelmum ſeniorem, quòd clientelam profeſſus non eſſet, damnauit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo; & iuniorem Alphonſus Prouinciæ Regulus ad eam armis adegit ſexto pòſt & viceſimo. Poterant per illa tempora apud eos (& bonos ac fauentes habuiſſent) agere pro literis Guigonis, contra fratris filios: quia non egerunt, neque eas probaſſe dicendi ſunt. Sed cùm Bertrandus fratrum ſecundus, anno octauo & ſexageſimo illius ſæculi, ſuam ipſis ſemel ac iterum donabat Manuaſcæ partem; cùm tertius Guilelmus, ſecundo & ſeptuageſimo, per ſummam pietatem, ſeu Cartuſianis Durbonenſibus multa concedebat, ſeu Compoſtellanæ ad Iacobum Apoſtolum peregrinationi ſe dabat, cur non eas in magni ex vera æquitate officij partem propoſuere, longè maiora ex pietate ſuſcipientibus? Hic ipſe Guilelmsu iunior, ter Hoſpitalariis tradit Manuaſcã, in omnes vitę annos ſibi ſeruatam: ter ipſi Manuaſcã, quę donabatur, accipiũt; acceptamque ei relinquunt in omnes vitæ annos, neq; vnquam ſignificãt iam à Guigonis patrui morte ſuam eſſe. Betrandus tamen aiebat ſe illam *hæreditario iure* 76

poſſidere ; & Guilelmus, *ab antiquo, ab anteceſſoribus ſuis.* Scilicet id ipſi quoque tum taciti fatebantur, neque Guigonis tabulas cogitabant. Si illarum adminiculo ad Manuaſcæ poſſeſſionem nitebântur, cur non eas vnas fratris filiorum autoritate corroborari petierunt? cur ipſarum confirmatione neglectâ, & Manuaſcæ partem à ſecundo fratrum Bertrando ſemel ac iterum, & vniuerſam Manuaſcam à tertio poſtulauerunt ter? Plura non addam, vnum vbi dixero. Bertrandus ante Guilelmum iuniorem Regulus, neſcio quam pecuniæ vim moriturus fatetur à ſe debitam Hoſpitalariis, teſtamentoque iubet ab hæredibus reddi, putas, ſi quam poſſederat, eorum fuiſſet Manuaſca ex Guigonis patrui teſtamento, non etiam iuſſurum, vt, quos per inſignem iniuriam ex illa perceperat fructus ipſis reſtituerentur? Guilelmus autem iunior, & exiſtimauit etiam ipſe ſui iuris Manuaſcam vniuerſam per omnes ſui regni annos fuiſſe, & vt illam moriens donet Hoſpitala-
77 riis, reditus tamen de ea acceptos, vtpote ſuos, non refundit. Ceterùm ita ipſam tum his elargitur, vt ciuibus antè conſulat. Sentiebat, & honoris, & tutelæ, & variarum in omnem opportunitatem opum plurimum, per eam donationem Manuaſcenſibus decedere. Igitur Puteanus, libro de regis Francorum in Barri ducatum iuribus ſapienter aduertit, *cùm princeps longè lateque potens, cogitat de regiuncula principi minùs amplè dominanti donanda, huius incolarum plurimùm intereſſe non mutare dominum.* Futurum quoque cogitabat Guilelmus, vt dynaſtæ mutatio, ſub Hoſpitalariis frequentiſſima, turbarum aliquid cieret fortaſſis aliquando Manuaſcæ, dum alias ab aliis ſeu ſpes, ſeu formidines, & inducit, & auget. Multiplicem ergo prærogatiuam ei concedit principio, remque ipſius publicam præcipuè conſtituit: deinde quietam, ornatamque Hoſpitali Ieroſolymitano concedit. Atque vt ad Conſules ab ipſo inuentos redeam, Conſulumque Senatores ſeu Conſiliarios, de quibus ad Thediſium delatæ referuntur querelæ, celeberrimum eſt illud Manuaſcenſium concilium, iubente Roberto Rege coactum anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto, in quo & Conſiliarij omnino ſexaginta, & Conſules duodecim, ex Guilelmi iunioris præſcripto inſtituti ſunt, poſtquam Forcalquerij iudex, qui mandata Regis detulerat, reteſſiſſet ex aula. A Roberto ceteri reges ſuas has omnes prærogatiuas Manuaſcenſibus illibatas eſſe iuſſerunt. Ipſorum tamen precibus dedit Senatus Aquenſis, vt duodenatium Conſulum numerum tenario mutarent. Annis ante nos paucis Henricus Magnus duodenarium Lugdunen-
78 ſiũ numerum mutauerat quaternario. Is ipſe ſenatus pro ceteris prærogatiuis toties pronuntiauit, quoties aduerſus illas inſurrexerunt actores. Nobiliſſimum eſt edictum de fumis ante ducentos annos, & quod exturrit, latum. *Declaramus*, inquiunt regij ſenatores, *vniuerſitati Manuaſcæ, virtute priuilegiorum eidem vniuerſitati per quondam Guilelmum Comitem Forcalquerij, licuiſſe, & licere perpetuò furnum, & furnos facere, victum victori in expenſis legitimis condemnantes.* Non placet ire per ceteras prærogatiuas. Vnam tamen illarum prætermittere nec debeam, nec poſſim, quæ in publico vſu ſemper fuit, & cùm peruenisſet ad iudices, ipſorum decreto firmata eſt. Guilelmus iunior illorum qui ſine omni ſeu ex teſtamento, ſeu ex lege hærede, diem extremum obierint, vniuerſa iubet eſſe Manuaſcenſium, & Iſnardo de Flayoſc. Hoſpitalariorum Præceptori diſplicuiſſe rem inuenio. Anno milleſimo ducenteſimo

centeſimo nonageſimo nono Petrus de Lacra moritur exhæres, & Iſnardus intercedit Manuaſcenſibus hæreditatem adeuntibus: ſed octauâ & vigeſimâ die menſis Septembris, edicto curiæ damnatus eſt. Igitur ex eo, ſuam vim ſine omni contentatione habuit, à Guilelmo Principe prærogatiua. Anno ſexto & ſexageſimo ſuperioris ſæculi (quid enim antiquiora perſequar?) Michaël Almaignac Manuaſcenſis ciuis obiit Valentiæ Delphinatum, & Manuaſcenſes hominis ſine omni hærede mortui fortunas, vt iam ſuas, transferunt in publicam pauperum & infirmorum ædem. Longè alius ab 79
Iſnardo fuit Fulco de Villareto Supremus Hoſpitalariorum Magiſter: is non prærogatiuas à Guilelmo iuniore conceſſas firmauit ſuis literis, ſed etiam anno vndecimo poſt milleſimum trecenteſimum, ad ipſas addidit quæ ſequuntur. *In perpetuum in ſpeciale priuilegium concedimus, & donamus, vt deinceps in Villa Manuaſcæ, nec eius diſtrictu, aliquis incola vel habitator Manuaſcæ, vel eius diſtrictus, ad aliquod officium publicum iudicaturæ, vel baiuliæ, vel alterius, cui ſit annexa iuriſdictio, nullatenus admittatur. Dantes Priori S. Ægidij, & Præceptori Manuaſcæ, qui nunc ſunt, vel qui pro tempore fuerint, in virtute S. Obedientiæ præſentibus in mandatis, vt in futurum nullum habitatorem vel incolam Manuaſcæ, vel eius diſtrictus, ad officia admittere valeat.* Hoc mandatum ſecuti ſunt, & ceteri Manuaſcæ Præceptores, & ſapientiſſimus ille Helio Villanouanus anno poſt Fulconis præceptum ſeptimo, vt intelligitur ex capite decimotertio conuentionum cum Manuaſcenſibus editarum, *ex conſenſu*, ità ipſæ habent) *voluntate, & aſſenſu fratrum conuentualium conuentus palatij de Manuaſca, conuocatorum ad ſonum campanæ*, vt moris eſt. Si ve- 80
rò poſtules, quid Villaretum adduxerit ad id Manuaſcenſibus concedendum, reſpondebo ſpectaſſe illorum quietem. *Sanè pro parte veſtra* (verbis ſuprà recitatis præmiſerat, ad ipſorum poſtulata reſpondens) *nobis oblata poſtulatio continebat, quòd retroactis temporibus propter conſilium incolarum veſtrorum, regimina ſuis parentibus conſanguineis fauoriſantium, illicitæ multæ vobis ſunt illatæ iniuriæ, & inter vos plures ortæ diſcordiæ, quas expedit radicitus extirpari.* Non pauca alia, & is ipſe, & Fulco, & alij Hoſpitalariorum Magiſtri Manuaſcenſibus indulſerunt; aliique etiam ab aliis non pauca Balliui. Ea recenſere non placet. Neque enim ſcribo ego iuris Manuaſcenſis corpus. Præcipuas tamen leges, quibus publica ſtat eorum, floretque res, tacere non potui. Hoc etiam iuuabit adiungere. Cùm nonnulli è ciuibus, animo parricidali coniuraſſent in patriam, anno tertio & trigeſimo ſæculi præcedentis eiuſque ptærogatiuas omnes, & illa maximè capita, quæ ſpectant ad Conſiliariorum numerum & perpetuitatem, atque Conſulum dignitatem & vim, præcipuas rei Manuaſcenſium publicæ columnas euertere, apud Senatum Aquenſem contenderent, damnati ſunt communiſſimo ſapientiſſimo ſapientiſſimæ curiæ ſenſu, quæ iuſſit vt Manuaſca pergeret in ſuis moribus & inſtitutis, *iuxta priuilegia Guilelmi Comitis.* Franciſcus rex etiam aſperè, pro crimine, habuit degeneres, patriaque indignos ciues? & cùm omnes prærogatiuas ſuo firmaſſet aſſenſu, eorum aduerſus ipſas libellum, quem 81
ſupplicem Nicolaus Cumbus obtulerat, manu Cancellarij lacerauit. Domus autem, in quam conſiliis capiendis conueniunt ciues, empta eſt anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo. Eius anni diarium hæc habet:

Die triceſimâ Octobris conſilium habitum eſt in domo conſilij nouiter empta ab Antonio Martini iuxta cœmeterium S. Saluatoris. Ante illud temporis, habuere quidem aliam domum publicam, ab anno incerto: Sed tum curiæ tamen non erat vnus locus; neque infrequenter conueniebant in ſacrum aliquem. Lego cœtus habuiſſe in cœmeterio S. Saluatoris, anno ſexto & ſexageſimo poſt milleſimum trecenteſimum; *in eccleſia S. Stephani*, ſexageſimo poſt milleſimum ducenteſimum. Celeberrimus eſt, ad quem anno 1334. die 3. menſis Februarij, conuenere viri omnino 775. *in clauſtro ff. Minorum, vbi eſt vlmus & pratum, inter dormitorium, & domum foreſtariæ, ac refectorium, vbi conſueuit vniuerſitas in caſibus ſimilibus congregari.* Cùm certa non erat comitiis domus, publicum tabularium fuit Manuaſcenſibus in S. Mariæ auguſtis illis ab omni temporum antiquorum memoria ædibus. Tam acerbis autem odiis ſemper inſecuti ſunt eos, qui arcana curiæ conſilia prodidiſſent, vt anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, obtinuerint à Franciſco Rege aduerſus ipſos legem: alteroque poſt anno, candidiſſimam quatuor aut quinque palmorum latitudine faſciam, toti muro illius, ad duos ſuper foribus pedes cum quadrante, impoſuerint, inſcribendis ad æternum dedecus nominibus ipſorum, ex decreto quod publicus ſcriba iſtis verbis concepit in Conſulum diario. *Die decimâ Martij decretum fuit per ipſum Conſilium ordinatum, quòd theſaurarius facere faciat cum plaſtro bene albo emblachiere, ſupra portam domus Vniuerſitatis à parte extrà, à modo ſiue façon, de vn epitafle en la paret, ad deſcribendum nomina & cognomina illorum eiuſdem Conſilij ſeptuaginta duorum, qui ordinationes ſeu ſecreta eiuſdem Conſilij indebitè reuelabunt, ſeu*
82 *diuulgabunt.* Nomine *epitafle* inſcriptionem ſignificat. Corruptè autem ſcripſit, vt ab omnibus caperetur. Neque id miror. Ita ſcribebant ad vulgus illis temporibus, & quidem iam ab mille annis ceptâ conſuetudine. Cùm Gregorius Turonenſis, vt ipſe in epiſtola ad Eccleſiam Turonicam autor eſt, matri per ſomnum negaret ſcribere de Beati Martini miraculis, excuſans Latini ſermonis ignorantiam, diceretque, *non te latet quòd ſim inſcius literarum, & tam admirandas virtutes. ſtultus & idiota non audeam promulgare*; illa reſpondit: *Neſcis quia propter intelligentiam populorum, ſi quis loquitur, ſicut tu loqui poterit, eò magis habebitur præclarum?* Sunt qui velint id conſuetudinis cœpiſſe à Concilio Turonenſi 3. cap. 17. anno 813. *Quilibet Epiſcopus habeat homilias continentes neceſſarias admonitiones, quibus ſubiecti erudiantur*, &c. *eaſdem homilias quiſque apertè transferre ſtudiat in ruſticam Romanam linguam*, &c. *quò facilius cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.* Qui hoc ſentiunt arbitrantur *ruſticam Romanam linguam* dici, quæ Latina quidem eſt, verùm barbariſmis, ſolœciſmis, & vocibus è vulgari ſermone in Latinum inflexis, ſcatet. Cùm eis ſentire videtur Regino ad annum 814. cùm ait *in libello quodam ſe reperiſſe plebeio & ruſticano ſermone compoſita, quæ ex parte ad Latinam regulam correxit.* Sunt tamen qui malint ruſticam Romanam linguam eſſe, quæ Romana corruptè appellatur apud Rudolphum Abbatem S. Trudonis in chronico M. S. his verbis: *Adalardus Abbas natiuam linguam non habebat Teutonicam, ſed quam corruptè naminant Romanam VValonicam.* Hac certè videntur olim vſi Franci, quos Otho Friſingenſis, vt à Teutonicis diſtinguat, appellat Romanos.

83 Antequam hunc de prærogatiuis, moribus, inſtitutis, & dynaſtis Manuaſcenſium

nuaſcenſium concludam librum, aliquod operæ fortaſſis pretium erit addere, quod Conſules ſuo cum Senatu, ex plebis mage, quàm ſuo, vſu ac dignitate, anno ſexto & trigeſimo ſuperioris ſæculi ſuſceptum, per annos quinquagenta omni optum vi perficere contenderunt. Voluere ſibi prætorium Forcalquerienſe. Res ex familiari ſermone neſcio cuius ciuis, alia omnia cogitantis, cum Ioanne Carriolio Canonicis Aquenſibus Præpoſito cæpit. Scilicet ita fere habet, vt è minimis momentis maxima ſurgant, ſtentque conſilia, & vehementiſſimus ignis è tenui ſcintilla promicet latéqua ſpargatur. Vt ab Aquenſi curia pro perpetua veneratione pendent, ante omnia Bartolomeum Caſſaneum curiæ principem, ſcriptis libris notiſſimum, adeunt. Vbi is audendi annos fecit, nullis ſumptibus, laboribus nullis parcunt. Aiebant, & inquiſitioni præfecto probauere, (Bertrandus præſes is erat, qui è ſigilli regij poſtea cuſtode, demum in Cardinalem euaſit) Manuaſcam omnibus per Comitatum Forcalquerienſem actoribus, & ſitu, & annonâ, longè opportuniorem Forcalquerio eſſe. Ad huius agrum, qui neque oculis placeat, & cultori ſuo ingratus ſit, anguſtum ex omni parte ac difficilem patere aditum, cùm illius & amœnitas inuitet, & vbertas detineat aduenas. Sed impediebat rem omnem Hoſpitalariorum dyna- 84
ſtia, quibus ſi prætores ipſorum domi præponas, & præponendi ſunt ij quorum iudices ſedent, detrahes dignitatem. Igitur viſum eſt futurum è populorum quiete, vt Manuaſca, ſi regium auet prætorium, redeat in iura principis, præſtito Hoſpitalariis damno, & præterea ex grati veneratione animi, pro lucro ab actorum frequentia, honoreque, & prærogatiuæ ſupra Forcalquerium iure, vim aliquam pecuniæ Regi pendat. Neque diſplicuit Conſulibus conditio. Dabimus, inquiunt, Hoſpitalariis ad librarum triginta millia, Regi decem minùs: quæ autem Hoſpitalarij poſſident, non ſeruabimus tamen omnia, forum iudicis concedemus regi, prætoribus iuri dicundo palatium, cetera nobis habebimus. Iam res ſpectabat ad finem, cùm Manuaſcenſes ſuam poſtponunt Prouincialium publicæ, cuius curatores vehementer agentibus intercedebant, petentes vt vniuerſi Prouinciæ, quàm latè patet, prætores Aquis Sextiis iura darent & tum quidem ceſſa- 85
uerunt. Anno eiuſdem ſæculi ſexageſimo, Hugonotti, aut diſſimulantibus, aut clàm quoque fauentibus prætoribus, habebant Forcalquerij publicos cœtus, & Manuaſcenſes, vt, accepto à maioribus, ante omnem aliorum poſt alia ſæcula memoriam, odio, hæreſes ſemper inſecuti ſunt, iiſque capita nullis vnquam temporibus ſubmiſerunt, reſumunt interrupta à pluribus annis vota prætorij. Ingentes animos fecit, quòd publici Prouinciæ curatores nihil iam turbabant, ſentientes longè alia comitiis tum eſſe conſilia. Neque paruum agentibus apud Regem fuit momentum ab omnibus pene dynaſtis Comitatus Forcalquerienſis, qui iuſta poſtulare teſtabantur, teſtabantur id etiam vrbes præcipuæ. Tres totos & viginti annos laborauerunt. Sed operi tanto nullus reſpondit fructus. Quid prælongi & eduri laboris pretium corruperit non inuenio. Certè ſua Forcalquerio prætura eſt. Neque vllius habendæ, cùm etiam plures toto regno ex antiquioribus reciſæ ſunt, Manuaſcam præterea inuaſit cupido; ſuo vno, & eo annuo, ac extraneo iudice contenta eſt.

Et ego quidem magnis præconiis potiùs efferam illos ciues, qui trigeſi- 86
mo

mo ſeperioris ſæculi anno, antiquitatis retinentes extinxerunt nomen Syndici, ſeu protectoris, & Defenſoris, ante centum annos, & quod excurrit, inuentum. Excogitauerant illud probabili in vulgus magis, quàm neceſſario, aut vtili exemplo. Conſulum ipſorum eſt protegere, tueri, defendere ſuos ciues, iiſque conſulere, vt docebat Guilelmus iunior, qui ipſos inuênit. Hoc ſi faciunt alij, illis certè cum munere concedendum eſt nomen Conſulis. Et hoc viderant, qui tertio ante Syndicorum expunctionem anno, id nominis attribuerunt principibus Conſulum binis. Ab eo, dum ſtetit numerus duodenarius, tuebantur ipſi ciuium iura quod Syndicorum, ſeu protectorum, ac defenſorum fuerat; ſed Syndicorum carebant tunica illâ illuſtri & ſplendidâ. Hanc enim ſibi etiam iſti acceperant, vt qui Conſulibus priæbant, præ ipſis quoque inſignes veſte eſſent. Poſtea tamen pro tunica duobus illis collegarum primoribus tradita eſt epomis, quæ cùm numerus omnis ternario mutabatur, pertinuit cum Syndici munere ad vniuerſos, pro ceteris præcipuarum totâ Prouinciâ vrbium Conſulibus.

MANVASCÆ
LIBER TERTIVS.

1 HACTENVS ea ſum perſecutus, quæ ad Manuaſcæ pertinent agrum, incolas, domos, fontes, plateas, muros, dynaſtas, prærogatiuas, & inſtituta. Reliquum eſt, vt exequar ſacras ædes. Et hæc pars operis, quam à puero vitam inſtitui, maximè decet. Ad eam igitur omnes animi vires libentiùs, (accuratiùs non poſſum) intendam neceſſum profectò eſt. Vt hinc incipiam, ante annum milleſimum trecenteſimum quadrageſimum erant illæ omnino vinginti & vna, in valle Manuaſcæ. Suam Montacutum Petro Apoſtolorum principi ſacrauerat; ſuam Maximo Regienſium Epiſcopo, vnde etiam ſibi nomen habebat, Fanum Maximi; Ventorum omnium pagus Mariam Virginem colebat in altera, in altera Iacobum, ſeu Chriſti, ſeu Ioannis fratrem, hoc enim obſcurum eſt. Caſtrum Manuaſcæ, quod Fanum Martini etiam vocatur, Martinum venerabatur in præcipua, in altera Chriſti matrem. Fanum Petri tribus in li-
2 neam ferme rectam inſigne erat: Chriſto ſepulto ſurgebat media, eique dextera Petro; Lazaro quem Ieſus amauit, læua. In Villa ſeu Burgo viſebantur omnino quatuor. Saluatori hominum dicata vna erat, Mariæ altera, tertia Ioanni Baptiſtæ, Stephano martyrum principi quarta. Ad Villæ muros ſtabant tria cum ſuis templis monaſteria. Sub portam Guilelmipetriam ſuum erat Carmelitis, Clariſſis virginibus in extrema Saunaria ſuum, ſuum denique Franciſcanis ad riuum Furnocalcium, proximè Concheta-rum fontem. Stephanus ſummam venerationem habebat in antiquiſſimo Formicarij nemoris templo. Demum reliquo in agro non procul Druentia fluuio ſtabat Martino ædes Monlorguia, Roſtanæ virgini iuxta Fanum Maximi ſua, ſua & Michaëli archangelo, & Albano martyri, cuique in regione cognomine. Vah Sacrarum ædium pro valle multitudinem! Veriſ-

ſimum

simum profectò est summæ Manuascensium vetustissimis temporibus pietatis argumentum. Lego quidem præterea Vbangorum, & Podij acuti templa: sed qui video podium montem esse, putauerim hoc Montacutij pagi templum dici, illudque fortassis etiam ab vno ex aliis quæ memoraui aliquo, distinguebatur sola voce.

Post annum millesimum trecentesimum quadragesimum, ille sacrarum 3
ædium numerus plurimùm decreuit, & nonnullarum quoque situs vehementer immutatus est. Fanis Petri, Martini, Maximi, & pagis Ventorum omnium, ac Montis acuti euersis, eorum templa stillicidiis & vetustate, cùm à ciuibus deserta non curarentur, denique ceciderunt. Cetera in agro posita, quoniam qui in Burgum conuenerant, ad remota frequentes non adibant, ruinam quoque sensim de se passa sunt. Duo quidem ex illis nunc stant, alterum Mariæ dicatum Virgini, ad Ventorum omnium olim castri sedes; Petro alterum, vbi cognominis pagus quondam visebatur. Sed instauruere istud Hospitalarij, ciues illud. Carmelitarum denique, Franciscanorum, & Clarissarum monasteria, ex agro, vbi patebant militum furori (& ab ipso senserant cladem) in vrbem commigrarunt. Quid? quòd cùm vrbs pietate non minùs, quàm amplitudine murorum, & multitudine ciuium, domuumque accreuerit, ac tria etiam illa monasteria muris acceperit, Capuciniisque se non procul ædes excitauerit, templa tamen Ioannis Baptistæ, ac Stephani, quæ in ea media stabant, sic excisa sunt, vt illorum sedes ab omnibus ignoretur.

Sacerdotiorum autem, quæ ad ea olim spectabant, & de ipsorum no- 4
mine etiam nunc censentur, non vna & eadem semper fuit administratio, si Sanmarianum & cetera quæ Regulares habent, demas. Episcopi Sistaricenses, Geraldus Caprerius post annum millesimum sexagesimum, Bertrandus millesimo centesimo septuagesimo tertio, Alanus millesimo ducentesimo sexagesimo primo, ac demum & alij nobis ignoti, & Robertus millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, antiquissimam ita sensim mutauere, vt quæ singulorum ad singulos rectores pertinebant sacerdotia, nunc demum in Forcalquerienſium canonicorum collegium collata, suo tantùm nomine perdurent. Sed hæc res est eiusmodi, vt è veteribus chartis erui debeat, & in lucem educta peruenire ad posteros. Bertrãdus ergo sic loquitur: *Gerardus Caprerius donauit Forcalquerienſi Ecclesiæ ecclesias S. Martini de Manuasca, cum omnibus ecclesiis quæ in eadem valle erant, vel fierit poterant.* Cùm legis donasse ecclesias vallis Manuascæ, intellige collationem earum, quâ potiebatur, in Forcalquerienſem Ecclesiam transfudisse. Alanus enim 5
ille est, qui ipsarum plurium fructus, aut dominium dedit. Audi constituentem canonicorum, quas loquuntur, præbendas. *Visum fuit, quòd prædicta diuisio, & ordinatio præbendarum constitui & fieri plenè non posset, nisi ecclesiæ &c. ad collationem dicti capituli pertinentes, quas nunc temporis tenent non canonici, scilicet ecclesia Montis acuti, & ecclesia S. Maximi, & ecclesia S. Sepulcri, & ecclesia de Totis auris, & ecclesia S. Saluatoris essent confusæ & vnitæ capitulo dictæ Forcalquerienſis Ecclesiæ. Et nos &c. imprimis ecclesiam supradictam de Totis auris ecclesiæ supradictæ S. Saluatoris de Burgo Manuascæ annectimus, & vnimus, & vnitam perpetuò fore censemus &c. Item tam iam dictas ecclesias S. Saluatoris cum prædicta ecclesia de Totis auris sibi annexa, quàm prædi-*

ctam eccleſiam S. Maximi cum prædicta eccleſia Montis acuti ſibi annexa, & eccleſiam S. Sepulcri de valle Manuaſcæ, ſaluis iuribus ad vitam ſuam, quam habent priores ſiue rectores, ſcilicet S. Saluatoris, & de Totis auris, & S. Sepulcri, & Montis acuti in eiſdem &c. cùm omnibus iuribus & pertinentiis, & dependentibus ab eiſdem, epiſcopali autoritate annectimus, & vnimus, & eaſdem omnes, & ſingulas communitati Forcalquerienſis Eccleſiæ tanquam annexas & vnitas
6 *nunc & in perpetuam deputamus.* Hæc Alanus. Sacerdotia quinque adiungit collegio canonicorum Forcalquerienſium, & ipſis vnis ad conſilium adhibitis, & Manuaſcenſibus inauditis. Quis cetera illi addiderit non inuenio: Sanmartinianum Caſtri Manuaſcæ adiunctum Præpoſituræ fuerat ante Alanum à Roſtagno Cabaſſola vtriuſque ſacerdotij rectore. Quia in ſacris vnius eorum ædibus morari, atque, vt vulgò dicunt iubentque iura, reſidere volebat, hoc inuênit nono anno ſupra milleſimum trecenteſimum trigeſimum, vt ſui loco ſacerdotem (vicarium appellant) in Fano Martini conſtitueret; eique pro templi cura ædituum, pro ſacramentorum miniſterio, quem dicunt ſecundarium, treſque canendis Deo laudibus clericos, ac in varia templi opera denique famulum, apponeret ſuo ſtipendio ſingulis attributo: cetera prioratus Sanmartinenſis adſcripſit Præpoſituræ Forcalquerienſi inſciis Manuaſcenſibus. Sed iſtorum omnium ſtipendia, Robertus Siſtaricenſis Epiſcopus ei ipſi Præpoſituræ tradidit, ſexto & octogeſimo pòſt
7 anno. *Nobis conſtat ex priuilegiis & libertatibus vobis conceſſis*, alloquitur canonicos Forcalquerienſes, *nec non per chartas publicas, per vos nobis exhibitas & oſtenſas, quòd cùm apud S. Martinum de Manuaſca multitudo populi exiſtebat, propter quem eidem eccleſiæ cura animarum actualis imminebat, factâ donatione & conceſſione de decimis & iuribus dictæ eccleſiæ S. Martini, vobis & eccleſiæ B. Mariȷ de Forcalquerio, quidam dominus Roſtagnus Cabaſſola tunc Præpoſitus dictæ Forcalquerienſis Eccleſiæ, pro cura animarum, quæ dictæ Eccleſia imminebat, conſtituit, ordinauit, atque fundauit eidem vicariam perpetuam, aſſignans pro vicario, & ſtatu eiuſdem vicariȷ, de fructibus, emolumentis, & obuentionibus dictæ eccleſiæ certam cotam, vt latiùs & magis plenè in fundatione prædicta inuenimus contineri. Verùm quia nunc notoreitate facti monſtrante fuimus legitimè informati, quòd locus ipſe eſt, & fuit, à ſexaginta annis & vltrà funditus depopulatus, ac gentibus omnino deſtitutus, propter quod nulla actualis cura nunc imminet animarum, nec eſt ſpes quòd in futurum immineat, quapropter conſiderantes quòd ceſſante causâ, propter quam vicaria fuit fundata, debet ſimiliter effectus & dictæ vicariæ meritò ceſſare, dictam vicariam, ac eius effectum, annihilantes, vnimus, incorporamus perpetuò, & annectimus dictæ Propoſituræ Forcalquerienſi, ei-*
8 *dem dictam eccleſiam tenore præſentium incorporando.* Qui ſacerdotia S. Ioannis Baptiſtæ, & aliorum per vniuerſam vallem templorum conceſſerint Forcalquerienſibus canonicis non lego. Ante Robertum Siſtaricenſem Epiſcopum tradiderant, Is enim ita loquitur: *Eccleſiæ S. Mariȷ, Eccleſiæ S. Martini, S. Saluatoris de Manuaſca, S. Ioannis eiuſdem loci, S. Sepulcri, B. Mariæ de Totis auris exora muros Manuaſcæ, necnon eccleſiæ, in dicta valle Manuaſcæ conſtitutæ, fuerunt donatæ atque conceſſæ, cum omnibus iuribus ſuis, atque decimationibus.*

9 Si petas quid ſapientiſſimos antiſtites adduxerit ad eccleſiarum Manuaſcenſium

cenſium principio collationem, deinde ſacerdotia collegio canonicorum Forcalquerienſium donanda, accipe. Res altiùs repetenda eſt. Frondonus Epiſcopus canonicos in eccleſia Forcalquerienſi conſtituit omnino ſedecim, & Siſtaricenſis etiam eccleſiæ canonicos eſſe iuſſit, vnum ex his & illis collegium compingens. *Forcalquerienſis & Siſtaricenſis eccleſiæ, vna fuerunt eccleſia*, inquiebat Bertrandus, etiam ipſe Siſtaricenſis antiſtes anno tertio & ſeptuageſimo poſt milleſimum centeſimum, *& ab Epiſcopo Frondono ſexdecim canonici in vtraque eccleſia fuere conſtituti.* Quo anno id perfecerit, & quo vixerit Frondonus tempore, non liquidò dixerim, tacentibus vniuerſis, quæ ad me peruenerunt chartæ. Suſpicabar feciſſe, cùm Guilelmus Adelaidis, ſeu Aliſſæ, Comitis Dienſis coniux, aut Rothboldus pater, Forcalquerienſem principatum fundauit primus Comes. Quis enim dubitet & alia, & ſacra decora Forcalquerio tum addidiſſe: cúmque Epiſcopus ſedem ſuam in id, Siſtarico deſerto, deportare per ſe ipſe non poſſet, canonicos certè, qui ad ſummum honorem Siſtaricenſes quoque eſſent, Principe ſuadente in illo poſuiſſe? Frondonus anno milleſimo triceſimo ſedebat Aquis Sextiis, & Siſtaricum venit, cùm Durandus Epiſcopus beato Promaſio templum excitabat. An hic ille Frondonus eſt, qui, quod non ſemel factum legimus, è Siſtaricenſi Antiſtite in Aquenſem euaſerit? Certè, ſi hoc ſentias, facilè intelliges cauſas ei ex priſtina conſuetudine fuiſſe non leues, cur Siſtaricum veniret ad erectionem ſacræ ædis: & Rothboldus anno quinto illius ſæculi viuebat, Guilelmuſque filius ſecundo ac vigeſimo Putabam igitur olim ego Frondonum ſediſſe Siſtarici per illos annos & libro 2. de rebus geſtis Epiſcoporum Siſtarcienſium, docui ſimillianum, veri eſſe, quòd ſederit incerto tempore inter Vrſum anno 967. autore Conrado Pacifico Epiſcopum, & Durandum qui anno 1030. templum S. Promaſio antiſtes excitauit. Sed cùm eos libros typis edentem, res dubium habuiſſet, atque tempus quo Frondonus ſedit omnino obſcurum videretur, opportunè accidit, vt typographis in hoc de Manuaſca opere laborantibus, nuper inuenta fuerit in canonicorum Forcalquerienſium tabulario charta, ab ipſo ſcripta an. 1015. ſedit ergo medius Vrſum inter ac Durandum quidem, ſed quo ſedere ceperit, quo deſuerit, prorſus incertum, eſt. Hoc vnum liquet ſediſſe anno 1015. In eâ chartâ *Frodus* (Frodonem etiam & Frodonum, atque Frondum, Frondonem, ac Frondonum, vt aliàs annotaui, appellant veteres tabulæ) *Epiſcopus Siſtaricenſis anno* 1015. *die* 18. *calendas Februarij* dát *Eccleſiæ S. Mariæ, S. Marij, & S. Thyrſi* (eſt hæc eccleſia Forcalquerienſis) decimas Salagonis. Placet hîc vnum addere. Ex iſta charta intelligis, Boucheum in Chorographia Prouinciæ Libro 4. cap. 2. §. 9. profeſſum ea ſe *tantùm nomina Epiſcoporum Siſtaricenſium allaturum*, quæ *veteribus legiſſet in tabulis*, ſcripſiſe quidem vera, cùm Frodonem in illis præſulibus poſuit, ſed nullis in tabulis legere potuiſſe tempus, quo ſediſſe ſignificat: Vide quid eo libro ſcripſerit. Sederum Siſtaricici.

Anno 967.	Verſus.
999.	Rodolphus 1.
1030.	Durandus.
——	Petrus 1.
1070. ——	Gerardus Chabet.

Carolus.
Petrus 2.
Frodo.
1102. —— Bertrandus 1.

non peto vnde acceperit Rodolphum I. ſediſſe anno 999. vnde Petrus II. Carolo & Frodoni medium: certè nunquam legit in veteribus tabulis Frodonem ſediſſe proximè annum 1102. quandoquidem ipſe idem Frodo dedit anno 1015. decimas Salagonis Eccleſiæ Forcalquerienſi. Salago autem, cuius decimas dedit, eſt agri Mannæ ad Forcalquerium oppiduli regio. Sedecim verò canonicos fuiſſe in Forcalquerij, ipſis initiis collegij, aut iis certè non procul, ille fortaſſis emirabitur, qui ad tenuiſſimas ipſius opes ante ſacerdotiorum Manuaſcenſium conceſſionem attenderit. Forcalqueriſia ferme ſola ſcilicet poſſidebat. Sed is vbi cogitauerit illa tum fuiſſe tempora, quibus antiqua clericorum per vniuerſam Galliam reuocabatur pietas, inueniet canonicis ſedecim ſuffeciſſe. Canonici in capitula Sparnacenſia ſeſe reſtituebant, quibus edicitur, vt *in dormitorio dormiant & in refectorio comedant, & in domo infirmorum neceſſariò ſubleuentur, & tam ſani, quàm infirmi canonici veſtiantur, & ſub cuſtodia canonica lectioni, & ceteris diuinæ inſtitutionis inſiſtant officiis.* Putas canonicis ſedecim, ſeſe ad eas leges componentibus, non fuiſſe ſatis ad vitam honeſtè agendam, quæ de Forcalquerienſibus ſacerdotiis colliguntur pecuniæ? Anno etiam tertio & ſeptuageſimo poſt milleſimum centeſimum communi menſâ vtebantur, autore Bertrando Epiſcopo qui tum viuebat, magno argumento ceteras etiam vitæ rationes ad Sparnacenſia capitula exegiſſe. Frondono mortuo res plurimùm immutatæ ſunt, eò de-
12 nique deuenerunt, vt Canonici Forcalquerienſes à Siſtaricenſibus ſeiungi debuerint, & in vnum ſeorſim ab illis collegium conuenire. *Bonæ memoriæ D. Geraldus, qui cognominatus eſt Caprerius*, inquit Bertrandus Epiſcopus, *alteram eccleſiam ab altera, ſicut in charta eius continetur, diuiſit, diuidens etiam nomina dignitatum inter eas.* Quæris cauſas diuiſionis? accipe. *Idem ipſe Geraldus in charta ſua*, pergit, *ſatis ſimplicibus verbis narrat, quomodo ante ipſum ita fuit deſtructus culpâ laicorum & Epiſcoporum Siſtaricenſium epiſcopatus, quòd nec etiam vna gallina remanſit. Et fecit hoc maximè quidam nobilis homo Ragobaldus nomine: fecerunt hoc impij Marchionis antè, quorum nomina dicit deleta eſſe de libro vitæ. Prædictus Ragobaldus emit epiſcopatum Siſtaricenſem filio ſuo paruulo, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Vaſionenſis. Deſtruxerunt etiam ipſi, qui ante eum fuerunt, de quibus ipſe dicit quòd ſimoniaci erant viua voce, vxorati publicè. Vnde accidit quòd epiſcopatus Siſtaricenſis fuerit abſque rectore decem & ſeptem annis. Tandem verò electus eſt ipſe D. Geraldus apud vrbem Auenionenſem in Concilio magno, quod ibit celebrauit cum omnibus Epiſcopis totius Prouinciæ Hugo Cluniacenſis Abbas, fungens legatione D. Papæ Nicolai, ad quem à prædicto legato miſſus iam dictus Geraldus in Epiſcopum fuit conſecratus. Hunc Roma redeuntem, vt ipſemet narrat, Siſtaricenſes non permiſerunt tranſire per ciuitatem ſuam. Veniens ad Forcalquerienſes, honorificè & cum magno gaudio receptus eſt ab eis. Ibi, vt ipſe dicit in charta ſua, inuenit filios Eccleſiæ congregatos. Et tandem dedit ſeipſum, & corpus ſuum Deo, & S. Mariæ ..... & S. Mario Confeſſori, & beato Tyrſo Martyri. Hic, vt dictum eſt, canonicos Siſtaricenſes & Forcal-*

querienſes

querienſes ſeparauit nominatim & expreſſim, Dignitates inter ſe diuidens, & Præpoſitos in vtraque eccleſia conſtituens. Ecce cauſas diuiſionis canonicorum 13
Forcalquerienſium à Siſtaricenſibus. Illæ ipſæ fecerunt, vt idem Antiſtes plurima in eos conferret ſacerdotia, plurima ſucceſſores, ac demum Manuaſcenſia etiam omnia. Dum ſtetit ea mens viris, vt communem agerent vitam, fuit illis opum ſatis ſine iſtis ad honeſtè ducendam: cùm ab ipſa diſcedere viſum eſt, propriamque ſibi rem ſingulis per ſingulas domos habere, profectò ſatis non fuit. Sed iſtud hactenus dixerim, & afferre plura non placet. De Forcalquerienſibus canonicis orationem non inſtituo: neque poſtulat locus, vt ipſorum inſtituta, religioneſue exequar. Nonnullum tamen operæ fortaſſis erit pretium, ſi Epiſcopos eos memorem, qui ab annis ante Geraldum Caprerium quinquaginta, vſque ad tertium & vigeſimum à milleſimo quadringenteſimo fuerunt Siſtarici per annos omnino quadringentos, & quod excurrit. ij ſcilicet illi ſunt, qui è clero Manuaſcenſi ad Forcalquerienſem præeunte Caprerio ſacerdotia tranſtulerunt; aut ſuis moribus fecere, vt Caprerius Siſtarici admiſſus non ſit, Forcalqueriumque igitur adierit, amaueritque, vnde omnis ſuorum à Manuaſcenſibus ſacerdotiorum auulſio profecta eſt. Qui ergo poſt annum Chriſti milleſimum Si- 14
ſtarici per annos quadringentos ſederunt Epiſcopi, inuenio conſequentes. Petrus 1. ſedet anno 1030. ex magno chartulario S. Victoris, in quo extat eius donatio Orbazacæ in Comitatu Nicenſi Sanuictorinis monachis Geraldus 1. ſedet anno 1031. ex donatione Guilelmi Bertrandi Prouinciæ Comitis Sanuictorinis monachis. Sedet anno 1035. ex donatione eccleſiæ Fontelaneanæ Sanuictorinis. Rogobaldi filius inuadit epiſcopatum à patre emptum: qui idcirco vacat annos 17. ex literis Bertrandi 1. Siſtaricenſis epiſcopi. Geraldus 2. gente Caprerius, ex fundatore, & primo Præpoſito monaſterij Olcienſis creatur epiſcopus anno 1060. aut circiter Auenione in Concilio, ex literis Bertrandi 2. Siſtaricenſis epiſcopi, Nicolao 2. pontifice. Sedet anno 1065. ex literis, quibus Cunibertus Epiſcopus Taurinenſis, & alia, & à Comite Sabaudiæ conceſſa, confirmat Nantelmo, Geraldi Caprerij in fundatione monaſterij Olcienſis ſocio, & in eiuſdem Præpoſitura ſucceſſori. Carolus Geraldo tertio ſucceſſit, ex literis Bertrandi ſecundi; & ex iiſdem Carolo Bertrandus primus, qui ſedet anno milleſimo centeſimo quinto, ex plurium rerum conceſſione Canonicis Forcalquerienſibus. Bertrandus primus anno milleſimo centeſimo ſecundo, Geraldus tertius Sedet anno milleſimo centeſimo decimo, ex chartulario canonicorum Aquenſium. Petrus, gente Sabranus ſucceſſit Geraldo quartus ex literis Bertrandi ſecundi. Sedet anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono, ex donatione Manuaſcæ Hoſpitalariis à Guigone Comite Forcalquerij. Sedet anno 1168. ex donatione Manuaſcæ Hoſpitalariis à Bertrando Comite Forcalquerij. Sedit annos 26. & menſes 2. ex literis Bertrandi 2. Bertrandus 2. de Cartuſianorum Durbonis Priore Epiſcopus, ſedet anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, ex ipſius pro canonicicis Forcalquerienſibus literis anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, ex literis de controuerſia Templariorum cum Cartuſianis Durbonis. Bermundus de Anduſia creatur anno 1174. ex prærogatiuis Cartuſianorum Durbonis à

Guilelmo Comite Forcalquerij. Rodulphus de abbate Ciſtercienſium Toroneti Epiſcopus, ſedet anno 1216. ex conuentionibus Hoſpitalariorum Manuaſcenſium cum Priore Sanmariano. Moritur anno 1241. currente ex chartis Epiſcopi Siſtaricenſis. Henricus de Bartholomæis de Suſe, ex archipeſbytero Ebredunenſi Epiſcopus anno 1244. ſedet ex literis quibus accipit moletrinam, vineas, & alia ab canonicis tum Crocienſibus, tum Placiti Dei. Cùm ſediſſet annis 8. fit Archiepiſcopus Ebredunenſis ex chartis Epiſcopi Siſtaricenſis. Humbertus, ſiue Imbertus ex ordine Prædicatorum ſedet annos 6. ex tabulis Epiſcopi Siſtaricenſis. Anno 1251. 12. cal. Septembris accipit à Vvilelmo Romanorum Rege confirmationem omnium caſtrorum, prædiorum, & iurium Epiſcopatus. Anno 1257. ſedet ex literis quibus emit quæpiam bona à Roſtagno Gauterio de Reueſto. Alanus ſedet anno 1260 ex arbitrio Raimundi Arditi Præpoſiti Forcalquerienſis, & Imberti de Auſonis ſuper iuribus de Ybonicis. Petrus Giraudi, ſedet anno 1276. ex literis, quibus ſeruatur indemnis à bedali neſcio quo Druentiæ. Anno 1291. currente moritur, cùm ſediſſet an. 14. ex chartis epiſcopij. Petrus de Alamanonno ex ordine Dominicanorum Epiſcopus ſuccedit Petro Giraudi. Sedet anno 1291. ex chartis Epiſcopij. Anno 1293. accipit poteſtatem à Carolo ſecundo Comite Prouinciæ emendi caſtrum de Ybonicis. an. 1303. intereſt profeſſioni clientelæ Rollandi Porcelleti Dinienſis Epiſcopi Comiti Prouinciæ & Regi Siciliæ. Eo ipſo anno moritur, cùm ſediſſet annos 13. ex cartulario Epiſcopi. Iacobus Gantelmi creatur anno 1303. morituran. 1310 cùm ſediſſet annos 6. ex chartis epiſcopij. Raimundus Roſtagnus ſedet an. 1330. ex concilio Sanrufenſi ad Auenionem. Petrus Auogradi an. 1349. Gerardus 4. ſedet anno 1363. ex forenſibus de Dalphinæ Ariani Comitis ſanctitate chartis. Petrus 6. ſedet anno 1364. ex chartis Carmelitarum Manuaſ. Geraldus 5. ſedet anno 1367. ex cartulario Manuaſcæ. Ranulphus ſedet anno 1372. ex conſecratione eccleſiæ S. Saluatoris Manuaſcæ. Artaudus. ſedet anno 1383. ex chartulario Manuaſcæ. 1387. ex chartulario Manuaſcenſium Obſeruantium. Robertus de Furno ſedet anno 1400. ex chartulario Manuaſcę. Sedet anno 1415. & 1417. ex iuramento Abbatis Lutæ. Sedet anno 1423. ex literis pro canonicis Forcalquerienſibus, quæ addunt ſextum epiſcopatus eſſe. Ex hac Epiſcoporum ſerie intelligis Robertum, eſſe illum, qui ſtipendia, Sanmartinenſibus à Roſtagno Cabaſſola ſacerdotibus, & clericis, conſtituta, tranſtulit in canonicos Forcalquerienſes. Ab Alano fuit duodecimus Antiſtes. Qui ſacerdotia Manuaſcenſium, non conceſſa illis canonicis ab Alano, tradiderit, non habetur in meis chartis. Petrus autem ante Ragobaldi filium, & Geraldus, ac fortaſſis ante Geraldum quis ignotus nobis, illi ſunt qui autore Caprerio, epiſcopatum Siſtaricenſem importunis deturpauere flagitiis. Marchionum denique, epiſcopatus ante Rogobaldum expilatorum, nomina afferre non poſſum. Eò tamen cogitatione deueniebam, vt ſuſpicarer eſſe dominos Siſtarici, quos, quia Comiti Forcalquerienſi ſuberant, vocauere. Vicecomites. Ex iis Berengarius anno milleſimo trigeſimo quinto dicitur Vicecomes Siſtaricenſis à Geraldo Epiſcopo. Marchiones etiam vocatos ille non mirabitur, qui cogitauerit Marchiones non alios eſſe à Comitibus, & eſſe marchæ ſeu limitis Comites, neque olim fere appellabantur ante Comites, cùm interiora regionum

pro

pro pace, quâ ſolent frui, opulentiora ſint limitibus, excurſioni hoſtium opportunis. Sed hæc aliàs fortaſſis accuratiùs ediſſeram. Ad Manuaſcenſium ſacerdotia, & ſacras ædes, quod huius operis eſt, reuertamur.

Cùm à Geraldo Caprerio ſuum Forcalquerienſibus canonicis collegium 16
conſtitutum fuiſſet, ſacerdotiiſque Manuaſcenſibus à Bertrando II. Alano, Roberto, & aliis Epiſcopis Siſtaricenſibus auctum, Villa Manuaſcæ inſignem ſacerdotum penuriam paſſa eſt. Non deſeruere quidem illam ſui, ſed cùm ad eorum numerum nulla acceſſio facta eſſet, quæ maxima ad ciuium multitudinem aduenerat, impares ſcilicet tanto oneri, non potuerunt hi, vt vehementiſſimè contenderent, ſuam ſeu nauare, ſeu probare operam omnibus incolis. Igitur alij aliis temporibus ad ipſos neceſſariò adiuncti ſunt. Neque modicum accepere præſidium à Franciſcanis, & Carmelitis in Villam immigrantibus. Hæc & eiuſmodi alia non aptiùs exequar, quàm ſi eam per vrbis, quæ nunc viget, ſacras ædes, & doceam quæ, quo numero, & quibus miniſtris nunc in ipſa ſtent. Fortaſſis tamen fuerit aliquod operis pretium, ſi de ceteris etiam templis, quæ totâ valle quondam viſebantur dixero. Ordiamur à Fano Martini.

Duas in illo ſacras ædes fuiſſe, lego in enumeratione rerum, quas Fulco 17
de Ponteues Vicecomes, & Guilelma de Ceſariſta vxor, poſſidebant anno quinto & decimo ſupra milleſimum ducenteſimum. *Infra caſtellum habent eccleſiam S. Mariæ cum ſuo tenemento. Eccleſia S. Martini habet quamdam vineam in Clauſo de nutrino pro Falcone de Ponteues.* Non alibi tabularum lego Marianum illud templum: hoc Martinenſe frequentiſſimum in plurimis eſt. Et quidem, vt id vnum afferam, Adrianus Pontifex, eo nomine quartus, anno quinto & quinquageſimo poſt milleſimum centeſimum ſcripſit ſequentia: Collegium canonicorum Forcalquerienſium poſſidet *eccleſiam S. Martini de Manuaſca, cum omnibus reditibus, & decimis ſuis in ſolidum, & abſque alicuius participatione.* Adriano paria docuit Alexander tertius quar- 18
to & vigeſimo poſt anno. Iſta Pontificum verba ſic intellige, vt non vnius alicuius, aut alterius canonici fuerit hoc ſacerdotium. Erat canonicorum per capitula Sparnacenſia ſimul ſub Præpoſito degentium, *in dormitorio dormientium, ac in refectorio*, etiam poſt centum ab Alexandro tertio annos, comedentium. Igitur curabant id templi, non vnus canonicorum, aut alter, ſed ipſum collegium, Præpoſito rem gerente, alioſque ab aliis, neceſſario ad ciuium vſus numero, canonicos ſubmittente, & quidem, vt arbitrabar, omnino ad quinque. Nam cur alioqui, cùm ignotas mihi ob cauſas, & ſacerdotes, & clerici templo imponendi fuere perpetui, Roſtagnus Cabaſſola Præpoſitus (Martinianum Caſtri Manuaſcæ ſacerdotium Præpoſito obuenerat) hos omnino tres, duos illos voluit eſſe, ac famulum inſuper vnum, niſi quòd canonicorum collegium non pauciores de ſuis iam olim conſueuerat mittere in ædis ſacræ miniſterium? Et verò eorum ſedes anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſpetimo viſebantur in odæo Sanmartinenſi, vt autores ſunt Conſules, tum agentes apud Carolum Siſtaricenſem Epiſcopum aduerſus Forcalquerienſe canonicorum collegium.

Sub Caſtro Manuaſcæ Fanum Maximi quondam ſtetit. Eius incolæ, om- 19
nium de reliqua valle vltimi, in Villam immigrarunt. Ab æde Maximo Regienſium

gienſium Antiſtiti dicara nomen accepit. *Eccleſiam S. Maximi* appellat Adrianus Pontifex id nominis quartus.

20 Proximè in Podio acuto, ſeu Montacuto, vel pago Montacutio, ſurgebat templum Martino, & in eius agro Roſtanæ ſeu Roſtaniæ (vulgus Roſtagnam dicit) ſacellum. Diarium conſulare anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi habet ſequentia ad diem quintam menſis Ianuarij: *capient lapides extra eccleſiam S. Martini, & ſecus eccleſiam S. Roſtagnæ.* Sermo eſt de latomis, fornicem proximè impoſituris aquæ fontanæ ad pontem Eſpellium decurrenti è valle Gaudea.

21 Supra pagum Montacutium, longè ad dexteram euntibus, eſt agri regio non prorſus inhonora. Formicariam vocant. Habitatam fuiſſe quondam villis latè ſparſis, docet quæ Lauſſelatio riuo impoſita erat, ad ipſarum ſcilicet vſus, moletrina. Habebat ædem Stephano protomartyri ſacram, in nemore, Formicario quoque dicto. Adrianus quartus appellat *Eccleſiam S. Stephani de Tairone.* Vnde id nominis? An ab agri regione, in qua ſtabat; Vtcumque hoc habeat, ſuſpicor templum eſſe, quod Conſortia, ante annum à Chriſti ortu quingenteſimum erexit Martyrum Principi. Certè Tullia ſoror in Mariano illo mediæ vallis celeberrimo ſepulta fuit, vt ſcripſi in Virgine Romigeria numero 4. & Eucherius pater *in agre ſuo ſuper fluuium Druentiam, intra ſpeluncam*, quæ in Bellimontani non longè collis radicibus nuper aperta eſt, quemadmodum annotaui libro 2. de Viuarienſibus Epiſcopis numero 45. *ſponte concluſus* diu latuit. Igitur, vt non rarò mutant agri nomen, quæ Formicaria nunc appellatur regio, quondam vocabatur Taironia, fortaſſe antiquiſſimis temporibus dicta eſt *Moctan*; & quæ ad Stephani templum iacebant non ita pridem rudera, triſtes fuerint reliquiæ xenodochij Conſortiani, ſeu bello, ſeu vetuſtate diruti. Sed vt dicam quod ſentio. Cum legis Tulliam in templo S. Mariæ pro voto ſepultam, cogita aream templo proximam, neque enim intra ipſius templi parietes corpora tum condebantur. Antè autem quàm eam in aream deportaretur ſepeliendam, Tairone condita eſt, vt docet liber ille MS. Sancti Eugendi quem Chifletius citat in Paulino caſtigato pagina ſeptuageſima prima. ait ſcilicet agrum in quo eſt condita vocatum *Tere*: Tairo autem ſeu *Tero*, quàm parum differt à Tere!

22 E Formicaria regione deſcendentibus vrbem verſus, occurrit ad Occidentem Corcoſſonus mons. Imminet Sanmartinenſi Ranacatienſium viæ. Is habet in vertice ſacellum Michaëlæum. *Michaëlem de Tamiſerio* (ignota nunc ciuibus eſt hæc vox) appellant veteres tabulæ, & cetera illius tacent. Tacent etiam omnia templi, beato Albano in cognomine ad Occidentem longiſſimè regione poſiti.

23 In Omnium ventorum caſtro, ad Sanctalbanæ regionis meridiem conſtituto, (Totas auras vulgus appellat) ſtabat olim ædes Iacobo Apoſtolo, & iuxta ipſam altera Mariæ Virgini. Vna illa curialis erat. Conſules anno ſecundo & vigeſimo poſt milleſimum quadringenteſimum cogitauere ambas, cùm ruinam minarentur, euertere, & earum vice tertiam in ipſa rupe excitare. Sed, vt ego quidem reor, cogitare auſos deterruit populi pietas. Ante omnem cartulariorum memoriam, Mariana eſt in magna veneratione

ratione ciuium : Christique mater religionibus eorum bona respondet. Igitur accolam sacerdotem habuisse, qui illam curaret, non dubito ; & affirmat iuncta ipsi domus. Priorem etiam ei tribuit non semel diarium consulare, & aliquot vineas omni tributo liberas. Sed iam à pluribus sæculis presbytero defecta est perpetuo. Lego expetitam à Seruitis Aquensibus in monasterium, datam verò eremitæ primùm, deinde Franciscanorum Tertiario, postmodum Augustiniano, ac Obseruanti Franciscano demum, vt eremiticam sine socio vitam ducerent. A non multis annis, magno per vltimam luem voto ciuium, instaurata est. Curatur à Carmelitis Manuascensibus, neque nullâ populi frequentiâ celebratur. Quia verò Totas auras memoraui, aduertam quoque armandum & Guigonem fratres anno 1245. in donatione nescio cuius rei monachis Mansiadæ, *Totas auras* posuisse Berci: *In Totis auris, & Mansa Octobris*, inquit. Ista donatio habetur in libro chartarum grangiæ de Berco folio 316. pag. 2.

Sed barbarum Caluinistarum facinus hîc tacere non possum. Istud ge- 24
nus hominum, & alia grauissimè peccat, & maximo scelere exosam habet Virginem Christi matrem. Vbi etiam accuratiùs à nobis colitur, ibi audent durioribus exercere odiis. Igitur Marianam ad Omnium ventorum quondam pagum ædem, antiquissimis Manuascensium religionibus nobilem, flagitiosa sacrarum imaginum fractione corruperunt anno primo & sexagesimo superioris sæculi, mense Iulio. Illam ipsam, & ceteras omni vrbe agroque euertissent, si Mailææ Comitis veneratio non tenuisset furentes. Manuascæ tum ea degebat, Tendæi dynastæ, qui Prouinciam pro Rege moderabatur, socrus. Inuenio fregisse etiam imagines in Mariæ *de Compassione in agro Manuascensi* : sed quæ fuerit hæc ædicula nemo dicat. Sacellum Virginis *de consolatione* fortassis cogirabat scriba vrbanus, & alteram vocem pro altera, vt non rarò fit, posuit in diario Consulum. Ista certè visitur ad Septentrionem areæ Sobeiranæ.

Si petas ; Vnde Hugonottis in vrbe piissima tantum seu audaciæ, seu vi- 25
rium ? sic habe. Placet omnem Manuascensium historiam ab ipsis initiis repetere. Ante annum millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum, silent vrbanæ omnes de Caluinistis tabulæ. Diarium consulare eo ad secundam diem Nouembris ita refert : *Qui duo ciues Aquis Sextiis Legati redierant, retulerunt vocatos ad consilium, magno consensu decreuisse, pellendos publico Manuascæ vrbis concilio, qui in suspicionem hæreseos venere, aliosque sinceræ fidei viros ipsorum loco eligendos esse.* Hi illi sunt, qui Caluinismum primi intulere in vrbem. Nulla chartarum quas legerim, habet ipsorum nomina ; neque affert doctores, à quibus errorem accepissent. Lego Christophorum Bremundum anno post quinto missum in carcerem, ob Caluinianæ professionem hæreseos ; & cùm ea demum per manifesta clarescceret incrementa, inuasisse octauo & sexagesimo sæculi anno, & alia, & ad nouem ac triginta obdurata capita. Placet illa censere de nomine. Habentur in diario Consulum.

Antonius Pasquier. & Ioseph Antonij filius. Paulus Brunet. Franciscus Aunier. Fulco Brunet. Claudius Bardol. Spiritus de la Venture. Theobaldus Lambelot Anton. Armandus de Taulete. Ioannes Clementis. Bertrandus Paget. Iacobus Imberti. Franciscus Arnaud. Iacobus Boyer. Elzearius Feraud. Raimundus de

Greaux. Ioan. Franciſcus Brena. Bremundus, dictus Mouron. Joannes Selon. Raimundus, Taxil. & Petrus Raimundi filius. Raimundus Geneis. Spiritus Tournet. Dionyſius du Puis. Franciſcus Taxil. Iacobus Rei. Ioſeph Aimin. Bartolomeus Granon. Elzearius Battarel. Antonius Simiane. Michaël Oliuarius Leſardy. Antonius Cognat de Molet. Saunarius de la Sourde. Bonnetus Labory, & filius. Ioannes Trempe. Ludouicus Alloat. Stephanus Brunet. Honoratus Clementis.

26 Anno primo & ſexageſimo venerant Geneuâ, qui voce exemploque confirmarent imbutos recenter hæreſi. Neque multò poſt etiam Miniſter, quem vocant, ex Angroniana valle. An is ille cenſendus autor ad imaginum Marianarum fractionem, quam modò memoraui? certè duobus ante illam menſibus in vrbem venerat; & non multis antè annis Angroniani hæretici ſacram ædem euerterant in patria; cùm autem alia domus iam erectis tanto præſidio animis opportunior non videretur, auſi ſunt cœtus, preces, conciones clam, omni ciuitate, habere in armis per noctem in gymnaſio literario, quod cùm ſine ſera, ſine peſſulo pateret omnibus, taciti intrabant: & Conſules exciti rumore importuni ſceleris, occupatum claudunt ſera. Quid ambitioſo precum & concionum nomine quærerent, docuerunt effera in patriam cœpta. Intra duos & triginta annos, ſeu dolo, ſeu vi, tentauerunt nouies Manuaſcam, ſcalis quoque ad muros per noctem admotis octauo & ſeptuageſimo ſuperioris ſæculi, quartâ & vigeſimâ die menſis Octobris. Conſules autem non alio vnquam tempore, certiùs
27 aperuerunt ſuam fidem erga Deum, & Regem. Singulis ferme annis, à ſexageſimo ad quartum & nonageſimum, publicis fatigauere Deum precibus, & ad Senatum Aquenſem, ac ipſum etiam Regem, cùm poſtulabant tempora, rem detulerunt. Fuit quoque, cùm nouendiales, exorando Deo, per vrbem ſupplicationes egerunt: Fuit cùm ad communiſſimum concilium, firmandis ſi qui labaſcerent animis, coëgere familiarum ad ſeptinginta capita. Agebatur octaua & decima dies anni ſecundi & ſexageſimi, cùm ſinguli, quàm multi erant, elata ad cœlum manu dixere ſacramentum in hæc verba: *Volumus viuere, & mori in noſtrorum ſupra mille annos maiorum fide. Regemque oramus, vt veſtigiis maiorum ſuorum inſiſtens, non patiatur Manuaſcæ alias, quàm ex Eccleſiæ præſcripto, conciones haberi.* Quid? quòd erexerunt duo patibula, alterum in foro Mercatorio, ad portam Saunariam alterum, vt quos pro caluiniſmi obdurata impietate non tangebant ſacræ illæ religiones, certè ſupplicij publicè propoſiti acerbitas detetretet à parricida-
28 libus in Deum, Regem, patriam facinoribus. Sed nullus fortiſſimorum Conſulum operæ fructus conſtitit. Manuaſcam, vt agro culta eſt, & ad Druentiam fluuium ſedes, Forcalquerienſemque Comitatum, frequentiſſimâ Aquas Sextias, Arelatem, & Maſſiliam è montanis viâ, reliquæ iungit Prouinciæ, cogitare perrexerunt hæretici: atque, ſi conatus non reſponderent votis, certè in ea conciones, ac publicum ſuæ cultum hæreſeos. Illud, per vigilantiam, & fortitudinem Conſulum, perficere hactenus non potuerunt; in hoc ſaltem ex parte feliciores fuiſſe videntur. Suos, omnibus palàm, in vrbe profitentur errores; cœtus, publicas preces, conciones habent in agro. Scholis ſcilicet vrbanis, vt memorabam, pulſi, & alia aliis mouera temporibus, & denique anno huius ſæculi primo, die tertia & vigeſima Februarij, edictum à duumuiris, quos Henricus Magnus rei præfecerat

fecerat abſtulere, quo illis conceditur habere ſuos cœtus in Petrablancana ad Druentiam villa, & Andreas Arnaudus Forcalquerienſis Prætor iubetur rogantes mittere in poſſeſſionem ruris. Multa Conſules inteturbandæ rei ſuſ- 29
ceperent apud Aquenſem ſeu Archiepiſcopum, ſeu Senatum, multa apud Prouinciæ comitia, & cùm à Duumuiris gerebatur Aquis Sextiis, & cùm Manuaſcæ agebatur ab Arnaudo. Sed irrito conatu omnia. Igitur denique prouocarunt ad Regem: prouocauit & Carolus Graſſius vrbis, vt Hoſpitalarij loquuntur, Balliuus. Scilicet manifeſta huic fiebat iniuria, cùm Rex Hugonottorum conciones prohibuerit Eccleſiaſticorum virorum, (& Eccleſiaſtici puto ſunt Hoſpitalarij, qui Religioſum Ordinem profitentur) omni ditione: neque obſcurè peccabatur in Manuaſcam, quæ ſuburbiis, hæreticorum conuentuum ex lege Regia loco, caret. Quia verò tum per 30
grauiſſima negotia non licebat iure agere, pro facta prouocatione apud Regem, Conſules certè decreuerunt videndum, ne quid detrimenti res Catholica pateretur. Auenione virum è Societate Ieſu, quem Caluiniſtarum Miniſtro opponant, deducunt, Guilelmum Changetum, eloquentiâ ad populum graui clarum, & multarum de hæreticis palmarum nobilem. Is in vrbe annum ſolidum hæſit. De collegio præterea eiuſdem Societatis inſtituendo agunt; neque enim certius Fidei firmamentum Catholicæ tum videbatur. Et ſuos exitus res habuiſſet, ſi qui illam inuenerat, vrgebatque, 31
vir ingenio, ſcientiâque, prorſus excellens vixiſſet diutiùs. Erat is Conſulum primus, quando Duumuiri edixerunt pro hæreticis; & cùm nihil non moueret Aquis Sextiis apud ſacros & profanos ordines, fecit vt Ioſeph Guaſquius, antiquiſſimâ gentis nobilitate clariſſimus, Ioannes Antonius Boiſſonus, aliique collegæ, ab iis Manuaſcæ prouocarent ad Regem. Ab illo deinde alij quidem aliis temporibus, nuperrimè quoque, poſtulauerunt à Societate Ieſu, vt nonnullos de ſuis ad ipſos mitteret, verùm qui optimi, deque vrbe meritiſſimi ciuis ſpiraret animos, Collegiumque ab ea expeteret, non hactenus eſt inuentus. Hugonotti verò, vt ſuis rebus attenti præ 32
Catholicis ſunt, erexere animos ad Duumuirorum edictum; & ſi per Conſulum vigilantiam non liceret moderari vrbi, conciones ſuas interea, ne ruſticariæ omnino eſſe, & de villatico prodire ore dicerentur, tetenderunt aut in vrbem ipſam inducere, quod in animo ſemper habuerant aut ad eam certè admouere. Et quidem anno huius ſæculi duodecimo, egere apud Regem conatu inani, vt per ipſum liceret habere propiùs vrbem cœtus ſuos in conualle Guilelmi petria Quid verò contra Regem & patriam? audi conſulare diarium anni milleſimi ſexenteſimi vigeſimi primi. *Cùm moniti fuiſſent Conſules, Hugonottos de occupanda Manuaſca cogitare, vrbano concilio decretum eſt muro claudere portas vrbis duas, Sobeiranam, & Aurorulæam, atque ipſos circum vrbem muros reſtituere.* Ex mandato igitur Regis vocauerunt eos ad dicendum 33
ſacramentum. Ad illud adacti ſunt omnino quadraginta.

Ioannes Deſauris. Ioannes Guilelmi. Philippus Gaudemar. Antonius Gaudemar. Paulus Gaudemar. Petrus Gaudemar. Ioannes Ferrand. Ioſue Ferrand. Marcellinus Laugier. Petrus Feraud. Ioannes Granon. Honoratus Gaudemar. Ioannes Feraud. Petrus Portalis. Ioannes Martinus. Petrus Fayet. Marcus Maſſe. Stephanus Teiſſier. Ioſeph Carriol. Melchior Genoyer. Ioannes du four. Petrus Candier. Franciſ-

cus Taxil. Rolandus Genies. Petrus Blayn. Petrus Guiguet. Mauritius Reſplendin. Michaël Reyllet. Steph. Reillet. Gabriel Reillet. Ant. Melue. Iacobus Columbi. Antonius Garcin. Iſaac Bourdin, vir moribus elegans, & ſcientiâ medicia clarus. Daniel Peyrè. Ioannes Caſtagny. Henricus Blayn. Ioſeph Arbaud. Antonius Larderet. Monetus Secundus.

Quinque vltimi ad Catholicos ante mortem rediere. Redibunt etiam, qui ſuperſunt, fortaſſe aliquando. Scilicet genus hoc hominum iam multùm decreuit. Anno ſæculi præcedentis octauo & ſexageſimo, numerabant ad quatuor & nonaginta viros: huius autem ſecundo & viceſimo, Spititus Lumbardus Conſul cum ſacramento coram prætore dixit, eſſe in vrbe tantùm ad quinquaginta. Cùm hæc ſcribo, ſunt in ea duo & triginta; deque ipſis aduenæ prorſus ad viginti; ſex neque plures, patre & totidem auo, ciuibus nati. Vnus Honoratus Feraud ab auo per patrem accepit hæreſim. Sed iſta hactenus. ad Manuaſcæ templa redeamus.

34 Cùm ab Omnium monte ventorum deſcenderis, occurret non longè, ædes Apoſtolorum principi ſacra. Ab ea vnus è Manuaſcenſium pagis, quem pro amplitudine burgum quoque dicebant, nomen habuit. Hoſpitalariorum iuris eſt ab annis ſupra quingentos. *S. Marius* (inquiebat Bertrandus 2. Antiſtes Siſtaricenſis, anno ſeptuageſimo ſupra milleſimum centeſimum) *habet eccleſias iſtas in valle de Manuaſca, eccleſiam S. Martini, eccleſiam S. Sepulcri, eccleſiam S. Petri quam tenent Hoſpitalarij, ſoluentes pro ea ſingulis annis libram incenſi, in feſto S. Marij.* Sed vt hæc, & alia quæ ad ipſam pertinent, apertiora & illuſtriora ſint, dicam oportet de Hoſpitalariis, deque palatio, in quod ex S. Petri commigrarunt. Hoſpitalarij, incerto
35 ante quingentos anno, Manuaſcam venerunt. Principio ſederunt in S. Petri. Igitur venit in mentem cogitare, qui ad ſacram ædem vocati ſunt, ſacerdotes fuiſſe: & cùm ij in ſanctiſſimum Ordinem adſciti fuerint à Raimundo Puteano, qui ſeu primus, ſeu à Gerardo inuentore ſecundus, circa annum milleſimum centeſimum vigeſimum ſecundum ſupremum adiit magiſtratum, ſubiiſſe Manuaſcam ſub illius ſæculi trigeſimum. Quis ad B. Petri vocauit ſanctiſſimi Ordinis ſacerdotes? hoc tacent Manuaſcenſes tabulæ. Quoniam ædituus non inopulentus quondam fuit, vt pote cui & ad ædes in pago, & in Villa viſebantur prædia ſub clientela, arbitrabar vnum aliquem de Forcalquerienſibus principibus illum eſſe, qui ipſo templo donauerit, &, quod in templi curam & ornamentum excitabat, ſacerdo-
36 tio. Neque hæc ſuſpicio potiùs, quàm ſententia, nihil fundamenti habet in veteribus charris. Conuentionis capitum, in quæ Guilelmus Senior cum Hoſpitalariis venit de Manuaſca à Guigone donata, primum continetur ſequentibus verbis: *Hoſpitalarij iure perpetuo habeant, & quietè poſſideant quidquid habebant pridie, antequam Guigo Comes hanc donationem Manuaſcæ eis feciſſet.* Iam peto, qui ita loquitur, abs dubio tradit Hoſpitalarios non vnius Manuaſcæ dynaſtiâ, ſed aliarum etiam rerum dominatione deiectos fuiſſe à Comite Forcalquerij. Hoc ſi aliquando concedas, cur negabis res eas prædiis, aliiſque huiuſmodi, ad S. Petri ſacerdotium ſpectantibus, contineri? Iſta vero ſi à Principe donata non fuerant, quid in ipſa Guilelmus
37 Senior cum fratribus inuolabat? Scilicet vt dicam quod ſentio, templum Petri, vt alia uon pauca, ad vnam populi pietatem excitandam, fouendamque

damque, erectum fuerat in agro. Id Princeps Hoſpitalariis conceſſit, non prorſus nullo, neque contemnendo è ſuis rebus inſtructum ſacerdotio. Has res, vt Manuaſcam ipſam, Hoſpitalariis donari non potuiſſe contendebat Guilelmus: vt iure donatas, antè de Manuaſca quàm pronuntiet, Ebredunenſis Anriſtes iubet, hoc primo conuentionum articulo, illibatas ipſis ſeruari. Atque, vt id addam, exiſtimo Guigonem, qui poſt viginti, aut circiter, annos Manuaſcam omnem, quando liberis carebat, conceſſit, illum eſſe qui hoc templum ipſis tradidit. Quid enim alium cogitabimus? qui virorum pietate commotus id ſacerdotij largitus fuerat, eô ſenſim nouis per annos pietatis incrementis adductus eſt, vt omnem quoque Manuaſcam elargiretur. Vtcumque hoc habeat, Hoſpitalarij *Commendatorem*, 38
vt loquuntur, profectò habebant in S. Petri, antè Guilelmus Iunior quàm & in palatium, & in Manuaſcæ totius iura ipſos induceret. Vvilelmus hoc dignitatis gerebat anno illius ſæculi octogeſimo ex tabulis, quas Guilelmus Iunior concluſit iſtis verbis. *Hanc autem donationem, & conceſſionem in Aquenſi ciuitate, in manu tui Odini Prioris Hoſpitalis S. Ægidij feci, aſſiſtentibus tibi fratribus Hoſpitalis, Petro Gauterio Commendatore Hoſpitalis* (ſub. Aquenſis, Aquis enim Sextiis hæc ſcribebantur) *Vvilelmo de Aluemegue Priore Hoſpitalis S. Thomæ de Trencataila, Vvilelmo Hoſpitalis Commendatore Manuaſcæ.* An plures eiuſdem Ordinis cum eo fuerint, haud ſcio. Certè poſtquam Guilelmo 39
Iuniore mortuo migraſſet ad ipſius palatium, plurimos ſecum habuit. Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, Hoſpitalarij Manuaſcenſes iurauerunt, ſe non vltrà è ſuo alueo educturos aquas riuorum Droüilæ, & Conchetarum. Rem agebat *Berengarius Monachi Præceptor, nomine domus, cum conſenſu, & voluntate, & aſſenſu fratrum in dicta domo commorantium.* Vis horum nomina? accipe. *Nomina verò dictorum fratrum ſunt hæc Frater Petrus de S. Martino baiulus Manuaſcæ, fr. Hugo de Cori, fr. Petrus de Clauſo, fr. Hugo de Genaſeruis, fr. Petrus de Creiſſello, fr. Bertrandus de Barraſſio Præceptor Caſtris, fratres & milites Hoſpitalis, fratres Georgius de partibus tranſmarinis, fr. Pontius Motet Preſbyter, fr. Bertrandus rector furnorum, fr. Dominicus preſbyter, fr. Stephanus Conbili, fr. Hugo Peyrolecius ſeneſcallus, fr. Guilelmus Laſallis.* Teſtes, & alij tabulis ſubſcripſerunt, & Donati tres Hoſpitalis, Guilelmus Alphanti, Oliuerius de Bariemono, & Guilelmus Veyſcani de S. Georgio. Hoc placet aduertere. Donati non ſunt Hoſ- 40
pitalarij: igitur non fratres, ſed confratres vocantur. ij ſe ſanctiſſimo Ordini quibuſdam conditionibus addicunt, quas in ipſius regula legere eſt titulo 2. num. 34. Principio promittunt beneuolentiam & caritatem Magiſtro Hoſpitalis, fratribus, Ordini. Deinde pollicentur tutelam & defenſionem iiſdem, illamque ſi præſtare non poſſint, eorum certè manifeſtationem quæ detrimentum inferre valeant. Poſtea non alium, quàm Hoſpitalis Ordinem profeſſuros ſe aſſeuerant; petuntque ſi non profeſſi fuerint, vt ſepeliantur in ipſius cœmeterio. Denique aiunt, ſe in iſtius veluti clientelæ profeſſionem, nonnihil operis annuatim in Hoſpitale collaturos, die Ioanni Baptiſtæ ſacro. Atque ego quidem non dubitabam Guigonem Forcalquerij Comitem, ſi Hoſpitalariorum Ordinem ſi non vouet, ſeſe in 41
numerum Donatorum adſcribere illis verbis, quæ libro 2. numero 3. re-

citaui. *Meipsum eidem Hospitali & pauperibus, ad perpetuum ad seruiendum contrado*; & Guilelmum Iuniorem iis quæ retuli eodem libro num. 26. *corpus meum, vouens & offerens pro sepultura, in cœmeterio domus Hospitalis.* Scio nationem Donatorum non esse in honore apud Hospitalarios, & dedecere non principes, aut dynastas, sed nobiles viros: verùm alia omnia quondam fuisse non dubito; summosque etiam viros, cùm seu matrimonio, seu aliis causis, prohiberentur sancto Ordine, ei saltem ad precum, bonorumque operum partem adhæsisse, cúmque ipso societatem iniisse. Confraternitatem hanc vocabant; seque Confratres, & quia ad seruiendum per vitam, postque mortem ad sepulturam donabant, Donatos. Bernardus Grossus Brancionis & Vxellarum dominus, qui nupserat sorori Ducit Lotharingiæ ante annum 1149. iuit *Ierosolymam, in domum Hospitalis, vbi se donauerat*, vt loquitur Amedeus tum Lugdunensis Episcopus, apud Guichenonum in Bibliotheca Sebusiana centuria 2. cap. 63. Illis sanctissimi Ordinis, vt ceterorum, initiis, non omnia dum sic erant composita, vt Donatorum seu Confratrum illa essent, quæ nunc legimus, instituta. Sicuti Raimundus Puteanus ad Geraldi autoris leges addidit, & alia, & militiæ celeberrimum munus, ita alij à Raimundo Magistri, alia capita adiunxerunt, è quibus denique legum ille liber omnis profluxit, quem habemus in manibus. Igitur in eo etiam legimus, quæ singuli inuenerunt: & quæ retuli Donatorum iura, censentur in rebus à Rogerio de Pinubus post annum quintum & & quinquagesimum à millesimo trecentesimo constitutis, scilicet ducentesimo post Guigonis, qui Manuascam donauit, mortem. Sed quid ista fusiùs exequar? index chartarum Aquis Sextiis *in turri thesauri*, vt loquuntur, regiarum, docet *in arca longa, quæ habet caissonos* 10. *caissono quarto*, tabulas esse hoc argumento: *Anno* 1209. *mense Decembri Magister domus Templi Prouinciæ recepit in Fratrem ac Donatum Ordinis, Dominum G. Comitem Forcalquerij in vltimis suis.* G. Comes iste est Giraudus Amicus Sabranius, Comitis cognominis filius ex Alissa, siue Adelaide, Guilelmi Iunioris sorore secundò ge-
42 nitus. Ex aliis chartis constat extremum diem hoc nono anno obiisse. Atque hactenus ista dixerim, eò reuocanda est oratio, vnde deflexit, & plures Hospitalarios cum suo Præceptore fuisse Manuascæ, ex vetustissimis tabulis ostendendum. Anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto, dissentiebat à ciuibus Manuascensibus *Falco de Bonatio Præceptor, & conuentus domus Hospitalis Ierosolymitani de Manuasca.* Arbitrorum in quos conuenerant sententiæ testes, & alij fuerunt, frater Bertrandus de Laya, & frater Hugo de Crocis: agebant autem in palatio, cum Falcone, Berttandus Gantelmi, Gaufridus de Moyssaco, & Augerius milites: & Donatos habebant Rostagnum de S. Georgio, atque Ioannem Pa-
43 ganum. Sed in nobilissimis illis conuentionibus Helionis Villanouani, postea Magistri Ordinis, cum Manuascensibus anno millesimo trecentesimo decimo quinto ita legitur: *De consensu, & voluntate, & assensu fratrum infrascriptorum conuentus palatij de Manuasca, conuocatorũ ad sonum cãpanæ, vt moris est, scilicet fratris Giraudi de Rosseto, fr. Raimũdi Geraudi baiuli, fr. de Raibaudi de Losterio, fr. Sauarici de S. Maximino, fr. Guidonis Asosmarij militum: fratris Raimundi Solegui, fr. Iacobi de Elorio, fr. Guilelmi Beroti sacerdotum: fratris Guilelmi Folecherij, fr. Guilelmi Naset, fr. Hugonis Thomæ, fr. Iacobi Girardi, fr. Fulconis Picholi.* In testi-

bus

bus fuit Petrus de Roca rubea Donatus. Vides Hoſpitalarios vitam plures in palatio ex religioſis egiſſe legibus, vt pote quorum ædes, vt ingens turrita que ſit, *conuentus* dicebatur. Ante Pium 2. pontificem auſteris degebant inſtitutis: per Quadrageſimam, & Aduentum, atque feriâ per omnem annum quartâ ieiunabant: poſt cœnam prohibebantur potu: ſilebant in menſa, & lecto: non iacebant ſine lumine in cubili. Iſta ſeu virium corporis firmitati militibus neceſſariæ aduerſa, ſeu per ſe dura, Pius eo nomine ſecundus abſtulit, Iacobo Millæo Ordinis Magiſtro, qui (vt hoc non taceam) Manuaſcæ Præceptorem in Balliuum euexit. Plures ſub Præceptore degebant in ea, quam Magiſter ſingulis aſſignauerat domum; Præceptorque illud tantùm de reditibus ſibi aſſumebat, quod familiæ à Magiſtro conſtitutæ neceſſarium videbatur, cetera in communes Ordinis vſus ſeponebat. Sed iſta ſatis. Locus poſtulat vt de Palatio Manuaſcæ dicam. Quadratum eſt. Singuli anguli rotundantur in ſingulas turres: media latera ſi occidentale excipias, quadratæ muniunt. Et hæ, & illæ ſurgunt elegantes in pinnas, opere firmæ, altitudine ſpectabiles. Vniuerſum inſignis lorica circumdat, quæ interiorem foſſæ, antequam negligeretur, altiſſimæ oram ab extremo eius fundo ducta munit: nam exteriorem, vt alia non afferam, tempus corrupit. Per duos pontes ſublicios ad ipſum acceſſus eſt. Alter foſſæ, vbi aperitur lorica; alter palatij portæ appoſitus eſt. Hac ſuperatâ, ingens atrium ingredientes excipit, omni parte circumdatum amplis ædibus, quas in elegantiam & maieſtatem Principe dignam compoſitas, vt à colonis in prædia ruſtica ſolùm intentis fere habitantur, vna firmiſſimi operis craſſitudo ſuſtinet. Igitur à ſtillicidiis, & colonorum fortaſſis etiam fraude, ruinam aliqua parte minantes, recompoſuit ad ſuam firmitatem, ante annos centum & viginti laudatiſſimus ille Balliuus, Ioannes Bonifacij, vt fert inſcriptio ſuperpoſita portæ verbis ſequentibus. 44 45

Reuerendus & ſtrenuus miles, frater Ioannes Bonifacij, præſentis fabricæ reſtaurator, ſuperilluſtris domini fratris Philippi de Villiers Liſle Adam Sacræ domus Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani magni Magiſtri locum tenens, Balliuus Manuaſcæ, Præceptor præceptoriarum de la Chapelle, Maſſiliæ, Valentiæ, & S. Chriſtophori in prioratu D. Ægidij, hæc poſteritati relinquenda curauit die vltimâ Iulij 1537.

Bonifacius hic dicitur Delphinas ab Hoſpitalariorum hiſtoricis. Vir in paucis clarus, & inſignis, ſummi ſuorum Magiſtri vices obiit per vitam, & poſt mortem Philippi Villerij, vſque ad Petri Pontani ſucceſſoris aduentum Melitam. Anno illius ſæculi quarto & trigeſimo deſinente venit Manuaſcam, & in ea reliquam ætatem egit. Ad portæ palatij dexteram ingredientibus occurrit ſacra ædicula. Bonifacius in eam induxit corpus beati Gerardi. Hic vir Maſtromellæ in Prouincia natus, inuenit Ordinem Hoſpitalariorum Ieroſolymis, anno milleſimo nonageſimo nono. Naberatus in tabulis expanſis prærogatiuarum Ordinis ſui appellat Petrum Gerardum, errore (vt reor) magno typographi, qui P. id Petrum ſcripſit pro F. id *fratre*. Neque nullo argumento eſt, quòd ceteris Hoſpitalariorum Magiſtris addidit characterem initialem F. fratres dicens, Gerardo non adiunxit. Magis miror, quòd Innominatus autor, in commentariis, regulâ, & conſtitutionibus Ordinum Montis Carmeli, & S. Lazari Ieroſolymitani, appellat 46

pellat *Gerardum de Thom*, inaudito de noſtra vſque tempora cognomine. Fauinus autem in honoris & equitatus theatro, ſine autore facit Sandeſiderianum in Picardia gente; & eâ profectò fide, quâ Raimundum Gerardi ſucceſſorem facit Aruernum, contra Puteanorum in Delphinatu Monbrunios, qui antiquiſſimis ipſius etiam temporum chartis ſupra certiſſimos de Hoſpitalariorum rebus geſtis hiſtoricos, fortiſſimum virum aſſerunt ſuo ge-
47 neri. Altari ædiculę Bonifacius tabulam pictam impoſuit. Ea in duas veluti regiones diuiditur. Superior Chriſtum habet de Cruce pendentem, cui ad dexteram ſtat Virgo mater, Ioannes Apoſtolus ad ſiniſtram. Inferior Mariam Virginem, quæ à Filerma nomen accepit, oſtendit mediam: ei dexter eſt Ioannes Baptiſta, Gerardus ſiniſter. Et illi quidem, ex communiſſimo Eccleſiæ more, Chriſto adſtant affixo Cruci. Cur Ioannes Baptiſta Gerardo ad dexteram additus fuerit, in promptu eſt dicere. Is habuit Domini Præcurſorem pro autore Ordinis ſui: in illius ipſius tutela repoſuit Hoſpitale ſuum: demum eidem ſacrauit ædiculam Hoſpitali adiunctam. Scio Guilelmum Tyrium libro 18. ita de Hoſpitalariis ſcripſiſſe; *Erexerunt in eodem loco*, Ieroſolymis ſcilicet, *altare in honore beati Ioannis Eleemoſynarij* & Ioannem de Vitriaco in hiſtoria Ieroſolymitana; *Primum paupertatis ſuæ patronum, & coadiutorem eorum, & loci apud Dominum protectorem, beatum Ioannem Eleemonā deuotiſſimè venerantes, & aduocatum ſuum confitentes.* Sed tu audi Godofredum Bullionium Ieroſolymorum Regem. In tabulis prærogatiuarum Gerardo, poſt inuentionem Ordinis anno primo, Chriſti autem milleſimo centeſimo, conceſſarum hæc ſcripſit: *Poſt Chriſti ſepulcrum, ceteraque loca Ieroſolymis ſacra, denique perrexit ad eccleſiam Hoſpitalis, erecti in honorem Dei, Beatæ Virginis, & Sancti Ioannis Baptiſtæ.* Audi Paſchalem 2. Pontificem. Is Gerardum ſic alloquitur anno tertio & decimo poſt milleſimum centeſimum: *Poſtulauit ſiquidem dilectio tua xenodochium, quod in ciuitate Ieruſalem, iuxta beati Ioannis Baptiſtæ eccleſiam inſtituiſti, Apoſtolicæ ſedis auctoritate muniri.* Audi Bernardum Archiepiſcopum Arelatenſem. Is anno 1129. & decimo poſt S. Gerardi mortem ſcripſit ſequentia. *Ego Bernardus Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus* &c. confirmo *Deo, & S. Ioanni Baptiſtæ, & Hoſpitali S. Sepulcri*, &c. *ſicut ab Antone anteceſſore meo data eſt, eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli* &c. Cur Guilelmus Tyrius his contraria ſcripſerit, vide apud Naberatum in Gerardo. Eum certè ſecutus eſt Vitriacus. Sed Bolandus non viderat Paſchalis Pontificis, & Godofredi Regis literas, cùm ad diem 23. Ianuarij ita ſcribebat: *facellum illud* Hoſpitalis Ieroſolymitani, *cui dicatum fuerit, veri tandem certiùs noſſe potuerunt, Tyriuſne & Vitriacus, qui id ſuis ipſi oculis vſurparunt, an recentiores, quæ ſola ratiocinatione id concludunt, & quidem*
48 *ſententiæ dubiæ.* Ad tabulam altari à Bonifacio ſuperimpoſitam redeamus. Ea ligneo inſidet gradui. Hic prominet circiter palmum, & anteriore facie pictus gerit in medio angelum, qui nuntiat Virgini futurum, vt mater Dei ſit; in dextera parte, baptiſmum Chriſti à Ioanne præcurſore; in ſiniſtra, Gerardum, qui cæco homini viſum inſtaurat. Virgo denique Filermia nunc Melitæ viſitur. Tabula picta eſt. Nomen accepit à Filermo Rhodi monte, qui occidentalis vrbi attollitur ad Septentrionem inſulæ. Antè in hanc quàm Turcæ exſcenderent, illam Hoſpitalarij de monte deportauerant in S. Marci.

ci. Vrbanum templum eſt. Hîc prodigiorum nomen, quod à pluribus annis acceperat, ſeruauit. In mediis ſcilicet templi per hoſtilia tormenta ruinis perdurauit illæſa. Igitur Hoſpitalarij ex his in beatæ Catarinæ, non ſine magnis honoribus, detulere; & Rhodo poſtea excedentes, acceperunt ſibi in viæ comitem, ac tutelam. Denique anno primo & triceſimo præcedentis ſæculi, cùm baſilica S. Laurentij arderet Melitæ, & murus, cui Virgo Filermia ſuperpoſita erat, caderet, ipſa ſine omni per grauiſſimam cladem fuit iniuria. Bonifacius ergo quam pietatem præſtiterat Rhodi, Melitæ, & ab illa ad hanc per varios errores omni via, ad Virginis imaginem Filermiæ, eam Manuaſcæ perpetuam habere voluit in ædicula domus ſuæ, Virginem ipſam ſuis coloribus repræſentans in tabula. Ceterùm Gerardus eſt in præcipua Manuaſcenſium veneratione, & ſæpenumero pluuiam arentibus agris rogatus concedit. Atque hæc dicta fuerint de Manuaſcenſi præſtite, eiuſque in palatio ædicula, & ipſo palatio, atque Petro Apoſtolo ſacra æde, è qua Hoſpitalarij commigrarunt intra vrbem.

Ad orientem huius ædis, quondam alia viſebatur, Chriſto ſepulto di- 49
cata. Poſtquam eius ſacerdotium ad canonicos Forcalquerienſes peruenisſet, conceſſa eſt eremitæ, à quo deinde, cùm ruinam proximè eſſet, deſerta eſt, ceciditque demum, ſolo nomine nunc nota. Ad meridiem verò longè, eſt agri regio Petrablancana. Vt non vniuerſam ſibi haberent Caluiniſtæ, Ioſeph Garnerius beato Ioſepho partem ſacrauit. Quâ in rus Caluiniſtarum cœtibus notum fert non procul via, ædiculam erexit, & miſeratus agricolas, in ea fieri per æſtatem à ſacerdote iuſſit.

Ab eadem longè ad euronotum in agri regione Monlorguia, Martinus 50
noſtris etiam temporibus ſacellum habet, non procul Druentia, Sanmariano Priori ſubiectum. Id Vvilelmus Comes Prouinciæ & Girberga coniux anno tertio & decimo ſupra milleſimum Sanuictorinis monachis cum proximo agro conceſſere. *Eſt prædicta donatio*, inquiunt, *in Comitatu Siſtarico, intra terminos de villa quæ dicitur Manuaſca, id. eccleſia S. Martini, quæ ſita eſt non longè à fluuio Durentia* &c. *Sed & terram delegamus eidem eccleſiæ ad ipſum paludem quæ adiacet, & de palude vſque in Durentiam fluuium, totam ſiluam illam* &c. *Sunt autem termini ex parte orientali, ſicut iacet terra de Amraone, & peruenit vſque ad fontem quem vocant Stelella, & ſic in directum vſque in Durentia. Ex parte meridiana ipſum fluuium Durentiæ. Ex parte occidentali, à præfato fluuio in directum vſque ad molendinum Silueſtri, & ad fontem Chriſtophori* &c. Chartam donationis obſignarunt qui ſequuntur. *Ego Vvilelmus comes Prouinciæ* &c. *Domna Giberga inclita comitiſſa. Domnus Vvilelmus eorum præclara ſoboles. Guilelmus Vicecomes.* Quis hic & cuius regionis Vicecomes? non liquet. Lego Fulconem de Ponteues Guilelmi de Cerueria filium anno milleſimo ducenteſimo decimoquinto Vicecomitem quoque vendidiſſe *caſtellum* & plurima per Manuaſcæ vallem prædia, iuraque. An valli ergo huic erat Vicecomes? Vvilelmi verò Comitis donationem probauit Adalais mater anno pòſt ſecundo, iiſdem omnino verbis ſuam ſcribens: cur Vvilelmus & Fulco atque Acelena & Odula coniuges ſuam fecerint non inuenio. Vtcunque hoc habeat Fulco & Odula anno milleſimo viceſimo quinto dedere Sanuictorinis vnum manſum *in Comitatu Siſtarico, in villa quam vocant Manuaſca, ipſum verò manſum*, addidere, *excolit homo nomine Lunaris, & vxor ſua Rama.*

Si è Monlorguia regione reddas te Volſienſi Manuaſcam viæ, occurret, quingentis ab vrbe paſſibus, ædes leproſorum Lazaræa, cum ſacello ſuo. Huic qui operam dat ſacerdos, à Forcalquerienſibus canonicis iuſſus eſt miniſtrare Saluatoris hominum templo. Et in æde Lazaræa leproſus fere non eſt, cui curam impendat ſuam. Iſtum Sacerdotem diaria Conſulum appellant Præceptorem. Nominis nullas inuenio cauſas. Vrbanos fortaſſe pueros antè docebat, quàm illis plures à Conſulibus attribuerentur ſcholæ. Virgines
52 Franciſcanæ iam olim ſub annum milleſimum trecenteſimum habebant monaſterium Manuaſcæ: deſierunt in illâ eſſe, nono & ſeptuageſimo poſt milleſimum quadringenteſimum. Ad eam Arelate longo poſtliminio redierunt quinto & vigeſimo huius ſæculi. Et quidem antè Manuaſca quàm excederent, ſederunt primùm Saunariæ, poſtea habitauerunt intra vrbem, vbi nunc ſunt ſcholæ liteterariæ: in ipſam verò reduces, proximè portam Aurorulæam incolunt, contra ſed multùm infra literarium illud gymnaſium. Quoniam minùs nota in vulgus eſt vetus earum, ſiue in vrbe, ſiue in ſub-vrbio ſedes, placet de ipſa pluribus diſputare, antiqua Manuaſcenſium
53 relegenti. Igitur ſacris virginibus principio ſtetit ædes extra vrbem, in ea Saunariæ ad Meridiem extrema parte, in qua terræ lingula, cui vrbs impoſita eſt, prærupto quondam mucrone deſcendebat. Vt enim tradidi libro 1. num 14. area illa quæ montibus in theatri ſpeciem circumdatur, vbi ſuperato hemicycli medio, iam accepit vrbem, & per eam ſtadium impleuit verſus meridiem longitudine, tum principio dorſuatim inclinat, præcipiti, & in Orientem, & in Occidentem, ad Aurorulæam & Guilelmipetriam vſque portas deſcenſu, poſtea mucrone in Meridiem protenſo omnis protuberat
54 ad Orientem, & Occidentem. Vbi enim ad Aurorulæam fere portam deſcendit, iam ſuæ craſſitudini ad Meridiem reddita, verrucatur in Orientem ingenti tumulo, qui in duo capita ſciſſus, Campum amplexa Cunderium, centum à porta Saunariana paſſibus, ſurgentem accipit meridionali capite murum vrbis. Ad Guilelmipetriam verò ita ſeu demittitur, ſeu deiicitur, vt à vico qui per Carmelitarum templum ad ipſam fert, aſcendat omnis ardua in Terrallum, in quo, æquatis latè ſpatiis, Guilelmus iunior, Forcalquerij Comes, inſigne illud palatium extruxit, quod ſublime excelſis firmiſq; turribus, habet ſpeciem munitiſſimi caſtri. Ad Terrallum etiam à reliqua vrbe per plateam Mercatoriam, vicumque omnem Rectum, & ab ipſa adeò Saunariæ porta aſcenditur, vt occidentalis hæc lingulæ Palatinam regionem habentis
55 pars non verrucari, ſed omnis altè intumeſcere videatur. Poſt illos ad Orientem, & Occidentem verrucis pares tumulos, lingula iam liberis extra vrbem decurrens ſpatiis in mucronem ibi deſinebat, vbi non modicus claudebat (vt ego quidem arbitror) Saunariam hiatus. Maiores voraginem impleuere, vt nihil vltrà moraretur euntes, ſeu in aream triturando poſt meſſem tritico factam, ſeu ad frumentarias non procul Druentia fluuio moletrinas, ſeu in agros per latiſſimè fuſam planitiem iacentes. Ad hunc hiatum olim viſebatur Franciſcanarum monaſterium: & illius partem altè deſcendiſſe affirmat, quod ruinæ ereptum eſt templum terra omnino conditum. E quadro lapide
56 ſtat euerſis Monialium ædibus. In forenſibus de Beatæ Dalphinæ Ariani Comitis ſanctitate chartis memoratur hoc monaſterium. Nec ingratum, puto, lectori

lectori erit, si ex illis nonnulla referam de Alasatia Mesollana, quæ primo & tricesimo loco testis, ad Aquensem & Vasionensem Antistites, rei quæsitores, anno millesimo trecentesimo sexagesimo tertio dixit. Asserit se de virginitate Dalphinæ accepisse, & ab aliis alibi, *& in castro de Manuasca à sorore Moneta, filia ipsius testis loquentis, & à domina Baudonia, Abbatissa monasterij S. Clarę*, &c. *Fuerunt præsentes* &c. *sorores Dalphina de Albenasio, & Raynauda moniales S. Clarę.* Addit se audiuisse prædicta *à viginti annis* & proinde 57
anno illius sæculi tertio & quadragesimo. Post multa sic habes in iisdem forensibus cartis. *Alsatia Mesollana interrogata de tempore, quo audiuit primò dictam dominam Dalphinam, vidit loquentem de Deo verba, prout suprà deposuit, dixit quòd ex quo primò audiuit, sunt bene viginti anni elapsi, vel circiter, & deinde pluribus & diuersis vicibus. Interrogata quibus locis, & quibus præsentibus, dixit, quòd in ciuitate Aquensi, in Manuasca, in monasterio S. Crucis prædicto. Et fuerunt præsentes in dicto monasterio D. Isabella de Simiana, & D. Aicelana de Apta abbatissa dicti monasterij. Et in ciuitate Aptensi præsentes fuerunt D. Berga Autriga, Mathendis Taulerie, & Beatrix de Gargaco: & in Manuasca sorores Dalphina de Lasmedas, & Baudoina Binneria.* Atque hæc ex Alasatia Mesollana. Vides Baudoinam fuisse Franciscanarum Abbatissam Manuascæ, anno tertio & quadragesimo post millesimum trecentesimum; & sub ea Clarissarum professas instituta Monetam Mesollanam, Dalphinam de Albenasio, Reynaudam Renaude, Dalphinam de Lasmedas, & Bauduinam Binneriam. Clemens eo nomine
Sextus Pontifex, literis eo ipso anno datis, docet illarum monasterium illu- 58
stre omnino fuisse. *Et alia concedimus*, ipsas alloquitur, *& vt possessiones* &c. *bona* &c. *firma vobis, & eis quæ vobis successerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, vsuagiis, & pascuis, in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis* &c. Ita Pontifex 2. nonas Apriles. Cardinales omnino ad quindecim Pontifici subscripserunt. Sed hîc vnum afferam necesse est. Eadem die Clemens Clarissas Manuascenses subiicit Franciscanis. *Deuotionis vestræ*, inquit, *precibus inclinati, vos, & vestrum monasterium, autoritate præsentium, Generali, & Prouinciali Ministris committimus.* Paucis antè diebus omnes Franciscanorum à Pontificibus prærogatiuas ipsis concesserat. Scilicet non Franciscí, sed Benedicti leges secutæ, non Franciscanis, sed sacerdotibus, quos sæculares vulgus dicit, suberant. Audi Pontificem ad eas loquentem. *In primis statuimus, vt ordo monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti regulam, atque institutionem monialium inclusarum S. Damiani Assisinotis, formulam vitæ vestræ, & felicis recordationis Gregorio prædecessore nostro Ordini vestro traditam, cùm adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse degnoscitur, perpetuis ibidem temporibus obseruetur.* Gregorius nonus Pontifex est hic. Ante pontificatum vocabatur Hugolinus. Cùm esset Cardinalis Ostiensis, anno millesimo ducentesimo decimonono, instituta Franciscanis S. Damiani virginibus, probante Sancto Francisco, legesque ex beati Benedicti regula dedit. Quos autem aduersarios expertæ tum fuerint Clarissæ Manuascenses non possum dicere. Profectò eâ erant potentiâ & autoritate subnixi, vt totâ regione non inueniretur, qui puellis petentibus auderet iura reddere. Miseratus

Digitized by Google

ipſas Pontifex, imperat præterea omnibus per diœceſim Siſtaricenſem ec-
cleſiaſticis viris, vt opem ferant laborantibus ab aduerſariorum vi Lego
etiam quinto & triceſimo pòſt anno vendidiſſe prædia neſcio quæ. Tabulis
ſubſcripſerunt Beletta Portaleſia monaſterij Vicaria, Moneta de Melano,
Bauda de Vaqueriis, Haucuna de Vandieno, Aſtruga de Galabruna, Ha-
cuna de Villamuris, Sriga Galabruna, Hacauna Boca. Iuuat hoc præterea
non tacere. Nono & viceſimo anno illius ſæculi, emunt à Bertrando Gau-
ſio vineas duas, *ſubter fontem Gloriam.* Abbatiſſam agebat Guilelma de Bo-
coytana. Petrus Aimericus clientelâ ſoluit ementes. In emptionis teſtibus le-
gitur *frater Guilelmus Guigonis, de Ordine Minorem de Manuaſca.* Hoc affero,
vt videas gentem Guigoniam ante annos trecentos fuiſſe in vrbe. Bertran-
dus Panerius, poſt annos quatuor, ſoluit has ipſas virgines agri clientelâ, quo
eas donauerat. Iam ſi petas, quo anno, & vnde Saunariam venerint, rem mi-
59 hi prorſus ignotam poſtulabis. Anno octauo & ſexageſimo illius ſæculi in
vrbem immigrauerant, & duodecimâ die Martij habitabant non procul por-
ta Chabaſſij in conducta domo, ſedeſque in proximo figere cogitabant, vbi
etiam domum coëmiſſe traditur in tabulis, quas placet recitare. *Anno milleſi-
mo trecenteſimo ſexageſimo octauo, die duodecima Martij, D. Guilelmus Caſtellani
preſbyter de Manuaſca vendidit nobili & religioſæ domina Raimundæ de Melhano,
Abbatiſſæ monaſterij de S. Clara præſenti, & præſentibus ſororibus Tiburgiâ Ferenque,
Baudâ de Vaqueriis, Catharinâ de Vaudroma, & Aſturgia Galabruniâ, monialibus
dicti monaſterij, congregatis ad ſonum campanæ, vt moris eſt, infra domum dotalem
Raimundi Capelli, vbi præſentialiter dictæ dominæ moniales ſuum domicilium fa-
ciunt, vnam domum cum quodam viridario infra dictam domum ſituato, loco dicto,*
60 *in carreria portalis Chabaſſii* &c. Quæ res fecerat, vt Saunariâ excedentes com-
migrarent in vrbem? Illa profectò, quæ Carmelitas & Franciſcanos monaſte-
riis pepulit, & in vrbem coëgit, vt poſtea referam, bellum ſcilicet quod à Mi-
nutis & Vaſconibus illatum anno illius ſæculi ſeptimo & quinquegeſimo,
omnem ferme Prouinciam vaſtauit eis Druentiam. Ne tamen puta perpe-
tuas in vrbe ſedes tum fixiſſe. Non multos poſt annos Saunariam redierũt. Le-
go quippe Conſules, cùm Manuaſca ſibi timeret à Vicecomite Turenio, eas
anno ſecundo & octogeſimo rogaſſe, vt redirent intra vrbem. Atque ipſarum
ædes euertiſſe arbitrabar, quandoquidem illas in vrbem inuitabant, *ad hoc*, (ita
legimus in eorum diario) *quòd gentes armigerorum non poſſint ibi ſe collocare.*
Exierunt ergo Saunariâ rogatæ: in vrbe vſque ad annum milleſimum qua-
dringenteſimum ſeptuageſimum nonum hæſerunt, quo, vt gentibus quoque
ac vrbibus ſua ſunt fata, monaſterium omnino extinctum eſt, monialibus
aliis in alia loca recedentibus. Igitur Franciſcani Obſeruantes vacuam do-
mum occupant, poſtque varia conſilia, anno denique milleſimo quingen-
teſimo, eius in plures diuiſæ dominos pretium, in ædificando ſuo monaſterio
impendunt. Hæc res monet, vt ad dicendum de illorum templo, & mo-
naſterio accedam. Priùs tamen aduerto Saunarianas viginum ædes peruenisſe
aliquando ad Margaritam Alanſoniam Maſſilienſem, & Guilelmum Mo-
neriumPriorem xenodochij Sanſpiritenſis Aquiſſextiis, eâ donante, ſuaden-
te Ioanne Siſtaricenſi Epiſcopo, iubente Rege, Conſulibus denique proban-
tibus, voluiſſe in illis excitare xenodochium Ordinis ſui. Quid rem tanto
omnium ordinum fauore cogitatam, & tantùm non cœptam, corruperit non
inuenio.

inuenio. Toris annis, nonageſimo poſt milleſimum quadringenteſimum, & conſequente, magnis animis acta eſt in vrbano concilio.

Franciſcani, quos nunc dicimus Obſeruantes, habitarunt quondam in agro ad orientem Saunariæ. *Caſum* vocabant eam agri partem. Manetque etiam nunc loco nomen; ob celebritatem puto, nam *caſum* antiquitus plebi erat, quem Latini *fundum* vocant. Quam domum Guilelmus Caſtellani, vt referebam numero 59. vendidit Clariſſis virginibus intra vrbem, non procul porta Chabaſſij, ea finiebatur *granico*, vt ſcriba tradidit, *caſo*, *viridario*, & *vico publico*. *Granicum* villa eſt. Ab eo, & à *caſo* intelligis, agri primùm, deinde ſuburbij locum hunc antiquiſſimis temporibus fuiſſe, cùm muri vrbani eò verſus Orientem nondum deſcendiſſent, vbi nunc ſtant. Villæ enim & *caſa* in agro ſunt. Ex ipſo in ſuburbium principio, poſtea in vrbem induxere. Franciſcanorum iſtud *caſum* ex charta anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo ſcripta, *ſitum* eſt *prope vallatum Villæ Manuaſcæ, camino in medio, cum riuo Albetæ, & cum fonte de Conchetis & camino publico, quo itur ad ipſum fontem.* Nunc hortis, agro, vineâ, continentur. Eo pulſi ſunt Franciſcani *à gentibus armigeris, quæ ſe Magnam Societatem vocabant*, autore Innocentio VI. Pontifice, *& quæ Comitatus Prouinciæ & Forcalquerij penitus inuaſerunt.* Quæ fuerit hæc armigerorum Magna Societas dubitatum inuenio. Iuuat eos audire, qui coram Aquenſi & Vaſionenſi præſulibus, ex Vrbani V. mandato de Dalphinæ Comitis Ariani ſanctitate quærentibus, dixerunt anno tertio & ſexageſimo poſt milleſimum trecenteſimum. Catarina de Podio tradit appellatos fuiſſe *Minutos, & Vaſcones*: Ioannes de Sabrano vocat *Societatem Vaſconum, qui erant de vltra Rhodanum*; aliquando autem ita loquitur, *Fertur quidam vocatus Archipreſbyter habuiſſe ſocietatem Vaſconum*; aliàs verò, *appellantur*, inquit, *Magna Societas Vaſconum, Minuti.* Demum Nicolaus Loarenchi, forenſis curator rei, hæc habet articulo ſexto & quinquageſimo: *Durandus Arnaudi de rupe Alguiria Magalonenſis diœceſis, exiſtens cum Societate magna, & inimicis Prouinciæ.* Igitur vides homines Tranſrhodaninos, ex aliis regionibus alios, è Vaſconia maximè, ſub duce, quem appellabant Archipreſbyterum, graſſatos eſſe per Prouinciam. Dicebant nunc Minutos, nunc Societatem magnam. Eorum ducem nonnulli vocant Arnaldum de Seruola, faciuntque nationè Vaſconem, dignitate archipreſbyterum de Seruiis: Sed *Durandus* ille *Arnaudi de rupe Alguiria*, ſeu *Aineria*, vel *Aigueſij*, (his enim nominibus, alij alio vt fit in rebus ceterâ ignotis appellitabant) in tabulis aſſerit *Petrum de Sornolis capitaneum Societatis magnæ inimicorum Prouinciæ*, ſibi ducem fuiſſe. Cùm autem veri exercitus nomen, neque militum multitudine, neque autoritate ducis, neque claritate cauſæ ſatis implerent, hac illac inexpectati curſitabant, omnia magno, neque inani, terrore complentes. Certè omnem pene cis Druentiam regionem latrociniis peragrarunt. Cucurono per dolum capto, Anſoyſio nequidquam tentato, & alios agros, & Manuaſcenſem depopulati ſunt. Hæc illa eſt armigerorum Magna Societas, quæ autore Innocentio ſexto Franciſcanos in eo afflixit, ipſorumque domum euertit. Quo euenerit clades anno, accipe ex Ioanne de Sabrano, & Catarina de Podio, ad ipſos, quos modò memorabam, quæſitores dicentibus. Ille ſic loquitur: *Societatem illam Vaſconum diſcurriſſe per Prouinciam bene ſunt quinque*

61

62

63

anni, vel ſex. Iſta verò: *quinque anni ſunt elapſi, anno videlicet, quo Vaſcones erant in Prouincia.* Hæc aiebant anno tertio & ſexageſimo poſt milleſimum trecenteſimum. Fuit octauus & quinquageſimus, ex tabulis eo ipſo die ſcriptis, quo Durandus Arnaudi, vnus ex Magnæ illius Societatis militibus, mortiereptus eſt Anſoyſij, in *auencho, ſeu puteo ſicco profunditatis duarum & viginti cannarum*, à S. Dalphina, Aptæ quidem tum degente, ſed viri tamen preces peringens prodigium ſe ferente in multo lumine, ſoluenteque vincula, quibus *poſt tergum manus ligatus fuerat, cùm in eum capite ſupino proiiceretur, & poſt ipſum magna copia lapidum ad interimendum eumdem.* An Franciſcani poſt Vaſconum latrocinia cogitauerint reſtituere domum, ego quidem non inuenio. Arbitror non contendiſſe. Hiſpanorum Societas anno primo & ſexageſimo Forcalquerienſem Comitatum vix bene à Vaſconum latrociniis reſpirantem rurſus vaſtauit teſte Aycelina de Apta Abbatiſſa monialium S. Crucis, ex forenſibus illis de Dalphinæ Comitis ſanctitate
64 chartis. Et verò tum accepere facultatem à Pontifice deportandi monaſterium intra vrbem. Sedes à Conſulibus deſignata eſt *verſus carreriam Iudaicam antiquam*, vt ferunt illorum temporum chartæ. Sed deſignatam obtinuerunt difficilè. Lego non poſſediſſe poſt annos duodecim, cùm ij ipſi Conſules rogauerunt canonicos Forcalquerienſes *pro area* (ſunt verba eorum diarij) *ad monaſterium fratrum Minorum.* Ægriùs etiam in area, cùm ipſam aliquando obtinuiſſent, ædes excitauerunt. Artaudus Siſtaricenſis Epiſcopus negabat cœmeterium factæ ædi anno ſexto & octogeſimo: neque monaſterium perfectum erat primo & nonageſimo poſt milleſimum quadringenteſimum. Conſules abſoluendo tum emerunt mapale proximum, & alia neſcio quæ extructioni neceſſaria peregerunt anno quarto
65 pòſt & vigeſimo. Quid autem dicam de templo? Tectum quidem illi imponebatur anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, vnctum tamen, ac proinde pefectum fuit vndecimo poſt milleſimum quingenteſimum. Vacherij, Volandi, Redorterij, nobiles & pij viri, plurimum ad eius erectionem contulerunt. Attentos publicæ rei fuiſſe Conſules hinc intellige, quòd cùm vetuiſſent anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo prætergredi limites areæ, ad monaſterium conceſſæ, neque ſatis ea refectorio excitando eſſet, noluerunt centum & quinquaginta pòſt annis viculum humilem ac neglectum & ſordidum ad ipſam adiungere, niſi magna Clariſſarum monaſterij à pluribus annis extincti parte, ad ſcholas literias, in permutationem ab ipſis acceptâ. *Caſo* autem ſuo Obſeruantes, cùm ad annum tertium & vigeſimum præcedentis ſæculi poſſediſſent, demum ſe abdicarunt communiſſimo præſidum conſenſu. Neque nullum eſt argumentum, ex pecunia ciuium publica quondam emiſſe, quòd illud abdi-
66 cantes permiſerunt Conſulibus. Ceterùm ex hoc monaſterio illuſtres viri, & alij prodierunt, & qui (eorum nomina nemo recitat) anno primo & ſexageſimo poſt milleſimum quingenteſimum, Manuaſcæ vexati ſunt à Caluiniſtis, Mauuantio duce. Et alia grauiſſima paſſi, & pedibus ſuſpenſi, in puteumque capite deorſum deiecti, tantùm non occidêre. Et hi quidem ita fidem ſuam probauerunt Deo: aliorum verò fidem non obſcurè remunerauit Deus anno octauo & viceſimo huius ſæculi. Menſe Iulio res euenit à me non tacenda. Franciſcus Piolla, non inopulentus ciuis, manipulorum

lorum frumentariorum magnam vim in ſtrues congeſtam, pro more habebat in area illa pene media, quæ ad portam Sobeiranam latiſſimè patet. Caſu, an fraude? arſerunt ij nocte concubia. Vt viſus eſt ignis, vt mortales totâ areâ, quæ in faſcium pares cumulos ſurgebat, concurrunt; vniuerſâ etiam vrbe turbatur, ad multa hominum millia aduolant; nulli labori parcitur. Sed omnia in caſſum abeunt. Viuit ignis, vigetque media in ſtrue, & altè volitantibus flammis, non iam vniuerſis frumenti per aream faſcibus, ſed vrbi quoque non dubium minatur incendium. Neque longè erat, vt conclamatum putaretur, cùm ecce Franciſcani, matutinis precibus recitatis, accipiunt ciuium grande periculum, & aſſumptâ Euchariſtiâ prodeunt cum cruce, ſupplicationeque ad aream inſtitutâ acedunt ad ignem. Hîc flexo humi genu, oculis ad Chriſtum, quem manu tenebant, intentis, ore in preces lamentabiliter ſoluto, Dei benignitatem exorant. Ignis, qui nulla aqua potuerat à multis hominum millibus ſiſti, vi præſentis in Euchariſtia, vigentiſque, Chriſti extinguitur.

Area Sobeirana, in qua id prodigij euênit, monet vt de ædicula, ad eius 68
Septentrionem à Conſulibus poſita, dicam. Mariæ Virgini ſacra eſt. De conſolatione appellant, vt mihi quidem dubium ſit, an Conſolatricem intelligant an quæ conſolationem & ſolatium ipſa accipit. Hoc ſecuti videntur, qui quinto & decimo anno ſuperioris ſæculi curauerunt altari imaginem Virginis, medios inter angelos præcipuo lumine coruſcantis. Illud verò magis cogitabant, qui tertio & decimo pòſt anno cenſuerunt ædiculam, quæ affecta erat, omnino eſſe perficiendam, *vt poſſit* (ſunt verba diarij Conſularis) *in illa deſeruiri Deo, & attento quòd ibi fere eſt omne ſolatium hominum villæ Manuaſcæ.* Supra hanc ædiculam longè, in Rupecula (locus eſt regionis in agro) ad dexteram Forcalquerienſis viæ, Petrus Ioannes Dulme, anno iſtius ſæculi quarto alteram erexit Mariæ miſericordi. Nobile facinus pij, neque inopulenti ciuis.

Sub annum milleſimum trecenteſimum, Carmelitæ Manuaſcam ve- 69
niunt, excitantque monaſterium extra vrbem, ad portam Guilelmi petriam. *Magna illa Vaſconum duce Archipreſbytero Societas*, de qua dixi numero 62. eorum ædes euerterat anno octauo & quinquageſimo illius ſæculi, & Innocentius ſextus quarto pòſt ipſis concedit, vt intra vrbem tranſmigrent, non ampliùs obnoxij militum per latrocinia furori. Scilicet ab illo tum etiam vehementer timebatur. Et ſequente anno Vrbanus Pontifex, Ludouicus antiſtes Valentinus & Dienſis, Delphinus, Ioanna Comes Prouinciæ & Forcalquerij, ac Pedemontij, Amedeus Sabaudiæ Dux, & Ademarus Comes Valentinus & Dienſis Auenione fœdus ineunt aduerſus latrones. Giraudus de Tres Cancellarius Sabaudiæ erat in comitatu ſui Ducis, Rodulphus de Lupeio agebat pro Delphino, Fulco de Agouto *Vallium ſaltus & Reilanæ* dominus pro Ioanna, Guilelmus Artaudi dominus Aiſij pro Ludouico Epiſcopo. Quàm non vanus eſſet ab illis timor, Pontifex docuit verbis ſequentibus. *Quanta eccleſiarum & monaſteriorum, aliorumque locorum incendia, hominum cædes, & perſonarum eccleſiaſticarum, necnon nobilium & ignobilium exilia miſeranda, violationes pudicitiæ, matronarum vincula & carceres, raptus execrabiles, & deſtructiones ſæcularium & eccleſiaſticarum perſonarum, & facultatum, aliaque mala tam animarum quàm corporum, impietate quorumdam virorum*

rum crudelium, quos ſub titulo Comitiuarum ſeu Societatum congregauit è vicinis & remotis partibus, prouenerint hactenus, & proh dolor! prouenient, niſi deſinant olim miſerabiles, experientia docuit, docereque non ceſſat. Igitur Carmelitæ tertio pòſt anno emunt à Raimundo Portaleſio antiquiſſimæ nobilitatis viro ædes quas etiam nunc incolunt. Sed abs dubio latiſſime tum patebant hortis, areaque. Scilicet plurimæ ab omni circùm parte domus, ſub monaſterij clientela ſunt, in illis profectò ædificatæ. Vbi tamen ara princeps nunc ſtat, ibi angiportus quondam erat. Eum Conſules, ad illam in amplificato templo excitandam, conceſſerunt ante annos ferme ducentus. Hæc ſunt quæ
70 de antiquis ædibus ad me peruenerunt. Cetera Sanctiſſimi monaſterij perdiderunt, æternaque damnarunt obliuione, & ab Hugonottis tumultus, & ab aliis hoſtibus bella. Neque igitur poſſum dicere, qui Carmelitæ doctrinâ, qui ſanctitate floruerint Manuaſcæ. Hîc addo vnum. Quod teſſerarium ſcutum foribus templi altè immineat, eſt ignotum ciuibus. Quia non videtur ædes in ſacros vſus excitata, ſuſpicabar Portaleſiæ quondam dominæ, quæ à multis temporibus deſit, gentis fuiſſe. Tribus lunulis ſplendet, quarum cornua deorſum ſpectant. Tertia duabus ſubiecta eſt. Placuit hoc afferre, vt quod modico pòſt tempore deiicietur, Portaleſiorum ſcutum non omnino pereat. Audio quippe Leonem Trimundum Aigluni (Aigledunum antiquæ tabulæ vocant) dominum, qui ab Trimundis illis antiquiſſima nobilitate Manuaſcenſibus, à me libro 1. num. 28. memoratis, originem ſuam repetit, cogitare de excitanda, altéque è quadro lapide ornanda Carmelitani templi porta.

71 Capucini probante, præſenteque, Toſſanctio Glandeueſio Epiſcopo Siſtaricenſi, & plaudente vniuersâ vrbe, anno huius ſæculi vndecimo pridie nonas Auguſti, inducti ſunt in ædes eorum vſibus excitatas, vbi Clariſſæ virgines quondam habitabant Saunariæ. Conſules vocauerant, vt ſupra clerum, Obſeruantes, & Carmelitas, haberent in vrbe, quos ſanctitate vitę, & integritate ſcientię viros inſignes opponerent Caluiniſtis, ad Miniſtri, vt loquuntur, ſui, ab aliquot annis in Petrablancano rure conciones exultantibus. Neque Manuacenſium expectationem fefellit euentus. Hugonottis non dubio terrori ſunt, & vero Catholicis firmamento.

72 Anna de Vallatorio, puella gente nobilis, præſtans ingenio, animis excelſa, pietate prȩcellens, Auenione à prima ætate degebat, virginum Ciſtercienſium inſtituta in S. Catarinæ profeſſa. Monaſterium illuſtre ac perantiquum plures annos magna cum laude rexerat. Igitur diuinas res cogitanti venit aliquando in mentem, futurum è Manuaſcenſium vſibus & pietate puellarum, ſi parthenonem apud ipſas erigeret, & quibus inſueuerat legibus informaret. Volſij, paterno pago, proximè nata, Manuaſcam, vbi fere à cunis ad pubertatem egerat, habebat pro patria. Quod ſingulari pietate cogitauerat, hoc inſigni, per ingentes quibus vigebat animos, ſapientiâ perfecit anno prȩſentis ſȩculi quarto & trigeſimo. In Monaſterio, quod ſanctiſſimis ex Catarinȩa Auenionenſium domo legibus inſtituerat, migrauit à duobus annis è vita, relicto ciuibus magno ſui deſiderio. Monaſterium eſt in Auroruleo vico, floretque numero & virtute puellarum, quę ſuorum inſtitutorum vehementer attentę, diuinique accuratę cultus, ſunt patriȩ non modico decori & ornamento.

Stephano

Stephano martyrum principi ſacra fuit olim ædes Manuaſcæ, intra vil- 73
lam. Qui hoc negant, & non aliam Protomartyri ſtetiſſe volunt ab illa, quam in agro poſitam vidimus numero 19. & appellatam *de Tairone*, ex eo rejiciuntur, quòd Manuaſcenſes antè excitarent quàm ſibi domum habendis conuentibus publicis, ipſos egere frequentiſſimos in Stephani templo. Nam quis accredat dicenti ciues, vt alia non afferam, ætate maturos & ſenio graues, (& hi fere ſunt in curia præcipui) aut dignitate præſtantes, longiſſimè à villa, & omnibus pagis, caſtriſque, in excelſum montem, qui Formicarium habet nemus, iiſſe, vt in Stephani æde agerent de rebus vrbanis conſilia, qui plures alias & amplitudine, & opere clariores, intra Villam, atque in agro proximè pagos, aut Villam, adire ſine omni labore poterant? Sed vide, quid anno nono & octogeſimo ſupra milleſimum tre- 74
centeſimum decreuerint in S. Stephani: *Detur Domino Cardinali Neapolitano de vno bono vitulo, & ſex duodenis pullorum; & ſi non reperiuntur pulli, præſententur duo boni vituli.* Putas ſubiiſſe nemus Formicarium per ardua montis, vt rem prorſus modicam conſtituerent, qui grauiſſimi momenti, aut in platea Vlmi ad Saunariam, aut in cœmeterio S. Saluatoris peregerant. Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, erat controuerſia Manuaſcenſibus cum canonicorum Forcalquerienſium collegio, de decimis. Raimundus Arditus huic Præpoſitus, & *Pontius Raynaldus de Saunaria Villæ Manuaſcæ*, illorum ſyndicus, actores conuenerunt quarto nonas Ianuarij, in Berengarium Monachum Hoſpitalariorum Manuaſcæ Præceptorem, Vvilelmum Marinum S. Saluatoris Manuaſcæ Priorem, Pontium Burgundionem Canonicum Forcalquerienſem, judices arbitrarios, in Stephani ſacra æde. Iam vide quid addant illius diei tabulæ. Tam 75
multi ciues conuenerant, *vt tota Eccleſia S. Stephani de Manuaſca, eſſet plena hominibus, & pro multitudine ibi commodè ſtare non poſſent, imò ſterent multi extra dictam eccleſiam, & in oſtiis dictæ eccleſiæ, habentes aures intentas ad hæc quæ agebantur.* Ecce templum dicitur *Sancti Stephani de Manuaſca*, profectò vt diſtinguatur ab illo, quod vidimus appellatum, *de Tairone*. Cujus autem non ſapientiæ, ſed honeſtatis fuiſſet, omnes ferme ciues, ex Villæ opportuniſſimis cogendo cœtui locis, in remotum montem educere? Hîc placet eorum nomina recitare, quorum conſilij publica res maximè tum ſuſtentabatur, vt optimorum ciuium, & antiquiſſimarum gentium memoria non pereat. Præ ceteris conſilio vigebant qui ſequuntur. 76

Bertrandus Petri. Garnerius Felicius. Petrus Brito Iuriſperitus. Raimundus Dauid Iuriſperitus. Petrus de Fonte. Hugo Stephanus. Gerardus Veirerius. Vvilelmus Veirerius. Benedictus de Fonte. Vvilelmus Fulco. Petrus Stephanus. Petrus Chabacius. Bertrandus Gaudius. Vv. Dauid. Bertrandus Rauerius. Iacobus Rauerius ejus frater. Petrus Mamellus. Raimundus Macellarius. Vvilelmus Hoſpitalarius. Petrus Tardatus. Guilelmus de S. Martino. Petrus Raſterius Senior. Michaël de Apta. Andreas Amirardus. Hugo Agrena. Hugo Dauid. Hugo de Fonte. Roſtagnus Marcellus. Vv. Diſcalcius. Vv. Burgundio. Ioannes Albertus. Petrus Sartor. R. Iocacius. Uv. Michaël. Ioannes Roërius. Rainaldus Bona. Vv. Blancus de Saumana. R. Rogerius. Hugo Faber. Arnaudus Robaudi. Ioannes Cuſenderius. Petrus Codoſius. Ioannes Iſnellus. Ioannes Arrenaſius. Bertrandus Ganterius. Vv. Maluppibus. Vv. Arnaudi. Raimundus Aymerceri. Bertrandus Aycardi.

Digitized by Google

Petrus Sayſa. Petrus Roëna. Vv. Eroſſus. Petrus Maximus. Giraudus Roſtagnus. Raimundus Albenacij. Bertrandus Hoſpitalarius. Vv. Iordanus. Uv. Roueria. Vv. Garcinus. Bonpar Hortolanus. Iſnardus Giroardus. Ioannes Dauid. Uv. Corderius. Petrus Raſterius. Martinus Florius. Englicus Robaudus. Rayboldus Corcoſſonus. Petrus Gaudius. Ioannes de Pererio. Andreas Grumelaine.

Eo ipſo anno, in hoc idem Manuaſcæ Villæ templum ciues conuenerunt, ſeptimo & decimo calendas Martij. De Iudæis actum eſt in concilio. Duo maximè decreuerunt. *Item quòd habeant duas tabulas ad carnes ſuas faciendas, in macello, in ſummitate macelli. Item quòd de debitis ſuis creditis adjudicetur eis per menſem, & ſoluant debitores eiſdem Iudæis pro qualibet libra, ſex denarios.* Quare ad illud de carnibus, quæ venum Iudæis proponerentur,
77 in macello ſeponendis deſcenderint, facile dictu eſt. Cauendum iis erat à carne ſecundum Moſaïcam legem immunda, quam ſuis ex carnium in alios cines diſtrahendarum ſimilitudine miſceri querebantur. Sed hoc fœnoris profectò ſuperat omnem fidem. In libra ænea nummaria ſunt denarij ad ducentos quadraginta. Si pro fœnore das denarios ſex in menſem, dabis omnino duos & ſeptuaginta in annum, quæ ferme quarta pars libræ eſt. Contra Iudęos tamen pro Chriſtianis res conſtituebatur. Scilicet non multum fœnus viſum eſt, præ eo, quod ab illis hi pendere, cùm ferebat vſus, cogebantur. Igitur ego quidem non miror fuiſſe gentem in perpetuo Manuaſcenſium odio. Et id augebat, quòd Iudæi & ſuis permiſſi judicibus, juriſdictione regiâ ſoluti ſunt, ante annum milleſimum trecenteſimum; & omnibus centeſimo pòſt anno vectigalibus exempti, quamvis (quis crederet, ſi ipſa Conſulum non affirmarent diaria) de octodecim agri
78 partibus poſſiderent prorſus decem. Proh tempora! Igitur meritò ciues, apud Ægidianum Hoſpitalariorum Priorem, querelas aliquando depoſuerunt, petierúntque vt ejicerentur ex vrbe, quia *ob inſultum dictorum Iudæorum* Manuaſca *caret gentibus, & bonis.* Neque ceſſauerunt, donec anno milleſimo quingenteſimo natio vniuerſa, edicto Ludouici regis, pulſa eſt omni Prouinciâ; & bona ſeu pulſis propria ſingulis, ſeu perfidæ genti communia, tertium poſt annum addicta fiſco. Quinto antè anno, die quinta menſis Maij, plebs Carmelitas, & Franciſcanos, prçuiámque illis crucem ſecuta, diripuerat euerteratque ipſorum domos, & ſynagogam. Lego in chartis Conſularibus turbatum tota vrbe à flagitioſorum hominum fœnore, ſingulis ferme annis poſt ſeptuageſimum à milleſimo trecenteſimo.

79 S. Ioanni (Baptiſtam facit chartularium Epiſcopi Siſtaricenſis) quondam ſtetit Manuaſcę templum. Tabulę Manuaſcenſes vocant *eccleſiam de ixferiori monaſterio.* An aliquando habuit monachos, & ab iis monaſterij nomen? fortaſſe Sanmariani, cùm ipſorum ędes Saracenorum furore ceci diſſet, tenuerunt. Certè ſitus addidit monaſterio nomen *inferioris.* Is patrum etiam tempore ignotus erat. Hîc vnum quod me mouet, tacere non poſſum. Adrianus pontifex, eo nomine quartus, inter eccleſias Canonicorum Forcalquerienſium Manuaſcenſes, cenſet *eccleſiam S. Ioannis de inferiori monaſterio, cum decimis & oblationibus ſuis, cum baptiſterio totius Villæ.* Scribebat iſta Pontifex anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto. Nullumne tum igitur erat baptiſterium Manuaſcę, niſi in S. Ioannis? Certè Bertrandus antiſtes Siſtaricenſis, ſeptimo & decimo pòſt anno, templum San-

joannino

joanninũ majus agnoſcebat, cùm ita locutus eſt: *quartam partem mortalagij habet Epiſcopus in eccleſia S.Ioaanis, cùm hoc non habeat in maiori eccleſia.* Putabiſne tu hanc caruiſſe baptiſterio: Sed in conſulari diario anni ſecundi & & ſeptuageſimi poſt milleſimum trecenteſimum, legimus *parochianos eccleſiarum S.Saluatoris, B.Mariæ, & S.Ioannis.* Res hæc difficilis eſt. Vt ſuper ea pronuntiem, dicam oportet de æde Saluatori hominum ſacra.

Ea eſt ingens baſilica. Quæ nunc viſitur, ipſam erexerunt poſt annum no- 80
num & ſeptuageſimum à milleſimo centeſimo. Iſto *crux dominica*, ad ipſius extructionis futuræ argumentum, *ab Epiſcopo jam fixa erat*, autore Alexandro III. Pontificæ. Quo deinde ſeu ædificari ceperit, ſeu perfecta fuerit, chartę vrbanæ non habent. Certè Ranulphus Siſtaricenſis antiſtes poſt centum nonaginta tres vnxit, recentiſſimè ſcilicet abſolutam. Puto iniquitatem feciſſe temporum, vt tardiſſimè ſurgeret. E ruderibus à Saracenis quondam euerſæ excitata profectò eſt, & quidem cùm Sanmariana multis antè annis inſtaurata fuiſſet, per ingens illud prodigium, quod in Virgine Romigeria retuli. Vt enim afferam, quod mihi videor ex vetuſtiſſimis chartis colligere, in Villa Manuaſcæ fuerunt, etiam ante Saracenorum in Prouinciam aduentum, templa curialia omnino tria. Ab his (ſub annum, vt putabam, nongenteſimum) quæ duo præcipua Saluatori hominum, & Mariæ Saluatoris hominum matri ſtabant, euerſa cum Villa ſunt. Tertium Ioanni Baptiſtæ ſacrum, pro tenuitate ſua, ſeu ſemirutum, ſeu neglectum ſuperfuit barbarorum hominum furori. Stetiſſe putabam, vbi tenues olim per domunculas *granicis* & *caſis* mixtas eô deſcendebatur, vbi porta Aurorulæa nunc eſt. Et verò Sanmarianum non multò poſt cladem à Saracenis illatam reſtituerunt. De Saluatorenſi inſtaurando ſeriùs quidem cogitatum eſt, ſed tamen ante annum à milleſimo centeſimum. Vt amplitudine viſendum fuerat, ita 81
ęgriùs ad illud excitandum acceſſerunt, maximè cùm videretur minimè neceſſarium, aliis duobus jam ſtantibus; & Marianum ſignum frequentiſſimis prodigiis ciues ferme omnes ad ſe vocaret, detinerętque. Ioanninum Adrianus Pontifex tum dixit habere baptiſterium totius Villę, quia quæ Sanmariani ditione continebatur regio, vt Villę dynaſtę non ſuberat; ita non dicebatur illius pars; ſuiſque non Villę clientibus *baptiſterium* habebat. Vtcunque hæc fuerint, ſacedotes octo miniſtrant baſilicæ Saluatoris. Inuenio laboraſſe Manuaſcenſes, vt Forcalquerienſes Canonici ſuum in eam collegium deducerent: labori tamen nullus adhuc reſpondet fructus. Curia- 82
les autem vnum aliquid magnâ laude ſuſceptum à ducentis ferme annis, majore non perfecerunt incuriâ. Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, Ardiſſonus Corriol habitabat in Fano Tulliæ proximo. Is crucem argenteam, in qua de ligno Crucis Dominicæ pars non prorſus modica incluſa erat eripuit huic baſilicæ. Indoluere ciues ad impium facinus. Curiales fugientem in Pedemontium patriam inſequuntur. Lignum Crucis, quod vnum ſuſpirabant, datum fuerat monachis Sauillanenſibus, & repetere neglexerunt. Sed poſt duos & viginti annos res euênit à me commemoranda, quę venerationem S. Antonij in hujus templi ędicula, ab Antonio Bruneto quondam erecta, culti plurimùm auxit. Ioannis Hoſpitalarij 83
vxor enititur filiolã, eámque mortuam, & Dalphina Croteria obſtetrix natã non ſine præcipuo animi dolore ſepelit. Vide quid poſſit ſermo de ſancto-

rum virorum vita, & apud Deum meritis. Octauo pòſt die, Dalhpina accipit factum aliquando eſſe, vt beatus Antonius Arelate ad ſui corporis, in monaſterij Montis majoris ſacris ædibus, oſſa cineréſque rogatus, vitam in id temporis reſtituat fœtui mortuo, qnod ad baptiſmum accipiendum ſit ſatis: & maximo repentè capitur, agiturque, ac ardet æſtuantis animi voto, vt quod ſepelierat cadauer deferatur Arelatem. Neque potuit ſe continere ab eo exhumando, mirantibus qui aderant omnibus. Ecce rem prorſus inſolentis, neque ad id temporis Manuaſcæ viſi, plenam prodigij. *Infans*, ſunt verba diarij Conſularis, *miraculosè fuit conſpectus integer, incorruptus, & cum viuido colore in facie, & in corpore, provt domini Syndici, & plus de ducentis, vel trecentis perſonis videre.* Igitur Antonius Rogonus cognomine
84 Croterius, Dalphinæ conjux, magno populi exultantis fauore, mittitur Arelatem à Syndicis; majoréque etiam Arelatenſium ciuium, ad rei nouitatem defixorum, deponit ad S. Antonij corpus infantulam, non ſine bonis precibus, & veſano ejulatu. Vix finierat, cùm anima redditur ſuo cadaueri, motúque totius corporis, gemitu oris, oculorum obtutu, ſe corpori ad vitam reſtituto, vigentíque, teſtatur eſſe præſentem. Manuaſca omnis, re quæ per vniuerſam Prouinciam magnâ cum hominum admiratione ſpargebatur acceptâ, effunditur ad occurſum Rogoni, & poſt publicas, præeunte S. Antonij ligneo ſigno, per totam vrbem preces, mittit Arelatem Syndicos in peregrinantium veſte, beato ſupplices eremitarum principi.

Vltimo hoc loco diſputandum mihi eſſet de templo Mariæ Virgi-
85 ni ſacro, quod in media valle vrbéque viſendum, præſtat ceteris, antiquitate, & religionibus. Verùm de illo, & de ſigno Mariæ, vnde ipſi nomen, quod in eo prodigiis nobile veneramur, ſcripſi ante aliquot annos libellum, neque poſſum veriùs, clariùs, ornatiùs de illo quàm tum feci, nunc dicere.

EGo Laurentius Grannon Prouicialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi, juxta poteſtatem ab admodum R. Præpoſito Generali mihi factam facultatem concedo, vt liber inſcriptus, *Noctes Blancalandanæ*, &c. à P. Ioanne Columbi ejuſdem Societatis profeſſore Theologiæ compoſitus, & ab ejuſdem Societatis cenſoribus approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem has litteras ſigillo noſtro munitas, & manu noſtrâ ſubſcriptas dedimus Lugduni die 20. menſis Iulij anno 1660.

LAVRENTIVS GRANNON.

Digitized by

NOCTES BLANCALANDANÆ.

Illuſtr^mo & Reuer^mo Domino,
D. IOANNI VINCENTIO
DE TVLLES,
EPISCOPO VAVRENSI,
REGI AB INTIMIS
conſiliis, &c.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

ERAM ego tecum Blancalanda, tuo apud Conſtantienſes in extrema Normannia monaſterio, Epiſcoporum illuſtriſsime, cùm Sanmarthani Galliam Chriſtianam, tomis quatuor comprehenſam, ediderunt in lucem. Infinita illi addiderunt, ad Claudij Roberti de Gallia Chriſtiana optimè meriti librum; & in iis, plurima mihi ad illud temporis ignota: nonnulla tamen ſuper aliquarum Eccleſiarum epiſcopis & abbatibus omiſerunt, quæ in aduerſariis à me olim annotata inuenio. Scilicet, vt ab epiſcopis ordiar, pro ea illorum veneratione, quam à puero in Societate IESV, & didici, & ad hanc diem profeſſus ſum, antiquos ſingularum Galliæ eccleſiarum antiſtites, è codicibus ſeu manu, ſeu typo ſcriptis, in ſingulas ſchedulas, vt legenti occurrebant, à pluribus annis retuli, cogitans omnes aliquando ad eos, quos Robertus habet, ſuo quemque loco adiungere. Caudeo quidem maximam, et fere omnem laboris partem, ab optimis viris mihi præreptam eſſe: verùm quæ illorum diligentiam ſugerunt, & pauca quidem, de plurium eccleſiarum epiſcopis,

sed non omnino contemnenda, publicare demum iuuat ; & de Vaurensibus atque Constantiensibus plurima. De Vaurensibus annuatim referam ea fere omnia, quæ cùm Vauri essem domi tuæ, ex Vaurensis ecclesiæ & Soricinensis monasterij, potissimùm tabulariis, ante septem annos collegi ; & de Constantiensibus, quæ Blancalandæ apud te ab annis quinque agens, ex tuis eiusdem abbatiæ chartis accepi. Demum dicam de Chaponæa Odonis Valentini episcopi gente. De paucis abbatibus agam. Immensi esset operis, in illa per omnes Gallias multitudine, disputare de pluribus. Sanrufensium aperiam initia : & vulgò seu obscura, seu etiam ignota sunt. De Blancalandanis autem, tuaque Blancalanda, fusiùs disseram, & de ipsi amore ac religionibus conjunctissima Lucerna. Vtriusque chartularia non inaccuratè peruolui, cùm in Normannia tecum versabar. Quia noctibus id operis Blancalandæ occepi, visum est Blancalandanarum noctium illi nomen imponere. Nam per dies, & alia negotia, & vnum iucundissimè distinebat, tua perpetuus in me bonitatis vsus, quæ cùm antiquissima sit, iuueneſcere tamen in singula pene momenta videbatur : &, vt maxima semper fuerit, nouis, iisque summis, incrementis augeri. Negotiorum est istud operosissimum quidem, at suauissimum quoque. Cetera id habent, vt seu corpus, seu etiam animum, aliquando fatigent ; cessaréque demum aut suadeant, aut cogant : hoc hominem totum occupat, singulasque in horas omnem eius mentis vim irrequietum depascitur, neque tamen sinit fatiscentem ac beneficiis obrutum cessare ; & facit, vt cùm nequeat amori satis respondere, suum bene sanus laborem amet. Totum opus in tres partes diuido. Primâ nonnullos episcopos affero, quorum seu nomina, seu anni non recitantur ab illis, qui nostris temporibus suos singulis, & Ecclesiis præsules, & præsulibus annos, attribuere contenderunt. Secundâ tribus de illis regularium canonicorum monasteriis, quæ iam memoraui, disserit. Tertia de Odone Chaponæo, Valentino episcopo disputat. Ad te illud mitto : nam ad quem alium ? Tuæ domi Blancalandanæ conceptum est : ex tuo Vauro, tuaque Blancalanda non modicam partem constat : ego demum ante annos triginta tuus sum ; & tuis beneficiis omnia mea debeo. Pro tua tamen bonitate patieris, vt secundam libri partem Generali Sanrufensium canonicorum abbati, & tertiam Alexandro Eleonoro de Chaponay Faisini domino qui regius in suprema Delphinatum curiâ consiliarius est, inscribam : In ea exequor illius canonicorum initia, huius Chaponæam, quæ Odonis Valentini episcopi est, gentem.

NOCTES

NOCTIVM BLANCALANDARVM

PARS PRIMA.

EPISCOPI, QVORVM SEV nomina, ſeu annos non habent, qui Gallicanarum Eccleſiarum Epiſcopos collegerunt, & per ſua digeſſerunt tempora.

Abrincenſes.

SANCTVS Seuerus ſedet Corbeceno, Conſtantienſis, Baiocenſis, & Vallis Virię regionum rege, *Anonymus ſcriptor ipſius vitæ.*

Ricardus de Suligneio ſedet anno 1145. quo, *è nemore de Curua-foſſa fratres deſcenderunt in vallem iuxta Thor, & excepti ſunt in capella lignea, à Ricardo de Suligneio Abrincenſi Epiſcopo, fratre fundatoris; qui in ea conſecrauit altare, coram innumerabili populo in feſto S. Lucæ.* M. S. Lucernę Pręmonſtratenſium abbatię. Moritur *peregrè* anno 1153. ex catalogo abbatum S. Michaëlis de monte: ſcilicet *in itinere Romæ*, ex chronico ejuſdem S. Michaëlis.

Acardus I. poſt Herbertum, anno 1160. mortuum ex Ricardi III. literis.

Ricardus II. ſedet anno 1161. ex tabulis, quibus teſtatur Haſculfum de Suligneio tranſtuliſſe, Acardo I. Epiſcopo agente, fundatoris Lucernę Prę-monſtratenſium abbatię iura, in Guilelmum de S. Ioanne.

Acardus II. ſedet anno 1162. ex *donatione quorumdam prædiorum Monaſterio Lucernæ, à Guilelmo de S. Ioanne.* Anno 1163. intereſt tranſlationi Sancti Eduardi. *Ex libro de ea tranſlatione.* Anno 1164. 12. cal. Aprilis demittit in fundamentum templi Pręmonſtratenſium Lucernę primum lapidem, ab Aſculfo de Suligneio, & Guilelmo de S. Ioanne fundatoribus, porrectum. *Ex MS. Lucernæ.*

Ricardus Acardi II. ſucceſſor anno 2... teſtatur ſe cùm eſſet Conſtantienſis Archidiaconus, interfuiſſe, quando Guilelmus de S. Ioanne, jura omnia fundatoris & aduocati Lucernę Monaſterij, accepit ab Aſculfo de Suligneio, præſente Acardo ante ipſum Epiſcopo. Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octauo, die viceſima prima Decembris vngit altare in templo

plo Lucernani Monasterij recèns erecto,ad honorem SS.Apostolorum omnium. *MS. Lucernæ.*

Guilelmus de S. Maria anno 1225. succedit Guilelmo, & anno 1240. 6. idus Decembris moritur. *Chronica Normanniæ.*

Albienses.

S. Saluius ante Episcopatum Monachus, è feretro ad vitam rediit,& quæ supra cœlos viderat recitauit, ex Gregorio Turonensi lib.7. historiæ cap.1. *In Episcopatu decimum annum cùm ageret, inualescente apud Albigensem vrbem inguinario morbo, beatum spiritum exhalauit:* ex eodem ibidem: qui de illo etiam agit libro 5.cap.44.

Adolenus sedit anno 883. ex chartâ Caroli Simplicis apud Iustellum libro 1.historiæ gentis Aruernæ cap.4. Eodem anno subscripsit chartæ Froterij Archiepiscopi Bituricensis, *ex eodem Iustello in probationibus historiæ gentis Tureniæ pag.15.*

Amelius, seu Amelinus anno 1028. interest dedicationi Ecclesiæ S. Saluatoris Lemouicensis. *Ex Chronico Lemouicensi.* Anno 1031. sedet in concilio Bituricensi. *Anno quarto, Hainrico rege*, qui erat Christi tertius & trigesimus post millesimum,interest erectioni Canonicorum S. Satyri prope Sancerram. *Ex chartâ de eâ erectione.* Anno 1040. testis subscribit fundationi Vindocinensis Monasterij, vt in eâ ipsâ videre est.

Alettenses, seu S. Maclouij.

Aubertus sedet anno 1168. ex chronico Normanniæ,quod Ducheſnæus edidit.

S. Ioannes de Craticula cognomen *de craticulâ* ex eo habet, quòd Maclouienses,vt sanctum venerati, clatris ferreis tumulum ipsius concluserunt, ex Sirmundo ad librum 2.Petri Cellensis epistola 15.qui Petrus ad Ioannem scripsit illo ipso lib.2.epist.15.17.18.19.20. Hic ex Cistercienſi (vt habet idem Cellensis lib.1.epist.16.) monacho episcopus, de Aletta transtulit Episcopatum in Aaronis insulam, ita dictam ab Aarone Britanno eremita, qui in ea vixerat: ob infrequentiam vrbis non omnino tutæ,aduersus potentiam filiorum Stephani Pontheurensis. S.Ioannes scripsit S.Bernardo epistolam, quæ est prima & vigesima inter epistolas Nicolai scribæ B.Bernardi.

Robertus sedet anno 1303.Philippus Pulcher ei scripsit,*ex hujus regis cum Bonifacio VIII. Pontifice scripta gallicè contentione.*

Ambianenses.

Bertefridus anno 664. concedit Corbeiensi monasterio, vt monachus contumax emendetur ab abbate secundum canonicam institutionem MS.

S.Honoratus Theodorico Francorum rege moritur, ex Nicolao libro 2. de vitâ S.Godefridi Ambianensis episcopi cap. 28. qui ejus annulum à Geruino prædecessore venditum redemit,ex eodem ibidem cap.24.

Ragnerius anno 836.in Vormatiensi concilio dat Senonensi S. Remigij monasterio priuilegium, quod Ludouicus Pius confirmat, *ex Roüerio in Reomao pag.* 81. An est idem cum Ragenario anni 845?

Fulco sedet anno 1023. ex chartâ Roberti regis,quæ habetur in chartario S.Vedasti Atrebatensis.

Vvido

Digitized by Google

Vvido, seu Guido, sedet anno 1060. ex chartâ restitutionis abbatiæ Sancti Martini de campis ab Henrico rege. Anno 1067. ex chartâ Philippi regis scripta in dedicatione S. Martini de campis. Anno 1068. sequitur Matildem Guilelmi nothi vxorem in Angliam. *Ordericus libro 4. eo anno.*

S. Godefridus. Hoc Episcopo Ambianenses anno 1113. obtinent à rege facultatem *faciendi communitatem*, vt tradit Ducheſnæus libro 6. de familiâ, quæ dicitur *de Guines* cap. 6.

Ricardus anno 1207. diuidit parrochiam de Rue, *ex bibliotheca Sebusiana pag. 443.*

Andegauenses.

S. Maurilianus anno 860. apparet Numenoco Britonum regi, & baculo in capite percussum perimit, *ex Sigiberto ad eum annum.*

Hebernus sedet anno 887. *ex Odone Cluniacensi de reuersione S. Martini è Burgundiâ.*

Henricus. Hoc antistite curtis Chiriaci anno 929. data est monasterio S. Albini à Fulcone Rufo Comite. *Chronicum Andegauense S. Albini.*

Rainaldus consecratur anno 974. moritur anno 1005. cùm sedisset annos 31. *Chronicum Andegauense S. Albini.*

Hubertus, siue Humbertus consecratur anno 1006. *Chronicum Andegauense S. Albini.* Anno 1025. idibus Octobris interest vnctioni cujusdam ecclesiæ S. Hilarij. *Chronicum Malleacense.* Moritur anno 1047. *Chronicum Andegauense S. Albini.* Chronicon Andegauense Vindocinensis cœnobij docet huic Episcopo cognomen fuisse Martello.

Vlgericus sedet anno 1126. *ex Orderico libro 12. eo anno.*

Rodulfus ordinatur anno 1177. moritur anno 1197. *Chronicon Andegauense S. Albini.*

Guilelmus consecratur anno 1197. moritur anno 1200. *Chronicum Andegauense S. Albini.*

Anicienses.

Aurelius. Gregorius Turonensis libro 10. histor. cap. 25. habet sequentia verba. Homo qui se malis artibus Christum fingebat, *ingressus Vellauæ vrbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant accedit, & ad basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret.*

Martinus sedet anno 1362. *ex chartis prioratus Tanſæ, quæ habentur in Lugdunensi Collegio Societatis IESV.*

Goteſcalchus anno nongentesimo quadragesimo primo sedebat ex tabulis, quibus Comes Aruerniæ confirmat nescio quid monasterio Cantogilonensi, *ad deprecationem Henrici Lingonensis Episcopi, & Goteſcalchi Anicienſis præsulis*; apud Iustellum in probationibus historiæ gentis Aruernæ lib.... cap. 2. Bertrandus de Turre *cùm Tullensi Ecclesiæ præfuisset annos circiter septem, ab Innocentio VI. donatus est Episcopatu Anicienſi anno 1359. inuestitus de regalibus à Carolo V. anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto.* Ex vetere MS. Episcopatus Tullensis.

Bertrandus anno milleſimo trecenteſimo octogesimo octauo, fuit Patriarcha

triarcha Ieroſolymitanus, & adminiſtrator Anicienſis Eccleſiæ, *ex chartis prioratus Tanſæ quas Lugdunenſe Societatis IESV Collegium ſeruat.*

Elias moritur anno 1418. die 17. menſis Iulij, ex Sanmarthanis in Gallia Chriſtiana. Sedes vacat die etiam 28. menſis Ianuarij ex *patronagio curæ S. Ieurij, & aliorum cenſuum*, quod ſeruatur, in Lugdunenſi Collegio Societatis IESV, cum aliis prioratus Tanſæ chartis.

Ioannes de Borbonio ſediſſe traditur anno 1491. die 18. menſis Decembris, à tabulis prioratus Tanſæ in Lugdunenſi Collegio Societatis IESV ſeruatis paginâ 332. versâ; etſi in libro funerali abbatum Cluniacenſium feratur mortuus anno 1483.

Antipolitani.

Heldebertus anno milleſimo quadringenteſimo ſecundo, dat Sanuictorinis Monachis Eccleſias *Clauſanæ* loci, ex chartulario S. Victoris, in quo dicitur Antibulenſis Epiſcopus.

Manfredus Grimaldus ſedet anno 1124. ex Grimaldorum arbore paginâ 69.

Fulco *Monaſterium Maſſilienſe reſtaurauit anno 1185. menſe Iunio, cùm de manibus Iudæorum vallem Maſſiliæ liberauit. Qui eodem anno 4. idus Iulias apud præfatum Monaſterium ſepultus eſt.* Chronicum Maſſilienſe ſancti Victoris.

Raimundus Grimaldus ſedet anno 1190. *ex Grimaldorum arbore paginâ 70.*

Bertrandus. Boſquetus ad primam & trigeſimam Innocentij III. epiſtolam putauit hoc Epiſcopo ſedem Antipoli delatam eſſe Graſſam, mandato Innocentij tertij, anno quarto ſupra milleſimum ducenteſimum: ego non puto. Innocentius quartus anno ſeptimo & quadrageſimo illius ſæculi, Humberto Ebredunenſi Archiepiſcopo ſcribens, meminit Epiſcopatus Antipolitani, & eum numerauit in iis qui ipſi erant ſubjecti: igitur Epiſcopus eo anno ſedebat Antipoli. Idem ipſe Pontifex anno quinquageſimo ſcribens ad Henricum Ebredunenſem Archiepiſcopum, pro Antipolitano Epiſcopatu memorauit Graſſenſem: non ergo ampliùs Antipoli, ſed Graſſæ tum ſedebat antiſtes, cùm ſedem vno aliquo inter quadrageſimum ſeptimum & quinquageſimum anno ab illa in hanc tranſtuliſſet. Aiunt Innocentium IV. anno Pontificatus quarto autorem tranſlationis fuiſſe, qui fuit Chriſti 1247. Ambæ, quas dixi, Pontificis epiſtolæ ſunt in tabulario Ebredunenſis Eccleſiæ. Neque Bertrandus Epiſcopus, ſed Raimundus tantæ mutationis autor fuit. Veriſſimæ apud Sanmarthanos tabulæ docent Raimundum ſediſſe anno 1. & 40. atque igitur Antipoli: & anno 50. atque igitur Graſſæ. Profectò, vt alios non memorem, Leander Albertus libro 3. de viris illuſtribus Prædicatorum ita loquitur. *Raimundus ex Gallia Narbonenſi, vir ingentis literaturæ, ingentis morum honeſtatis & prudentiæ, Eccleſiæ Graſſenſis primus antiſtes* fuit: adde, & Antipolitanæ vltimus. Quæ cauſæ Raimundum ad murandam ſedem adduxerint, me latent. *Ingentis*, vt aſſerebat Leander *prudentiæ*, virum non aliæ, quam grauiſſimæ permouerunt. An vrbis mari impoſitæ infrequentia, & à pyratis ob infrequentiam periculum, id mentis antiſtiti rerum Eccleſiæ ſuæ accurato dederunt? Vtcumque hoc habeat, certè vides falli

eos

eos qui volunt Episcopatum Antipolitanis ob antistitis cædem ereptum fuisse.

Deuotus Grimaldus, Pontij successor, sedebat Grassæ *anno* 1263. ex registro villoso collegij canonicorum Forojulienſium, & Nicolao Grimaldo in genealogia gentis suæ. *Venasquius in arbore gentis Grimaldæ.* Dicitur tamen in illo regiſtro Episcopus Antipolitanus, quoniam Episcopatus Antipoli Grassam paucis antèannis translatus fuerat. Quid miraris? Venantius anno 507. sedebat Viuarij, se tamen in Concilio Epaunensi dixit Episcopum Albensem, quoniam ante eum Episcopi sederant Albæ, ab ipsis episcopatus initiis, vsque ad annum 1411. *ex regiſtro villoso capituli Forojulienſis, & Nicolao Grimaldo in genealogia* gentis suæ *Venasquius* in Grimaldæ gentis arbore.

Antisiodorenses, seu Autisiodorenses.

Antisiodorenses primi præsules videntur sedisse hoc ordine. Peregrinus, Valerianus, Marcellianus, Elladius, Amator, Germanus, Allodius, Fraternus, Censurius, Vrsus, Theodosius, Eleutherius, Aunarius seu Aunacharius.

De quinque prioribus ita loquitur Constantius, seu Constantinus libro primo de vitâ S. Germani cap. 16. quem jubente Censurio illo Antisiodorensi nono antistite publicauit. Mamertinus dicit: *Vidi quinque stantes ante crepidinem altaris,* &c. *Ille qui in medio stat* (respondit mihi Corcodemus Diaconus) *est S. Peregrinus Episcopus & Martyr, cum quo à Romana vrbe ego quoque missus sum imperio Papæ Sixti. Illi duo, qui dextro adhærent lateri, sunt Amator, & Marcellianus Episcopi; qui sinistro Elladius, & Valerianus Sanctissimi, qui beatissimo Peregrino gradatim successerunt.* Hęc ille. Quod ex S. Corcodemo asserit, Episcopos eos quatuor Peregrino *gradatim* successisse, fuge sic intelgere, vt Amator, quia primus ad Peregrini dexteram memoratur stetisse, primus etiam sedisse Antisiodori post eum feratur, postea Marcellianus, tum Elladius, denique Valerianus. Amator, vt omnes fatentur, quintus à Peregrino fuit Episcopus; &, ipso Constantio teste, Germanum VI. proximè antecessit. Ante Amatorem verò tenuit Episcopatum Elladius, sicuti affirmat scriptor de vita S. Amatoris innominatus, *Amator*, inquit, *post decessum S. Ellady, & in Antisiodorensi Episcopatu substitutus est.* Sic intellige, vt cùm Elladius Amatorem præcesserit, Marcellianus ante Elladium dicatur fuisse antistes, & Valerianus denique Peregrini successor Marcellianum præcessisse: steteritque Peregrinus inter Marcellianum sinistrum, & Valerianum dexterum proximos, Elladiumque etiam sinistrum, & dexterum Amatorem remotos. Certè ordinem hunc postulat loci dignitas, in quo singuli stabant: sinister præ dextero antiquis illis temporibus habebatur, vt in Virgine Romigeria docui num. 15. & Peregrino medio proximus præ remoto est.

Iam si petas quot annos singuli quinque hi Episcopi sederint, & quo seu ceperint, seu desierint sedere anno, ita respondebo. Pereginus Antisiodorum venit cum Marso presbytero, Corcodemo Diacono, Alexandro & Iouiaco Subdiaconis, Iouiniano Lectore, missus à Sixto Pontifice Romano. Constantius hoc tradidit sexto & decimo illo capite, quod citaui. Sixtum verò pontificem id nominis secundum dicere arbitror, quia Corcodemus

eo ipso capite docet *non post multum temporis à S. Peregrini martyrio*, imperatorem regnasse, *qui persecutione remotâ cunctas clausas Ecclesias patefecit, & eis catholicos præpositos ordinauit.* Scilicet Constantinum imperatorem loquitur, qui anno trecentesimo vigesimoquarto Christianas religiones amplexus, templa, in quibus exercerentur, toto orbe aperiri voluit anno post Sixtum eum Pontificem sexto & sexagesimo, cùm imperasset octodecim. Peregrinus ergo sedere cepit anno Christi ducentesimo sexagesimo, quo vno Sixtus pontificatum gessit: desiit incerto quidem, sed non multò ante sextum à trecentesimo, quo Constantinus imperare orsus est. Qui *in persecutione* proximâ Constantini Imperio cecidit, profectò sub annum trecentesimum per sæuissimam illam Diocletiani persecutionem, Rictiouaro præside, peremptus est. Valeriani, Marcelliani, Elladij tempora, inter Peregrinum, & Amatorem media, non possum ita digerere, vt suum annum dem eorum Episcopatus seu initio, seu fini. Atque hactenus dixerim de quinque primis Antisiodorensibus Episcopis, ad ceteros quos memorauimus accedamus.

Constantius libro 1. de B. Germani vita cap. 1. ait etiam Amatori successisse. Libro autem 2. cap. vltimo ita de illius in Episcopatu annorum numero loquitur: *Sedit in Episcopali cathedra annos* 30. *dies* 25. Trigesimus hic & vltimus Germani in Episcopatu annus, erat Christi quadringentesimus trigesimus quintus, quo beatus antistes è Britannia secundùm redux, pro Armoricis ad placandum Imperatorem Rauennam iuit. Cùm igitur eo mortuus fuerit, die vltimâ mensis Iulij, vides sedere cepisse anno quadringentesimo quinto die sextâ illius ipsius mensis.

Vt autem aliquid certi de iis qui post Germanum sederunt afferamus, principio audiendus est Henricus Antisiodorensis monachus. Is epistolâ ad Carolum Calùum, quam libris de illius vitâ carmine scriptis præfixit, hæc habet de Aunario: *Sanctissimus Aunarius VI. post beatum Germanum Antisiodori Episcopus.* Igitur episcopi omnino quinque sederunt à Germano ad Aunarium vsque. Iam cùm multò plures vulgò ferantur, videamus qui sediſſe præ aliis censendi sint. Ex Episcoporum conciliis (quid ipsis certiùs?) duos, qui cum suis annis sequuntur, accipe. Aunarius anno quingentesimo septuagesimo tertio fuit in Parisiensi cõcilio. Ante ipsum Eleutherius, & Theodosius subscripserant Aurelianensibus. Ille quidem ad secundum iuerat anno ejus sæculi quadragesimo nono, & ad quintum trigesimo tertio, hic autem ad primum quinto. Tertium præsulem Constantius quem non semel in superioribus laudaui habet, eo vtroque antiquiorem Censurium. Huic, & Patienti Episcopo Lugdunensi, quem scimus anno quadringentesimo septuagesimo quinto subleuasse penuriam circumjacentium populorum, suos scripsit de Germani vitâ libros. Quartum, & quintum antistites in antiquis scriptoribus non inuenio. Sed qui de Antisiodorensibus Episcopis aliquid edidere, omnes in id conùeniunt, vt Censorio Vrsus successerit. Veræ autem tabulæ demum docent Allodium mortuo Germano fuisse Antisiodorensem Episcopum. Sed hîc vnum tacere non possum. Illæ ipsæ præterea tradunt, cùm Episcopatus post Allodij mortem vacasset annos decem, Fraternum in antistitem electum esse, & eo die, quo in antistitem vnctus est, cecidisse manibus barbarorum hominum, qui omnia per Gallias populati, Antisiodorum vastauerint. Occisum ego existimabam anno quadringentesimo

simo quinquagesimo primo, nam quo alio? eo Attila vniuersas fere Gallias turpissimâ vastatione peragrauit. Cum hæc ita ex certis autoribus habeant, sedêre post Germanum Allodius, Fraternus, Censurius, Vrsus, Theodosius, Eleutherius, Aunarius. Sed Henricus Antisiodorensis monachus, cùm asserebat Aunarium à Germano sextum fuisse Episcopum, Fraternum, qui solidam in Episcopatu diem non egisset, neque in præsulum serie sibi numerandum putauit. Gregorius autem, Optatus, Droctoaldus, Romanus, Atherius, vt posterioribus sederint temporibus, sedisse post Germanum, & ante Aunarium dicendi prorsus non sunt. Et verò, vt aliud non afferam, Gregorius fertur Episcopum egisse Siluerio, & Vigilio Romanis pontificibus errore magno, nam Eleutherius eorum toto sedit tempore, qui anno post quingentesimum trigesimo tertio, ante vtrumque pontificem interfuit concilio Aurelianensi secundo, & quadragesimo nono ejusdem sæculi subscripsit post vtriusque pontificatum Aurelianensi quinto.

Iam singulorum à Germano ad Aunarium Episcoporum annos, quis ex vero censeat sine antiquo autore? Allodius post Germanum antistes peruenit ad primum & trigesimum à quadringentesimo. Eo mortuo fuit Antisiodorum sine antistite annos decem. Fraternus primo illius sæculi & quadragesimo vnctus, ac peremptus est vnâ & eadem die. Ab eo Censurius, Vrsus, Theodosius, Eleutherius ad quingentesimum quadragesimum dicantur rexisse per annos omnino centum Antisiodorensem Ecclesiam. Qui cogitauerit plures, & quidem alios in aliis vrbibus, Episcopos sedisse supra quadraginta aut quinquaginta annos, is non mirabitur à me dici centum annos à quatuor Episcopis fuisse in regendis Antisiodorensibus positos.

Saloco Ioannis, seu Ionæ coëpiscopus anno 864. *Schedæ Flauiniacenses.*

Armarius, seu Ianuarius sedit anno 887. ex Odone Cluniacensi libro de reuersione S. Martini è Burgundia. Hic vnum vehementer miror, Regino ait Gozzilinum *inter Normannorum obsidiones* mortuum fuisse, & Haschiricum ei successisse. Gilboldus autem eo ipso anno diem vltimum obiisse dicitur ab autore Chronici Lemouicensis.

Hugo. Glaber libro 3. cap. 2. tradit eum sedisse anno 30. Roberti regis, Chifletius autem epistolâ de Beatrice Cabilonensi Comitissa incerto Henrici anno. Hic multa de Hugone addit, subscripsisse concessioni monasterij *Colchas* abbati Flauiniacensi ab Helmoino Augustodunensi Episcopo, anno Henrici regis duodecimo donationi Reginaldi Niuernensis Comitis monasterio Flauiniacensi, tertio nonas Maij vnctum, obiisse secundâ die mensis Nouembris, ex calendario Ecclesiæ S. Stephani Antisiodorensis. Recitat etiam sequentia ex paruo chronico Antisidorensis Ecclesiæ: *Anno* 1039. *obiit Hugo Episcopus, & in ipso ordinatio Eriberti Episcopi:* & ista ex gestis Antisiodorensium episcoporum cap. 49. *Hugo sedit in Episcopatu annos* 40. *menses* 8. *& dies* 4. *& fuit ciuitas sine episcopo dies* 36.

Robertus moritur anno 1094. & Humbaldus ordinatur, *Chronicum Antisiodorense paruum.*

Radulphus ex Cluniacensi monacho Episcopus, anno 1132. cùm Petrus Cluniacensis Abbas omnes cellarum Priores vocasset, atque datâ die ducenti affuissent, & monachi ad mille ducentos duodecim in choro steterint, sedit cum illis. *Ordericus libro* 12. *eo anno.*

Aptenses.

Petrus. Anno 1174. interfuit transactioni Bermundi Sistaricensis Episcopi cum Templariis super variis rebus, de quibus erat contentio. *Ex libro Sistaricensis Episcopi, quem vocant viridem.*

Hugo. Anno 1305. accepit ea quæ Bertrandus Raimbaudi, & Guirandus de Simiana debebant pro Bocaria, & Mediano, breuibus Aptæ, & pro Fano Martini, ac Saignono. *Ex Aptensis Episcopi tabulario.*

Raimundus. Anno 1326. interfuit concilio Sanrufensi ad Auenionem. *Ex actis ipsius concilij.*

Arausicani.

S. Agritius, S. Florentij, siue, vt alij volunt, Florentini successor interfuit concilio Arelatensi secundo. Florentius ergo hic sedebat Arausicæ, ante illum qui anno 517. interfuit. Epaunensi, & illum qui anno 880. sedebat.

Guilelmus. Sedit anno 1211. *ex cognitione de damnis à Tolosæ comite illatis Vasionensi Episcopo, ex mandato Innocentij III. Pontificis, & Othonis Germanorum imperatoris.* Eam habet Vasionensis Episcopus in suo tabulario.

Ioannes. Anno 1337. interfuit concilio Sanrufensi ad Auenionem. *Ex actis ipsius concilij.*

Augustodunenses.

Ansbertus sedit Carolo Martello majore domus. *Ex scriptore de vitâ S. Eucherij Aurelianensis Episcopi coæuo.*

Modoinus ex Reomaënsi Abbate Episcopus fuit anno 835. Cùm ageretur de Ebbonis Rhemensis Archiepiscopi depositione, eligitur in arbitrarium judicem ab ipso Ebbone, apud Roüerium in Reomao.

Siagrius sedit anno 887. *Ex Odone Cluniacensi in reuersione S. Martini è Burgundiâ.*

Vvalterius anno 993. concedit nescio quæ bona Monasterio S. Symphoriani, apud Chifletium epistola de Beatrice Cabilonensi pag. 199.

Stephanus anno 1131. subscribit fundationi abbatiæ de *Aserault*, quæ post consumptionem appellata est Buxeria, gallicè *de la Buxiere*, vt habet Chifletius epistolâ de Beatrice Cabilonensi Comitissa pagina 186. Moritur anno 1140. *ex breui chronico S. Benigni.*

Sequentes Episcopos habet Roüerius in Reomao.

Stephanus II. anno 1173. sententiam fert cum Bernardo Niuernensi pro Reomaënsibus monachis.

Galtherius judicio finit litem inter Cadriaci presbyteros, & Reomai monachos anno 1200. Sedet anno 1202. ex conuentionibus Reomaënsium, & Ioannis Guarart: & anno 1212. ex tabulis, quibus Aalis Burgundiæ ducissa, testatur liberos Ioannis de Guarart, se dedisse monasterio Reomaënsi, *vt liberos* perpetuùm possidendos.

Guido anno 1239. testatur Ioannem de Roca conuenisse cum Reomaënsibus monachis.

Guido (Hugone vocant Sanmarthani anno 1289.) vnit Ecclesia Suentiaci,

&

Digitized by Google

& Fani Germani, ex tabulis vnionis. Anno 1298. mense Aprili sedet ex chartâ libertatis, quam Regmundus Reomaënsis abbas dat Hugoni de Fonteneto.

Ioannes Rolin anno 1463. confirmat ordinem precum, à Ioanne de Cussiniaco constitututum in Reomaënsi cœnobio.

Aurelianenses.

S. Euortius Desiniano succedit S. Siluestro Pontifice, & Constantino imperatore, post duos vacationis annos: & Euortio Anianus succedit. *Vita S. Euortij.*

Marcus S. Liphardo diaconatum confert, ex hujus vita.

S. Eucherius *à Carolo Martello, quòd ei contra Raginfredum euunti, vrbem Aurelianensem præ timore Raginfredi aperire voluit, Episcopatu priuatus, & apud Sarcinium vicum Hispaniæ exulatus, in cœnobio S. Trudonis in sanctitate consummatus est.* Sigobertus anno 723.

Baiocenses.

S. Vigor Atrebatensis, Childeberto rege puer, educatur in monasterio S. Vedasti. *Vita S. Vigoris.*

Careuiltus interest Vormatiensi concilio, apud Roërium in Reomao pagina 81. quod dedit priuilegium Monasterio Senonensi S. Remigij, à Ludouico Pio postea confirmatum. Annus erat Christi octingentesimus trigesimus sextus.

Philippus. Hoc Episcopo præsente, Henricus II. Angliæ Rex, confirmat suo assensu erectionem monasterij Lucetnæ, erecti Præmonstratensibus ab Hasculfo de Suligneio. Annus tabulis non est inscriptus: sed Henricus II. regnare cepit anno 1154. anno 1162. moritur ex chronico Normanniæ.

Henricus sedet anno 1168. *ex erectione monastery S. Mariæ de Longis.*

Vdo cum Philippo Ebroicensi, & Simone Maclouiensi, ac Odone Archiepiscopo Rotomagensi censetur in chartâ, in qua enumeruntur quæ Comes Campaniæ, & Rex Nauarræ habebant in clientelâ Regis Francorum.

Bellouacenses.

Rogerius *anno 1023. decessit. Inter alia beneficia dedit Ecclesiæ S. Petri, cui præsidebat, Alliacum in Normannia, Montiacum in Vermandensi Prouincia. Comitatum quoque ejusdem vrbis ab Odone Campaniensi Comite impetrauit, dato ei pro commercio castro Syncerrio Bituricensi territorio sito, quod sibi patrimonij jure competebat.* Sigebertus eo anno.

Vvarinus, seu Guarinus sedet anno 1028. ex chattâ restitutionis monasterij Columbarum. *Duchesnius libro 1. historiæ Monmorantiorum cap. 3.*

Guido, seu Vvido sedet anno 1065. ex chartâ Philippi regis pro abbatia S. Petri de Hasnon, ex Duchesnio *libro 1. historiæ de Guines cap. 5.* Anno 1078. ex chartâ pro Ecclesiâ S. Quintini, apud Loisellium *in historiâ Bellouaci.*

Philippus gente Drocensis, sedet anno 1111. ex Duchesnio *libro 6. historiæ de Guines cap. 5.*

Milo anno 1227. juuat Iacobum Suessionensem Episcopum in vnctione basilicæ

basilicæ Longipontis. *Machautius in vita B. Ioannis de Monte mirabili* pagina 474.

Robertus anno 1240. recipit prioratum Buriaci à Cluniacensibus, ex bibliotheca Sebusiana pag. 432.

Biterrenses.

Bernardus Ioanne Pontifice (quem dicebant vigesimum, & qui creatus anno 1023. moritur anno 1034.) interest dedicationi Magalonensis Ecclesiæ. *Verdula in Magalonensibus Episcopis.*

Briocenses.

Philippus S. Vvilelmo succedit, & ab Innocentio IV. Lugduni obtinet ejus canonizationem. *Godegridus Caluus Bituricensis antistes in vita sancti Vvilelmi.*

Gotho eligitur in Archiepiscopum Turonensem anno 1155. *Chronicum Normanniæ à Duchesnio publicatum.*

Cabilonenses.

Veranus jubetur à Guntronno rege quærere de cæde Prætextati Rotomagensis Archiepiscopi à Fredegunde. *Turonensis libro 8. historiæ cap.* 31. Idem de eo dicit libro 9. historiæ cap. 4. & libro 3. de miraculis S. Martini cap. 60. Caualicensem nonnulli volunt hunc esse totâ Prouinciâ celeberrimum: sed ab eo alium fecit Turonensis, cùm Cabilonensem dixit; nam cur dicamus Cabilonensem, pro Cauallicensi scriptum à sanctissimo viro, quod aliqui autumant, ego quidem non video.

Frotgarius sedit anno 960. ex cujusdam sacræ ædiculæ concessione anno 6. Lotarij.

Roclenus sedet anno 1077. ex Hugonis Cabilonensis Comitis concessione Sanmarcellino monasterio.

Gualterius sedit anno millesimo centesimo decimo tertio ex donatione quadam Cisterciensibus.

Robertus sedit anno 1202. ex conuentionibus Beatricis Comitissæ Cabilonensis, & canonicorum collegij. Anno 1205. ex donatione Alexandri fratris Ducis Burgundiæ, monasterio Maceriarum, apud Chifletium epistola de Beatrice Cabilonensi pag. 137.

Durandus sedet anno 1225. ex chartâ Beatricis Comitissæ Cabilonensis. Anno 1229. dicitur executor Beatricis Comitissæ Cabilonensis, à Ioanne Comite filio.

Cadurcenses.

A. Cadurcensis Episcopus *anno* 930. *Rodulpho Rege Francorum* regnante testis est donationis Soliaci curtis in vicaria de Cassiliaco, Aureliacensi monasterio, Frotardo Vicecomite, anno 5. Roberti, apud Iustellum in probationibus historiæ Tureniæ pag. 9.

Deusdedit anno 1028. interest dedicationi Ecclesiæ S. Saluatoris Lemouicensis. *Ex chronico Lemouicensi anno* 1035. Fundationi canonicorum S. Satyri prope Sancerram, *Ex ipsa fundationis eorum charta.*

Therbaldus

Digitized by Go

Therbaldus. Huic ex Cluniacensibus assumpto scribit Petrus venerabilis libro 4. epist. 40.

Petrus Ioanne Romano Pontifice, quem dicebant vigesimum, & qui creatus anno 1023. moritur anno 1034. interest dedicationi Magalonensis Ecclesiæ. *Verdala in Magalonensibus Episcopis.*

Carnotenses.

Airardus sedebat anno 3. Theodorici regis, qui fuit Christi septimus post 680. *Vita S. Ansberti Rotomagensis Episcopi.*

Bernuinus sedit anno 836. ex vita S. Liborij Cenomanensis Episcopi libro 2. cap. 17. Anno 836. interest Synodo Vormatiensi, quæ dat priuilegium Senonensi monasterio S. Remigij, à Ludouico Pio postea confirmatum. Roüerius in Reomao pagina 81. recitat hoc priuilegium.

Ragenfredus anno 904. restituit monasterium S. Petri in valle. Chartam restitutionis leges apud Ducheſnium libro 2. histor. Monmorantiorum c. 1.

Theodoricus anno 1040. probat erectionem monasterij Vindocinensis cum exemptione.

Goifredus. Ordericus libro 5. anno 1077. sic de hujus Episcopi initiis loquitur. *Rodbertum abbatem Uticensem, fratrem Hugonis de Greatemaisnilio, accersierat Philippus Rex Francorum, volens ei dare Episcopatum Carnotensem: sed Gallis Normannorum deuitantibus magisterium, Goiffredus Eustachij Bolonensium Comitis nepos, præoccupauit pontificatum.*

Iuo *S. Quintini Belluacensis præpositus, à Papa Urbano consecratus, fit Carnotensis Episcopus* anno 1092. vt loquitur Robertus de Monte in continuatione Sigiberti. Anno autem 1078. is ipse Robertus scripsit sequentia. *Ab hoc tempore, cepit reflorere in Ecclesia S. Quintini Belluacensis, Canonicus Ordo, primùm ab Apostolis, postea à B. Augustino regulariter institutus, sub magno Iuone ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.*

G. iuuat Iacobum Suessionensem Episcopum anno 1227. in vnctione templi Longipontis. Machautus in vita B. Ioannis de Monte mirabili pagina 474. Gerardum interpretatur: sed Galterus sedit annis 1219. & 1235. ex Sanmarthanis in Gallia Christiana.

Carpentoractenses.

Remundus anno 1142. interest mandato, quo Boscaudonenses monachi, à fundatoribus addicuntur institutis monasterij Calisiensis. Pontius d'Albert, Guilelmus de Monmira, & Transquerius de Sauina eorum monasterium erexerant, probante Guilelmo de Beneuento Ebredunensi Archiepiscopo.

Guilelmus de Risolo dicitur *factus* Episcopus anno 1155. in donatione quadã Raimundi Prouinciæ Comiti Guilelmo Ebredunensi Archiepiscopo.

Otho anno 1326. interest Concilio Sanrufensi ad Arenionem.

Hugo anno 1337. interest Concilio Sanrufensi ad Auenionem.

Ioannes anno 1365. interest Aptensi Concilio.

Ceterùm Carpentoractensis Episcopus, à nonnullis dicitur idem fuisse olim cum Vendascensi seu Vendauscensi, & Carpentoracte vrbs eadem cum Vendasca. Itaque Blondellus in præfatione apologetica quaternione 72. pagina quarta, sic loquitur. *Venascinum comitatum pro Vendascensi à Vendasca*

seu Carpentoracte nuncupant. Suaresius autem Vasionensis Episcopus in descriptiuncula Auenionis, & Comitatus Venascini, ait Episcopatum Vendascensem, cùm alius à Carpentoractensi fuisset, in eum esset reductum, & Vendascam, seu Vendauscam, seu Vendacum, esse oppidum, quod à Carpentoracte vrbe aliquot leucis dissitum, vulgò appellatur Venasca. *Fuit & Episcopatus qnondam Venasca, seu Vinnausicca, verùm Carpentoractem reductus est.* Addit, vt hoc non prætermittam, Vinnausiccam dici à Nescâ, seu Nausicca fluuiolo. *Sorgia varios in fluuiolos discinditur, postquam Auerelone suscipit Nescam, seu Nausiccam fluuiolum, vnde vallis Nesca, seu Vinnausicca, & Vendacum dicta est, vulgò Venasca.* Ego hîc hæreo Carolus rex Prouinciæ, quem Lotarius imperator genuit, *dat Vendacensi Episcopo Ecclesiam S. Antonij in ciuitate Carpentoractis, & in Valle Nabrone, juxta castrum Vennasca, ecclesiam S. Petri*, vt domi libro 2. de rebus gestis episcoporum Vasionensium numero 2. Videtur ergo Vendacum à Carpentoracti & à Venasca distinguere.

Catalaunenses.

Domitianus sedit non longè ab Apostolorum temporibus. *Acta ejusdem S. viri.*

Camelianus succedit Albino, ex vita S. Lupi Trecensis anno 426. episcopi, quem Albinus magistrum habuit.

Donatianus anno 533. interfuit per vicarium Aurelianensi II. & anno centesimo trigesimo octauo, Aurelianensi 3. Conciliorum tamen codices non meminerunt illius.

Domitianus II. interfuit Concilio Turonico II. anno 567. acta Concilij tamen id non habent.

Adalelmus anno 836. interfuit Vormatiensi Concilio, quod monasterio Senonensi S. Remigij priuilegium dedit à Ludouico Pio postea confirmatum, ex Roüerio in Reomao pag. 81.

Rotgetus I. ordinatur anno 1009. moritur anno 1042. Ei succedit Rotgerus II. qui moritur anno 1065. Post quem sedet Rotgerus III. ac moritur anno 1093. Quo anno Philippus fit Episcopus; moritur autem anno 1100. *Chronicon Cataulanense S. Petri.*

Archambaldus sedet anno 1377. ex tabulis, quibus Sicardus frater, Episcopus Biterrensis dat Ioanni de Belloforti sua jura in Vicecomitatu Lautrecensi, & Baroniis Ambresij & Brogueria.

Cauallicenses.

Desiderius Cauallicensis Episcopus, & Gemmellicensis Abbas, creatus anno 1080. *in Concilio Auenion. ab Hugone Diensi Episcopo, Legato Gregorij VII. obiit in Claromontano Vrbani II. Concilio*, ac proinde anno millesimo nonagesimo quinto.

Cenomanenses.

Aldricus sedebat anno 836. Ludouico Pio imperatore, ex vita S. Liborij cap. 8. Eo ipso anno interfuit Vormatiensi Concilio, quod dedit priuilegium monasterio Senonensi S. Remigij, à Ludouico Pio postea confirmatum, ex Roüerio in Reomao pag. 81. Lupus Ferrariensis meminit hujus Episcopi epist. 84.

Bertrigam

Bertrigamnus monachos à S. Benedicto postulat, vt habet Faustus coætaneus in vita S. Mauri.

Leuthericus ægritudinem causatus, sucressorem sibi voluerat Franconem Parisiensis Ecclesiæ Diaconum : quem cùm postea Episcopatu dejicere resumpto cogitaret, Fulbertus Carnotensis epist. 8 negauit id fieri posse.

Geruasius anno 1040. interest fundationi Vindocinensis monasterij.

Vulgrinus sedet anno 1062. Arnaldus moritur anno 1081. *Appendix ad chronicum Andegauense.*

Ouveldus, seu Ohellus sedebat anno 1094. ex literis Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, & Legati Romani Pontificis in causa Fulconis Andegauensis Comitis. Anno 1098. moritur ex Orderico libro 10. eo anno. Eo mortuo *Elias Cenomanorum Comes Goifredum Britonem, decanum ejusdem Ecclesiæ ad Episcopatum elegit : sed præueniens clerus Hildebertum de Lauareeio Archidiaconum in cathedra pontificali residere compulit,* & cetera quæ in Episcopi electione fieri solent perfecit. Cúmque Elias se opponere vellet, dixerunt clerici; *Electionem tuam Ecclesiasticæ præferre non debes.* Igitur, vt Deum timebat, dicentibus acquieuit.

Claromontani.

Arnoldus sedit Lotario rege, ex Iustello in probationibus historiæ gentis Aruernæ pag. 18. Quis Lotarius hic ? Eidem Iustello est filius Lodouici Vltramorini, qui cepit regnare anno 954. aut 956.

Stephanus anno millesimo sexagesimo nono, interfuit donationi quorumdam solidorum monachis Celsinienſibus, ex Iustello in probationibus gentis Aruernæ pag. 23. Hic Stephanus videtur esse idem cum eo, quem Sanmarthani vocant Stephanum de Polignac, & aiunt sedisse anno millesimo sexagesimo quarto, Iustellus autem facit filium Guilelmi III. Comitis Aruerniæ.

A. sedit anno 1136. ex Iustello in probationibus historiæ gentis Aruernæ pagina 41. Aimericum ergo arbitrabar, qui ex Sanmarthanis sedebat anno 1124.

Robertus sedit annis 1202. & 1207. ex Iustello citato.

Constantienses.

Salomon fuit Episcopus Nicolao Pontifice primo, qui sedit ab anno 858. ad annum 867.

Sequentia de Constantiensibus episcopis, accepi ex chartulario Blancalandani Præmonstratensium monasterij.

Rogerius sedit anno 1120. ex chartâ Henrici Angliæ regis pro Cirisiacensi abbatia.

Ricardus anno 1154. confirmat literis suis fundationem abbatiæ Blancalandanæ. Anno 1164. dat Blancalandanis canonicis Ecclesiam S. Mariæ de Rauenouilla. Anno 1170. scribit pro Blancalandano monasterio. Anno 1178. moritur ex Blancalandano Anonymo in chronologia.

Vvilelmus, anno 1188. dat præsentationem S. Mariæ de Buneuilla Blancalandanæ abbatiæ, ad id resignatam à Luca de Runeuilla. Anno 1189. testatur Robertum de Sorteuilla dedisse Blancalandæ *jus præsentationis quod habebat in*

medietate Eccleſiæ S. Mariæ de Sorteuilla. Anno 1191. ſcribit pro Blancalandanis canonicis. Anno 1193. teſtatur Herbertum de Hetreuilla, donaſſe Blancalandano monaſterio, præſentationem Eccleſiæ Ketreuillæ. Annis 1194. 1197. 1199. ſcribit pro Blancalandanis canonicis. Anno 1202. moritur ex chronologia Blancalandani Anonymi.

Viuianus vngitur in epiſcopum anno 1202. ex Anonymo Blancalandano in ſuâ chronologia. Anno 1207. ex eodem confirmatur.

Hugo anno 1207. epiſcopus, ſcribit pro Blancalandanis canonicis. Anno 1208. confirmat Blancalandæ *garbas* duas Anſgouillæ, & S. Dionyſij le Veſtu. Anno 1210. teſtatur Laurentiam olim vxorem Oliuerij de Borfalou recognouiſſe Vadi moletrinam Blancalandano monaſterio. Anno 1211. ſcribit de duabus Blancalandanorum *garbis* in S. Dionyſij le Veſtu. Anno 1213. ſedet ex donatione Eccleſiæ Anglicauillanæ Blancalandanis canonicis per Odonem de Leſtra. Anno 1214. facit vt monachi Majoris monaſterij cum Blancalandanis canonicis conueniant de Eccleſia S. Martini de Belloſa. Anno 1215. ſedet, ex donatione patronatus S. Martini de Anglicauilla, Blancalandano monaſterio, per Vv. Auenel. Anno 1216. confirmat decimas Anglicauillæ, Blancalandanis canonicis; & fundat vicarium, qui pro ipſis Eccleſiam ejus curet. Anno 1217. ſedet ex literis Adami de Languetot. Anno 1220. ſedes ex chartâ Vv. de Humetto, pro Blancalandano monaſterio. Anno 1221. ſedet ex chartâ Vv. de Leſtra ſuper concordia cum Blancalandanis canonicis. Anno 1222. ſcribit pro monaſterio Blancalandæ. Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo, pro eodem ſcribit. Anno 1232. ſedet ex reſignatione cujuſdam agri à Petro de Boſco, Blancalandanis canonicis. Anno 1238. moritur ex chronologia Anonymi Blancalandani.

G. id. Gillanus ſedet anno 1040. ex literis balliui regis Angliæ in Gerſoij inſula, pro Blancalandano monaſterio. Anno 1246. ex tabulis, quibus inſularum jurati teſtantur Blancalandanos canonicos ei præſentare ad S. Martini de Belloſa ſacerdotium. Anno 1250. ſedes vacat, & eâ vacante Rogerius Archidiaconus confert ſacerdotium in Eccleſiâ de Boleuilla, ex litteris Conſtantienſium canonicorum collegij.

Ioannes ſedet annis 1256. & 1260. ex literis, quibus tum ſcripſit pro Blancalandæ monaſterio. Anno 1262. ex literis juratorum Gerſoij inſulæ pro Blancalanda. Anno 1276. Moritur ex chronologia Anonymi Blancalandani.

Euſtachius Ordinis S. Franciſci anno 1283. ſcribit pro Blancalandæ abbatia. Anno 1285. ſedebat ex edicto Karentanienſis Vicecomitis. Anno 1286. ſcribit pro Blancalandanis canonicis. Anno 1292. *obiit frater Euſtachius Conſtantienſis Epiſcopus.* Sunt verba canonici Blancalandæ Anonymi in ſua chronologia.

Robertus de Haricurtia ſedere cepit anno 1292. ex chronologia Anonymi Blancalandani. Anno 1293. ſcribit de Runeuillæ Eccleſiâ. Anno 1294. neſcio quem curionem inſtituit. Anno 1302. edicit de quadam decima. Anno 1304. ſedet ex Conſtantienſis balliui literis. Anno 1314. nonis Martij moritur ex Blancalandano Anonymo in chronologia.

Nicolaus de Treuilla ſuccedit Roberto Haricurtio, & vngitur anno 1315. ex Anonymi Blancalandani chronologia. Anno 1343. ſcribit neſcio quas

litteras.

Digitized by Google

literas. Anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quinto, moritur ex chronologia Anonymi Blancalandani.

Ludouicus de Arguemato vngitur in Epiſcopum anno 1345 ex Anonymo Blancalandano in chronologia. Anno 1349. imponit Eccleſiæ Belloſæ, Henricum Labbei Blancalandanum canonicum in curionem, ad abbatis ſui nominationem.

Silueſter ſedebat anno 1383. ex præſentatione cujuſdam preſbyteri ad parochialem Eccleſiam, per Thomam Blancalandæ abbatem.

Nicolaus ſedebat anno 1387. quo ejus in remoto loco agentis vicarij generales, permittunt Ioanni de Prato canonico Blancalandano, vt à quocunque viſum fuerit Epiſcopo initietur minoribus quatuor ordinibus.

G. id. Guilelmus de Creuecœur, ſedit anno 1397 quo ab ejus officialibus dicuntur quæſitores de graui facinore in inſulis *de Guernereyo*. Anno 1398. ſedet ex præſentatione canonici Blancalandani ad prioratum Anglicauillæ. Anno 1400. ſedet ex literis deprecatoriis Thomæ Blancalandani abbatis ad ejus Officiales, & iſtorum reſponſione. Anno 1402. ex vicariorum ejus generalium literis dimiſſoriis. Anno 1406. ex literis Thomæ abbatis Blancalandani deprecatoriis ad ejus Officiales, & ipſorum reſponſione.

Coriſopitenſes.

Alanus. Ei ſcribit Philippus Pulcher Rex anno 1303. ex hiſtoria diſſidij inter Bonifacium VIII. Pontificem & Philippum Pulchrum regem.

Dinienſes.

Aredius anno 588. interfuit Ebredunenſi Concilio ſub Emerito archiepiſcopo, quod ex MS. Baldezani publicauit Ludouicus de la Cheza in hiſtoria Pedemontana.

Guigo de Reuel ex Boſcaudonenſi Abbate Epiſcopus ſub initia Lucij III. Pontificis, ex chartulario Boſcaudonenſi.

Hugo intereſt judicio arbitrorum diſſidij inter Aimarum Ebredunenſem Archiepiſcopum, & Ebredunenſes anno 1241.

Guilelmus. Hoc Epiſcopo agente Arnulphus Boſcaudunenſis Abbas anno 1286. depoſuit Abbatem de Folleſnec, ob monaſterij rerum dilapidationem, eique ſubſtituit Hugonem de Durbis.

Elzearius anno 1337. intereſt Sanrufenſi ad Auenionem Concilio.

Bertrandus anno 1365. intereſt Aptenſi Concilio.

Dolenſes.

Aimo pugnat cum Odone Dolenſi Duce anno 1037. *In ipſo prælio vulneratus, nec tamen mortuus, armis relictis euadit.* Chronicum Dolenſe.

Saloco. Chronicum Virdunenſe aduerſatur Sueſſionenſi Concilio, cùm aſſerit extremam diem obiiſſe anno 864.

Ebroicenſes.

R. id. Rotrocus ſeu Rotrodus interfuit confirmationi fundationis Lucernæ Præmonſtratenſium monaſterij ab H. Rege. Annus tabulis inſcriptus non

est. Videtur Robrotus fuisse, qui anno 1163. cum Achardo Lexouiensi interfuit translationi S.Eduardi, & cujus meminit Robertus de Monte anno 1157.

Radulphus de Pins ex Cancellario regis Angliæ anno 1248.Episcopus, euadit in Cardinalem anno 1249.vt habet Normanniæ Chronicum, quod Ducheſnæus edidit. Vnde factum sit,vt iis ipsis annis, & vltra ipsos etiam, Ioannes dicatur Episcopus in chartis quas Sanmarthani referunt, non lego.

Elosenses.

Philibander pater S.Philiberti abbatis ex vxore ante Episcopatum innominata, Dagoberto rege,post matrimonium eligitur in Elosensem Episcopum. *Vita S.Philiberti,cap.*1.

Engolismenses.

Geraldus anno 1040.interest fundationi Vindocinensis monasterij. *Tabulæ ipsius fundationis.*

Cetera quæ sequuntur, accepta sunt, ex chronico Engolismensi.

Autbertus *claruit* anno 844.

Elias, *qui detulit corpus Sancti Benigni martyris Engolismæ ciuitati moritur anno* 860.

Oliba 3. *Nonas Septembris obiit* anno 892.

Anatolus *obiit* 12.*calendas Maij* anno 895.

Gumbaldus, siue Guibaudus, vt habet scriptor Innominatus de Episcopis Engolismensibus. *Anno* 940. 10.*calendas Aprilis obiit, qui sedit annos* 43.*dies* 21.

Hugo sedet *anno* 958.

Eblo moritur anno 964. 15.*calendas Februarij*,cùm sedisset *annos* 12.*menses* 9.*dies* 16.

Ranulfus moritur anno 973.19. calendas Februarij, cùm sedisset *annos* 9. *menses* 9.*dies* 13.

Hugo sedet ab anno 974. vsque ad annum 990.quo moritur 8. calendas Decembris.

Grimoaldus consecratur anno 991. 3.cal. Octobris.

Forojulienses.

Gontarius sedet anno 951.ex nescio quarum rerum permutatione, cujus meminerunt Sanmarthani in Israële Aquensi Archiepiscopo.

Petrus anno 1156. interfuit donationi Raimundi Prouinciæ Comitis Guilelmo Ebredunensi Archiepiscopo. *Fornerius in Ebreduno MS.pag.*396.

B. anno 1208. arbitrarius judex,fert sententiam de controuersia inter Raimundum Ebredunensem Archiepiscopum & canonicos. *Fornerius in Ebreduno MS. pagina* 411.

Bartolomeus annis 1326.& 1337. interest Conciliis ad Auenionem Sanrufensibus. *Acta eorumdem Conciliorum.*

Geneuenses.

Maximus sedit Sigismundo Burgundionum rege, ex fundatione Agaunensis monasterij. Astaldus

Digitized by Go

Astaldus anno 836. interest Synodo Vormatiensi. *Roüerius in Reomao pagina* 81.

Protadius sedet anno 880. ex Sammarthanis tomo 4. Galliæ Christianæ in Agauno.

Cetera quæ sequuntur, habet Guichenonus in Bibliotheca Sebusiana.

Riculphus. Hoc episcopo Eldegardis Comitissa Genouensis anno 836. dedit multa prædia Ecclesiæ Satiniatensi. *Centuria* 1. *cap.* 32.

Hugo anno 1019. aut 1020. interest donationi Roberti Comitis Geneuensis monasterio Peloniaci, fundato à Geroldo prædecessore. *Centuria* 1. *cap.* 40. Anno 998. subscribit Concilio Romano.

Vvido, seu Guido anno 1091. dat Ecclesias Seyssiacenses monasterio S. Eugendi. *Centuria* 2. *cap.* 1. Anno 1109. dat Prioratum de Condominio Cluniacensibus. *Centuria* 1. *cap.* 4. Anno 1110. dat eidem monasterio plures Ecclesias. *Centuria* 1. *cap.* 82.

Humbertus anno 1124. dat Cartusiæ Majoreui decimas agrorum, quos ejus monachi ipsi colunt. *Centuria* 2. *cap.* 12.

Ardulia, siue Ardulius anno 1150. interest concordiæ Ecclesiarum Noualicensis & Condominensis *Centuria* 1. *cap.* 20. Anno 1153. obtinet à Friderico Ænobarbo confirmationem priuilegiorum Ecclesiæ suæ. *Centuria* 2. *capite* 35. An. 1172. monachi Abundantiæ excitant monasterium Grandis-Vallis hoc Episcopo. *Centuria* 1. *capite* 97. Anno. autem 1178. Vvilelmus Geneuensis Comes erigit Cartusiam Pomerij. *Centuria* 2. *cap.* 13.

Nantelmus, seu Nantuellinus. Hujus Episcopi & Monachorum Cluniaci, Nantuaci, & S. Eugendi dissidium componunt an. 1198. Stephanus Lugdunensis Archiepiscopus & alij. *Centuria* 2. *capite* 34.

Bernardus an. 1212. Electus Ebredunensis Archiepiscopus, dicitur arbitrarius judex dissidij inter Matisconensem Episcopum & Cluniacensem Abbatem, ex epitome amborum in eum compromissi, quæ habetur pag. 430.

Henricus an. 1262. conuenit cum Simone de Ioinuilla domino de Gex. *Centuria* 2. *cap.* 47.

Glandatenses.

Agretius anno 588. interest Concilio Emerito Ebredunensi archiepiscopo, quod ex MS. codice Baldezani acceptum Ludouicus de la Cheza edidit in historia Pedemontana.

Isnardus Grimaldus anno 1190. sedet, ex arbore Grimaldorum pagino 169.

P. anno 1242. sedet, ex controuersia Aimari Ebredunensis Archiepiscopi cum Templariis Nicensibus de visitatione. *Fornerius in Ebreduno MS. pagina* 428.

Iacobus anno 1337. interfuit Sanrufensi ad Auenionem Concilio. *Acta ejusdem Concily.*

Gratianopolitani.

Isaac in chartulario S. Bernardi Romanensis, citatur cum Elizachar Bellicensi Episcopo, qui anno nongentesimo decimo quinto, interfuit C. bilonensi Concilio. Anno octingentesimo nonagesimo octauo, interest ver-

pitioni

pitioni monasterij Gigniaci à Bernardo Comite. *Guichenonus centuriâ 1. Bibliothecæ Sebusianæ capite 26.*

Anselmus anno 1042. interest donationi monachis Noualicensibus ab Aimone. *Guichenonus loco citato cap.84.*

Ioannes anno 1093.fuit arbiter controuersiæ Iarenti Episcopi Diensis cum Aimaro Comite Valentino & Diensi,vt annotaui lib.2. de Diensibus Episcopis num.48.

Hugo sedet anno 1134.ex chartulario S.Bernardi Romanensis.

Laudunenses.

Rodulphus anno 912.consecrat Heriueum Remensem Archiepiscopum. *Flodoardus lib.4 cap.11.*

Gibenuinus sedebat Gereberto, qui postea fuit Siluester 2. Pentifex Romanus, scribente epistolam 59. Diederico Metensi Episcopo.

Elinardus sedit anno 1060.ex restitutione monasterij S.Martini de Campis ab Henrico rege. Anno 1060. ex literis Rainaudi Remensis Archiepiscopi. Anno 1094 ex Sigiberto. Robertus de Monte ait extremum diem obiisse anno 1095. & ei successisse Ingeltrannum : sed Ducheſnius libro 6. gentis *de Guines.* capite 2. putat Ingeltrannum ipsi successisse anno 1100. & Ingeltranno, Galdricum, seu Vvaldricum, qui ex Roberto de Monte loco citato occisus est anno 1112.

Bartolomeus sedit anno 1118. ex chartulario S. Remigij Remensis. Anno 1131. ex tabulario S. Vincentij Laudunensis. Anno 1142. ex tabulis Præmonstratentensis monasterij. Anno 1144. ex chartis monachorum Thenoliæ.

A. idest Anselmus sedebat anno 1218. autore Ducheſnio libro 6. historiæ *de Guines* capite 6.in probationibus.

Lemouicenses.

S. Sacerdos quieſcit apud Sarlatum in diœceſi tum *Petragoricensi. Hic beatus & sanctus Sacerdos,natione Burdegalensis,ex patre Laban,& matre Mundana, tempore Clodouei regis Francorum diuinâ reuelatione factus est monachus, deinde Abbas, tandemque episcopus Lemouicensis. Qui cùm quadam die inuenisset patrem suum, sine viatico ex hac vita migrasse,diutissimè orans, ipsum in nomine Domini suscitauit,communionem ei dedit:& postulata benedictione, cùm ei benedixisset,iterum mox in pace quieuit.* Bernardus Guidonis libello de sanctis Lemouicensibus extra diœceſim sepultis.

Bernardus *claruit* anno 844. Chronicum Malleacense.

Anselmus cepit sedere anno 869. vt aduertit Iustellum libro 1. de familia Turenia cap.3. & intelligitur ex chartâ anno 897.scripta in has voces. *Actum hoc Lemouicis ciuitate in Synodo plenâ, vndecimâ nonas Nouemb. anno incarnationis Domini 897. indict. 3. Odone Rege, anno 10. ordinationis quoque Domini Anselmi Pontificis anno 28.*

Hildegarius anno 1088 interest Concilio Karrofensi. Acta hujus Concilij.

Leonenses.

G. Anno milleſimo trecenteſimo tertio Philippus Pulcher rex huic Episcopo

Episcopo scribit, ex historia dissidij inter Bonifacium octauum & istum regem.

Lexouienses.

Radulphus anno 836. interest Vormatiensi Concilio. *Roüerius in Reomao pagina* 81.

Arnulphus è Sagiensi Archidiacono in Episcopum euectus est, cùm Petrus venerabilis scribebat epistolam 7. libri 3. Innocentio Pontifici. Scripsit non inelegantes epistolas Adriano & Alexandro Romanis Pontificibus, quorum ille extremum diem obiit anno 1159. iste anno 1181. Librum epistolarum suarum collegit ad petitionem Ægidij Rothomagensis Archiepiscopi,& cum epist.1.ad eum misit. Anno 1165. interfuit translationi S.Eduardi.

Lingonenses.

Mummolus ex Abbate Reomaënsi tertio Episcopus, sedere cœpit anno 579. ex Rouërio in Reomao pag.523.

Albertus, fortasse aliis Albericus, moritur anno 838. 12. calendas Ianuarij. *Chronicum Diuionense S.Benigni.*

Vulfadus Ecclesiæ Remensis alumnus Episcopatum inuadit, & sine omni jure occupat,vt ex synodo apud Carisiacum habita docet Flodoardus libro 3. de Remensibus Episcopis cap.24.

Gerardus sedere incipit anno 863. 4.calendas Apriles. *Chronicum Diuionense S.Benigni.*

Lambertus anno Roberti Regis trigesimo, qui erat Christi millesimus vigesimus octauus, subscripsit concessioni monasterij *Cholcas* Flauiniacensi abbatiæ, ab Helmoino Augustodunensi Episcopo.

Hugo sedet anno 1037.ex donatione rei nescio cujus Flauiniacensi monasterio,à Reginaldo Niuernensi Comite. Anno 1042. ex chartâ Roberti Burgundiæ Ducis,pro Adelardo Abbate S.Germani pratorum.

Robertus sedere incipit anno 1077. ex chronico Diuionensi S. Benigni. Sedet anno 1106. ex chartâ Hugonis Ducis Burgundiæ. Anno 1110.moritur. Post duos ab ejus morte annos succedit Roberto Iocerannus,qui anno 1125. *dimittit Episcopatum,& Guilelmus succedit*,vt loquuntur parua chronica S. Benigni Diuionensis. Hæc omnia, præter annum ordinationis Roberti,desumpta sunt ex Chifletio in epistola de Beatrice Cabilonensi Comitissa.

Guilelmus,seu Guilencus ordinatur anno 1115. 5. calendas Octobris. Moritur anno 1136. *Chronicum Diuionense S.Benigni.*

Robertus Ducis Augustodunensis filius anno 1140.& ordinatur,& moritur. *Chronicum Diuionense S.Benigni.*

Gaufridus sedebat, cùm Humbertus Augustodunensis Episcopus anno 1148.visitauit capsam S.Lazari.

Vvalterus sedet anno 1174. ex Guichenono in Bibliotheca Sebusiana pagina 448.

Manasses anno 1188.consecrat Petrum Abbatem S.Benigni Diuionensis. *Chronicum ejusdem S.Benigni.*

Hilduinus sedet anno 1200. ex Guichenono in Bibliotheca Sebusiana pagina 446.

Digitized by Google

Matisconenses.

Drogo, cùm adeptus esset episcopatum anno 1063. Augustodunum venit cum Gaufredo Lugdunensi & aliis præsulibus, pro Roberto Augustodunensi antistite, quem Robertus Burgundiæ Dux vexabat. *Hugo in vita Hugonis Cluniacensis.*

Landricus sedet anno 1080 ex electione Cabilonensis Episcopi. Moritur anno 1096. ex Virdunensi chronico Hugonis Flauiniacensis abbatis. Landrico. Succedit Berardus ex Archidiacono Lugdunensi, vt habet idem chronicum.

Pontius anno 1148. interest visitationi capsæ S. Lazari ab Humberto Augustodunensi Episcopo.

Maurianenses.

Eurardus an. 1022. dat monasterio Sauiniaci *Ecclesiam S. Venranni, quæ est in villa, quæ vocatur Erbins, & in villa quæ dicitur Balbiacus mansum vnum.* Guichenonus ex ipsa donatione in Bibliotheca Sebusiana; *Centur. 1. cap. 25.* qui addit esse Eborardum, siue Hurardum in Ansæ concilio anno 1025.

Amedeus anno 1109. interest donationi prioratus de Condominio Cluniacensibus à Guidone Geneuensi Episcopo, apud Guichenonum in Bibliotheca Sebusiana. *Centuria 1. cap. 4.*

Raimundus anno 1237. succedit Aimaro ad Ebredunensem Archiepiscopatum euecto. *Fornerius in Ebreduno MS. pag. 424.*

Meldenses.

Sanctinus à B. Dionysio Areopagita constituitur Meldorum Episcopus, ex antiquissimo de ejus vita libro apud Hincmarum epistolâ ad Carolum Caluum, quæ habetur post Areopagitica Helduini.

Antonius Sanctini successor mittitur à S. Dionysio Areopagita Meldas cum eo, apud Hincmarum loco citato.

Vvalbertus *decimus nonus à B. Dionysio* (qui Sanctinum Meldas miserat Episcopum) *pro vitæ suæ meritis creatus est Meldensis antistes*, &c. *B. Faronis frater. In ejus mortui locum, annuente Clotario Rege, Chilperici filio, Faro subrogatus est.* Vita S. Faronis cap. 5. Sedit annos sedecim; *Eadem vita capite* 10. Catalogus Episcopum Meldensium, Auctori vitæ S. Faronis contrarius, facit primum & vigesimum, non decimum nonum Episcopum.

Landricus sedet anno 650. ex Iacobo Simone in vita Sanctæ Vvaltrudis capite 6.

Vvalterus sedet anno 1060. ex chartâ restitutionis abbatiæ S. Martini de campis ab Henrico Rege. Anno 1067. ex chartâ Philippi Regis, scripta ipso die dedicationis S. Martini de Campis.

Manasses sedet anno 1152. ex chartâ Henrici Trecensis Comitis, pro Latigniacensi monasterio. Anno 1153. dat Ecclesiam de Firmitate Galcherij, monasterio Ioannis de Vineis.

Stephanus sedet anno 1169. ex chartâ Andreæ domini Feritatis Galcherij, pro Sosmensi monasterio.

Petrus anno 1227. iuuat Iacobum Suessionensem Episcopum, in vnctione

ne

ne basilicæ Longipontis, ex Machauto in vitâ B. Ioannis de Monte-mirabili pagna 774.

Mimatenses.

Raimundus, anno ..... subscripsit epistolæ Ioannis Romani Pontificis ad Magalonenses. Anno 1034. interest Bituricensi Concilio, & se Ragamundum appella. Ex illa epistola, & hoc Concilio.

Nannetici.

Sophronius anno 510. Theodorici Francorum Regis metu. S. Columbanum à regiis ministris, vt in Hiberniam rediret, ductum ad mare nullâ iuuit ope: vrsit etiam vt naui impositus in eam iret. *Ionas in vita S. Columbani cap. 24. & 25.*

Atto anno 836. interfuit Vormatiensi Concilio, quod dedit priuilegium Senonensi monasterio S. Remigij, postea confirmatum à Ludouico Pio.

Quiriacus sedet anno 1002. *Appendix chronici Andegauensis.*

Gauterius, aliis fortasse Valterus, interest dedicationi cujusdam Ecclesiæ anno 1025. idibus Octoris. *Chronicum Malleacense.*

Brictius moritur anno 1139. calendis Nouembris. *Chronicum Andegauense S. Albini.*

H. id. Henricus. Huic scripsit Philippus Pulcher anno 1303. ex historia dissidij inter eum & Bonifacium VIII.

Nemausenses.

Ioannes. *Aram Theodori Regis Italiæ dux*, hunc mandat institui Episcopum actus magno prodigio, ex Gregorio Turonensi libro 1. de gloria martyrum capite 78.

Aymardus anno 1177. interfuit testamento Ermesindæ Melgorij Comitissæ, apud Guichenonum centuria 2. Bibliothecæ Sebusianæ cap. 67.

Gaufredus anno 1027. interfuit donationi Bertrandi Comitis Forcalquerij Ecclesiæ Ebredunensi, ex ipsius donationis tabulis.

Adalbertus (Aldebertum appellant Sanmarthani) anno 1152. interest matrimonio Guitandi de Simiana & Galburgiæ. *Ex chartulario Marchionis Planitiarum*

Ioannes de Blandiaco, seu Blanciaco; postea Cardinalis, & S. Sabinæ episcopus, nepos Bertrandi de Deucio ab anno 1324. de Ebredunensis Archiepiscopi. *Fornerius in Ebreduno MS. pag. 500.*

Nicienses.

Catolinus anno 588. interest Concilio Taurinensi apud Ludouicum de la Cheza in historia Pedemontana.

Austadius sepelit S. Hospitium reclusum. *Turonensis lib. 6. histor. cap. 6.*

Ioseph anno 904. subscribit chartæ Ragenfredi Carnotensis Episcopi, quâ continetur restitutio monasterij S. Petri de Valle. *Ex Duchesnio libro 2. historiæ Monmorantiorum cap. 2.*

Gaufredus sedet anno 1027. *ex donatione Bertrandi Comitis Forcalquerienſis Ecclesiæ Ebredunensi.*

Arnaldus anno 1155. interest donationi Guilelmo Ebredunensi Archiepiscopo, à Berengario Comite Prouinciæ. *Fornerius in Ebreduno MS. eo anno.*

Michaël sedet anno 1242. ex dissidio Aimari Ebredunensis Archiepiscopi cum Templariis Nicienſibus. *Fornerius in Ebreduno MS. & Aimaro archiepiscopo.*

Petrus anno 1256. testatur Iacobum Serene Ebredunensem Præpositum, feciſſe homagium præposituræ Archiepiscopo ſuo. Eo ipso anno. *Fornerius in Ebreduno MS. eo anno.*

Laurentius anno 1365. interest Concilio Aptensi. *Acta hujus concilij.*

Niuernenses.

Eulalius sedet Clodoueo rege. *Faustus in vita Sancti Seuerini Abbatis Agaunensis.*

Herimanus sedet Lupi Ferrarienſis temporibus ex ipsius epistolis 84. & 99.

Nouiomenses.

Mummolinus succedit Aichario, & sedet annos 26. *Autor libri de vita sancti Audomari cap.* 18.

S. Eligius sedere incipit anno 635. *Autor vitæ S. Audoëni capite* 14. Inuenit corpus S. Quintini ipso *principio episcopatus sui*, vt scribit S. Audoënus l. 2. vitæ S. Eligij capite 6. Moritur anno 665. *Sigibertus anno 665.*

Balduinus sedet anno 1045. ex chartario S. Petri Gandauensis apud Ducheſneum libro 2. historiæ *de Guines* capite 2. Anno 1065. ex chartâ Philippi Regis de abbatia S. Petri de Hasnon, apud eundem libro 1. capite 5. Anno 1066. ex Miræo in donationibus piis capite 59.

Radbodus sedet anno 1073. ex chartulario basilicæ S. Phataildis Gandauensis apud Ducheſneum libro 2. historiæ *de Guines* capite 2. Anno 1078. ex chartâ Philippi regis pro Ecclesia S. Quintini; ex Loiſellio in historia Bellouacensi. Anno 1088. educit è conditorio, & proponit venerandum populo corpus S. Bodolenæ, ex hujus vita capite 12. Anno 1091. sedet ex literis Rainaudi Remensis Archiepiscopi.

Rachodus vngit Godefridum monachum in presbyterum, qui postea fuit Sueſſionensis Episcopus, ex libro 1. de hujus vita capite 17.

Lambertus sedet anno 1173. ex tabulario S. Bertini Audomarensis. Anno 1117. ex chartulario Ecclesiæ Formoselensis.

Stephanus sedet anno 1218. ex Ducheſneo libro 6. historiæ *de Guines* capite 6. in probationibus.

Petrogoricenses.

Froterius annum 990. interest Concilio Karrofensi. *Acta hujus concilij.*

Radulphus post annum 1001. *trucidatur à Saracenis cum Catholicorum exercitu in Terra sancta.* Chronicum Gaufredi capite 32. Alij volunt mortuum esse anno 1113. in reditu Ieroſolymitano.

Arnaldus anno 1028. interest dedicationi Ecclesiæ Lemouicensis S. Saluatoris. *Chronicum Lemouicense.*

Gaufridus

Gaufridus anno 1232. confirmat donationem Ecclesiæ S. Ioannis de Rochenac Cluniacensibus. *Guichenonus in Bibliotheca Sebusiana pag.* 438.

Pictauienses.

Gogo *claruit* anno 844 *Chronicum Malleacense.*

Gislebertus ante annum 998 interest Concilio Karrofensi. *Acta hujus Concilij.*

Regenses.

Northbertus sedit Ludouico Imperatore. *Cùm imperator remitteret missos imperatoris Michaëlis* (qui imperauit ab anno 821. ad annum 827.) *Simul cum eis misit missos suos Northbertum Regiensem Episcopum, Richoinum Pictauum Comitem, petens amicitiarum societatem.* Innominatus scriptor vitæ Ludouici Pij. Sunt qui velint Northbertum hunc esse Northbertum illum Episcopum Regij Lepidi Episcopum, qui anno 824. Ludouico Pio imperatore fuit in Concilio Mantuano. Sed Regium Lepidum non erat tam in ditione Ludouici, & veri est similius Gallum Regij in Prouincia Episcopum, quàm Italum Regij Lepidi datum Legationis comitem Richoino Gallo. Sola nominis similitudo quæ sæpe fallit, fecit vt aduersarij contraria sentirent.

Rangerius. Charta monachi Majoris monasterij apud Bessium de clausula *regnante Christo* pag. 139. sic habet: *Rangerio Cardinale, qui fuit Regiensis Episcopus anno* 1095.

Rutenenses.

Faustus, natione Afer, fertur excitasse à mortuis matrem: S. Quintianum habuit nepotem; qui etiam postea fuit Rutenensis Episcopus. *Gregorius Turonensis in vita S. Quintiani.*

Raimundus sedet anno 1095. *Chronicum Gaufridi cap.* 27.

Sagienses.

Godegrandus. Hoc Episcopo viuente Grodobertus Episcopatum occupauit annis 7. *Adelinus in vita S. Opportunæ sororis Godegrandi.*

Ingelnodus anno 836. interest Synodo Vormatiensi, Ludouico Pio imperatore, cujus literis eo anno subscribit die 16. Decembris.

Hildebrandus sedit Ludouico fratre Caroli Imperatoris Rege. *Adelinus in vita S. Oportunæ.*

Buxoboldus legitur in epist. 84. Lupi Ferrariensis.

Santonici.

Æmulus, siue Emerius sedet Hariberto Rege, Clotarij filio. Vide Gregorium Turonensem libro 4. historiæ capite 26.

Iflus anno 1024. consulit Gaufrido Engolismi Comiti, dare Ecclesiam S. Pauli Santonicam Cluniacensibus. *Guichenonus centuria* 1. *Bibliothecæ Sebusianæ capite* 50. Anno 1028. interest dedicationi Ecclesiæ S. Saluatoris Lemouicensis. *Chronicum Lemouicense.*

Pettus anno 1110. confirmat Cluniacensibus abbatiam S. Stephani de Braunia, ex Guichenono in Bibliotheca Sebusiana pag. 448.

Senecenses.

Vigilius anno 588. interfuit Ebredunensi Concilio, apud Ludouicum de la Cheza in historia Pedemontana.

Vvilelmus sedet anno 1242. ex controuersia inter Aimarum Ebredunensem Archiepiscopum & Templarios, de visitatione. *Fornerius in Ebreduno MS. pag.* 428.

Nicolaus de Iarente, nepos Baltazaris Archiepiscopi Ebredunensis, sedet anno 1550. *Fornerius in Ebreduno MS. pagina* 684.

Suessonici.

Leontius sedit tempore S. Maclouij, qui viuebat anno 620. *Vita S. Maclouij cap.* 21. *& sequentibus.*

Rohardus. Huic episcopo Nicolaus I. qui Pontificatum anno 872. inierat, scripsit epistola 44. Nicolaus monachus eidem scripsit vitam S. Godefridi Ambianensis episcopi.

Theobaldus. Hoc antistite mortuo, *vir nobilis Geruasius, pro quadam seruitij palatini compensatione, fratrem suum Vrsionem curauit subrogandum*, &c. Lisiardus in vita S. Amulphi, qui Vrsione dejecto electus est in Episcopum.

Geraldus anno 30. Roberti Regis & Christi 1128. subscribit concessioni monasterij *Calchas* Flauiniacensi abbatiæ, ab Helmoino Ambianensi Episcopo. Anno 1037. sedebat, ex donatione Reginaldi Niuernensis Comitis Flauiniacensi monasterio. Anno ..... interfuit concilio Virdunensi.

Hugo Ludouici Regis cancellarius sedet anno 1169. *Guichenonus Centuria* 1. *Bibliothecæ Sebusianæ capite* 36.

Teroanenses.

Sancti Fuscianus & Victorinus socij B. Dionysij, sunt Teroanensium Apostoli ex scriptore vitæ S. Audomari, cujus verba sunt hæc. *Licèt plebs Taruanensis à beatissimi martyris Dionysij sociis Fusciano & Victorino verbum Dei accepisset.*

S. Siluianus ex Vsuardo sedit Teroanæ, tempus tamen quo in eâ sedit incertum est.

S. Audomarus, seu Autmarus sedit annos 30. vt habet ejus vitæ scriptor cap. 2. Fulbertus in vita S. Autberti Colonensis Episcopi, & scriptore vitæ S. Vvandregilisi cap. 12. docent sedisse Dagoberto Rege.

Æthereus. Ad hunc scripsit Zacharias Papa.

Ioannes sedit Ludouico Crasso Rege, vt tradit Nicolaus in vita S. Godefridi Ambianensis cap. 22.

Tolonenses.

Ioannes subscribit epististolæ Ioannis Papæ dicti 20. ad Magalonenses.

Petrus anno 1326. interest Sanrufensi ad Auenionem Concilio. *Acta hujus Concilij.*

Tricassini.

Fidolus, Bedæ & Vsuardo notus, sedit tempore incerto.

Domnolus

Domnolus sedet anno 887. *Odo de reuersione S. Martini è Burgundia.*

Ansegisus sedet anno 958. ex translatione reliquiarum S. Patrocli M. Coloniam à S. Brunone Colonienſi Episcopo, fratre Othonis Magni imperatoris.

Hugo sedet anno 1060. *Charta restitutionis monasterij S. Martini de campis ab Henrico Rege.*

Herveus anno 1215. interest concordiæ de morte Prioris de Cussy. *Bibliotheca Sebusiana centuria 1. capite 27.*

Tricastini.

Gallomagnus sedet incerto tempore. Vide Gregorium Turonensem in vita S. Nicetij.

Vdulricus interest donationi Sanpromasianæ Ecclesiæ Sanuictorinis monachis, à Guilelmo Bertranno Prouinciæ Comite anno 1044. *Charta donationis.*

Pontius sedet anno 1134. ex chartulario S. Barnardi Romanensis.

Hugo anno 1337. interest Sanrufensi ad Auenionem Concilio. *Acta hujus Concilij.*

Stephanus Geneuesus ex Montilienſi canonico Tricastinus sacrista, & Sauinæ duabus ab Ebreduno leucis curio, atque Ioannis Girardi Ebredunensis Archiepiscopi vicarius & officialis, fit Tricastinus Episcopus anno 1450. *Fornerius in Ebreduno MS. pag. 600.*

Tullenses.

Eucharius sedet anno incerto, ex vita S. Eliphij martyris cap. 1.

S. Leobinus sedet tempore incerto, ex vita S. Auiti presbyteri.

Gribaldus, seu Girbaldus sedet anno 669. ex vita S. Deodati Niuernensis Episcopi cap. 9.

Iacobus sedet anno 671. ex vita Sancti Deodati Niuernensis Episcopi capite 24.

Vaurenses.

Vaurensis Episcopatus à Ioanne XXII. Pontifice erectus est anno milleſimo trecenteſimo decimo septimo, 6. cal. Octobris. Ejus antistites ex Vaurensibus maximè, & Soricinienſibus chartis accipe.

1. Rogerius de Armeniaco in primum Vauri Episcopum ab eodem Pontifice electus est, illo ipso anno 7. cal. Decembris, his verbis. *Villam de Vauro in ciuitatem ereximus, decernentes vt Ecclesia prioratus ipsius Ordinis S. Benedicti ex tunc existeret cathedralis: ac deinde volentes eidem Ecclesiæ de pastore prouidere salubriter, in te Archidiaconum Agennensem, virum vtique literarum scientia prouidum, nobilitate generis, vitæ, ac morum honestate decorum, discretionis, consilij maturitate conspicuum, direximus oculos nostros.* Erat tantùm Electus anno 1319. idibus Ianuarij, nos diceremus 1320. Anno 1320. vnctus in Episcopum fuit, Sicardo de Brassaco tamen tunc etiam Priore Vaurl. Anno 1322. sedit ex Soricinienſis monasterij chartis. Anno 1328. dat *plateam* (vt loquitur funeralis canonicorum liber) quæ fert ad portam Episcopij, excitando iisdem canonicis claustro. Anno 1329. sacris interdicit Vaurenses, ob

causas

causas mihi ignotas. Anno 1332. vngit supremum altare basilicæ cathedralis. Anno 1333. sedet, vt docent Soricinienſium monachorum chartæ. Anno 1335. die 28. mensis Februarij moritur.

2. Robertus de Fuxo anno 1345. die 26. mensis Aprilis vnit Bellicastri Ecclesiam Canonicorum collegio. Anno 1346. facit, vt Philippus Rex, concedat canonicorum collegio facultatem, emendi prædia annui ad libras 50. reditus, libera, & soluta omni censu.

3. Arcambaudus de Lautreco sedet anno 1352. & die 11. mensis Octobris vnit præcentoriæ Ecclesiam Verdalæ. Anno 1355. probat arbitrariorum judicum super ciuium Vauri, & vigintiquatuor castellaniæ Vauri consulatuum, dissidio sententiam, ex publico Vaurensium chartulario. Anno 1360. vltimâ die Ianuarij moritur ex chartulario canonicorum.

4. Robertus de Via, seu de Viza, aut de Villamuro Ioannis XXII. Pontificis nepos. Anno 1360. sedet ex Soricinienſi monachorum chartulario. Anno 1363. excitat collegium canonicorum Capitis Iouis. Ann. 1375. 1376. 1360. 1361. sedisse docent Soricinienſis monasterij chartæ. Anno 1382. dicitur à Vicecomite Villamuri executor testamenti, cum Forojulienſi Episcopo. Anno 1383. moritur.

5. Ægidius de Bellemere Aruernus, ex Andegauenſi Archidiacono, & auditore Apostolico, dicitur Episcopus à Clemente, qui Auenione sedens putabatur in illis regionibus verus Pontifex. Inuenio tamen Sicardum de Brugayrosio, & Bertrandum Forojulienſem Episcopum, electos fuisse à canonicis. Anno 1383. sedet, contendítque in judicio de nescio quâ re, pauperibus testamento concessa. Anno 1388. dat canonicorum collegio Ecclesiam de Frotzeno, quam ex chartis canonicorum collegij, tum regebat Bertrandus Cardinalis Ostienſis impositio vicario. Id facit ex Clementis putati Pontificis mandato, cùm ejus collegij reditus *propter guerras*, vt inquit, *adeò diminuti existant, quòd pro sustentatione canonicorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum, & seruitorum dictæ Ecclesiæ, qui diuinis inibi vacant obsequiis, & pro supportatione aliorum onerum sibi incumbentium, sufficere non possunt: propter quæ diuinum officium diminuitur.* Anno 1391. sedet 25. Octobris, vt habent chartæ Soricinienſium monachorum. Anno 1398. moritur abdicato Vaurenſi Episcopatu.

Hic antistes fuit doctissimus. Scripsit decisiones rotæ, in Decretum, & Decretales, Consilia, De Beneficiis, De Foro competenti. Iuit Spoletum, atque in Vmbriam Legatus. Ceterùm tam multi seu Archiepiscopatus, seu Episcopatus, alij in aliis chartis, ei tribuuntur, vt res fidem pene superet. Præter Vauſenſem Episcopatum fertur gessisse Maurianenſem, Bononienſem Galliæ, Anicienſem, Auenionenſem, & Archiepiscopatus Rotomagenſem, Narbonenſem. Hîc placet vnum addere. Qui elogium funebre inscripsit istius viri tumulo Auenione in Ecclesia Beatæ Mariæ ait noluisse Cardinalatum, quo poterat ornari: tamen Claudius du Vergier Episcopus Vaurenſis scripsit sequentia in aduersariis: *Hic antistes fuit Cardinalis.*

6. Guido de Rupe sedet anno 1392. diebus 8. 18. & 29. Aprilis mensis ex Soricinienſibus monachorum tabulis. Anno 1393. die 7. mensis Maij capit auri francos 1230. à Ioanne Carentionis Lucenſi, debitos Apostolicæ cameræ.

7. Bertran

Digitized by Google

7. Bertrandus de Canauone, ſeu de Rhamne, ſedet anno 1395. ex *donationis* B. Alani exſcripto, manu publicâ obſignato. Quæ B. Alani donatio ab exſcritore dicitur, eſt Vaurenſis monaſterij, in epiſcopatum à Ioanne ſecundo & vigeſimo Pontifice euecti, erectio ad B. Alani baſilicam. Hîc vnum placet aduertere. Elanum dicunt, non Alanum, antiquiſſimarum omnium, monaſterij etiam fundationis, chartharum ſcriptores. Ab Elnone, nobiliſſimo apud Belgas monaſterio, factam vocem ego quidem exiſtimo. Elno in *Elnus* ex communiſſima apud Latino terminatione profecit: & cùm ad pronuntiationis ſuauitatem, primam in ejus medio vocalem addidiſſent, in *Elanus*. Scilicet quem Alanum dicimus, & Elanum appellauerunt majores, eſt Amandus, magnus ille Trajectenſium Epiſcopus. Is ad Elnonem fluuiolum, monachorum primus incoluit, & monaſterium, Elnonem etiam ab eo vocatum, excitauit. Cùm hoc, maximam ab alumnorum ſanctitate celebritatem, ipſis quoque initiis, vniuerſo orbe Chriſtiano habuerit, qui fundatoris nomen ignorabant, arbitrati ſunt, non à fluuio allabente, ſed à viro monachorum parte appellitari: igitur hunc Elnonem principio, ſeu Elnum, poſtea Elanum, ac denique Alanum vocauere: & Ægidius antiſtes, qui eccleſiaſticum, vt vulgò loquimur, Officium ejus concinnauit, in ſuámque Vauri baſilicam induxit, cùm Alanum toto ipsò dixerit, lectiones tamen, quas appellant, de ejus vita vniuerſas, ex libro de S. Amandi vita immutatas accepit. Sed iſtud hactenus non omnino extra rei, de qua nunc ago, ſeriem dictum ſit. Ad alia pergamus. Anno incerto rex ad Vaurenſes canonicos ſcripſit Pontificem cogitare de Bertrando ipſis, vt neſcio cui remotiſſimæ ciuitati imponeret, eripiendo: velle ſe, id ſi fiat, alium antiſtitem vt à Pontifice non capiant. Quid ſecutum ſit non inuenio. Lego tamen cùm Bertrannus in alium Epiſcopatum tranſlatus fuiſſet, Benedictum 13. qui pro Pontifice poſt Clementem habebatur, Petrum S. Flori Epiſcopum ejus loco induxiſſe. Igitur

8. Petrus de Viſſac S. Flori adminiſtrator, Vauri ſedit anno 1396. die 2. menſis Septembris. Ejus à Pſeudopontifice de Epiſcopatu Vaurenſi literæ habentur in Publico Vaurenſium tabulario. Anno 1400. impoſuit preſbyteros omnino decem templo B. Mariæ de Lacu Podij Laurentij, qui pro vitâ functis hominibus Deo facerent, ac preces dicerent; iiſque ſuas dedit leges, quæ ſapientiam viri, & pietatem apertam faciunt. Anno 1404. arbitrarij judices neſcio qui eum ſedere ſignificant. Eone, an ſequente mortuus eſt? certè cùm canonici poſt ipſius mortem ad eligendum ſucceſſorem conueniſſent, in tres ſciſſi ſunt, Raimundum de Albigeſio auditorem cameræ Apoſtolicæ, Petrum de Ponte collectorem Apoſtolicum in prouinciis Toloſana & Auxitana, Bertrandum de Malomonte Mirapicenſem Epiſcopum, viros pietate, ſcientiâ, judicio præſtantes; &, quod mirere, cùm hic vnum modò ſuffragium tuliſſet, Epiſcopatum tamen adeptus eſt. Scilicet pollebat dicendi vi, & theologicâ ſcientiâ omnino vigebat, quodque caput eſt ſanguine proximus erat Clementi olim ſexto Pontifici.

9. Bertrandus de Malomonte. Anno 1405. exacto, epiſcopatum Vaurenſem adeptus eſt ex Catello pagina 1033. Anno 1408. eſt Romæ, ex conuentionibus canonicorum collegij cum Vauri ciuibus, de vectigalibus. Die tamen 20. menſis Octobris fuiſſe dicitur *nuper Vaurenſis* antiſtes, vt

legitur in MS. codice Victorino Parisiis, referente Spondano hoc anno numero 17.

10. Petrus Nepotis sedet anno 1410. ex quorumdam infeudatione, vt loquuntur, prædiorum. Eo ipso anno transfertur à Pontifice Albiam, & Petrus Girardi Archiepiscopus Tolosanus fit administrator Episcopatus Vaurensis. Liber funeralis basilicæ cathedralis vocat Episcopum Tusculanum & Cardinalem, traditque mortuum anno innominato die 10. Septembris.

11. Ioannes Bely à Petro Cardinali ad Episcopatum Vaurensem *promotus*, vt ferunt chartæ canonicorum collegij, ita de se loquitur initio summæ quam de ordine judiciorum edidit. *In mea iuuentute temporibus retroactis, primò in capella Archiepiscopi Tolosani, tempore bonæ memoriæ Petri de S. Martiale tunc Archiepiscopi, officiali tunc existente domino Ioanne Corserij* (hic ille est, qui scripsit decisiones capellæ Tolosanæ) *vbi notabile & magnum consilium tunc habebatur: & deinde in rota causarum palatij Apostolici, scilicet in curia Romana, vbi per quinquennium fui: & successiuè in Concilio generali constitutus, vbi pariter fui pro natione Gallicana: deinde in palatio Regis Tolosæ tunc residente, deinde Biturís* pro, Biterris: cùm enim Parlamentum Tolosanum anno 1419. institutum fuisset, anno deinde 1425. Biterras vrbi restituendæ, & frequentiæ ciuium in eam reducendæ deduxerunt. Constabat tum Episcopo vno & clarissimis viris omnino duodecim his clericis, laïcis illis. Igitur Ioannes Bely, cùm erat Vaurensis antistes, annis incertis ante quintum sæculi & vigesimum Tolosæ; & quinto ac vigesimo sequentibúsque, seu senator seu præses (hoc enim ignotum mihi est) Biterris sedit in Occitaniæ Parlamento. Ante illud temporis interfuerat Constantiensi Concilio; & anno quidem 1415. è tribus episcopis vnus, cum Mediolanensi Archiepiscopo, jussus ab eo fuerat deponere Ioannem Huss, atque, vt vulgò dicimus, degradare, vt tradit Æneas Siluius cùm agit de Basileensi concilio. Anno 1420. ex mandato Martini V. Pontificis concedit canonicorum collegio Ecclesiam de Viuariis, ex funerali hujus codice. Anno 1432. Iacobus Abbatis canonicus Vaurensis ei accipit, seruátque *ducentos scutos auri ponderantes in vniuerso marcas tres, & denarios octodecim auri, ad pondus Parisiense* (hæc affero non omnino inutilia ad cognoscendam rem illorum temporum monetalem) *videlicèt ab vna parte octo & viginti scutos antiquos auri cugni Franciæ, ponderantes vncias tres, denarios vndecim, ad dictum pondus Parisiense: item ab alia parte, centum quinquaginta octo scuta noua de Tolosa, ac decem alia noua scuta de Montepessulano, & quatuor alia noua de Tornacio. Ponderabant, & ponderant, in toto marcas tres, vncias quinque, & denarios septem ad dictum pondus Parisiense.* Ex chartis canonicorum Vaurensium collegij. Anno 1433. moritur ex funerali codice Vaurensis basilicæ.

12. Ioannes Boucheri Lemouix ex Archidiacono Episcopus, anno 1463. eligitur à canonicis, & ab Eugenio Pontifice literas de Episcopatu accipit. Vnum tamen hîc mirare. Eugenius in illis de Episcopatu ad Ioannem datis, ait jus antistitem eligendi jam canonicis ademptum fuisse. *Ex publico Vaurensium ciuium chartulario.* Anno 1441. die prima & trigesima mensis Martij dat Ecclesiam S. Cirquæ Vaurensi ædituo. Eodem anno confirmat statutum de jure conferendi præbendas à canonicis ordine suo. Anno 1456. sedet, ex emptione partis moletrinarum *des terres.* Anno

incerto

incerto ſacram ædiculam in templo excitat S.Martiali Lemouicum Apoſtolo,quam cogendis collegij conuentibus ſibi accepere canonici.Anno 1458. moritur die 6. menſis Septembris.

13.Ioannes Gentiani ex Conſiliario Pariſienſis curiæ primùm,poſtea Toloſanæ, cùm illius pars à Carolo id nominis ſeptimo Rege Toloſam fuiſſet miſſa,Epiſcopus, anno 1363.dat canonicorum collegio Eccleſiam S.Leontij, ex mandato Pij II. Ponticis.

14. Ioannes Vigerij anno 1469.die 6.menſis Martij ex Pariſienſi B. Mariæ canonico Epiſcopus. Hic Epiſcopatum cum ſacra ſua ædicula, eáque elegantiſſima ædificat,& præterea cathedralis baſilicæ campanile. Sedit annis 1478. 1481. 1496. ex chartis canonicorum collegij. Anno 1497. die 16. menſis Martij moritur Toloſæ. Eo mortuo canonici conueniunt Cuci ad eligendum antiſtitem. Neſcio quis metus fecerit, vt Vauri non conuenirent.

14. Hector Borbonius Ioannis II.Borbonij Ducis filius nothus,cùm eſſet Toloſanus Archiepiſcopus, Vaurenſem Epiſcopatum accepit adminiſtrandum: ſed modicum tempus egit in ejus adminiſtratione; nam

15. Petrus de Roſergio ſedebat anno 1500.ex tabulis neſcio cujus emptionis. Anno 1503. facit vt canonici ad reſidentiam, vt loquimur, cogantur. Anno 1506. facit vt iidem canonici ad ea, cogantur, quæ ex ipſorum collegij erectione ſeruare debent. Anno 1511.ſediſſe docent neſcio quæ (vt vulgò dicuntur) recognitiones. Anno 1512. Ioannes Columbi Troianus Epiſcopus, die 27.menſis Iunij,vngit ſacram ædem Franciſcanorum ipſo antiſtite. Anno 1513. ſediſſe habet fundatio miſſæ in ædicula S. Stephani per Bernardum de Lany canonicum. Anno 1514. moritur & in ædicula, quam ad ipſas baſilicæ fores erexerat ſepelitur.

Poſt mortem Petri de Roſergio (Gallicè *du Roſier*) ingens de Epiſcopatu diſſidium fuit inter Iulium Cardinalem Mediceum, & Simonem de Belloſole (Andreas Vaurentinus Serranus ſcribens in eglogas Mantuani vocat *De Sole*) Vaurenſem præpoſitum. Hoc lego in literis Clementis VII. Pontificis (Iulius Cardinalis Mediceus ante Pontificatum dicebatur) anno 1525. pridie nonas Octobris ad Petrum de Buxi Epiſcopum,de quo nobis poſtea erit ſermo. Iulius aiebat Epiſcopatum ſibi datum, ſcilicet ad Franciſci Regis poſtulationem à Leone I. patruele: igitur abs dubio Simon à ſuo canonicorum collegio electus fuerat. Denique in pacta conuenerunt,teſte ipſo Clemente Pontifice,quæ cùm non addat,neque aliis in chartis inueniam,recitare ego quidem non poſſum.Quæcunque ea fuerint,certè Simoni Epiſcopatus ceſſit. Is anno ſæculi quarto & decimo,quo Petrus de Roſergio diem extremum obiit, agebat annum ætatis primum & octogeſimum. Ante annos 100. gens Belloſolia Vaurumvenerat ex ignota mihi regione. Petrus Hebdomadarius Vauri & prior Caunæ videtur deduxiſſe. Interfuit anno 1420. vnioni Eccleſiæ Viuarienſis canonicorum collegio à Petro Bely Epiſcopo. Omnino ad vndecim Belloſolani leguntur in funerali Vaurenſis baſilicæ libro,omnes (ſi vnum & alterum excipias) preſbyteri,ſed ad Simonem Epiſcopum veniamus.

16. Simon de Belloſole ſedet annis 1515. 1516.1522.1523. ex Vaurenſium canonicorum chartis. Anno 1523.proſenio cedit Epiſcopatu,&

17. Petrus de Buxi illum adit, Regis in magno consilio, vt loquuntur, consiliarius, & Tolosæ in S. Stephani canonicis præpositus. Anno 1526. moritur.

18. Georgius de Selua annum ætatis octauum & decimum agens fit administratro, vt loquuntur, spiritualis & temporalis Vaurensium Episcopatus anno Christi 1526. & vngitur in Episcopum anno ætatis sexto ac vigesimo, Christi trigesimo quarto. Hic vir, Ioannis primi in Parisiensi curia præsidis filius, magnum sibi nomen peperit pietate, sapientiâ, scientiâ, eloquentiâ, rebúsque demum gestis. A Rege Legatus iuit Romam, Venetias, & ad Carolum Imperatorem in Germaniam. Gallicè reddidit Plutarchum de Romanorum aliquot Græcorúmque vita, proprio marte scripsit Gallico etiã idiomate concionem ad suos Vaurenses de baptismo, & confirmatione, & alia ejusmodi opuscula spiritualia; rationem quâ vir à principe in dignitate constitutus felicitatem possit & temporalem seruare, & parare æternam; quo constituenda modo sit pax inter Germanorum Imperatorem, & Francorum Regem; duas ad Germanos orationes. Anno 1534. Georgij vicarius capita in lucem emisit, quæ in synodo constituerat. Anno 1538. Soricinij initiauit clericos sacris ordinibus. Anno 1542. die 12. mensis Aprilis extremum diem obiit, ex funerali Vaurensium canonicorum libro, & sanctè quidem illum obiit, nam ferunt etiam à morte aliqua peregisse, quibus ostenderet se in cœlo viuere. Cùm essem Vauri anno 1654. memini me audire à Vaurensi Præposito, caput ejus visum in multo lumine post apertum conditorium, in quod inferre cogitabant cadauer Claudij du Vergier Episcopi: dentem verò ex ejus maxilla per humationem Petri de Marueil etiam Episcopi erutum, pepulisse magno portento febrem è plurimorum hominum corporibus. Atque hæc eò fidentiùs dico, quod nemo Vaurensium nescit, & cetera virtutis decora per vitam tulisse, & præcipuâ in pauperes charitate fulsisse. Igitur & ab aliis fando accepi, & à Vaurensi illo Præposito, cùm nihil frumenti, quod egenis præterea concederetur, superesset in ejus granario, illud, & quidem optimo, complesse suis precibus.

19. Petrus de Marueil, Brantosini apud Petragoricenses, & Cellæ Trecensis abbas, Georgio in Vaurensi episcopatu successit. Anno 1544. nescio quod sacerdotium contulisse inuenio in Vaurensium canonicorum chartis. Annis 1545. 1555. 1556. sedisse in lego in ijsdem chartis. Anno 1557. interfuisse publicis vniuersi regni comitiis Henrico rege Tillius docet. Eodem anno moritur.

20. Petrus Danesius anno 1557. die 20. mensis Iunij sedit, ex protestatione pro Ecclesiâ de Campobone; & die primâ mensis Ianuarij, ex collatione canonicatus in Capite Iouis. Anno 1558. 1559. 1561. 1562. sedit, vt habent Vaurensium canonicorum chartæ. Anno 1572. sedisse habent de S. Aignano sacerdotij collationis tabulæ. De doctissimi viri laudibus sequentia scripsit Gilbertus Genebrardus in epitaphio. *Orator ad Tridentium Concilium missus: judex Petro Roma noua in scientiis, & artibus molienti impositus: ab Henrico II. Francisci II. & Caroli Ducis Lotharingi institutioni præfectus: multis demum muneribus pro Ecclesia, literis, patria, regno, regibus quatuor, principibus compluribus, honorificè in pace, & bello perfunctus, octogenarius in Domino obdormiuit anno* 1577. *Aprilis* 23. *hora à Meridie tertia* in S. Germanis de pratis.

21. Petrus

21. Petrus du Faur, seu Faure (Latinè aliqui Fabrum vocant) post Petrum Danesium ex magno (vt loquuntur) Tolosæ Archidiacono in Episcopum electus, nunquam adiit Vaurum, neque in Vaurensis Ecclesiæ possessionem aliquando immissus est. Anno illius sæculi septimo & septuagesimo Rex in antistitem à Pontifice postulauit: anno 1. & 80. Pontifex literis suis ipsum dixit Episcopum: sed cùm jam annos 5. haberet Vauri œconomum, vt loquuntur, qui res fructúsque Episcopij colligeret, senio grauis anno sæculi secundo & octogesimo, ante tertium mensis Septembris diem, in ipso, vt ita dicam, Episcopatus limine occubuit. Petro du Faur & Gaufridâ Douce genitus, fratres quatuor habuit, Ludouicum in Tolosana curia consiliarium Regis, & Nauarræum cancellarium, Arnaudum Pujolij dominum, Carolum Tolosæ in regia præsidem curia, Guidonem denique illum Parisiensem præsidem scientiâ, sapientiâ, rebúsque pro regibus nostris patriâque, Tridenti maximè, & in Polonia gestis clarissimum.

22. Horatius de Birague anno 1583. Vaurensem Episcopatum adeptus est, & annis 1584. 1593. 1594. 1598. 1599. tenuit, vt Vaurenses canonicorum tabulæ memorant, multus in Italia, Romæque. Hic vir Mediolani natus patruum habuit Renatum, qui & Franciæ Cancellarius, & S. R. E. Cardinalis fuit. Lego vineam, laudatissimi feracem vini, nomine Ramusiam (vulgus appellat *Ruine*) hoc antistite restitutam episcopatui. Puto per barbarum, & Vaurensi Ecclesiæ funestum ab hæreticis tumultum, ab eo ereptam, ab aliis ad alios per bene longum tempus dominos transiisse. Horatius extremam diem obiit Vauri anno 1601. die 26. Febr.

23. Claudius du Vergier, Carolo du Harlay, qui à Rege postulabatur, alia omnia cogitante, cedentéque, anno demum 1606. die 6. mensis Iulij vnctus est in Episcopum. Moritur anno 1636. die 25. mensis Martij & sepelitur Vauri.

..... de Raconis nuper antistitis, & Ioannis Vincentij de Tulles post eum nunc Episcopi. tempora, réque gestæ omnibus adeò apertæ sunt, vt eas aut è chartis eruere, aut commemorare superfluum videatur.

Vencienses.

Deutherius. *Vincensis Episcopus obiit: in cujus locum Fronimius subrogatus est*, anno 9. post dejectionem ab Agathensi Episcopatu, per Leuvieldum S. Hermenegildi patrem, quia Ingildi consilium dederat nunquam transeundi ad arianismum, eunti ad nuptias cum Hermenegildo. *Gregorius Turonensis lib. 9. de historia cap. 24.* Anno 588. interfuit Ebredunensi Concilio apud Ludouicum de la Cheza ex MS. Baldezani.

Venetici.

Henricus. Huic Episcopo scripsit Philippus Pulcher anno 1303. ex historia dissidij inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum.

NOCTIVM BLANCALANDANARVM

PARS SECVNDA.

Illustr^mo & Reuer^mo Domino,

D. GVILELMO EMMANVELI DE LA FAY,

IN SANCTIORE CONSILIO REGIS Consiliario, Abbati Generali canonicorum S. Rufi.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

X quo tempore ad scribendum de Valentinorum Episcoporum rebus accessi, ex eo cogitaui de tuorum canonicorum initiis dicere, quorum monasterio extruendo, Esparueriam insulam vendidit Odo Episcopus anno millesimo centesimo quinquagesimo octauo. De ipsis alij senserunt alia. Hi Auenione cepisse voluerunt, illi, & ego aliàs, Valentiæ. Verùm nemo antiquas attulit hactenus tabulas, quibus suam firmaret sententiam. Finxerunt etiam nonnulli nescio quem Rufum, qui sub annum millesimum centesimum ignotæ in Gallia vrbis Episcopus, originem atque adeò nomen sanctissimo dederit Ordini. Nunc aliquid certi videor mihi ex antiquissima charta posse constituere. Igitur qui à pluribus annis auebam aliquid literarij muneris ad te mittere, iam tibi de tuis canonicis opusculum scribo. Certè in illo Ordine, cui præes, ornando insudare debemus plurimi. Tantâ ille sapientia cepit, tanta sanctitate propagatus fuit, vt nulli canonicorum Ordini hactenus inferior, ceteros qui ante ipsum in Gallia nostra viguerunt, longo superet interuallo. Et verò cùm Sanuictorini Parisiorum monachi grauiter olim offendissent, malòque remedium quæreretur, non alij seu monachi, seu clerici totâ Galliâ, præter Sanrufenses Valentiæ canonicos, inuenti sunt,

ſunt, qui monaſterium reſtituerent, priſtinóque redderent nomini ſanctitatis. Domus S. Victoris Pariſienſis, *inquit Albericus anno* 1129. quæ erat priora nigrorum monachorum de Maſſilia, ejectis prædictis monachis, adductus eſt conuentus regularium de S. Rufo de Valentia. *Eo ipſo tempore Guido in agri Viennenſis parte, quam dicunt Inſulam, domum clericis excitauit, eoſque per annos omnino quinquaginta rexit Prior: ſed illo mortuo, ipſius diſcipuli, ſe vt in virtute perdurarent, Sanrufenſibus denique addiderunt. Longè majus eſt quod ſequitur. Cùm Sanrufenſes in Prouincia incipiebant, Volcij etiam in extremo quem nunc dicimus Delphinatum, canonici orti ſunt, quos ab ortus loco dicimus Volcienſes. Gerardus autem eorum inuentor adeò illuſtri pietatis claritate fulgebat, vt Auenionenſis Concilij patres anno* 1060. *eum in Siſtaricenſem Epiſcopum, antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ omnino conciderat, reſtituendæ euexerint. Sanrufenſium tamen celebritas omne ipſorum pene nomen extinxit. In paucas neque longè poſitas ſparſi ſunt domos, cùm tui canonici eam ipſam regionem, & præterea Prouinciam, Occitaniam, & Catalauniam implerent. Ad opuſculum Sanrufenſium initiis viſum eſt addere alia quatuor; duo de Præmonſtratenſium canonicorum, cœnobiis, Blancalandâ, & Lucerna; de Benedictorum monaſteriis, Manſiada, & Ganagobia duo. Præmonſtratenſium illorum chartas ante annos quatuor diligentiſsimè volutaui. Blancalandæ tum agebam. Ad illum me pro antiqua benevolentia vocauerat illuſtriſsimus Vaurenſis Epiſcopus Ioannes Vincentius de Tulles Abbas. Ganagobiam ipſe adij, & de illa veteres tabulas in publico Forcalquerij proximi tabulario legi. Demum illuſtriſsimus Viuarienſium Epiſcopus Ludouicus Franciſcus de Suſe chartularium Manſiadæ, cuius Abbas eſt, legendum præbuit.*

SANRVFENSIVM Canonicorum initia.

SANRVFENSIVM Canonicorum initia prorſus obſcura ſunt. Nemo ex antiquis tabulis illorum autorem adhuc aſſeruit, nemo tempus quo primùm prodierunt in lucem, nemo lo cũ in quo ſui Ordinis poſuerunt exordia Ego quidem libr. 1 de Valentinis Epiſcopis editione primâ dixi cepiſſe Valẽtiæ: ſed conjecturâ potiùs nõ omnino inani, quàm certâ ratione agentis ſermo is fuit. Legebam habuiſſe abbatiam in illius agro ante annum milleſimum centeſimum, & in literis Vrbani II. Pontificis ab Innocentio VIII. etiam Pontifice recitatis id legebam. In hoc ergo cogitationis, neque immeritò, deuẽni abbatem in illa ipſa à canonicorum

corum ortu ſediſſe. Nunc autem alia omnia cogito. Exſcriptoris errore factum arbitror, vt in literis Innocentij (apographum erat quod vênit in meas manus, non archetypum) Vrbanus id quod legi ſcripſiſſe feratur. Hic enim Pontifex anno 1096. Arberio *extra muros Auenionenſes* abbatiam habenti ſcripſit; Paſchalis autem Vrbani ſucceſſor anno 1115. Adelgerio ſiue Oldegario etiam *abbati canonicorum S. Rufi in Epiſcopatu Auennico.* Neque inſolens exſcriptoribus eſt hic, aut grauior etiam error. Sanmarthani tabulas vtriuſque Pontificis ediderunt in lucem. Igitur non Valentiæ, ſed Auenione, abbas Paſchali & Vrbano Pontificibus ſedebat in agro. Hoc etiam videor mihi poſſe addere. Santufenſes canonici Auenione ſua poſuerunt initia, & ex eo ſibi nomen fecerunt, quòd ad ædem S. Rufo ſacram, in Auenionenſi ad Druentiam fluuium agro, primùm habitauerunt. Auenionenſes metropolitanæ baſilicæ canonici chartam ſeruant, quæ facit vt ita ſentiam. Ea ſic habet.

In nomine æterni, ſummi, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, omnibus Catholici vtriuſque ordinis, laicis, ſiue clericis, Benedictus gratia Dei Auenionenſis ſedis humilis Epiſcopus. Liquepateat cunctis videlicet pene omnibus, loca prope ciuitatem Auenionenſem iam dicata fuiſſe ad ſummum honorem, & magnam ſanctitatem habuiſſe, ac religioſiſſimè in ſeruitio Domini pertiſtiſſe, ſita in honore S. Iuſti glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti, quem patrem habitatoribus ipſius loci fuiſſe non dubitamus. Ac poſtquam huius Prouinciæ Epiſcopi non per dotum ſpeciale, ſed per terrenum locum in ſede epiſcopali ſublimati ſunt, per ſuperbam relationem, & in tumorem auerſi, humilitatis, & religionis gratiæ, quam firmiter tenere debuerant, obliti ſunt, ac per hoc opes & prædia ſanctæ Dei Eccleſiæ, vnde pauperes, & clerici ſuſtentari debuerant, mundiales homines injuſtè poſſident. Ideo namque tali occaſione decepta prædicta loca inhabitabilis remanſit. Sed cùm iam longum tempus præteriſſet, & me Deus omnipotens, non meis meritis ſed ſua bonitate in ſede pontificali ſublimare voluiſſet, ex noſtra Eccleſia clerici diuino amore tacti, pro oblitibus carnis noſtram adientes præſentiam, ſcilicet Arnaldus, Odilo, Pontius, & Durandus, humiliter flagitarunt, quatenus iam dicta loca ſanctorum, vt religiosè illic viuerent, concederemus. Quorum petitionibus præbentes aſſenſum, vnà cum conſilio canonicorum noſtrorum conceſſimus, vt ab hodierna die & deinceps firmiter teneant & poſſideant tam illi, qnàm ſucceſſores illorum, cum iis quæ modò illis collata ſunt, & in antea collatum. Et vt ..... ego Benedictus epiſcopus tali deſolatione congemiſcens, cupiens vt Deus annuat ad priſtinum reformare, dono ſupradictis preſbyteris iam dictam Eccleſiam, quæ ſita eſt in territorio Auenionis, ſubtus burgo ipſius ciuitatis, cum decimis, & oblationibus, cum primitiis, & cum terris, paſcuis, vineis cultis & incultis, nemoribus: & dono illis ſuper Sancto Rufo modiata de vinea culta omnè quod in eo continetur, &c. per omnem circuitum medium milliare. Etiam damus, &c. per longum & circuitum in vniuerſo quatuor mille ſeptuaginta paſſus, &c. Si autem deſiuerint iam dictæ perſonæ, quod abſit, quæ dictum locum tenerent, & cuſtodiant matri Eccleſiæ, & ſucceſſoribus meis reuertat, &c. Actum publicè in Auenione ciuitate ſub die calendarum Ianuarij anno incarnationis Dominicæ 1039.

Hactenus Auenionenſium metropolitanæ baſilicæ canonicorum charta. Vides Eccleſias S. Rufi, & S. Iuſti, à Benedicto Epiſcopo conceſſas fuiſſe Arnaldo, Odilòni, Pontio, & Durando preſbyteris. Quæ ſacra erat Iuſto, jam olim

olim ſeu temporum injuriâ ſeu bellorum euerſa eſt. Stat etiam nunc Rufo dicata. Vtramque Sanrufenſes canonici, cùm illa ſuperetat, tenuerunt. Hanc noſtris quoque temporibus ſibi habent; & in ea antè ſedebat abbas, quàm in Eſparueria ad Valentiam inſula ſedem poneret: tenebant ipſam Vrbano etiam II. Pontifice, qui ſcripſit Arberio abbati & fratribus *in eccleſia S. Rufi extra muros Auenionenſes canonicam vitam profeſſis*, ſexto poſt Benedicti literas & 50. anno, cùm Arnaldus, ſociorumve vnus aliquis fortaſſe ſuperſtes eſſet. A quo autem ambas accepiſſe dicendi ſunt, quàm ab eodem Arnaldo? An potiùs cùm Arnaldus & ſocij ab æde S. Rufo ſacra, ad quam habitabant, nomen ſibi feciſſent, illud propagarunt in poſteros; & Sanrufenſes primùm ſeu preſbyteri, ſeu clerici, deinde cùm in religioſum Ordinem coiiſſent, canonici dicti ſunt? Vrbanus ergo ſubjungit in ſuis literis, *Apoſtolica vobis autoritate firmamus omnia, quæ Epiſcopi Auenion. Benedictus, Roſtagnus, & Gibelinus veſtræ Eccleſiæ contulerunt.* Ea ſignificat quæ Benedictus in charta ſua poſuit, donauitque Arnaldo, & ſociis: nam quæ alia poſſidebant Auenione Arberius Sanrufenſis abbas & ejus canonici? Roſtagnus Benedicto ſucceſſit ad annum vſque 80 poſt 900. Epiſcopus, Gibelinus verò videtur, poſt Roſtagnū ſediſſe; Ambo quæ Sanrufenſibus ſeu preſbyteris, ſeu canonicis Benedictus conceſſerat, ſuprà me citatis commemorata tabulis ſua etiam ipſi charta firmauerunt. Igitur ego quidem exiſtimo eos Auenione occepiſſe anno 1038. ſed quo anno ceperint ſeu *canonicam vitam*, vt cum Vrbano II. loquar, *profiteri*, ſeu abbatem ſibi imponere, non inuenio. Arberium Sanmarthani faciunt primum abbatem, & ſecundum Adelbertum, ac tertium Adalgerium. Sed Lebertus ante Adalgerium ſedit, anno ſcilicet 1108. ex Leodegario Viuarienſi Epiſcopo, qui eo anno ipſi conceſſit *Eccleſiam S. Andeoli, in loco qui Burgias dicitur, vbi ſacratiſſimum corpus eiuſdē martyris quieſcere videtur*, vt legitur in tabulis, quas ab eo ſcriptas retuli ſecundo de Viuarienſibus Epiſcopis libro, numero 58. Adalgerius, ſiue Oldegarius è Sanrufenſi abbate, in Barcinonenſem Epiſcopum euaſit anno 1116. Paſchalis II. mandato, atque, vt Zurita libro 1. anno 1114. tradit, ex Barcinonenſi antiſtite in Tarraconenſem poſtea Archiepiſcopum. Tam multis per vitam, & à morte miraculis inclaruit, vt totâ Catalauniâ jam tum olim habuerit vulgò ſancti nomen, & Petrus Aragoniæ Rex, de eo in ſanctorum virorum numerum adſcribendo egerit cum Martino II. Pontifice, vt Hiſpanici martyrologij ſcriptor, qui pluribus de ipſo diſputat, docet ad diem 7. Martij. Sed quod ex Domenecco affert, abbatiam S. Rufi, cui Oldegarius præerat, fuiſſe tum *in Magalonenſi non procul à Montepeſſulano ditione*, id profectò falſum eſſe intelligis ex ſuperioribus.

Hic vnum tacere non poſſum. Iuſtus, cui ſacra erat ædes ante omnem tabularum memoriam euerſa, dicitur à Benedicto Auenionenſi Epiſcopo *confeſſor Chriſti, quem patrem habitatoribus ipſius loci fuiſſe non dubitamus.* Qui ſic loquitur, is profectò tradit præpoſitum olim fuiſſe ſacris eo in loco viris, vt errare dicendi ſint, qui exiſtimant primum à B. Rufo Auenionenſem Epiſcopum fuiſſe. Sed quibus tandem viris præpoſitum fuiſſe dicemus, an clericis, an monachis? Vt vt hoc habeat, qui anno 1500. Sanrufenſibus canonicis ſacrarum breuiarium precum primus edidit, profectò errauit, cùm aſſeruit eum è Iudæa cum Rufo & Trophimo, Magdalenaque & Martha veniſſe; neque aliis eo in loco ad virtutem fuiſſe Ducem, ſed monā-

les neſcio quas poſt cladem à barbaris hominibus illatam ipſi & Rufo cultum præbuiſſe,quibus canonici ob ejuſdem Rufi præcipuam venerationem dicti Sanrufenſes,longo pòſt tempore ſucceſſerint. Nam è quibus tandem tabulis,Benedicti Auenionenſis poſt annum 900.Epiſcopi chartâ verioribus, hæc accepit? Minùs fortaſſis falletur,qui dixerit eum eſſe Iuſtum,non autem Complutenſem martyrem,qui Segureti non procul Auenione,populum innumeris ſupra naturæ vim prodigiis,ad ſui venerationem noſtris etiam temporibus adigit,vt annotaui libro 4.de Vaſionenſibus Epiſcopis numero 32. Sed profectò videtur is eſſe, cui dicatam ædem, Robertus & Maraco dederunt anno 1004. Sancteuſebianis in Prouincia monachis. *Dederunt locum S.Euſebij*, vt etiam Sanmarthani tomo 4.Galliæ Chriſtianæ recitant,*cum Eccleſiis Deo conſtructis : videlicet Eccleſias S.Mauritij,& S. Iuſti confeſſoris.*

Quoniam verò ad Sancteuſebianum monaſterium dicendo deuêni, placet ſubjungere chartam,quâ anno 1032. donatum eſt abbati S. Ægidij, in eruditorum virorum vſus : nemo hactenus inuentus eſt, qui eam ederet in lucem.Ipſam ex Sancteuſebianis illuſtriſſimi Ioannis Vincentij de Tulles Vaurenſis Epiſcopi chartis accepi. Antiquiſſimi monaſterij Abbas eſt.

Anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo trigeſimo ſecundo,indictione decimaquinta. Tempus legis iſtius donationis causâ non ſine geſtorum teſtificatione valebat : nunc verò poſt hanc legem ne quælibet donatio valere poteſt, ſi geſtibus non fuerit alligata. Idcirco ego in Dei nomine Edelbertus, & vxor mea Ermengauda,& filij noſtri Eldebertus, & Garacus cedimus vel donamus Deo, & S.Mariæ,& S.Petro,vel S.Ægidio confeſſori, qui eſt in comitatu Nemauſenſi, in valle Flamaneſc, (Flauianam appellant alij) *vel ad ipſum abbatem domino Galterio,& ad ipſos monachos ibidem Deo ſeruientes,tam præſentibus, quàm futuris ....., pro amore Dei, & per interceſſionem omnium ſanctorum, vt Deus omnipotens dimittat nobis omnia peccata noſtra : & pro remedio genitorum noſtrorum, vel genitricum noſtrarum,vel de heredibus noſtris.Propterea cedimus vel donamus aliquid de alodio noſtro,qui eſt in comitatu Aptenſi, inter murum de caſtro, quod vocant Segnonem,hoc eſt abbatiam S.Euſebij,cum ſuis cellis, vel cum omnibus adjacentiis ſuis,id in manſis,villis,curtis,hortis, oglattis, paſcuis, vineis, campis, pratis, ſiluis, garricis, aquis, aquarumve decurſibus, quantum ad ipſam abbatiam aſpicit, vel aſpicere videtur, quæ ad nos pertinet, de noſtris fundis poſſeſſionibus donamus, & ad perpetuum tradimus Deo, & S.Petro, Sancloque Ægidio, & domino Gualterio abbati,& ad monachos ibidem Deo famulantes ſic donamus,vt monachi teneant,& poſſideant. Profiteor ſane, ſi quis, nos, aut heredes noſtri vel vllus homo,aut vlla appoſita perſona qui contra hanc ceſſionem,vel donationem iſtam, ſic agere, vel inquietare voluerit, non valeat vendicare quod expetit : ſed in ipſius iram Dei omnipotentis incurrat,& S.Mariæ,& S.Michaëlis Archangli,& S.Petri Apoſtolorum principis, necnon & ſancti eximij confeſſoris Chriſti Ægidij, & S. Euſebij incurrant maledictiones, & omnium Sanctorum abominationem & maledictionem accipiant, quas repererunt Dathan,& Abiron,quos viuos terra abſorbuit, & cum Iuda traditore, qui Dominum tradidit, in infernum partem habeant,& hoc præſen ..... firma & ſtabilis permaneat, omnique tempore.*

Antè huic de Sanrufenſium canonicorum initiis lucubratiunculæ, quàm finem imponam,placet vnum addere.Fuit qui aſſereret vnam ædem ſacram,

non duas Arnaldo & ſociis datam eſſe, eámque S.Rufi, nullam S.Iuſti; negaretque illos,errare,qui S.Iuſtum faciunt ſecundum Auenionis Epiſcopum, vtpote ita ſentientes cum vetere catalogo Epiſcoporum Auenionenſium, antiqua Auenionis hiſtoria, quæ in Vaticana bibliotheca ſeruatur, vetere Officio & manu & typis ſcripto canonicorum Sanrufenſium, Rituali MS. eorumdem edito ſub Letberto Abbate, charta demum membranea in volumen circumacta quæ ante annum 1629. erat impoſita tumulo S. Iuſti. Verùm abs dubio Benedictus Auenionis Epiſcopus dedit Arnoldo & ſociis templa duo, alterum S.Rufi, S.Iuſti alterum; & prorſus errant qui arbitrantur S. Iuſtum fuiſſe ſecundum Auenionis Epiſcopum. Sed cùm errare dico, id tantùm cogito,quod vox apud ſcriptores Latinos ſonat. Errat apud Ciceroren, Terentium,Liuium, qui falſum dicit. *Errare malo cum Platone*, inquit Cicero, *quàm cum iſtis vera ſentire.* Igitur vt ad primum illud de templis duobus veniam, ſic legimus in tabulis Benedicti Epiſcopi: *loca ſita in honore S.Iuſti*; & *iam dicta loca Sanctorum*; atque *Eccleſiam ſuper burgo*; ac *ſuper S.Rufi modiata de vinea.* Hæc omnia ſignificant templa duo, vt patet, non vnum; atque duo, quorum alterum S. Rufo ſacrum eſt, S. Iuſto alterum. Secundum autem de S.Iuſto, quod non fuerit Auenionis Epiſcopus, idem Benedictus non ineuidenter docet iſtis verbis: *Liquepateat cunctis loca prope ciuitatem Auenionenſem iam dicata fuiſſe ad ſummum honorem, & magnam ſanctitatem habuiſſe, ac religioſiſſimè in ſeruitio Domini perſtitiſſe, ſita in honorem S.Iuſti, quem patrem ipſius loci fuiſſe non dubitamus.* Qui ſic loquebatur, tibine videtur fando vnquam accepiſſe Iuſtum hunc fuiſſe Auenionis Epiſcopum? nonne potiùs docet fuiſſe patrem & magiſtrum,hominum aſceticam in eo loco vitam agentium? Profectò illi vni major debetur fides, & Auenionis Epiſcopo, & omnium antiquiſſimo de S. Iuſto ſcriptori, quàm Anonymis illis ſcriptoribus quos aduerſarius affert.

BLANCALANDA, ET Præmonſtratenſes Blancalandæ Abbates.

RICARDVS de Haia Præmonſtratenſes canonicos Blancalandam vocauit. Normanniæ Coneſtabilem plurimi nunc faciunt, & ante annos ducentos non pauci. Ex eo facere putabam,quòd Humetij dynaſtæ & Haiæ putei, & Vvanrengebecco, quibus fuerat dominatus,ex Ægidiæ filiæ dote imperitantes, Coneſtabilis dignitate poſiti ſunt, quaſi eam quoque in generum ipſe transfuderit. Nunquam tamen ſe ipſe Coneſtabilem dixit,nunquam dixere coætanei. Sed neque dixerunt qui elogium ſepulchro inſcripſere. Ipſius verò gener Ricardus de Humet ſex ante ejus mortem annis,milleſimo ſcilicet centeſimo ſexageſimo tertio, Coneſtabilis Normanniæ erat, vt tradunt antiqua Normanniæ chronica à Ducheſnio edita. Matildis vxor ſacro in opere ſociam ſe præbuit. Vernoniam gente fuiſſe vulgò aiunt,neque immeritò. Ipſa, conjux-

que voluerunt,vt Vvilelmus de Vernone,& Radulphus de Haia adeſſent abbatiam condentibus, remque ſuo nutu firmarent,maximo certè argumento Matildem Vvilelmo cognominem,ſanguineque proximam fuiſſe,cùm Radulphus Haienſis gente fuerit, & de Ricardi fratre genitus. Ipſa tamen omnibus in tabulis Matildem de Haia ſe vocat: eodemque nomine appellatur in ſepulchrali lapide, ex more fortaſſis Normannarum mulierum, quas ſibi nomen ex conjugis gentilitio facere ſolitas lego.

Quo anno Ricardus & Matildis, Præmonſtratenſes canonicos Blancalandam vocauerint, non inuenio. Anno quarto & quinquageſimo ſupra milleſimum centeſimum, cùm ipſos ſuis prouentibus inſtruebant,jam altare,& proinde templum, ceteraſque ædes, ipſis poſuerant; tumultuario quidem, vt non ita pridem vocatis,neque dum certo reditu donatis, opere, ſed tamen poſuerant. Sic enim ſcripſerunt de Vvilelmo Vernonio, & Radulpho Haiensî; *concedentibus, & ſuper altare præfati monaſterij propriis manibus nobiſcum offerentibus.*

Lego eos deduxiſſe Danmartino in Belgio. Ex eodem Haſculfus de Suligneio ſuos Lucernam viginti à Blancalanda milliaribus ante decem annos deduxerat. Cur non Præmonſtrati eos accepit, quod neque longiùs diſtat,& à Norberto ſancti Ordinis inuentore recentem ſpirabat,inque ceteras per orbem domos,vt caput in membra, pietatem dimittebat? Datum hoc fortaſſis eſt canonicorum Dammartinenſium virtuti: an potiùs id fecere Francorum ab Anglis,qui Normanniæ dominabantur odia, & Anglorum fœdera cum Burgundis Belgarum principibus?

Blancalanda verò, in qua monaſterium canonicis excitauere, vallis eſt, quam à Septentrione, & Meridie colles, tumulíque ab Oriente, & Occidente claudunt. Vbi Conſtantinus ager incultior, ſe reliquâ veluti educens Normanniâ intrat Oceanum, & Septentrioni obuerſus bifido contra Angliam mucrone porrigitur, ibi proximè Halim putei,inſignem ante annos ſexcentos dynaſtiam, inter Varengebeccum, Leyteram, & Numeniſſum, ignobiles pagos, non prorſus inamœnis cingitur in theatri figuram inortibus. Nomen loco fecerunt habitus & color ſoli. Scilicet ſubalbeſcit ferme vniuerſum,& non modicam partem infelices in ſaltus triſtiaque teſqua (landas vulgus appellat) conſumitur. Inuenio appellatam quoque Bruïeriam,ſcilicet à teſquis,nullâ ſubalbi coloris,qui in ſolo eſt, ratione habitâ. Pax inter Guilelmum Anglorum Regem, & Fulconem Comitem, *in loco qui vulgò Blancalanda, vel Bruïeria dicitur*, facta eſt: inquit Ordericus Vitalis libro 4. ad annum 1003. In veteribus tabulis lego incipere ab Eſtenclifij montis radicibus,deſinere in Bellaualle. Suum illi monti nunc etiam ſtat nomen: iſti valli (ſinuî potiùs vallis) tempora ſuum abſtulere,& quæ id nominis quondam habuerit,in tumuloſa,ac proinde finibus in modicarum vallium morem diſtincta regione non poſſum dicere. Hi ſunt ad Septentrionem,& Meridiem fines. Quos ab Oriente & Occidente ſeu quondam habuerit, ſeu nunc habeat,quis in maxima pòſt 500. annos prædiis mutatione limitum ac nominum aſſerat? Eſtenclifius mons omnis ſaltuoſus,leniter,neque altè ſurgit ad Boream. In Occidentem reſupinato, Numenilij per tumulos campi,pro regione non omnino infelices,occurrunt. Habent illos principio nemora,deinde hîc ſeu prata,ſeu paſcua; ibi variæ ſegetes, & ad potum (indîgenæ fi-

drum

drum vocant) pometa. Ipſos à tergo claudunt Douillani,& ad Meridionale latus Sanſymphorianenſes agri paſcuis,& ſegetibus læti. Hos ad eumdem Auſtrum ſequuntur primùm in monte nemora,deinde virgulteta Haiæ putei,donec ad Leyteranos venias,qui deinceps Blancalandam cingunt tribus ad Meridiem collibus, Scabioſo, Broquebuſæo, & Poteriano. Nominum cauſas nullus tradidit. Modicis vallibus diſtinguntur. Ab Oriente in Occidentem longè tendunt. Cæduis ſilueſcunt fere vniuerſi virgultis. Niandæa Poterianum,quà in Septentrionem,& Orientem reſupinatur, excipiunt. Iis verſus Orientem ſuccedit per tumulos,in agro Varengebeccio Boa, quæ à S.Michaële dicitur,areâ,areæque non modicum de præcelſa quercu fagoque nemus,quod via regiá ab Eſtenclifio ſejungit monte.Quę memoratis finibus clauditur Blancalanda,ea per hiemẽ de Leyteranis montibus torrẽtes,& omnẽ per annũ modico fluentes è paucis fontibus agmine,aquas excipit media.

Ad iſtas Ricardus & Matildis,ædes canonicis Dammartino deductis poſuerunt. Ibi excitaſſe, vbi nunc viſuntur, intelligis ex templo. Habet id conditoria Ricardi & Matildis. Ad ipſius meridiem habitauere ſemper canonici.Potuit quidem tempus, vt in hominum animis,vſuque rerum ac opportunitate, aliquid fere mutat,nunc ad illud canonicorum domum admouere,nunc ab eò aliquantulum ſejungere: ſed ad aliam ipſius partẽ nunquam poſuiſſe hoc affirmat,quòd ad aliam nulla vnquam aperta fuit in tẽpli pariete porta quæ, vt ſolet, ad clauſtrum ferret.Blancalandanus Anonymus in chronologia MS. docet annos omnino 30. poſitos in ædificatione templi.Anno 55.ſupra 1000.ita ſcripſit;*Hoc anno fundata eſt Eccleſia S. Nicolai de Blancalanda:* ſexto autem & octogeſimo; *Hoc anno dedicata eſt Eccleſia S. Nicolai de Blancalanda.*Et Francorum Anglorumque publici, & Ricardi Matildiſque Haienſium familiæ priuati motus abs dubio fecere, vt cepta ædificatio produceretur in tam longum tempus.Denique Matildis Ricardo mortuo dans Blancalãdanis canonicis *molinum de Riua ad faciendum luminare Eccleſiæ,cum tota molta* ſuorum *hominum de veteribus eſſartis*, ait ſe id concedere *in anno,in quo recuperauit tenementum* ſuum *de manu domini Regis.*

Iam quibus opibus monaſterium ſui fundatores inſtruxerint, accipe ex tabulis quas confecere.

Ricardus de Haia, & Matildis vxor eius, omnibus hominibus ſuis & amicis Normanniæ, & Angliæ ſalutem; & dilectionem. Notum ſit veſtræ dilectioni, & omnium tam præſentium, quàm futurorum caritati,quòd nos in propria hereditate noſtra,in loco qui Blancalanda dicitur, vnum monaſterium fundauimus in honore Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatæ genitricis eius, & ſanctiſſimi confeſſoris Nicolai;ibique conuentum canonicorum ad ſeruiendum Deo in Ordine Præmonſtratenſi conſtituimus, quibus ad victum & veſtitum, pro redemptione animarum noſtrarum,de paruitate noſtra hæc ſubſcripta conferentes in perpetuam eleemoſynam, per manum D. Ricardi Conſtantienſis Epiſcopi Domino conſecrauimus, Vvilelmo de Vernone,& Ricardo filio eius,& Radulpho de Haia nepote noſtro,concedentibus; & ſuper altare præfati monaſterij propriis manibus nobiſcum offerentibus, ipſum videlicet locum in quo fundatum eſt monaſterium,cum omnibus adiacentibus ſuis; à Bellaualle vſque ad montem Eſtenclif, ſicut eum à foreſta ſeparat terminorum appoſitio. In Haia-putei terram Cornart: in telone quadraginta ſolidos, & domum Hugonis de Nigellihulmo cum ſuo horto, & prædio,ita quieta,quòd homo qui

in ea manebit, vendat & emat in domo & extrà, in foro, & vbique quietè: & duas acras terræ juxta terram Malcouenant: & molendinum tanarium juxta parcum. In Aufremaiſnil terram Radulfi clerici, & terram Gaufridi fratris ſacerdotis: & alias decem acras terræ: & in mari vnam piſcaturam, & ſalinam Hober: & terram Richerij de Fanoilleres: & terram integram, quam tenebat Radulphus Cheneauant pro vno quartario auenæ. In Boleuilla maiſuram Roberti Liſleman. Ad Candecote terram Roſe. In Vvarengebec terram Gobe: ad Eſſarz duas maiſuras terræ, & cum altera earum coſtumas in foreſta ad opus figuli: foreſtas autem noſtras vbique, & quamdiu durauerint ad omnia ædificia ſua propria facienda, ſimiliter ad ignem, & ad omnia domus neceſſaria; paſnagium porcorum ſuorum in eis quietum, & ſuorum hominum ab ipſis hominibus ſibi perſoluendũ, & omnes ſibi vtiles ac neceſſarias coſtumas foreſtæ: in parco autem ſuorum tantùm porcorum quietationem, & communem cum noſtris: & ſimiliter poſt nos cũ porcis domini libertatem, & abroſturam vnam, & coria ceruorum & omnium biſſarum: & terrã Rogerij foreſtarij integrè, ſub chemino ſcilicet, & ſuper cheminum, quam donauerunt eis ipſe & Paganus filius ejus, cum domo quæ in ea erat. In Cheteuilla terrã Hugonis Tauri, & piſces excluſæ, quocunque modo capiantur: & aſſeſiam retis in nouio molendini ad capiendas anguillas, & ſi voluerint in eo facere piſcaturam: & vnam maiſuram terræ ibi juxtà ad hoſpitandum piſcatorem. In Boſeuilla terram Paruier. In Pompeuilla, & Vvarreuilla decimam graniarum, videlicet cùm carrus attulerit garbas, ſiue quadrigâ, vel quocunque modo afferantur, & vndecumque, nouem in grangis computentur, decima canonicis reddatur: & decimam garbagij omnium denariorum excepto teloneo, & omnium quæcumque ex illis domino exeunt, & fœni, & camparti craſſi piſcis, & feriæ campaniæ, excepto molendino de Vado. Eccleſias autem de Cheteuilla, & de Boſeuilla, & in Eccleſia de Montegardo quidquid ad feudum de Haia pertinet, ſimiliter per manum domini Ricardi Conſtantienſis Epiſcopi donauimus huic noſtro monaſterio, ita ſcilicet quòd in Eccleſia de Montegardo, canonici in vita Radulfo de Rotoz, dimidias garbas decimæ tantùm habeant; poſt mortem verò eius totum integraliter ad canonicos redeat. Illam autem de Cheteuilla Godefridus ſacerdos, & illam de Boſeuilla Gaufridus, quia tunc in illis erant perſonæ, in vita ſua à canonicis requirentes, ſuſceperunt tanquam clerici obedientes, & de recognitione quod inter illos conuenit annuatim reddentes, poſt mortem verò eorum integraliter, & totæ, excepta quâdam parte decimæ garbarum, quæ ad præbendam de Moreton pertinet, & quietè ad canonicos redeant. Prænominati autem ſacerdotes Godefridus, & Gaufridus omnem iuris hereditarij acclamationem, quam in illis faciebant, in manu domini Epiſcopi reſignauerunt, & ſuper altare præfati monaſterij propriis manibus ponentes omnino dimiſerunt. Quod ſimiliter Rodulphus de Rotoz fecit de illa de Montegardo, & Eccleſiam S. Symphoriani cum omnibus ad eam pertinentibus, de quibus decima molendini de Candecote, & decimã piſcium excluſæ eius. In Anglia Cambriguchan manerium cum omnibus pertinentiis, exceptâ Eccleſiâ. Hæc itaque præſcripta præſente clero, & populo, & approbante donauimus huic noſtro monaſterio S. Nicolai de Blancalanda, nihil in omnibus iis retinentes, & ab omni iure, & dominio, & ſecularium conſuetudinibus, querelâ, & exactione, ad nos pertinentibus libera & abſoluta, ſuper altare offerentes, per manum Epiſcopi Domino conſecrauimus, excepto opere excluſæ in terra Parvier de Boſeuilla, & in terra Hugonis Tauri de Chereuilla, quæ maiſura etiam coſtumas ſuas habet quietas in foreſta; & exceptâ multâ hominum de terra Radulfi clerici

apud

apud Anfremaiſnil, & opere excluſæ. Teſtibus Ricardo Conſtantienſi Epiſcopo, Vvaltero Abbate Montiſburgi, Radulfo Priore Exaquij, Ricardo Epiſcopo, & Philippo Conſtantienſi Archidiacono, Engelgero de Bohon, Roberto de Peretot, Renaldo de Mainil, Ricardo Auenel, Radulfo Cunes, & aliis multis. Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto in Blancalanda.

Hactenus tabulæ Ricardi, & Matildis. Ricardus Conſtantienſis Epiſcopus eas pro illorum temporum more ſuis probauit, roborauitque; & addidit Ricardum Auenel dediſſe monaſterio Eccleſiam de Bauteis, adjunxitque verba ſequentia. *Donauerunt & alij, prout diuina gloria eis inſpirare voluit, Vvilelmus de Vernone tres quartarias frumenti in molendino de Nigellibuno. Vvilelmus de S. Ioanne ad Thoreuillam, terram Godefridi filij Radulphi Couey. Rudulfus de Haia vnam ſalinam cum omnibus pertinentiis, quam Vvilelmus filius Vvache des Vvelles tunc tenebat. Hinfridus de Bohon, ad pontem Vime decimam molendini de Biart. Engelgerus de Bohon, ad Bohon terram de Rolenet. Ricardus de Glategneio 1. m. ſalis, & totam terram ſuam, quæ eſt iuxta Blancalandam de feodo Rogerij monaſterij. Rainaldus de Maiſnillo moltæ hominum ſuorum de Runceia, vnam quartariam frumenti in molendino de Douilla. Thomas Bardous decimam molendini de Breſilleuaſt. Hugo Vvach, in Chateuilla terram quæ dicitur la Croute Annon.* Hæc ille eodem anno quarto & quinquageſimo. Tertio poſt Henricus Angliæ rex eadem Ricardo Epiſcopo memorauit ſuis literis firmauitque: eas verò ita concluſit. *Vt autem hæc omnia ſupraſcripta, & quæcumque in futurum, & à quibuſcumque rationabiliter & iuſtè prædictæ Eccleſiæ fuerint collata, firma & illibata permaneant, regiâ autoritate confirmo; & confirmata in regnum poſt me venturis protegenda, & confirmanda relinquens commendo.* Donauerunt & alij non pauca, præter eos, qui à Ricardo Epiſcopo memorati ſunt; ſed modica nobilium virorum munera ſequi præterea oratione nō iuuat. Blancalandanorum hiſtoriæ canonicorum ſumma capita dicere ſuſcepi, non autem eorum prouentus ſigillatim cenſere. Hæc tamen quæ ſub ipſa monaſterij initia in eos collata ſunt, prætermittere nolui, vt ſummorum virorum pietatem intelligeres, qui ad illud opibus augendum, ceteris per conſequentia tempora duces magno & illuſtri exemplo fuerunt. Tacere tamen nec velim; ne debeam Ioannem Moretonij Comitem Blancalandanis canonicis conceſſiſſe eccleſiam S. Laurentij in Gerſoio inſulâ; & cùm è Comite in Angliæ Regem euaſiſſet, Vvilelmum Conſtantienſem Epiſcopum in id doni conſenſiſſe, anno ſecundo & nonageſimo poſt milleſimum centeſimum. Principis exemplum ſecuti Vv. Paren, Rodulphus Paren Vilelmi frater, Ioannes de Leſpeſſa, Vvilelmus de Chaëne, & Radulphus Pagani, plures decimas Sanlaurentianæ illius dynaſtiæ, prædiaque non pauca iiſdem largiti ſunt. Quid autem fileam, prioratus omnino ſex iiſdem inſuper attributos olim fuiſſe, Broquebeuſium, Crotabrunanum; Sanmargaritanum, Eſtoublonium, Leſtræum, & Arneuillanum? De Crotabrunano, Leſtræo, & aliis, nihil lego ante annum milleſimum ducenteſimum. Bruguebeuſius ſub initia Blancalandani monaſterij erectus eſt à Guilelmo de Aurea-Valle domino de Luitheare; erectionémque probauit, plurimúmque auxit, Adami de Portu, Leuthearis poſt Guilelmum dominus, Petro abbate, qui ab anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, vſque ad milleſimum ducenteſimum decimum tertium præfuit monaſterio.

Qui

Qui & quo numero, canonici Dammartino venerint Blancalandam, nullæ tabulæ habent. Silentium triſte, poſteriſque damnoſum. Pietate inſignes, morumque integros fuiſſe affirmat, quòd Blancalandam à ſuis præſulibus ſunt præ aliis pluribus miſſi; quòd Ricardi, & Matildis, monaſterij conditorum, expectationem impleuere; quòd Ricardum Auenellium, Vvilelmum de S. Ioanne, Himfridum de Bohon, alioſque Conſtantinâ regione illuſtres viros adduxerunt ad augenda fundatorum munera. Sed illa virtus fuit profectò ſingularis, quâ factum eſt vt frequentiſſimi juuenes, alij ab aliis, ad noſtra vſque tempora Præmonſtratenſem Ordinem ampelexi ſint, omnemque vitam egerint Blancalandæ in Dei laudibus. Anonymus Blancalandæ chronologus ita loquitur anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo: *Ranulphus primus pater fratrum Blancalandæ.* Quia non vocat abbatem, exiſtimo fuiſſe ſociis Dammartino venientibus ducem, & ad illud vſque tempus, quo inſtructis in ſedibus abbatem ſibi præficerent, patrem. Certè abbatum ſyllabus, libro funerali canonicorum ad finem additus, tradit ſecundum abbatem fuiſſe, non primum. Placet eum afferre, ipſoque omnem de Blancalandano monaſterio lucubratiunculam concludere.

Robertus de Pretot. Creatur anno ..... moritur anno..... die 2. Maij.

Ranulphus de Runcheia. Creatur anno ..... moritur anno 1167. *die viceſima ſexta Iulij.*

Blancalandanus Anonymus in ſua chronologia ſic habet anno 1167. *Hoc anno obiit domus Ranulphus primus pater fratrum Blancalandæ.*

Petrus, dictus Poëta. Creatur anno 1167. *cedit abbatiâ anno* 1213. 7. *cal. Nouembris. moritur anno* 1217. 12. *Iunij.*

Robertus de Rauenouilla. Creatur anno 1217. *calendis Decembris. moritur anno incerto* 26. *Aprilis.*

Nicolaus de Strauilla. Creatur anno incerto. moritur anno 1232. *die tertia Martij.*

Petrus de Baudienuilla. Creatur anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo, cedit abbatia anno 1247.

Robertus, dictus Hayton, ſiue Hyton. Creatur anno 1247. *cedit abbatiâ anno* 1253. 16. *Nouembris.*

Thomas de S. Mariæ eccleſia, dictus Rex. Creatur anno 1253. 3. *idus Maij. moritur anno* 1260. 27. *Octobris.*

Guilelmus Auberi de S. Mariæ eccleſia. Creatur anno 1260. *moritur anno* 1271. 14. *Nouembris.*

Thomas Fabien. Creatur anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo. moritur anno 1298. 30. *Auguſti.*

Robertus, dictus Hardy. Creatur anno 1298. *moritur anno* 1331.

Ioannes Pirebout (aliis Pitebout.) Creatur anno 1331. *moritur anno* 1337. 17. *Ianuarij.*

Guilelmus de Corſello (aliis Coëſello) Creatur anno 1337. *moritur anno* 1349. 5. *Septembris.*

Nicolaus de Bonauilla. Creatur anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono. moritur anno 1362. 27. *Auguſti.*

Albinus le Rous. Creatur anno 1362. *moritur anno* 1377. 3. *Aprilis.*

Thomas de inſulis. Creatur anno 1377. *moritur anno* 1412. 23. *Iunij.*

Thomas

Digitized by Google

Thomas de S. Laudo. Creatur anno 1412. *Accipit mitram, & alia pontificalia à Ioanne* 23. *anno* 1413. Hic anno 1430. Henrici ſexti Angliæ Regis conceſſione, è Britannia, in quam cum ſanctorum reliquiis, argenteiſque templi vaſis, & monaſterij veteribus chartis fugerat, redit Blancalandam. Henricus ab annis nouem tum regnabat: igitur Thomas ſupra nouem annos in Britannia fuit. Secum habebat duos è Blancalandanis canonicis. Hæc omnia leguntur in membranea charta Blancalandæ, qua Henricus Rex Thomæ concedit vt in ſuum monaſterium redeat. Thomas. *moritur anno* 1447. 26. *Februarij.*

Thomas de S. Laudo, junior, & nepos præceſſoris. Creatur anno 1447. *moritur anno* 1461. 9. *Septembris.*

Nicolaus Mulot. Creatur anno 1461. *cedit abbatiâ anno* 1476. *moritur anno* 1483. 9. *Februarij.*

Nicolaus Pitebout. Creatur anno 1476. *moritur anno* 1485. *die decima tertia Februarij.*

Petrus Roſſelin. Creatur anno 1485. *moritur anno* 1501. 5. *Martij.*

Petrus Fabri. Creatur anno 1501. *moritur anno* 1507. 1. *Iunij.*

Laurentius Mulot. Creatur anno 1507. 22. *Iunij. cedit abbatiâ anno* 1535. *& moritur* 2. *Februarij.*

Nicolaus le Maiſtre. Creatur anno 1535. *cedit abbatiâ anno* 1539. *die* 23. *Aprilis.*

Nicolaus Maiſtre, junior. Creatur anno 1520. 6. *Maij.*

Franciſcus de Bouliers, Mannæ in Prouincia *dominus. Creatur anno incerto, ex abbate Foroiulienſis Epiſcopus.*

Philippus Trouſſey. Ex priore abbas, Porphyrienſis fuit *Epiſcopus.*

Franciſcus Trouſſey.

..... *Grimaldi S.R.E. Cardinalis,* poſtea Aquenſis Archiepiſcopus.

Zongus Ondodei. deinde Forojulienſis Epiſcopus.

Ioannes Vincentius de Tulles Vaurenſis Epiſcopus.

Ceterum quo anno Ricardus de Haia, & Matildis Ricardi vxor, Blancalandani monaſterij fundatores mortui fuerint, accipe, ex inſcriptione, quæ in eorum ſepulchris viſitur in Blancalandano templo, ad ſummi altaris dexteram.

Hic iacet corpus nobiliſſimi domini Ricardi de Haia, militis, conditoris hujus Eccleſiæ, cujus anima partem habeat cum beatis. Ipſe quidem obiit anno domini milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, ſexto calendas Maij.

Hic jatet corpus nobiliſſimæ dominæ, dominæ Matildis de Haia fundatricis hujus Eccleſiæ, cujus anima partem habeat cum beatis. Ipſa quidem obiit anno Domini milleſimo ducenteſimo nono, quarto calendas Auguſti.

LVCERNA, ET LVCERNÆ Abbates.

LVCERNA, ſiue, vt in antiquis aliquot chartis legimus, Lucerna, & Luiſerna, vicus eſt in Abrincenſi Normanniæ diœceſi. Præmonſtratenſes canonici anno 1143. ad eam Dammartino venerunt Teſ-

uam, ſiue in domibus ſiue in vineis, & in agris, & in hortis. Ex dono Lamberti de Oriere, & Berengeri fratris ejus, duas acras terræ juxta murum ciuitatis Abrinc. Ex dono Bertrandi de Verduno ibidem dimidiam acram. Ex dono Ricardi Abrinc. Epiſcopi eccleſiam de Montuiron cum omnibus pertinentiis ſuis. Ex dono alterius Ricardi Epiſcopi, & Haſculfi de Suligneio, Eccleſiam de Suligneio cum omnibus pertinentiis ſuis. Ex dono Vvilelmi filij Vitalis ſuas vineas. Ex dono Radulfi Britonis virgultam vineæ. Ex dono Vvilelmi de Duxeio, & matris ejus, tres acras terræ in Canceruol. Ex dono Vvilelmi Delbois mon. ſexaginta acras terræ juxta Seinam. Ex dono Ricardi de Rochella ſex acras juxta ſuum viuarium. Ex dono Roberti de nemore duas acras. Ex dono Ramaldi de Labquerie duas acras. Ex dono Ricardi de Lingieure, & Ricardi Vvaſce maſuram Alpoignant. Ex dono Rogeri de Crolum vnam acram in Crolum, & quidquid ibidem, ſiue de dono, ſiue de emptione poſſident. Ex dono Radulphi Peileuilam quartam partem molendini de Nigrapalude. Ex dono Ranulphi de Borgenoue duas acras. Ex dono Bernulfi tres acras. Ex dono Radulfi de Veim quinque acras. Ex dono Ruallendi de Genecio ſex quart. ſalis in vna ſalina ad Genecium. Ex dono Bernardi abbatis de monte, & totius conuentus, collem juxta viuarium canonicorum Quare volo, & firmiter præcipio, quòd prædictos canonicos nullus perturbare audeat, nec de his omnibus in placitum mittere, niſi ego præcepero. Sed hæc omnia prædictà habeant & teneant, cum omnibus pertinentiis, & liberis conſuetudinibus, & quietantiis ſuis in boſco, & plano; in pratis & paſcuis, in viis & ſemitis, in aquis & molendinis, in burgo & extrà & in omnibus locis ita bene, & in pace, & liberè, & quietè, & honorificè, ſicut chartæ eorum eis rationabiliter teſtantur, teſtibus Philippo Baiocenſi, A. Lexouienſi, R. Ebroicenſi epiſcopis, Thomâ Cant. Ricardo de Humeto Conſtabulario, Man. Biſec Dapifero, Vv. filio Ioannis, Uv. filio Ham. Iordano Teſſon, apud Argentom.

Hactenus Anglorum Rex. Quo anno dedit iſtas literas? incertum eſt: Certè non eas ſcripſit poſt milleſimum centeſimum ſexageſimum tertium; ipſo enim Philippus Baiocenſis Epiſcopus teſtis mortuus eſt: neque ante quinquageſimum illius ſæculi, ipſo enim regnate poſt Stephanum cepit. Henricus ſcilicet ſecundus eſt hic, qui extremum diem obiens ſeptuageſimo, tertium reliquit heredem, cùm primus ante Stephanum anno centeſimo regnum adierit mortuo Vvilelmo Rufo fratre. Quocumque anno literas eas confecerit, Ricardus Abrincenſis Epiſcopus, primo & ſexageſimo ſuis teſtatus eſt, Vvilelmum de S. Ioanne ab Haſculfo de Suligneio accepiſſe fundatoris & aduocati abbatiæ nomen, ita habent.

Uniuerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, tam prælatis, quàm ſubditis, Ricardus Dei gratiâ Abrincenſis Eccleſiæ miniſter humilis ſalutem & dilectionem. Notum ſit omnibus tam futuris, quàm præſentibus, quòd canonici de Luſerna, terram quæ eſt inter primum viuarium ipſorum, & nemus, & Thar, & Tarnet, quam priùs eis dederat Haſculfus de Suligneio in perpetuam eleemoſynam, eidem Haſculfo reddiderùt in præſentia Achardi prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ Epiſcopi, & noſtra, dum eſſem Conſtantienſis Archidiaconus. Præfatus verò Haſculfus totam ſupradictam terram, quæ priùs eleemoſyna fuerat, dedit Deo, & prædicto Epiſcopo, liberam, & ſolutam, in perpetuam eleemoſynam: Epiſcopus verò eam dedit Vvilelmo de S. Ioanne liberam, & quietam, ad fundandam in ea abbatiam in honore S. Trinitatis. Conceſſerunt itaque Epiſcopus, & Haſculfus priùs fuerat aduocatus prædictæ eleemoſynæ,

Digitized by Google

ita & Vvilelmus deinceps aduocatus eiusdem esset eleemosynæ, & abbatiæ, quæ in ea erat fundanda. Pro hac autem concessione dedit idem Vvilelmus memorato Hasculfo vnum scyphum argenteum, in præsentia præfati Episcopi, & nostra. Actum est hoc anno Verbi incarnati 1161. *præsentibus istis, Rollando decano, Vvilelmo archidiacono, Roberto capellano, Roberto de Rochella, & filiis eius Hugone, & Andrea, Roberto de S. Ioanne, Gilberto de Campellis, Rogerio paupere de Rochella, Ranulfo de S. Petro, Radulfo de S. Maria, Vvilelmo de Fulgeriis, Ricardo de Aurea valle, magistro Ricardo de S. Petro, & Ramaldo capellano de S. Ioanne, Ricardo capellano, Rogerio de S. Ioanne, & aliis quàm pluribus.*

Quis Ricardus hic episcopus, quis ante Ricardum Achardus? Lego quidem Archardum sedisse anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, & Ricardum primo ac septuagesimo: sed ante Achardum, vulgò fertur Herbertus extremam diem obijsse sexagesimo, mense Septembri. Igitur Cenalis, vt sedes Abrincensis non diceretur vacasse ad secundum vsque & sexagesimum, quo Roberti de Monte supplementum tradit Achardi episcopatus initia, hæc à die septima & vigesima sexagesimi primi repetit. Tu dic ab Herberto Achardos sedisse duos, & duos etiam Ricardos: & Achardum ac Ricardum priores non sedisse multos menses. Cùm Hasculfus illo episcopo Vvilelmum accepisset in abbatiæ fundatoris socium, hic rem gestam posuit in tabulis quas exscripsi anno primo & sexagesimo, & non multos post dies è vita excessit, successoremque habuit Achardum secundum ex Victorino Parisiis abbate. Ita ego quidem sentiebam, & asserendum profectò est, vt sua tabulis Ricardi antistitis veritas constet. Et verò non est quòd quis arbitretur dici per magnum errorem scriptas anno primo & sexagesimo, quo Archardus sedebat, cùm scriptæ fuerint primo & septuagesimo quo Ricardus sedere cepit, nam Vvilelmus anno secundo & sexagesimo *terram* illam *inter primum vivarium, & nemus, & Thar, & Tharneth*, ab Archardo episcopo acceptam, tradit Achardo (certè secundo seu posteriori) episcopo Lucernariis canonicis ad excitandum in ea monasterium. Eo ipso & præterea nonagesimoprimo plurima illis concessit, vt ex charta, quam Lucernenses canonici seruant, intelligere est, neque placet eam ex scribere.

Atque hactenus dictum sit de fundatione Lucernensis monasterij. In eius tabulario charta est, manu innominati canonici supra ducentos annos scripta, quæ summa nonnullarum illius rerum capita per annos chronologicos deducit sequentibus verbis.

Anno 1143. Hasculfus de Suligneio fundauit monasterium in nemore de Cutuafossa. Anno 1144. Tescelinus circa festum S. Sebastiani creatur primus abbas. Eodem anno, octauo idus Iunij, moritur Tankerendus primus prior, in cuius pectore crux lactea in hora mortis apparuit. Anno 1145. è nemore fratres descenderunt in vallem iuxta Thor, & exceptisunt in capella lignea à Ricardo de Suligneio Abrincensi episcopo, fatre fundatoris, qui in ea consecrauit altare coram innumerabili populo in festo S. Lucæ. Nemoris sedes incommodissima erat. Anno 1156. Tescelinus primus abbas moritur 15. cal. Ferbruarij. Anmo 1157. Ansgotus 19. Maij creatur secundus abbas. Anno 1161. Nomen fundatoris translatum est ab Hasculfo de Suligneio ad Guillelmum de S. Ioanne.

Anno

Anno 1162. 10. cal. Maij è valle iuxta viuarium, vbi annis 16. menſibus 6. & diebus 6. fuerat abbatia, fratres venerunt in locum in quo nunc ea eſt, cum magno populi comitatu. Eodem anno primum donum fecere Guilelmus de S. Ioanne, Robertus frater eius, & Oliua vxor eius, de loco in quo fundata eſt abbatia, de Garreio, de eccleſia S. Ioannis cum ſuis pertinentiis, de piſcaria ad mare, de eccleſia de Rochella, de eccleſia de Angelo, de dimidia eccleſia de Tonuilla, de feodo de Baſſoburgo epiſc. Conſtant. & multis aliis in epiſcopatibus Abrinc. & in Anglia. Anno 1164. 12. cal. April. eccleſiæ primus lapis iactus eſt ab Achardo Abrinc. epiſcopo, & Anſgoto abbate, offerentibus Aſculfode Suligneio & Vvilelmo de S. Ioanne fundatoribus. Anno 1178. preſbytorio, choro, & ..... peractis Ricardus Abrinc. epiſcopus introduxit nos in eccleſiam, & eius altare conſecrauit, in honorem omnium apoſtolorum, in feſto S. Thomæ. Anno 1206. Anſgotus, cùm rexiſſet annos 49. ſex menſibus & quinque diebus minùs, cauſatus inſufficientiam ætatis, Ordinis conſilio requiſito, ceſſit abbatiâ, in vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ, & poſtea obijt 10. calendas Aprili. Annò 1215. & 1216. Radulphus de Dragnauilla erat abbas: fuerat prior temporibus Anſgoti. Obijt 7. idus Nouembris. Anno 1345. cepit maxima mortalitas, quæ durauit annos tres, & extinxit vbique terrarum partes duas virorum & mulierum, abbate Rudulfo Clerici. Huius abbatis tempore dirutæ ſunt tres partes turris, ſiniſtra cruce, ſeu pars eccleſiæ cum capellis à ſummo vſque deorſum, pinnaculum, & porta nauis eccleſiæ radicitus, & totæ votæ ſeu dicus eiuſdem nauis, ſic quòd non remanſerunt in naui niſi tres poſtes in medio à parte ſiniſtra, totum dormitorium, refectorium, & horreà refectorium & eccleſiam tangentia, vel ſuccenſa, vel ad terram proſtrata fuerunt. Porta anterior, & eleemoſynaria, & omnes aulæ, ac domus eaſdem contingentes, ad nihilum redactæ; & ſic per multum temptis extiterunt. Solum ibidem remanſit valetudinarium cum cappella, in qua faciebant inopes Officium. In abbatum ſerie, manu eiuſdem autalterius canonici primùm ceptâ, deinde ab aliis aliòs tempore ad nos deductâ, monaſte hæc ſtrages ab Angliæ & Nauarræ regum militibus anno 1345. illata traditur. Eam ſeriem ex eiuſdem abbatiæ tabulario à me cum ceteris quas hactenus retulit, chartis exſcriptam accipe. Scilicet id vnum de Lucernanis Præmoſtratenſibus vt dicam reliquum eſt. Quia tamen in ſuperioribus ſæpenumero legimus acram terræ; placet (hic priùs addere ſequentia ex litteris quas memini me legere in archiuo monaſterij Blancalandani. *Acra capit vergeas quatuor, vergea perticas quadraginta, pertica pedes quadratos viginti quatuor.* Ex iſtis verbis intelligere eſt in libro variorùm autorum de limitibus, Innominatum vera ſcripſiſſe cùm attulit ſequentia. *Pertica, paſſus duo, ideſt pedes decem, Perticas autem iuxta loca, vel craſſitudinem terrarum, prout prouincialibus placuit, videmus eſſe diſpoſitas quaſdam decempedas, quibuſdam duos additos pedes, aliquas verò quindecim vel ſeptemderim pedibus definitas; ita duntaxat vt craſſioribus terris minores menſuras, ſterilioribus maiores tribuiſſent.* Certè tabularum illarum auctor dat perticæ pedes 24. non autem 15. aut 17.

Digitized by Google

ABBATES LVCERNÆ Præmonſtratenſium.

1. Teſclinus (Teſcelinum etiam dicebant) creatus eſt anno 1143. obiit anno ..... rexit annos 11.

2. Angot. Creatus eſt anno 1157. Obiit anno ..... Rexit annos 49. minùs menſibus ſex, diebus 5.

2. Radulphus à Dragneuilla. Creatus eſt anno 1213.

4. Daniel. Obiit 7. idus Septembris. Erat abbas anno 1225.

5. Ricardus. Obiit idibus Martij.

6. Thomas. Obiit 11. cal. Aprilis.

7. Nicolaus Boutteroye. Creatus eſt anno 1235. Obiit an..... cal. Decembr. Dedit Philippo priori & fratribus Domus Dei Conſtant. 2. garbas tertæ feudi Comart prid. cal. Iulij.

8. Petrus à Tomeuilla creatus eſt anno 12 57. Obiit an..... Rexit annos 17.

9. Ioannes Boutteroye. Creatus eſt anno 1275. Obiit an....., 12. cal. Iulij. Rexit annos 5.

10. Robertus Ioannis. Creatus eſt anno 1290. Obiit anno 1326. 17. cal. Decembris. Rexit annos 36.

11. Thomas Barbon. Creatus eſt anno ..... Obiit anno 1334. 11. calend. Martij. Rexit annos 8.

12. Rodulphus le Clerc, Radulphus Clerici, dictus de Landa, quia ortus erat de Landa Darou Conſtant. diœceſis. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1370. 15. Martij. Hoc abbbate Nauarræ & Angliæ regum milites abbatiam incenderunt, & euerterunt omnem, excepto valetudinario, in quo religioſi perrexerunt celebrare diuinum officium.

13. Thomas Tacon à Murdragueria. Modagreriam alij vocant. Creatus eſt anno..... Obiit 18. Iulij anno 1378. Rexit annos ferme octo.

14. Ioannes à Tallenanda du Meſnilrobert. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1397. 5. idus Februarij. Rexit annos quaſi 18.

15. Ioannes du Rocher. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1407. die 26. Maij. Rexit annos 11. Hoc abbate Campanile in eam ſpeciem, qua nunc etiam viſitur, reſtitutum eſt.

16. Philippus Badin. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1452. Rexit annos 41.

17. Gaufridus le Court. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1464. Rexit annos 12. Hic obtinuit à ſummo Pontifice jus mitræ: chorum ſedibus, quæ nunc etiam viſuntur, inſtruxit: & aliis pluribus ornamentis abbatiam auxit.

18. Ricardus de Laual, Ardennæ etiam abbas. Creatus eſt anno..... Obiit anno 1490. die 9. Ianuarij. Hic columnas clauſtri erexit, & multa alia ad abbatiæ decus ſuſcepit.

19. Ricardus de Laual junior, Ardennæ etiam abbas. Creatus eſt anno..... Obiit anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo. Rexit annos nouem.

20. Franciſ

Digitized by Google

20. Franciſcus Caignon. Creatus eſt anno ..... Obiit anno 1528. Ardennæ. Rexit annos 22.

21. ..... de Grammont Cardinalis. Rexit annis 1529. & 1530. Ioanni de Pirou, qui religioſus à religioſis electus fuerat, faciens penſionem.

22. Franciſcus de la Guiche ad abbatiam Lucernæ peruênit permutatione cum Cardinali Grammontio. Rexit annos 18.

23. Odettus à Caſtellione Cardinalis. Rexit annos 22. Cepit regere anno ..... In hæreſim prolapſus hic eſt, damnatúſque à ſummo Pontifice.

24. Andreas de Guidoty. Creatus eſt anno 1551.

25. Renatus Iordanus.

26. Ioannes à Bellaria.

27. Franciſcus à Bellaria. Moritur anno 1656.

MANSVS ADÆ, ſeu Manſiada.

MANSVS Adæ eſt nobile Monaſterium in Viuarienſis prouinciæ ſummis montibus. Ex agri regiuncula cognomine id nominis, cùm in ea erigebatur accepit. Nunc corruptè vocant Manſiadam. Scilicet tempus amat compingere in vnam vocem dictiones, è quibus diuiſis nomen propium alicui rei datum eſt.

Manriquez in Annalibus Ciſtercienſium docet erectum fuiſſe, anno ſecundo & vigeſimo ſupra milleſimum centeſimum, animis, induſtriâ, labore Amedei illuſtriſſimi viri. Hic Conradi Imperatoris conſanguineus, ex Albæ ripæ Domino Ciſtercienſis in Bona valle non procul Vienna monachus, locum & ſentum ſitu, & vepribus impeditum ac horrens, adiit primus, coluitque. Coquebat nobile pectus & vehementer angebat, quòd ſuperiore anno Bonam-vallem Cluniaco mutauerat, omnique pœnarum genere ac ærumnarum vlciſcebatur, & delere contendebat turpiſſimum ſcelus. Anno milleſimo centeſimo decimo nono venerat ad cœnobium, & in eo monachum profeſſus fuerat. Illuſtre, ſed arduum facinus! tantorum celebritatem ceptorum id plurimùm auxerat, quòd viri quindecim & oratione, & exemplo ipſius adducti, ſeſe dederant illi comites, & cum iis vnicus ex vxore filius. Hic puer, & pene infans, non potuit pro tenerâ ætate veſtem Ciſtercienſem cum ceteris induere. Igitur cœnobitæ datus eſt erudiendus literis. Sed ecce clariſſimum humanæ imbecillitatis argumentum. Puer modicos ac pene nullos proceſſus efficiebat in literis; & magiſtri, non filij, vt par erat, ſocordiæ Amedeus hoc tribuit. Quando autem is omni virtutum genere ceteros monachos anteibat, non dubitauit quam Doctori ſocordiam tribuebat, eam ex Abbatis ſeu imperio, ſeu voluntate repetere. Igitur principio ſe contemptum interpretari; tum animo ab Abbate ac cœnobio auerti, denique Bonaualle abjectâ Cluniacum adire cum filio. Atrox & Bonaualli fere naſcenti prorſus perniciosa diſceſſio? Non multos dies poſuerat Cluniaci, cùm importuni criminis pœnitudo virum ceterâ optimum cepit. Quid Germanorum Imperator, quid ceteri tota Europa Principes viri ſeu ſanguigne, ſeu affinita

affinitate juncti,de Bonauallis proprij & cujus regulam profeſſus fuerat monaſterij,tenuiſſimam ob rem deſertione dicerent? quid illi quindecim viri ad Bonauallem ipſo agente Comites? Ergo ſi filius Cluniaci non euadat in doctum virum, aliò abeundum erit cum illo, percurrendaque per inſignem animi leuitatem cetera Galliarum monaſteria? Igitur rediit Bonauallem, filiique curam omnem abiecit. Hîc lacrymarum magnis agminibus,& omni ſeu corporis ſeu animi abjectione priſtinum locum denique accepit. Filius accurato labore & virtutem, & literas ita coluit, vt è Priore Altecumbæ in Lauſanenſem Epiſcopum euaſerit,& cum magno ſanctitatis nomine mortuus,illas de beata Virgine homilias nobis reliquerit,quorum & pietatem & doctrinam ſuſpicimus. Sed Amedeus pater dolore, vt arbitrabar, ſceleris actus,cogitauit alias à Bonaualle ſedes, & ab Abbate obtinuit longè auias in Viuarienſium montibus. Hîc, cùm teſqua, quæ horrore ſuo placuerant, menſes aliquot tenuiſſet,atque magnis coluiſſet ſudoribus,vocauit Bonaualle Abbatem,& duodecim monachos.

Quis fuerit primus hic Manſi Adæ Abbas, qui monachi, non inuenio: ſed neque alios à primo Abbates per annos duos, & ſeptuaginta, ſcilicet à milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo,ad milleſimum centeſimum nonagemum quartum Accipe quos ab hoc anno legi in libro *inſtrumentorum* pertinentium ad Grangiam Abbatis Manſiadæ vſque ad milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum tertium. Addam nonnullos etiam ex paucis aliis chartis,quæ ad me peruenerunt, acceptos.

ABBATES MANSI ADÆ.

PHIL. anno 1194. ex teſtamento Hugonis D. d'Vſſel.

Petrus. Anno 1202. ex donatione monachis Manſiadæ paſcuorum à Domino Montis-lauri: qui addidit vt permitteret illorum animalibus tranſire per terram ſuam. Ex conuentionibus eorumdem monachorum,cum Pontio de Duobus canibus,ac illius matre; & cum Domina Alpium atque Albinſarij de paſcuis Alpium.

Bt. Anno 1209. ex tabulis,quibus Ludouicus Viuarienſis Epiſcopus concedit monachis Manſiadæ laudimium *territorij de Broco*, empti à Raimundo de Montealto.

Phil. Anno 1220. ex tabulis,quibus Hugo Ianſel dat monachis Manſiadæ quartam partem paſcuorum mandamenti S Laurentij.

Geraldus. Anno 1226.ex tabulis,quibus Bertrandus de Feltro confirmat donationem monachis Manſiadæ paſcuorum, in mandamento Mirabelli, factam olim à Guilelma ſocru.

Arnaudus. Anno 1233. ex confirmatione paſcuorum loci de Alpibus monachis Manſiadæ, &c. De his paſcuis plures chartæ aliàs ſcriptæ ſunt. Anno 1234 ex *acquiſitione* cujuſdam manſi à monachis Manſiadæ; ex *acquiſitione* quorundam paſcuorum; ex acquiſitione paſcuorum à Gaufredo de Vogono.

Geraldus II. Anno 1240. ex tabulis, quibus Stephanus de Mirabello confirmat venditionem quarundam rerum factam à patre monachis Manſiadæ.

Anno

Anno 1243. ex nonnulorum teſtium examine &c. An. 1245. ex .....

Guilelmus. An. 1246. ex connentionibus monachorum Manſiadæ cum .... de paſcuis Alpium. Anno 1247. ex iiſdem conuentionibus.

Fulco. An. 1279. ex *acquiſitione* cujuſdam deueſij à monachis Manſiadæ. An. 1280. ex quodam *accapitò*, quod fecit Ioanni de vlmo. An. 1281. ex ejus conuentionibus cum ciuibus S. Andeoli de Berco. An. 1282. ex donatione quarundam rerum à Francone monaſterio Manſiadæ. An. 1283. ex quadam præconizatione. An. 1284. ex tabulis, quibus extructio Villanouæ de Berco conſtituitur.

Ex ſuperioribus intelligù Villanouam Berci, ſeu de Berco cepiſſe anno 1284. Philippo Rege, & Fulcone Abbate Manſiadæ. Si verò auens ſcire quibus pactis conuentis, Rex & Abbas eam erexerint, accipe ex ipſis tabulis anno 1284. ſcriptis à Rege Bellimonte ad Iſaram fluuium eo anno. Primò quod Abbas ſeu monaſterium ſede vacante, & Seneſcallus qui pro tempore fuerit, de communi conſenſu in dicta villa per ſe, vel per alium inſtituant judices, bajulos, vicarios, notarios, nuntios, & alios Officiales, ad exercenda ea quæ communia ſunt in ipſa villa & territorio, qui in initio ſui regiminis iurare teneantur in manibus partium, quòd ſint fideliter exercebunt, & cetera ſeruabunt quæ in ſtatutis inclytæ recordationis D. Ludouici quondam Regis Francorum continentur: quibus de ſalario communiter prouideatur, & correctio, inquiſitio, punitio, & executio dictorum curialium, ſi eos, vel aliquem de eis delinquere contigerit quoque modo in dictæ villæ territorio, & pertinentiis dictæ villæ ſit communis. Item quòd curia in dicta villa in loco ſeu domo communi teneatur & ibi ius reddatur, & carcer ſit etiam communis, ad cuſtodiam delinquentium in dicta villa & territorio, & communiter ad expenſas communes prædicta fiant; & fortalitia, ſi contigerit fieri, fiant communiter, & communia ſint. Item quòd certus locus conſtituatur & aſſignetur infra dictam villam ſeu territorium, in quo pœnæ corporales infligantur, & alibi nequeant, nec debeant infligi ſine Abbatis vel monaſterij voluntate. Item quòd quicunque, vel quotieſcumque continget per aliquem appellari, vel reclamari, vel aliquam ſententiam dici nullam; ſiue querelam fieri pro defectu iuſtitiæ, ſeu reſſortium in quocunquem caſu, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, &c.

Anno {1285.} ex *compromiſſo* Abbatum Crudatis & Manſiadæ ſuper {1286.} conſtructione Eccleſiæ Villanouę de Berco.

Stephanus. An. 1287. ex ipſius conuentionibus cum collegio Canonicorum Viuarienſium, cum curione S. Andeoli de Berco, cum priore S. Mauritij. In illis conuentionibus cum Collegio canonicorum Viuarienſium lego monachos Manſiadę tum ſolitos conuenire *ad ſonitum poſtis percuſſæ cum malleolo.*

B. de Auriaco. Anno 1288. ex ipſius conuentionibus cum miniſtris Regis.

Guilelmus de Salgne. An. 1298. ex accapito Ioannis de Bariac. An. 1297. ex conuentionibus cum Domino Rupis columbæ. An. 1298. ex ipſius conuentionibus cum Domino Vogoni, remiſſione quorumdam jurium, *acquiſitione* cujuſdam rei. An. 1299. ex ipſius conuentionibus cum Priore S. Philippi, & exactione pedatitij per mandamentum Alpium.

Raimundus Raynaudus. Anno 1300. ex tabulis quibus miniſtri Regis, & Abbatis Manſiadæ feruntur *feciſſe reparationes* Villanouæ de Berco com-

munibus impenſis. Anno 1301. ex conuentionibus ipſius cum Priore Alpium. Anno 1302. ex conuentionibus cum Priore monachorum ſuorum; cum Priore S.Philippi; cum liberis Ioannis Clauelli. Anno 1304. ex tabulis quibus miniſtri Regis,&c. vt ſuprà anno 1300. Anno 1308. ex conuentionibus de territorio inter riuum &c. Anno 1309. ex ipſius conuentionibus de decimis S. Andeoli in Berco. Anno 1310. ex ipſius conuentionibus cum Raimundo de Vogono. Anno 1312. ex ipſius tranſactione cum ciuibus Villanouæ de Berco.

Hugo. Anno 1314. ex literis quibus quidam monachus Manſiadæ prohibetur trahi *ad inquiſtam*. Anno 1315. ex edicto ſeneſcalli Belliquadrenſis & Nemauſenſis contra balliuum Viuarienſem, qui vexabat monachos Manſiadæ: Ex conuentionibus ipſius cum dominis Mirabelli. Anno 1319. ex quadam tranſactione &c. Anno 1323. ex tabulis de deueſio &c. Anno 1324. ex ſupplice libello procuratoris Manſiadæ domino Balâdini.

Stephanus de Lacu. Anno 1331. ex tabulis, quibus Arnaudus de Cumbis profeſſus eſt clientelam &c. Anno 1337. ex inſtitutione vicarij Villanouæ. Anno 1339. ex..... cujuſdam viri. Anno 1340. ex prouocatione Matthæi de Berco. Anno 1341. ex..... Anno 1342. ex literis Seneſcalli & Theſaurarij Regis. Anno 1343. ex..... Anno 1352. ex Vitalis miſſione in poſſeſſionem clientelaris prædij à monachis Manſiadæ. Anno 1353. ex conuentionibus Manſiadæ cum ciuibus S. Andeoli; ex clientelari profeſſione prædij à Pontio & Iordano Freſqueriis. Anno 1354. ex conuentionibus Manſiadæ cum ciuibus S Andeoli. Anno 1355. ex clientelari profeſſione prædij monachis Manſiadæ à Cæcilia Columberij filia. An. 1356. ex conuentionibus ipſius cum Domino Alpium. An. 1357. ex clientelari profeſſione cujuſdam rei; ex conuentionibus ipſius cum S. Andeolo.

Petrus II. Moleta. An. 1375. ex tranſactione Manſiadæ cum Domina Laureta. An. 1378. ex conuentionibus magiſtri de Berco,& Ioannis de Rupe.

Hugo II. An. 1388. ex *acquiſitione* cuiuſdam rei à monaſterio Manſiadæ, folio 305 pag. 2. An. 1391. ex *laudimio* cujuſdam terræ. An. 1395. ex profeſſione clientelaris prædij à nobili Iacobo de Blacha. An. 1400 ex *pedalitj* emptione à domino Alpium. An. 1401. ex eadem emptione in pitantia &c. An. 1403. ex conuentionibus Manſiadæ cum Valle-vinaria.

Vacat Abbatia an. 1406. ex acquiſitione quarundam rerum à Manſiadæ monachis.

Petrus III. An. 1407. ex profeſſione clientalaris prędij à Petro Freſquetij. An. 1414. ex comprobatione tabularum extructionis Villanouæ de Berco. Anno 1423. ex remiſſione cujuſdam manſi. Ex literis procurationis Iacobo Paſtello datis.

Ioannes de Sent. An. 1456. quo jubet chartas Grangiæ de Berco exſcribi & compingi in librum.

Petrus de Grolea. An. 1473. quo Parlamentum Toloſæ, eo petente *autenticat* illum chartarum librum.

Hactenus ex libro chartarum grangiæ de Berco.

Carolus de Balma. An. 1523. ex libro recognitionum à Simone Valentiâ ſcriptarum.

Roſtagnus de Suſe. An. 1540. ex tranſactione ipſius cum monachis.

Anno

Anno 1549. ex neſcio quibus tabulis.

Bartol. Gabriel de Rouret. Anno 1561. ex enumeratione redituum Manaſſe judici miſſo à Rege.

Anno 1572. ex priuatis tabulis.

Antonius de Suſe. { Anno 1579. / Anno 1596. / Anno 1604. } ex priuatis tabulis.

Carolus de Balma de Suſe. { Anno 1619. / Anno 1640. / Anno 1642. / Anno 1643. } ex tabulis priuatis.

Ludouicus Franciſcus de Suſe Epiſcopus Viuarienſ. { Anno 1662. / Anno 1663. / Anno 1664. } hic Abbas viuit.

Quæ autem ſeu Abbates, ſeu monachi ab anno 1122. quo erectum eſt cœnobium ad hanc vſque diem ſapienter peregerunt non inuenio, ſi excipias extructionem Villanouæ Berci ſeu de Berco. Bercum eſt nomen regiunculæ. Lego pagum S. Andeoli caſtrum ſeu domum aut Grangiam Berco, Turnonem, & vnum præterea aut alterum pagum eſſe in eo.

GARAGOBIA.

ARAGOBIA (Ganagobiam quoque, & Canacopiam majores dixerunt) mons eſt ſexto lapide à Forcalquerio, capite Comitatus quondam nobiliſſimi, & pro amplitudine non imparis Prouinciæ, tum Druentiâ, Rhodano, Mari, Alpibus comprehenſæ. Druentia radices ejus alluit ad Orientem, Sigontia oppidulum claudit ab Occidente, Lurium caſtrum ad Meridiem, à Septentrione Petruſium, ſeu Petroſium, aut Petroxium, vel (vt Guilelmus junior anno 1208. loquebatur minùs alienè à nobis qui vocamus *Peirus*) Petroxium pagus. Saxeus omnis eſt, aut potiùs ſaxum ingens, moliſque veſanæ, vt adeuntes Lurio experiuntur; quos ab imis radicibus ad ſumma vſque conſcendentes, impedit principio multa buxus è ſaxo prorumpens, deinde glarea ſaxo ſuperfuſa. E ceteris locis, ſi vniuerſum contuearis, dices terreum: ſcilicet ab Oriente quidem ſurgit in arbores glandiferas, temerè mixtas infrugiferis, quas hortuli ſummo ſub vertice perpauci, gradato fere ſolo excipiunt: à Septentione autem, & Occidente, non eſt ineptus tritico. Tamen ſaxum erumpit è terrâ non rarò, ſeu dedignetur eâ concludi ex omni parte; ſeu ipsâ nudatum fuerit ab aqua pluuiâ quæ cùm incipit aliquo ire agmine, terram è ſaxo vbi multa non eſt, euellerit, ac ſecum in præceps traxerit. Omni parte non aſper, ſed fere præruptus eſt: ceterà inacceſſus patitur aſcenſum ab Oriente & Occidente, ab illo ſinuoſum, & prorſus difficilem, per milliare vnum circiter; ab hoc minùs durum. Scilicet quà longè reſupinatur, aperuerunt agricolæ vnâ & alterâ ſemitâ, iumentiſque etiam clitellariis peruium fecerunt. Summi verticem diceres æquatum fuiſſe prorſus in planitiem; niſi quòd videtur aliquantulum decliuis in Orientem. Ducitur longitudine per duo milliaria,

rotundaturque vniuersus, sed non perfectum in orbem, cùm Septentrionem versus ac Meridiem, oblongiùs protendatur, quàm in Orientem ac Occidentem. Milliare igitur tantùm & quod excurrit, capit latitudine. Ager illius à medio vsque ad finem Meridionali parte colitur vniuersus; reliquus humo defectus, quam aquæ pluuiæ secum auexerunt, in saxum infelix consumitur.

Qui ante nongentesimum à Christo annum, Garagobiam montem habuerint incolæ, non lego. Sub illum annum modicus ac tenuis pagus stetit in suprema verticis ad Septentrionem parte; & sub annum millesimum, in media ad Orientem, non ignobile monasterium Cluniacensium. Illum quidem Garcendis Prouinciæ & Forcalquerij Comes, anno 1220. vocauit *castrum, seu villam de Podio Garagobiæ*, hoc verò *Ecclesiam de Podio Garagobiæ*. Podium barbatè vocabant, quem Latinè montem dicimus. Tassilus Hugone Cluniacensi Abbate vtrumque memorauit, cùm ita locutus est: *Ego Tassilus dono Domino Deo, & S. Petro Cluniacensi, vbi Dominus Hugo Abba præesse videtur, ad Podium Canobiense monasterio B. Virginis Mariæ.* Pagi illius reliquias vidimus fœdas, pendentibus omni parte tristibus parietinis. Qui, & quo tempore euerterint non facilè dicas, tacentibus vniuersis veterum illorum temporum chartis. Vtcumque hoc habeat, parietinarum infimi anguli docent, quod in alio fortasse pago nusquam inuenies, singulas domos, cùm stabant, stetisse alias seorsim ab aliis. Templum extra pagum erexerant, ad meridionalia mœnia. Hoc mediâ illâ parte supereſt, quæ odæum capiebat: alterâ suâ parte dirutum est. Cluniacensium monachorum ædes magnum olim nomen habuit. Superiore sæculo, Hugonotti fere omnem euerterunt. Igitur annos circiter quinquaginta, aut nullum, aut modò vnum habitatorem habuit: nunc magnam instaurauerant partem, sexque omnino aut septem incolunt monachi. Sed quas seu lacerauerunt, seu incenderunt, aut aliâ vi furentes hęretici perdiderunt chartas, nemo erit vnquam qui restituas. Perierunt igitur fere omnes. Pauculę occurrerunt scribenti de Sistaricensibus Episcopis, quas in lucem ad vsus eruditorum virorum proferre visum non est pro sua barbaria de ipso monasterio dicam aliqua.

Ioannes III. Sistaricensium Episcopus illud erexit in agro paterno Garagobiæ pagi. Dicebant Podium Garagobiæ & pagum ipsum ei concessit, vt docui libro 1. de Sistaricensibus Episcopis num 42. An illud erexerit jam episcopus, an verò ante episcopatum non inuenio. Erectum *dedit S. Petro Cluniacensi*, vt habent episcopales tabulæ, *& ibi extruxit duas Ecclesias, vnam in honorem S. Mariæ, & aliam in honorem S. Ioannis Baptistæ, in qua idem episcopus sepultus esse videtur. Hic est locus ædificatus, quem fieri procurauit Campanus præsul*, subaudi, ejusdem loci & monasterij. Ioannes mortuus est anno 966. qui secundus fuit episcopatus. Cùm ergo annus quo monasterium ædificari cepit ignoretur, possumus existimare perfectum eo sexto post nongentesimum sexagesimum, atque iste illius primus dicatur per me licet. Campanus, vt *procurauit* erectionem monasterij, ejusque fuit Præsul, ita etiam Priorum ipsius abs dubio primus fuit.

Post Campanum Ebrardus, Arnulfus, Bertrandus, Guilelmus Anglicus, Audibertus, neque plures, qui antiquissimis illis temporibus Priores fuerint occurrunt. Ebrardus anno 1046. Arnulphus Hugone Abbate, qui sedit

annos

annos 63. ſcilicet à 1048. ad 1109. Bertrandus Petro abbate qui ſedere cepit milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, deſiit quinto & trigeſimo poſt anno. Guilelmus Anglicus fuit Prior anno 1208. & Audibertus anno 1220. Innominatus Prior anno incerto, cùm præeſſet templo S. Honorati quod Kauilanus quondam Epiſcopus erexerat Arelate in campis quos dicebant Eliſios (vulgò appellamus Aliſcamps) & vniuerſa circum regio à militibus vaſtaretur, ex illo tranſtulit Leriuam corpus S. Honorati celeberrimi illius in eadem inſula monaſterij fundatoris. Hoc afferre placuit, vt videas neque ignobilem fuiſſe tum Garagobiam, & ab omni militum furore tutiſſimam. Rem habes in Chronologia Lerinenſi ex antiquo codice MS. pag. 80. vbi additur ſanctum corpus è Garagobia, non ſine diuinis per viam prodigiis, deportatum fuiſſe Lerinam anno 1391.

Iam, vt accedamus ad chartas Garagobienſes, omnino decem de illis ad me peruenerunt. Primam ſcripſit Bonifacius anno 1013. Roberto Rege, decimam Garcendis Comitiſſa Prouinciæ & Forcalquerij anno 1220. Primá illa antiquiorem memorat à Lamberto & Galburge Bonifacij parentibus ſcriptam, quæ an alicubi locorum poſt cœnobij cladem ſuperſit, non poſſum dicere. Eam quia retuli 1. de Siſtaricenſibus epiſcopis num. 45. non eſt quòd hîc exſcribam. Bonifacius *donat aliquid de rebus ſui iuris, quæ ſitæ ſunt in Comitatu Siſtaricenſi, in villa quæ dicitur Petruxo, confirmans primam donationem, quam*, inquit, *pater meus Lambertus, & mater mea Galburgis priùs fecerunt.* Vnũ addit quod huic loco neceſſarium eſt. *Eà ratione dono, vt fratres de Cluniaco, qui habitauerint in loco S. Mariæ Canacopienſis teneant & poſſideant. Si verò, quòd abſit, ipſum locum à Cluniaco quiſpiã ſeparauerit, mea illa hereditas Cluniacenſibus fratribus ſemper ſubjiceat.* Hæc verba non obſcutè ſignificant monachos Garagobienſes magnam ſaltem partem, cùm hæc ſcribebantur, Cluniaco veniſſe; & fortaſſis fuiſſe nonnullos ex illis, qui Cluniaco minùs addicti eſſent. Vtcumque hoc habeat, accedamus ad decimam chartarum illarũ quę de Garagobia occurrerunt. Ipſam accipe. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno ab Incarnatione eiuſdem* 1220. *Ad perpetuam rei geſtæ memoriam cunctis pateat, tam præſentibus, quàm futuris, quòd nos Garcendis Dei gratiá Comitiſſa & Marchioniſſa Prouinciæ, & eádem gratiá Comitiſſa Forcalquerij, pro redemptione animæ meæ, & parentum, atque anteceſſorum meorum, bono intellectu, & ſanâ mente, ad honorem Dei, & B. Mariæ, & omnium fidelium ſanctorum, donamus, laudamus, concedimus, & confirmamus, omnes donationes, libertates, laudationes, & deſemparationes, quas D. Guilelmus Comes Forcalquerij, auus noſter laudabilis memoriæ, fecit Deo, & B. Mariæ de Podio Ganagobiæ, ſicut in inſtrumento ſuo ſigillato* (hoc Cluniacenſes in ſuo tabulario ſeruant, vt tradit Guichenonus in Bibliotheca Sebuſiana pag. 440.) *continetur. Quidquid autem dictus D. Guilelmus Comes Forcalquerij reliquit vel deſemparauit, quod iuſtè vel iniuſtè ſiue ipſe, ſiue anteceſſores eius, ſiue baiuli, accipere vel tenere conſueuerunt in caſtro vel villa de Podio Ganagobiæ, in villa de Sigoncia, de Viſeriis, & de Petroſio; ſiue in eorum poſſeſſionibus, in caſtris, in fortalitiis, communitatibus, villis, domibus, vineis, pratis, hortis, nemoribus, & defenſis, cultis & incultis, molendinis, paſcuis, aquis, & aquarum decurſibus, quocumque modo ad dictum monaſterium in qualibet parte comitatus Forcalquerij pertinentibus; ſiue in vſagiis iuſtis vel iniuſtis, ſuper hominibus prædictorum locorum, & eorum poſſeſſionibus, ſicut ipſe reliquit, pro relicto hactenus;*

& quidquid ipſi deſemparauit, pro deſemparato habemus; quidquid donauit, pro donato habemus; & quidquid liberauit, pro liberato habemus: quidquid fecit ratũ, pro firmo habemus, per nos, & omnes ſucceſſores noſtros omnia confirmantes: & ſi quid minùs fuit in prædictis, nos ſupplemus ſicut melius dici poteſt, vel intelligi, vel dictari, ita quòd à modò & in perpetuũ libri & exempti maneant ab omni exactione ſeruientis. Hæc autem quæ ſcripta ſunt donamus, laudamus, & concedimus, & confirmamus, per nos, & omnes ſucceſſores noſtros Deo, & eccleſiæ B. Mariæ de Podio Ganagobiæ, tibi Audiberto Priori ejuſdem Eccleſiæ & vniuerſis ſucceſſoribus & fratribus ejuſdem loci, præſentibus, & futuris. Actum fuit hoc 5. nonas Octobris apud Podium Ganagobiæ in capitulo infra clauſtrum, in præſentia D. Radulphi Siſtaricenſis Epiſcopi. Cujus rei teſtes fuerunt. Hactenus Garcendis Comitiſſa Prouinciæ & Forcalquerij. Berengarius Comes matri paria ſcripſit anno pòſt tertio. Vides optimos principes ea ſuo aſſenſu firmare, quæ Garagobienſes monachi ditione tenebant Petroſij, Sigontiæ, Viſeriis Podio Garagobiæ: quoniam chartæ quibus ea illis donata fuerant venerunt in meas manus placebat integras exſcribere, magnum & illuſtre antiquitatis monumentum, neque de ipſis quidquam certiòs afferri poteſt. Verùm deterruit iſta cogitantem ſermo ſemibarbarus.

NOCTIVM BLANCALANDANARVM

PARS TERTIA.

Clari^mo & Ampli^mo Domino,

ALEXANDRO ELEONORO

DE CHAPONAY,

D. de Chaponay & du Faiſin, Regio in Suprema Delphinatus Curia Conſiliario.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

Donem de Chaponay Valentinum Epiſcopum, gentilem tuum, ad te affero, VIR AMPLISSIME, *& tuam cum eo gentem à primis, quantum licuit, repetitam initijs. Libro quidem primo de Valentinis Epiſcopis fusè dixi de tanto antiſtite,*

tiſtite, & tertium edens illud volumen, gentem ipſius ab anno nongenteſimo ad noſtra vſque tempora per annos ſupra ſeptingentos & quinquaginta deduxi: ſed clariſſmi viri, quibus pro amicitia nihil non debeo, antiquitatis amantes, voluerunt vt in iſto Noctium Blancalandanarum opere, cùm de variis Epiſcopis agere ſuſceperim, docerem è quibus tabulis habuerim Odonem eſſe Chaponaum gente, & quibus autoribus ea attulerim quæ de iſta recitaui. Igitur ad illa quæ eo libro ante plures annos ſcripſi, nunc iſta adjungo, tuoque ſub nomine in publicam edo lucem. Tu bona manu lucubratiunculam accipe. Mirabuntur alij tuam gentem, bello paceque inclytam, per annos ſeptingentos quinquaginta & quod excurrit perduraſſe: & cùm tempus non gentes, ſed regna quoque aut extinguat, aut exedat, te per alios ab aliis rectâ gradatim lineâ octauum decimum à Guilelmo Chaponaij, Mareniarum, Aueniarum & Bragonis domino nepotem, non eſſe maioribus imparem, Chaponaijque, & Faſiani dominum, iura regium ſenatorem Delphinatibus dare. Ego ſapientiam, integritatem, modeſtiam, quæ tibi propria, & veluti congenita ſunt decora, prædicare ſatis non poſſum.

DE CHAPONÆA ODONIS
Valentini Epiſcopi gente.

ODo Valentinus Epiſcopus, ſedere cepit anno poſt milleſimum centeſimum quinquageſimum quartum incerto; deſiit anno poſt milleſimum centeſimum octogeſimum tertium, incerto quoque. Tabularium Epiſcopij Valentini habet quinque omnino chartas, quæ de illo agunt. Anno 1157. accepit à Frederico I. Imperatore & alia, & Valentiam vrbem. Anno 1158. vendidit Eſparuerlam inſulam canonicis S. Rufi. Anno 1173. dedit Ciſtercienſibus monachis Liuncelli, aliquot prædia. Anno 1178. donauit Bellicaſtrum gentilem pagum Eccleſiæ Valentinæ. Anno denique 1183. accepit Montem-Veneris pagum non ignobilem ab Humberto Monuenerio. Illis in chartis Odo non dicitur Chaponæus: neque ante ipſum inuenio Valentinum antiſtem, cui gentile nomen tributum à ſcriptoribus fuerit. Hugo de Mirabello primus ille eſt, qui de ipſo ſe apppellauerit anno 1199. Quia libro 1. editionis tertiæ dè Valentinis Epiſcopis numero 39. ac ſequentibus dixi eſſe Chaponæum gente, neque tamen attuli chartam, quæ Ipſius temporibus ſcripta, hoc aſſeret; & noſtra ætas hominibus abundat, qui de nobilium virorum gentibus diſputare amant, quàm antiquæ claritatis ſint, per quos ad nos vſque peruenerint quibus olim fulſerint ſeu opibus, ſeu honoribus; placet hîc ad alia quæ libro illo primo edidi de Chaponæa gente, addere quàm certa ea ſint, & è quibus tabulis ipſa ego collegerim. Vt omnia ſint magis aper-

ta,

ta, rem vniuerſam per ſua capita digero quàm maximâ potero claritate.

Primùm Odo Valentinus anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono epiſcopus, appellatus eſt eo ipſo anno *Odo de Chaponay* à Catharina de Chaponay, Amblardi de Candiaco militis quondam vxore, in teſtamento quod condebat octauo idus Nouembris. Philippus de Nicurio ſic in ipſo de ea loquitur. *Hujus autem vltimæ voluntatis ſuæ teſtamentariæ, aut teſtamenti ſui nuncupatiui executores facit, nominat, & inſtituit ipſa Dom. Catharina teſtatrix reuerendum in Chriſto patrem, Dom. Odonem de Chaponay Epiſcopum Valentinenſem, ſimul atque magnificos viros Gontardum D. de Roſſilione, & Anioue, atque Poncium D. d'Andelot, d'Auberriue, & d'Ilins, eiuſdem dominæ germanos.*

Secundùm hic ipſe Odo Guidone *de Chaponay*, & Anna *de Bellomonte*, parentibus natus eſt, fratremque ex iiſdem habuit Hectorem. Accipe tabulas hujus vtriuſque rei veras indices. Odo ante epiſcopatum Valentinus fuit decanus, vt ex Valentino chartulario retuli, non ſecundâ tantùm & tertiâ, ſed etiam primâ editione librorum de Valentinis epiſcopis, cùm ignota mihi erat viri gens. Iam is anno 1152. decanus ſcripſit ſequentia verba. *Sciant præſentes, & poſteri, quòd nos Odo Valentinus decanus, filius naturalis & legitimus militis Guidonis de Chaponay D. des Auenieres, & de Brango, & domicellæ Annæ filiæ Sibueti D. Bellimontis & Frettæ*, &c. *damus, concedimus, & conſtituimus militi Hectori de Chaponay, D. des Auenieres & de Brango, fratri noſtro cariſſimo, mille octo centos florenos, qui nobis fuerunt legati à D. Anna matre noſtra*, &c. *Acta & facta fuerunt hæc pridie calendas Apriles, anno ab incarnatione Domini* 1152.

Tertiùm Guido Odonis epiſcopi pater, filius fuit Leonardi de Chaponay, & Catharinæ Berengariæ, fratremque habuit majorem natu Antonium Helenæ, & Catharinæ patrem, qui ſine teſtamento & filiis maſculis mortuus, Chaponaium & Marennas gentiles pagos ipſis reliquit. Rem iſtam omnem lego in conuentionibus Hectoris quem Guido genuerat, cum Catharina Antonij filia de illis ambobus pagis anno 1144. *Antonius & Guido de Chaponay*, inquit ſcriba, *fratres erant, filij naturales & legitimi militis Leonardi de Chaponay, & domicellæ Catharinæ Berengarij ejus vxoris*, &c. *Helena & Catharina ſorores germanæ erant, filiæ naturales & legitimæ militis Antonij de Chaponay*, &c. Leonardus autem Antonij & Guidonis pater, atque Hectoris & Helenæ Catharinæque auus, nupſit Catharinæ Roſſilionæ anno 964. die 18. Ianuarij.

Quartùm Leonardus de Chaponay Guidonis pater, & Odonis Valentini epiſcopi auus, patrem habuit Guilelmum de Chaponay, & Luciam de Grolea matrem. Hugo de Podilio in tabulis connubialibus Leonardi de Chaponay & Catharinæ Berengariæ ſcripſit verba quæ ſequuntur. *Perſonaliter & ſpecialiter conſtituti Leonardus de Chaponay ſcutifer, filius magnifici Guilelmi de Chaponay & Luciæ de Grolea domicellæ, ſuo nomine proprio ex vna parte: magnificus & potens vir Girardus Berengarius miles, tam ſuo nomine proprio, quàm Catharinæ ejus filiæ nomine, & D. Aynardæ de Roſſillon ejus vxoris*, &c. *contrahunt inter ſe*, &c. *nuptias*, &c.

Quis autem Guilelmi de Chaponay pater fuerit, quæ mater, non inuenio. Quicunque parentes eum genuerint, certè videntur fuiſſe illuſtres opibus genere

genereque, cùm is Chaponaij, Marenarum, Aueniarum, & Brangonis pagorum dominus fuerit, duxeritque Luciam de Grolea clarissimæ gentis puellam.

Atque hactenus dictum sit ex veris tabulis de Odone Valentino episcopo, & eius ab anno nongentesimo vsque ad ipsum gente. Accedamus ad Hectora ipsius fratrem, gentemque illius ad nos vsque breuiter exequamur.

Hector de Chaponay ex Magdalena Alemanna genuit Bartolomeum, qui postea duxit Bernardinam Amedei de Poisieu & Agathæ Viriu filiam anno 1181. die 3. cal. Iulias, ex tabulis connubialibus, quas â me lectas Golinus scripsit.

Bartolomeus autem & Bernardina Gasparem habuerunt filium, qui de Clementia *de Beauuior* coniuge sustulit Bartolomeum secundum. Hic Gaspar ille est qui ædiculam Iacobo sacram extruxit Lngduni, contrà sed proximè S. Nicetij. Clementia verò testamentum scripsit anno 1234. 5. cal. Martias, sapientiæ plenum & pietatis, quod nuper typis ediderunt. Gaspar vir eius in illo dicitur miles: & additur in eo Bartolomeum filium eius nominis secundum, esse virum Huguettæ Rufi.

Petrus ex Bartolomeo 2. & Huguetta ortus, Guigonam Porteam habuit in matrimonio. Vtriusque coniugis nobilitatem gentilitiam memorant plures chartæ ab anno 1283. ad annum 1318.

Humbertus Petri filius anno 1343. vltimâ die mensis Iulij, interfuit donationi Delphinatus filio Philippi Francorum regis ab Humberto Delphino, & cum pluribus aliis nobilibus viris iurauit in pacta illius. Idem ipse dicitur domicellus, & Beatricem de Sachenay habere coniugem, in tabulis, quibus anno 1326. ambo Lugduni se obstrinxerunt Beatrici de Segrens, abbatissæ *de Deserta*. Nobiles viri appellabantur quondam domicelli, antè euaderent quàm milites.

Bernardus Ponsonatij & Fasiani dominus, Humberto & Beatrice parentibus natus est. Duxit Stephanam de Varey, vt legere est in sepulchrali lapide, quem Stephanæ tumulo superposuerunt, in Dominicanorum claustro Lugduni. Tumulum ea sibi elegerat iuxta conditorium suæ Varæorum nobilissimæ gentis.

Antonium Bernardus genuit Catharinæ Villanouanæ coniugem, ex tabulis connubialibus à Petro Mulato scriptis anno 1425. 28. mensis Aprilis. In illis sequentes lego voces: *Confitetur nobilis Antonius de Chaponay nobili Catharinæ* de Villanoua *suæ vxori per nobilem Bernardum de Chaponay eiusdem Antonij patrem*, &c. Rationalis apud Gratianopolitanos curia seruat librum *super insultu & guerra Anthonis anno* 1430. qui folio 5. tradit Antonium pro Carolo 7. apud Anthonem pagum fortiter agentem, venisse in hostium manus.

Ioannes, Antonio patre natus, duxit Catharinam Ponpetranam. Hic vir Fasiani sepultus cognominatur *Fortis* in epigraphe conditorij, neque immeritò, vt intelligere est ex iis, quæ de ipso recitant Paradinus, & Rubius, in historia Lugdunensi, post Alanum Charreterium, qui Carolo 7. regi fuit à secretis. Hic idem, vt arma secutus fuerit, vnum tamen quid pietatis plenissimũ in testamento scripsit anno 1457. 18. mensis Ianuarij, quod afferre placet *Nobilis Ioannes vult & ordinat dici ante imaginem B. Mariæ Virginis ecclesiæ S.*

Nicetij Lugduni, dum eius anima ſeſeparari voluerit à corpore, & cantari per clericulos, eius animam dictæ B. Mariæ Virgini recommendando.

Philibertum Ioannis filium innumeræ chartæ memorant. In eius teſtamento Petrus Franciſcæ de Villariis vxoris pater anno 1476. die 3. menſis Octobris dicitur nobilis.

Ioannem 2. à Philiberto genitum, Rationalis Gratianopolitanorum curia præſidem habuit. Is anno 1492. duxit Catharinam Palmeriam Ioannis Palmerij primi in Gratianopolitano Senatu Præſidis filiam. Anno 1495. & anno 1499. ſcriba appellat *præſidentem cameræ computorum Delphinalis.*

A Ioanne ſecundo Chaponæa gens in tres familias ſciſſa eſt, florentes opibus, & honoribus claras. Cùm enim Soffredum, & Nicolaum progeneraſſet, atque hic Ioannem 3. & Nicolaum 2. Soffredus Aibeni dominus, Ioannes Faſiani, & Nicolaus 2. Meaniæ inſulæ, ſibi quiſque ſuam excudêre familiam, quas poſſumus appellare Aibeniam Faſianam, Inſulanam.

Aibenia per Soffredum, Laurentium, Petrum, Bertrandum, peruenit ad Octauianum, qui ex Ludouica de Loras habet Gaſparem, Eleonorum, Ioannem filios.

Faſiana cepit à Ioanne, cuius filius Franciſcus genuit Eleonorum Alexandrum, regium in Delphinatum Senatu Conſiliarium.

Inſulana Nicolaum 2. autorem habuit, ex quo natus eſt Humbertus 2. libellorum ſupplicum Magiſter, & apud Lugdunenſes ac Boios rei forenſis, politicę, & ærarię olim Prefectus, qui & alios, & Balthazarem regium in Metenſi Senatu Conſiliarium ex Eleonora de Villariis ſuſtulit.

Nicolaus autem primus è quo Faſiana & Inſulana familiæ prodierunt, habuit in coniugio Helenam Albiciam, de patritia apud Florentinos gente. Ei nupſit anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo. Innocentius decimus, ex Albicia Florentinorum gente, in Cardinalium numerum cooptauit Franciſcum Albicium ſapientiâ ſummum virum. Ceterùm Helena ſocrui adeò vehementer placuit omnibus pietatis officiis, vt ab ea heres ex aſſe dicta fuerit, poſthabitis Ioanne, Nicolao, Annâ, & Catharinâ liberis, vt memini me legere in teſtamento, quod condidit anno 1538. die 18. menſis Auguſti.

Hîc finem dicendi facere conſtitueram, cetera quippe Chaponærorum gentis decora, maximè Soffredum Gratianopolitanum epiſcopum Carolum Delphini cancellarium, Hoſpitalarios (Melitenſes nunc dicimus) equites quatuor in prælio à Turcis aut hæreticis occiſos, ſcripſi libro primo de Valentinis epiſcopis editionis tertiæ, & ea relegere non eſt huius ſeu otij, ſeu loci. Sed vnum prætermittere nec velim, nec debeam. Scutum Chaponææ gentis ab antiquiſſimis temporibus vſque ad noſtra, gallis tribus inſcriptum eſt. Illis tribus inſtructum & pendet ex tabulis Odonis Chaponæi anno 1152. exaratis, quæ ferunt dediſſe Hectori fratri vim pecuniæ in ſuperioribus recitatam; & (vt plura non afferam) videtur in lapide, quo ante annum milleſimum quadringenteſimum concluſerunt in Dominicanorum Lugdunenſium clauſtro tumulum Stephanæ de Varey. Fuit qui de variis nobilium virorum gentibus ſcribens, aſſereret Anthone Delphinatum pago Chaponæos eſſe, qui ſcutum gentilitium longè aliud ab eo quod attuli gerant. Chaponæi de Faſiana & Inſulana familiis ſtupuere ad id ſermonis: Anthonem adierunt, eiuſque vniuerſas ſeu publicas, ſeu priuatas ædes ſcrutati,

inuenerunt

inuenerunt ſcriptorem falſa retuliſſe. Nemo Chaponæorum hactenus Anthone habitauit, nemo ſcutum gentilitium poſuit. Hæc Humbertus de Chaponay ſupplicum libellorum magiſter mihi pro antiqua amicitia retulit, quas etiam tabulas ſeu de Odone Valentino epiſcopo gentili ſuo, ſeu de Odonis gente in ſuperioribus memoraui, omnes ille mecum bonus communicauit.

DE INCORRVPTIONE Corporis Philibertæ à Sabaudia, Duciſſæ Nemoroſij diſſertatiuncula.

CVM eſſem Camberij anno 1639. corpus Philibertæ à Sabaudia, aperto fortè tumulo, inuentum eſt ſincerè integrum: & triumviri, inſpectioni illius à rationum Ducali in Sabaudia curia præfecti, meam de illius incorruptione ſententiam poſtulauerunt. Ego ſequentibus eam verbis expoſui tum, ac deinde anno 1652. inſerui libro 2. de rebus geſtis Dienſium epiſcoporum num. 56. quem ſecundùm edebam, & ſermoni de incorruptione corporis S. Stephani Dienſis Epiſcopi, ne pro breuitate ſua periret, adjunxi. Quæ pauca ſcilicet mandamus foliis, turbata volant rapidis ludibria ventis. Nunc viſum eſt mihi ex eo libro educere, & hic reponere. Suum jam ſibi locum habebit, quæ alienum occupabat. Ceterum Philiberta nata eſt anno 1498. parentibus Philippo Duce Sabaudiæ, & Claudina Pontiui Comitiſſa; nupſit Iuliano Mediceo, fratri Leonis X. Pontificis anno 1515. conjuge viduata eſt anno 1516. obiit anno 1524. agens ætatis annum 26. ſepulta eſt in S. ędicula quę ſeruat Chriſti ſudarium.

Feciſtis pro veſtra ſapientia, Viri Ampliſſimi, cùm juſſiſtis aperiri loculum, & accuratè à medicis inſpici, tractarique corpus Philibertæ à Sabaudia Duciſſæ Nemoroſij, quod ab anno 1524. per 115. annos latuerat in ſuo conditorio. Optandum equidem fuerat, vt Reginæ Francorum ſoror, & Ducis Sabaudiæ filia non ſine publica luce, & niſi ſub veſtris oculis, cumque majeſtati ſuæ debito comitatu in mortales rurſum incurreret: tamen quando decimaquintâ illâ menſis hujus Februarij die factum eſt, vt laxandis odæi ſpatiis, & Deo, cum majore vſu, dignitateque dicendis in eo laudibus tumulus è ſuo loco moueretur, & capsâ vitio generis humani reſeratâ, ſinceri pedes, incorruptúmque caput curioſos intuentium tangerent animos, publici certè fuit opus boni, vt dubia ſuper integritate & ſanctitate Principis fœminæ cohiberetur fama, & ſiſteretur incertus purgareturq; rumor, qui per alios ab aliis, vt fit in re inſolitâ, hîc major, minor illic ſine magnis autoribus temerè vagabatur. Cujus ergo nepotibus debetis omnia, edicto veſtro ea debet, vt qualis eſt ignorari nō poſſit ab illis, qui noſtris etiam temporibus eſſe audiuerint. Quoniam autē voluiſtis, vt ad neceſſarium opus vocaretur Rector noſtri Collegij Philibertus de la Fauerge, ne ſacrū Heroinæ Sabaudæ corpus ſine teſtimonio Ducalis ſcientiarū in Sabaudiâ ſedis permitteretur medicis, exiſtimaui eſſe mei officij, vt qui comes Rectori fui, & quid viderimus & quid ſentiamus aperire. Equidē arbitror vos è.... De la Roche Præſide.... Gan-

celet Conſiliario.... Gaug Ducis Aduocato Triumuiris operi Præfectis rem accipiſſe: at iuuabit tamen ſatis muneri facere,& quod à vobis noſtrę ſeu fidei, ſeu doctrinæ datum eſt,ex veri neceſſitate officij certâ viſorum recitatione rependere.

Igitur die 18.menſis Februarij poſt horam quintam matutinam,è ſepulchro loculus in mediam ædem delatus eſt, & coram nobiliſſima ciuium corona rurſum apertus.Corpori Philibertæ ſuperpoſita lens totam capſam implebat, non arida illa,neque foliis crepitantibus ſtrepera, ſed humeſcenti propior: Sine inteſtinis venter vacabat inanis;pectus vacuum præcordiis plurima calx habebat; thoracis oſſibus ſua adhærebat pellis,ſua brachiis & manibus, ſua reliquo corpori. Viſendum profectò maximè fuit,quòd tota facies non ex ſuccâ pelle rigebat,ſed viuidæ ſimilis vegetæque mollem tangenti ſe præbebat & facilem,quamobrem eò cogitatione deuentum eſt,linteum capiti indutum,cùm ſepeliebatur, fuiſſe, aut alienam pellem ſeu balſamo capiendo, ſeu continendæ calci, quâ thorax conſarcinatus turgebat; ab eâ causâ eſſe mollitiem. Iuſſus ergo chirurgus forfice ſcidit labia, dentes aperuit, frontis os nudauit & naſi: pellis erat natiua, eáque craſſior, ſucco plena hîc ſubalbido,illic ſubrubeſcente; hærebatque adeò oſſibus, neque manum facilè ſequebatur. Verticem porro velabant capilli: ſed admirationem omnino mouit naſus, extremâ quoque parte integer; dextrâ etiam ille ducebatur in omnem partem, digitóſque naribus patulis admittebat; tibiis autem ac pedibus ſua quidem pellis conſtabat, ſed candida, cùm ſubrubeſceret reliquo corpore; & manus, ac tibias,digitóſque,& collum facilia flecti, mouerique ac duci vincula continebant; niſi quòd ſiniſtrum brachium ſolutum erat in cubito. Denique linteum quo totum corpus velabatur, non integrum ad tibias & pedes,ſed maximam partem recentiſſimum & candore ſpectandum erat.

Hæſimus omnes ad ſpectaculi nouitatem, alij dixerunt alia: ego tria ſuſpiciebam, pellem toto hærentem corpore; vultum tactui facilem, neque indigum ſucci, naſóque ſtantem ſincero ac naribus;oſſium vincula nuſquam rigentia, ſed manibus, brachiis, pedibus, tibiis, digitis, collo tractati apta ducique. Ceterâ ſeu balſami, ſeu medicati liquoris nullum toto capite veſtigium, totis nullum brachiis tibiiſve. Quid? quòd calce ſi non reliqui corporis, at pectoris certè rodi caro, humor extingui iam olim debuit: vt alia taceam, putas tot ſupra 100 annis vim non fuiſſe exedendi cadauer, quibus rupes ſaxaque obſiſtere non poſſunt? ſed non pauca ſunt,quibus adductum putare Deum eſt, ad ſeruandum Philibertæ corpus,vltra vim omnem artis, contra omnem vim tabi,temporum,calcis; caſtitas,egenorum amor,pietas. Vnum illa,neque diuturnum thalamum experta eſt Iuliani Medicei, quem Claudia mater dederat conjugem, agentibus Leone X. Pontifice maximo Iuliani fratre, Franciſco I. Francorum Rege filio Ludouicæ ſororis, Carolo fratre duce Sabaudiæ. Poſt alterum conjugij annum vidua ætate florens & opibus, vt alteri viro nuberet adduci nunquam potuit: flagitabant & alij proci, & de Fuxo Lautrecius, Gallicanorum ea tempeſtate Principum bello pacéque clariſſimus: Adoleſcentior ipſa,voluit vnius olim viri vxor,cogitare *quæ Domini ſunt*, & *omne opus bonum ſubſequi* ex mandato Apoſtoli, ac ejus exemplo ſic permanere, quem Romæ præſentem & intueri, & audire

ſibi

ſibi videbatur, cùm Iulianus obiit. In Sabaudiam ergo redux, tam largâ manu rem profundebat in pauperes, vt egenorum matris nomen per reliquam vitam habuerit: tam attentâ pietate adhærebat Chriſto, vt poſt mortem condi voluerit in ædicula cuſtode ſudarij, quo corpus ejus cùm tumulo conderetur, fuerat inuolutum. Atque igitur fortaſſe hoc fuit, cur præ cæteris corporis membris, anno etiam quinto & decimo ſupra milleſimum, candidi ſincerique perdurent pedes, quibus frequens ad Dominum ventitabat; ſoluto ſiniſtro dextrum brachium & perſtet, & moueatur, quo manus ferebatur ad pauperem; facies vigeat ſucci plena, quæ hominibus placere noluit ſed vni Deo.

EGo Ioannes Platiere, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, factâ mihi poteſtate ab admodum R. Patre noſtro Generali, facultatem concedo, vt libri quatuor *De Simianæa gente*, à Patre IOANNE COLVMBI, ejuſdem Societatis Theologo compoſiti, & à tribus Societatis ejuſdem Cenſoribus approbati, typis mandentur. In cujus rei fidem has literas ſigillo noſtro munitas, & manu noſtra ſubſcriptas dedi Viennæ die 24. Martij anno 1668.

IOANNES PLATIERE.

DE SIMIANÆA GENTE LIBRI QVATVOR.

AVCTOR LECTORI.

DE Simianæa gente ſcribo, Mi Lector. Summa antiquitas, & quæ ex vetuſtiſſimis temporibus ad nos illius claritudo deuênit ſincera & illuſtris, fecerunt vt de ea ſcribendum putauerim. Humbertus ille eſt, à quo per ſeptem omnino ſæcula vniuerſi noſtrorum temporum de ipſa viri, gradatim nunquam interruptâ per filios à parentibus ſerie peruenerunt. Viuebat is anno 993. nobilitate generis, opibuſque clariſſimus. Quo patre genitus fuerit, non occurrit ad hanc diem charta vetus quæ doceat. Quicunque fuerit, adeò copioſam in filium contulit opum vim, vt priuati hominis modum exceſsiſſe videatur. Humbertus quippe anno milleſimo nono ſcripſit ſequentia. Facio donationem ex parte mei alodis, qui mihi obuênit ex ſucceſſione meorum parentum, eccleſiæ Sanctæ Mariæ ſedis Aptenſis: res in Comitatu Aptenſi, hoc eſt in villa Interriuos, & in Campaniis, & in Surdonicis, & in Celeirana, & in Guttilone, & in Sarpalianicis, & in Pinero, quantum niſi in ipſis villis eſt; & in caſtro quod cognominant Vegno, manſos duos. *Manſus autem capiebat tum iugera 12. Dignum potentiâ, dignum pietate ſummi viri munus! ſed vide partem hereditatis fuiſſe, quam à patre acceperat. Ampliſsimam profectò pater tradidiſſe dicendus eſt, cuius, cùm in liberos diſperſa fuiſſet, pars quæ concedebatur Eccleſiæ, adeò latè varias fundebatur in villas. Roſtagnus Humberti ex Guilelmo filio nepos, fuit Apta Princeps. Hoc docebat anno 1056. Alphantus Apta ejuſdem Epiſcopus. Duxit ipſe idem Giſlam Odilæ, quam Guilelmus Prouinciæ Comes genuerat, filiam. Quia Radulphus Preſbyter*

ter eum dixit ſeniorem : *& Arnaldus etiam preſbyter ipſum Humbertum* ſeniorem *quoque appellauerat. Ego nomine* ſenioris *Principem intelligebam, vt à patre & auo Roſtagnus id nominis acceperit. Quem verò dominum Latinè dicimus, illis temporibus ſemibarbarè* ſeniorem *appellabant, vt docebo poſtea libro* 1. *num.* 14. *Jam quæ ab Humberto per Guilelmum filium, & Roſtagnum nepotem profluxit gens, memor ſe ab antiquiſsimis Aptæ Principibus ortam, claritatem ſuam ſeruauit integram ad hanc diem, magniſque bello, ac pace facinoribus origini ſuæ nunc etiam reſpondet. Non poſſum ego apertioribus verbis præcipua illius ornamenta complecti, quàm ante non multos annos feci, cùm meos in librum Iudicum commentarios ad Hyacinthum de Simiana Planitiarum Marchionem ſcribens præfatus ſum in has voces.* Majores tui tenebant quidem Aptam Iuliam,& de proxima ei regione magnam partem ſub ſummo Principe,ſummi tamen Principis habebant multa,jus arcem excitandi ſeruandique,ius cudendi monetam, ius vocandi ſub ſigna equites,ius creandi publicos ſcribas, alioque non pauca: vt ſi dixerim ita ſub dominatore ſupremo fuiſſe, vt ſupremi etiam ipſi eo quem in Germania videmus more eſſent, non errem. *His illa adjunge, quæ ad ipſummet præfixi commentariis in librum Ioſue.* Majores tui Sabaudiam & Delphinatum pro ſuis Regibus ſummo tenuerunt imperio: Galliæ,Sabaudiæque torques tulerunt: ingentes ductauerunt exercitus: Forcalquerij, atque adeò Prouinciæ Regulos omnibus Europæ Regibus affines ſanguine contigerunt: demum rebus præclarè bello pacéque geſtis fecerunt, vt vix totâ Europâ ſit gens, quę illuſtrioribus dignitatis & glorię titulis ſe circumſpectat.

DE SIMIANÆA GENTE.

LIBER PRIMVS.

SIMIANÆA gens tantâ ſeu nominis claritate,ſeu opum vi, eminebat olim in Prouincia, vt à veriſſimis ante omnes quæ de ea leguntur tabulis, dominata feratur regioni, quæ vno & altero, ſupra viginti, milliaribus longa, & prorſus octodecim lata, capit Aptam Iuliam vrbem, Simianam, Gordam, Caſanouum, non ignobilia quondam 1

quondam opida, & pagos ferme ad quinquaginta. Cùm viri rebus gestis, genereq; clari & nobiles, sub annum a Christo nato millesimum, alij ab aliis ditioni subjectis locis, suæ quisque genti, totâ Galliâ vulgò fecerunt, vt à ceteris secernerentur, nomen, debuerat illa quidem ab Apta Iulia, & Vulgientium, antè Romanis quàm parêrent, capite, & Episcopi post acceptas religiones Christianas sede, appellari. Sed majorum ante omnem memoriam in ea sedes fecisse videtur, vt è Simiana dici maluerit. Neque nihil juuisse
2 videtur situs. In regionis, cui tum imperabat, medio est Simiana, cùm in finibus sit Apta; scilicet Saignonum proximè, quo ad Meridiem clauditur, vt Gironis ad Septentrionem Rupe, Gordâ ad Occidentem, & ad Orientem Vacheriis. Habet etiam aliquid, cur pagis oppiduliſque circùm latè iacentibus præsidere, atque adeò dare nomen genti ipsorum dominæ, debuerit. Ager quidem non modicâ ad omnes hominum vsus opportunitate visendus, tritico, vitibus, oleis, vniuersam, nisi qua iumentorum pabulo jacent prata, planitiem consitus est, ac roboream surgit in siluam, vbi turget in colles atque monticulos. Oppidum verò & nunc etiam habet mortales ad duo fere millia, & è rupe descendit, cui prænobilis atque firma admodum arx est imposita. Ædibus quippe ampla, mœnibus valida, duplici muro circumdatur.
3 Vnum quadratæ latus muniunt turres duæ, quarum altera profectò visenda est. Eam de quadro lapide construxerunt adeò aptâ concinnitate, vt nostris post multa sæcula temporibus, videatur ex artificis manu recens. Rotundatur interior, ad sex orgyiarum altitudinem, & diametrum trium. Sed singulare prorsus est, quòd forulis 12. in pariete octo pedes crasso apertis, æqua per spatia cingitur, quos columnæ, epistylia, zophori sui condecorant. Summa testudo aperta est in concameratum pinnatumque fastigium, è quo vno
4 lumen in inferiora fenestris carentia immittitur. Quos in vsus turrim illâ figurâ, illis cum forulis extruxerint, dicent alij forsitan certiùs: putabam ego magnam veri habere similitudinem, quòd in sacram ædiculam erexerunt. Neque verò ejus (sine qua amplissimam arcem excitasse piissimos dynastas nunquam crediderim) vestigium in alia ædium parte videas. Et capiendis Apostolorum statuis, forulos pro numero aptasse, cur negabimus? Vtcumque hoc habeat, turris quidem hæc stat etiam nunc, seruatque suam speciem: alteram verò ab annis supra viginti, cùm ruinam minaretur, ne propinqua ædium obrueret, euerterunt. Labem quoque à stillicidiis cetera fere arcis jam non modicam diu acceperunt, dominis alias adamantibus sedes, non habitatæ.

Aliundene venerit in Prouinciam gens non omnino angustæ regionis
5 ante tot annos domina, an verò censeri debeat in Vulgientibus indigenis, non possum dicere in tanta de antiquissimis rebus scriptorum penuria. Inuenio tamen floruisse ante octingentesimum Christi annum; & summum ex ea virum, excepisse Carolum Magnum domi suæ, vt postea ex certis autoribus exequare. Hoc facit, vt putem tenuisse eamdem regionem vniuersam, ante Carolum Martellum Magni auum, & aut è Romanis, quorum plures & genere, & opibus præcipui, indigenarum in morem superfuerunt Burgundionum ruinæ, aut à Francis post Burgundos, quorum omnes dynastas euerterant, ortum ducere. Hoc vtcumque visum fuerit, æstimabunt alij: certè magnum quid esse nemo negauerit, quòd cùm patria, à Romano-

rum

Digitized by Google

rum in ipſa ſub annum Chriſti quingenteſimum excidio, per annos circiter ſexcentos, dubio & ancipiti Burgundionum, Gotthorum, Francorum, ac Germanorum imperio ſubjaceret, atque Hungarorum, Longobardorum, & Saracenorum latrociniis vniuerſa vaſtaretur, Simianæi quam attuli regionem domini tenuerunt, ante omnem tabularum memoriam.

Poſt annum igitur ſeptingenteſimum ſeptuageſimum, & quod excurrit, Ioannes Caſanouani dynaſtæ filius (gentis, quam Simianæam vocamus, princeps, id cognominis ad annum vſque milleſimum quingenteſimum quinquageſimum octauum ſemper tulit) ab ortu cœcus, ſurdus & mutus, accipit à Deo, docétque mortales, corpus Beatæ Annæ, quæ Chriſti matrem genuit, latêre in Aptenſi baſilica. Ea tunc vngebatur, & Carolus Magnus, cum maxima procerum corona, intererat rei ſacræ, cùm ecce tibi nobiliſſimus puer diuino ſpiritu actus, conuertit faciem, intenditque in principis aræ gradus, quibus inſiſtebat, & plurimâ nutuum vi, tantùm non demonſtrat, grande aliquid ac prodigij plenum, ſub ipſis conditum eſſe. Obſtupuit primùm Caſanouanus, tum ceteri Comites, ac Duces ad eum proximè; & cùm res denique ad ipſum peruenisſet, Carolus, perſtante in nutibus puero anxiéque ad illos gradus altaris vnos manus ambas protendente. Quid facerent in re prorſus inexpectata, & ad illam diem inaudita non habebant. Effodiuntur, quando aliud non occurreret, demum ingentes illi, quibus ad altare conſcenditur, gradus; cùmque aperta fuiſſet, quæ occurrebat janua, Ioannéſque docuiſſet nutibus ſuis, effodiendum eſſe altiùs in crypta, quam primus intrauerat, apparuere minores gradus ad obuerſum parietem: Hoc aperto, occurrit omnibus admiratione defixis, multo lumine præfulgens latibulum ſpelunceæ ſuppar, quadro lapide concameratum. Sed, ô inſolentis à Deo prodigij facinus! illud ſubeunti puero, ſui cum voce redduntur ſenſus. Exclamat Annam Chriſti matris parentem poſitam eſſe in armario, quod in feneſtræ ſpeciem apertum occluſerant lapide, accenſáque lampade ornauerant. Effoditur notatus paries. Inuenitur non ſine titulo tanti pignoris indice corpus ſanctiſſimæ mulieris, cùm ſuauiſſimus odor totâ diffunderetur baſilicâ. Verùm hæc dixiſſe ſatis pro loco fuerit. Is 7
non poſtulat, vt præterea diſputem de beatiſſima Chriſti auia, doceámqee ipſius corpus è Iudæa delatum eſſe in Prouinciam; & principio palam omnibus ad venerationem propoſitum Aptæ Iuliæ: deinde, cùm tempora poſtularent, conditum latebris, vt in barbarorum hominum, qui vniuerſam circùm regionem depopulabantur, manus non deueniret, quod nunc ago eſt, Simianæam gentem, magnis ad omnem gloriam inclaruiſſe opibus, eo tempore, quo Deus illud mortalibus aperuit per inſolita prodigia. Illius princeps Carolum Magnum domi hoſpitem tum habebat. Atque vt, ſeu hæretici pro ſua proteruia, & popularium religionum odio, ſeu è catholicis nonnulli, propter ignotas mihi cauſas, dubium habeant, aut etiam negent Annæ ſuum corpus, certè nihil afferent, cur negent Caſanouanum dynaſtam, & imperitaſſe Aptæ ſub Carolo Magno, & Ioannem habuiſſe filium. Præterea vt 8
(quod omnino falſum eſt) concedamus volentibus corpus Annæ non inuentum eſſe Aptæ, nullum etiam aliud ſanctæ mulieris corpus è latebris quondam erutam; & omne, quod de auia Chriſti jactatur,

reponamus in fabulis, nemo ſapiens tamen aſſeret illum, qui primus ſtrophamm inueniſſe dictitatur, ita dementem fuiſſe, vt cetera quibus fabulæ (quando placet ita loqui) ſua fides per nouem ſæcula ad nos vſque ſtetit inconcuſſa, excogitauerit. Vt & populum, & ſapientes viros ſecurè luderet, ſicuti neque Aptam Iuliam vrbem, ita neque Caſanouanum dynaſtam, ſeu Aptæ dominum, ſeu Ioannis & cœci, & ſurdi, & muti Carolo Magno Imperatore patrem, finxiſſe exiſtimandus eſt. Cogitauit potiùs ex nobiliſſimi pueri per vegrande prodigium curatione, cauſas ad populum graues eſſe venditandæ omni fabulæ, quam loquuntur, de Annæ corporis inuentione. Verùm nullus hîc fabulæ locus, nullus figmento. Annæ Chriſti auiæ corpus inuentum eſſe in baſilica eccleſiæ Aptenſis, Ioanne Caſanouani dynaſtæ, qui Carolum Magnum domi ſuæ habebat, filio monſtrante, ſcripſit ad Pontificem Romanum ipſe Carolus; canonici Aptenſes, à Teuderico Epiſcopo inuenti anno 991. in ſuarum poſuerunt breuiario precum, & ſapientiſſimi viri in ſuis de Apta, & de Prouincia libris; Aptenſis demum Eccleſiæ, ac vniuerſæ Prouinciæ, certa memoria tradit ab annis ad nos vſque nongentis. *Singula per ordinem, manu publicorum ſcribarum rediguntur*, inquiunt canonici antiquiſſimi illi, *& omnia ſummo Pontifici fideliter referuntur: omnia per ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam approbantur.*

9 Quod Ioannis patris nomen fuerit meæ chartę non habent. Ab eo ante annum nongenteſimum nonageſimum non inuenio qui aſſeratur ejuſdem gentis cum Simianæis. Illo nonageſimo viuebat Humbertus, qui pro nobilitate, & opibus cenſeri poteſt duxiſſe originem à Ioannis patre. Per illum eorum gens, ad nos vſque gradatim, ordine nunquam interrupto, peruênit in vndecim omnino familias ſciſſa. Cùm enim Guinotus, ſiue Guinolus, & Berengarius fratres, duodecimo gradu ab Humberto deducti, liberos ante annum milleſimum quadringenteſimum ſuſtuliſſent, duaſque educerent familias, hę ſingulę poſtea in plures ſciſſæ ſunt, Guinotia quidem in quatuor, in ſeptem verò Berengariana. Scilicet cùm Guirannus ex Maria Euenę domina, alios liberos, & Guinotum, ac Berengarium ſuſtuliſſet, Gordana, Planitienſis, & Monchana, familiæ per Guinotum prodiere, quæ nunc etiam vigent; atque Vacherienſis, quæ in puellam me puero deſiit Manuaſcę. A Berengario autem Caſtronouenſis, Tricanucia, Eſparronia, Coſtamoirana, Gratianopolitanę duæ, Prędis in Senatu altera, altera Prædis in curia Computorum, Aquenſis demum profectę ſunt. De iſtis à Berengario ductis dicam libro quarto, tertio de illis à Guinoto: primo autem, ac ſecundo per eos maiores vniuerſos ibo, qui Guinotum & Berengarium prędeſſerunt. Omnino fuere duodecim igitur libro primo ſex priores exequar, ſecundo ceteros, ipſo cujuſque libri principio ſermonem inſtituam.

10 Humbertum tres chartę memorant. Prima ſic habet. *Ego Guaraco tibi cedo Humberte aliquid de hæreditate mea, per foras factum quod tibi feci, vt cum te finem habeam. Sunt ipſæ res in Comitatu Aptenſi, in caſtro Caſanoua, & in ſuo terminio, quantum mihi pars obuénit: hoc eſt tertiam partem in Argallo, quantum mihi pars obuenit: ſultus Gargatio, quantum mihi pars obuénit: & in Gurgis, vinea & campis, quantum mihi pars obuénit: & in Clauagiano & in Baxo, & in Luſciana, quantum mihi pars obuénit, hoc eſt duas partes ſubtus caſtro Bonilio: in villa*

villa Vrciniacus de vineis modiatas duas, &c. *Facta eſt donatio iſta idibus Nouembris, regnante Conrado Rege, indictione 6. Signum. Guaraco, qui hanc donationem ſcribere fecit, & teſtes firmare rogauit. Teudericus Epiſcopus, qui voluit & conſenſit, & firmauit* &c. Quis hic Guaraco? non liquet. An ille Guaraco, qui cũ Rodberto fratre dedit clauſum Vldrico *fideli ſuo*? Certè conueniunt tempora; iſtud enim clauſum dedit *ſexto idus Martij, regnante Chunrado, indictione 6.* Quod *foras factum* loquitur? neque id liquet. An clientelæ pro Argalli in Caſanouæ territorio, Gurgorum, Gargatij, Clauagiani, Baxi, Lauſuanæ, prædiis profeſſionem negauerat, & iis damnatus cedit? Certè ipſis cedit non omnino volens, nolentique ſuppar, vtpote volens *cum eo finem*, contentionis ſcilicet; nam cujus alius? *habere*. Res autem geſta eſt *regnante Conrado Rege*, & Teuderico Epiſcopo, *indictione 6.* Quis annus Chriſti eſt hic? nongenteſimus nonageſimus tertius. Vt enim indictio ſexta quater fuerit *regnante Conrado Rege*, ſcilicet annis 948. 963. 978. & 993. tamen Teuderico etiam Epiſcopo fuit tantùm ſemel, ſcilicet anno 993. quo Conradus mortuus eſt. Nam Teudericus adiit epiſcopatum poſt Nartoldum, qui ſedebat anno 983.

Altera de Humberto charta ſic habet. *Ego Arnaldus presbyter, cedo aliquid ad* 11
eccleſiam S. Mariæ, & S. Caſtoris, & canonicos illi ſeruientes, hoc eſt manſum vnum cũ exagio ſuo pertinente ibidem in Aptæ ciuitate, qui mihi obuenit ex parte ſenioris mei Imberti, viri nobiliſſimi, &c. *Iſte manſus ad radicem eſt muri, quem vocant Cigunnarium* &c. *Acta hæc donatio ſeptimo calendas Aprilis, anno incarnationis Dominicæ 1006. indictione 4.* &c. Dominum Latinè dicimus, quem Arnáldus pro temporũ ſuorum vſu appellabat ſeniorem vnde fluxit vox Gallica *Seigneur*. Flodoardus ergo, qui obiit anno 966. ſic loquitur libro 3. hiſtorię antiſtitum Remenſis Eccleſiæ cap. 20. *Leutardus ſenior ipſius villæ*: Vvilelmus autem Aquitaniæ Dux, ita ſcripſit anno 910. in fundatione monaſterij Cluniacenſis; *Pro anima ſenioris mei Odonis Regis*. Synodus denique ad Theodonis villam numero 1. *Vigorem regium ac ſenioralem, & ſuper veſtros, & ſuper impugnantes poteſtatem regiam vultis habere*. Cùm venerimus ad Roſtagnum, Humberti ex filio nepotem, videbimus Humbertum non injuriâ dictum ſeniorem, ſiue Dominum, ab Arnaldo, & nobiliſſimum virum.

Tertiam chartam, ipſe Humbertus de ſe ſcripſit in has voces. *Ego Hum-* 12
bertus præteritorum autoritatem ſecutus, per teſtamentum conſcriptum, facio donationem ex parte mei alodis, qui mihi obuenit ex ſucceſſione meorum parentum, omnipotenti Deo, & eccleſiæ Sanctæ Mariæ ſedis Aptenſis, & Sancti Caſtoris Epiſcopi, vt Deus omnipotens miſereatur mei, & meorum parentum; & vt propitietur nobis, & deleat iniquitates noſtras, ſuâ gratuitâ miſeratione, per omnium ſanctorum ſuorum interceſſionem. Et ſunt ipſæ res in Comitatu Aptenſi in locis denominatis; hoc eſt in villa Internios, & in Campaniis, & in Surdonicis, & in Celeirana, & in Guttilone, & in Interriuas, & in Serriana, & in Sarpalianicis, & in Pineto quantum mihi in ipſis villis eſt, vel in omnibus quæ ibi pertinent, totum & ab integro dono ad eccleſiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Caſtoris, necnon conſortio canonicorum ſedis Aptenſis, pro remedio & liberatione animæ meæ. Et in ipſo Comitatu, in caſtro quod cognominant Vegno manſos duos, cum chartis & exagis ſuis, cum cãpis cultis & incultis, cũ pratis & vineis, & arboribus pomiferis & impomiferis, & cũ omnibus quæ ad ipſos mãſos tenẽt Geraldus de Puteo, & Stephanus

Digitized by Google

de Riga &c. Acta hæc donatio ecclesiastica in Aptensi ciuitate, publicè 10. calendas Februarij, anno Dominicæ incarnationis 1009. regnante Rodulpho Rege, indictione 8. Ego Mauris, & filius meus Vvilelmus, mandante Humberto, hanc donationem fieri, & firmare iussimus, & manibus nostris firmamus &c. Ex istius chartæ vocibus intelligitur Mauris fuisse vxor Humberti, & Vvilelmus filius. Habuit etiam Humbertum filium, vt statim videbimus. Alodis verò, quem Humbertus more suorum temporum loquitur, est hereditas. Apud Marculphum enim vir vxori dicit sequentia; *Tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtracto:* & vxor ita respondet; *Tam de hereditate parentum, quàm de comparato.* Testamentum autem quod dicitur, est charta testium subscriptionibus firmata; nam in codice legum antiquarum formula 101. ita legitur; *Manumissio sub libertatis testamento, solemniter roboretur.* Humbertus ergo tabulis anno 1009. scriptis, dedit canonicis S. Mariæ Aptensibus, mansos duos, & prædia villarum 9. in Comitatu Aptensi posita, quæ ipsi obuenerant ex successione parentum. Vnde intelligis & piissimum & opulentissimum fuisse, ac eum & nobilitate generis & opum vi, quem non iniuria existimes ab illo Aptæ Principe descendisse, cuius filius S. Annam nobis aperuit; cumque adeò multa ex hereditate paterna decerperet, magno iure dictum esse nobilissimum ab Arnaldo num. 11. Sed cuias fuerit, & à quo duxerit originem, quæ ad me peruenerunt tabulæ, nõn habent. Hoc vnum igitur assero, Simianæam gentem ab illo profluxisse. Accedamus ad ipsius filium, per quem ad nos ea deducta est.

13 Vvilelmus seu Guilelmus appellatur. Fratrem habuit patri cognominem; & Adelaidem vxorem, atque ex ea Rostagnum & Guilelmum filios. Chartæ duæ ab eo scriptæ peruenerunt ad manus meas: primâ dat mansos duos canonicis Aptensibus anno 1019. secundâ vnum illis ipsis: vtramque accipe. *Ego Guilelmus, ex vxor mea Adalaïs, cum consilio, & volunte fratris mei Vmberti, facinus donationem ex aliquo alodis mei, qui mihi obuenit ex successione meorum parentum, Omnipotenti Deo, & Ecclesiæ S. Mariæ sedis Aptensis, & S. Castoris pij Pastoris, in manus canonicorum ibi deseruientium: vt ipse Dominus Deus per interuentionem S. Mariæ Virginis, & omnium sanctorum dignetur misereri animarum nostrarum. Et est ipse alodis in castro, quod vocatur Alpester. Hoc est mansus Geraldi Scassiarij, & mansus Ingilfredi, cum campis & vineis ibi pertinentibus: & est inter consortes ex omnibus partibus terra nostra, &c. Acta donatio hæc in Aptensi ciuitate, pridie idus Septembris, anno ab incarnatione Domini 1019. regnante Domino Deo nostro in secula. Amen. Guilelmus & vxor eius, quod dederunt, firmauerunt. Vmbertus firmauit. Guarnaldus firmauit. Leotardus firmauit, &c.* Hactenus duarum illarum chartarum prior: posterior sequitur. *Ego Vvillermus, & vxor mea Atalaxis, si possibile est à nobis distributa iterum placere Deo, qui proprio cuncta dispensat arbitrio, donatores sumus illi Omnipotenti Deo, & Ecclesiæ S. Mariæ, & S. Castoris sedis Comitatus Aptensis, & Canonicis illi famulantibus, domino summi apicis Episcopo connuente Stephano, aliquid de alode nostro, hoc est vnum mansum, cum omnibus terris ibi pertinentibus, cultis, & incultis. Et est ipse alodis in Comitatu Aptensi, in villa quæ dicitur Caluities, cuius possessor est Guontardus, &c. Acta hæc donatio in Aptensi ciuitate 15. calendas Augusti, regnante Rodulpho Rege. Signum. Vvilelmus, & vxor sua, qui hanc donationem scribi fecerunt, & testibus firmari insserunt, manu sua firmant Radulfus leuita rogatus scripsit.*

Digitized by Google

ſcripſit. Inuenio quidem chartam tertiam, quæ Guilelmum memorat. Illam poſtea recitabo. A Rodulpho preſbytero ſcripta eſt: in duabus ab ipſo Guilelmo ſcriptis quas recitaui, placet aduertere priùs ſequentia, ad majorem orationis perſpicuitatem. Statim occurrit in vtrâque vox *manſus.* Quid 14
antiquis illis mediæ ætatis temporibus ſignificauerit, accipe. Principio fuit ager certis comprehenſus limitibus, Itaque Godefridus Dux Bullionij anno anno 1096. tradidit Affligenienſi monaſterio manſos 5. in villa Genapia: & Ida mater ad illos addidit poſtea *quaſdã partes circumjacentes, plenè vnum manſum continentes.* Et Carolus quartus Francorum Rex, auctore Beſly in probationibus hiſtoriæ Comitum Pictauienſium pag. 170. dedit Hilbodo Abbati S. Philiberti, & monachis ejus Normannos fugientibus, & alia, *& Apaciacum, cum duabus eccleſiis, & manſis* 11. *quartaſque tres; & in villa Maſſiniaco manſos tres ac medium.* Atque Ionas Eduenſis Epiſcopus monaſterio quod inſtaurabat, conceſſit *in pago Tornodorenſi, in villa, quæ vocatur Quintianus, abbatiolam S. Germani manſorum viginti, cum omnibus abſcitatibus, & vineis, cunctiſque ad ſe pertinentibus; alios quoque manſos ad prædictam adiicientes quatuordecim & dimidium.* Ecce manſus habebat ſuas partes, ſcilicet quartam, & dimidiam. Ecce manſi partes circumiacent agris, quę plenè vnum continere tum ferebantur. Manſus ergo, antiquis illis mediæ ætatis temporibus, erat ager certis tertæ limitibus circumſcriptus. Capiebat autem iugera omnino 12. vt iam olim tradidit Hincmarus ante annum 900. & Alexander Leodienſis Epiſcopus poſt annum milleſimum centeſimum decimum, vt domi lib. 1. de Viuar. Epiſcopis num. 54. id. *paſſus longitudine quidem 76. ſupra* 500. *latitudine autem* 288. Scio poſt illa tempora longè minorem habuiſſe amplitudinem. Bartolus ad legem *ſi ita* ff. de auro & argento lege 5. ſic loquitur: *Manſus dicitur, quantum quis cum vno pari boum laborare poſſit in anno.* Collegium Lugdunenſe Societatis noſtrę, in quo hæc ſcribo, habet in Tanſæ prioratus chartario manſum fuiſſe idem, quod *territorium*, poſt annum 1300. In compromiſſo anni 1331. 9. Aprilis, *inter abbatem Manſiadæ & Priorem de Tenſano* hæc leguntur: *Quemdam manſum ſeu territorium*, & in tranſactione inter Antonium de Boulhano Priorem Tanſæ, ſeu Tenſani; *in loco, manſo, ſeu territorio de Macello parochiæ de Tenſano.* Sed, vt vidimus, quæ vox manſi agrum certæ amplitudinis omnino ſignificabat, primùm ab illa decreuit, defecitque poſtea in incertam & modicam, ac fere nullam; atque ſignificauit quamcumque etiam minimam agri partem, & quemcumque locum, minimum quoque territorium. Hæc omnia afferre viſum eſt, vt intelligas quos Guilelmus tres manſos an. 1019. dedit capere longitudine paſſus 1228. & *latitudine* 864. quot ſcilicet capiebat toto inter nongentos & centum poſt mille annos tẽpore. Atque hæc de manſo dicta ſint. Deinde aduertendum eſt prio- 15
rem Guillermi donationem ſubſcriptam fuiſſe *anno ab incarnatione Domini* 1019. *regnante Domino Deo noſtro in ſæcula. Amen.* Hoc anno 1019. regnabat Rodulphus cognomine Ignauus, ſeu Negligens. Cur ergo ſcriba regnaſſe Chriſtum, non Rodulphum dixit? non liquet, vni Guilelmi & Adalaidis pietati fortaſſe tribues: certè quæ charta iſtam ſequitur, videbis ſcriptam fuiſſe *regnante Rodulpho rege.* Et qui ab ignaui, aut excommunicatione Rodulphi, hoc à ſcriba factum diceret, vehementiſſimè falleretur. Nunquam is excommanicatus fuit, neque vllâ fecit ignauiâ, vt anni ejus non ſcriberen-

tur, publicis in tabulis, quos innumeris aliis in chartis ſcriptos fuiſſe legi-
16 mus. Sed accedamus ad alia. Præter duas chartas, à Guillermo ipſo, & Adalaide vxore, obſignatas, venit in manus meas *Breue de terris, & vineis, quas acquiſiuit Rodulphus preſbyter, & dedit* Eccleſiæ Aptenſi, ſine die, & anno; in quo memoratur Vvillermus noſter. In eo ita lego. *Super viam*, inquit Rodulphus, *juxta eccleſiam S. Vincentij, habeo terram, quam dedit mihi ſenior meus Guillermus filius Humberti.* Et poſt multa, *Pratum magnum* habeo *ſuper viam ab Orientali ripa, quod dedit mihi Guillelmus ſenior meus.* Hic Rodulphus ſe dicit Grammaticum, *quia pſalmos, notas, cantus, computum, grammaticam*, ex mandato, quod olim tulerat Carolus Magnus, *in Epiſcopio docebat*, vt legitur in Capitulari Aquiſgranēſi. *Breue* autem *de terris, & vineis* quod ſcripſit eſt, vt loquebar libro 1. de Epiſcopis Viuarienſibus num. 46. *album, in quo recenſentur & enumerantur* terræ, & vineæ, quas conceſſit Eccleſiæ Aptenſi. Demum vide Guillermum dici ſeniorem à Radulpho, ſicuti Humbertus pater ejus appellabatur ab Arnaldo. Cùm autem omnia prædia ruſtica, quæ ad 27. præter manſos duos enumerat, fuiſſe doceat in agro Aptę & Gargatij, abs dubio ſignificat etiam fuiſſe Aptę & Gargatij. Roſtagnus, Guilelmi, quem Humbertus genuerat, filius nupſit Giſlæ, Raimbaldi filię & Acelenæ. Ex Giſlę matri-
17 monio intellige opes, & nobilitatem Roſtagni. Raimbaldus Giſlæ pater filius erat Leodegarij, & Odilæ, quam Guilelmus Prouinciæ Comes ſuſtulerat ex Adelaide vxore. Hoc aduerto, vt videas non eſſe nihil, cur Humbertus Roſtagni auus exiſtimetur ortus ab illo Ioanne, qui D. Aptę filius inuenit corpus S. Annæ. Ex Roſtagno & Giſla nati ſunt filij ſex; Vmbertus, Raimbaldus, Raimundus, Laugerius, Guilelmus, & Bertrannus. Hęc omnia habentur in tabulis tū exaratis cū Roſtagnus viuebat, omnino ſex illius memores affero.

Prima ſic habet. *Ego Roſtagnus, & frater meus Guilelmus, jubente Alfanto præ-*
18 *ſule & poſſeſſore Rodulpho preſbytero, volentes facimus donationem Deo, & S. Mariæ, & canonicis in commune viuentibus, de manſo vno* &c. *Similiter & ego Alfantus, firmo Domino iſtud, & volens quod ad me pertinet dono* &c. *Ego autem Rodulfus quamuis ſim hic numero vltimus, dono tamen ſicut primus: ſequor donum hoc, & corroboro, vt Deus miſereatur mei, & parentum meorum, qui inquiſitores fuerunt huius honoris*, &c. Si petas, cur ſolus, ſeu Roſtagnus, ſeu Guilelmus non conceſſerit canonicis Aptenſibus hunc manſū, ſed ambo, non aliud reſpondebo & aptius, & ſimilius veri, quā id ex illo factum eſſe, quòd ambo ſimul dominabātur ei, non autē vnus illorū ſolus. Et quoniā in conſequentibus ambos videbimus, alia etiam quæpiam donauiſſe, eō cogitatione deuenio, vt putem ambos hereditatem paternā pro indiuiſo adiiſſe. Difficilius dictu eſt, cur manſum dediſſe ferantur Alfanto epiſcopo *iubente?* cur Rodulfo *poſſeſſore?* hęc tamen intelligentur ex ſequentibus. Alfantus ita loquitur: *Similiter & ego Alphantus firmo Dño iſtud.* Vides agere epiſcopū; quod eccleſię conceditur, manſum admittere. Addit ergo, *& volens, quod ad me* aliquatenus *pertinet*; vt pote eccleſiæ meæ conceſſum *dono, & maledictioni perpetuæ trado illos, qui hoc donū ſuis adinuentionibus malis irretire voluerit.* Cùm ita loquatur ſacrorū Antiſtes, intelligis Roſtagnū & Guilelmū fratres, id pro modeſtia ſua conceſſiſſe Epiſcopo, vt dicerent, ſe eo jubēte dare manſū canonicis eccleſię, quod eo volēte ac probāte largiebantur. Atque hoc de Alfanto epiſcopo dictū ſit: accipe quid adjungatur de Rodulfo. *Ego autē Rodulphus, quamuis ſim hic numero*, ſeu ordi-

ne,

ne, *vltimus*; vtpote Roſtagno & Guilelmo dominis meis, atque Alphanto Epiſcopo meo multùm inferior, *dono tamen ſicut primus*, & præcipuus, ſiue dominus ille ſit, ſiue Epiſcopus.

Quid ita? *Poſſeſſor* manſi erat, vt vidimus. Pergit ergo: *ſequor donum hoc* Roſtagni, & Guilelmi fratrum, *& corroboro, vt Deus miſereatur mei, & parentum meorum.* Nomine parentum non intelligit patrem & matrem, ſed ſanguine ab illis proximos, idiotiſmo vulgi, quem noſtris etiam temporibus, qui minùs Latinè loquuntur, vſurpant. Subjungit enim, *videlicet fratrum meorum, qui inquiſitores fuerunt huius honoris*, ſeu manſi. Inquiſitores appellat, qui acquiſiuerunt, & ſibi comparauerunt iſtum manſum. Cùm hæc omnia ſic habeant, ego quidem mihi videor poſſe aſſerere, Rodulphum eſſe illum, qui ſuum, & à fratribus acceptum, manſum, donat canonicis: Roſtagnum verò & Guilelmum *ſeniores* ſeu dominos, laudare donum Rodulphi, atque adeò eumdem manſum donare quidem, ſed longè aliter quàm Rodulphum: ſcilicet more principum, qui donant quæ à dominis concedi probant, atque, vulgò loquimur, laudant, aut etiam omni jure domini ſoluunt. Scilicet is ipſe Rodulphus preſbyter in breui prædiorum quæ donebat *B. Mariæ, & S. Caſtori* vocauerat Guilelmum patrem Roſtagni, & Guilelmi *ſeniorem*, ideſt dominum *ſuum*: erat verò grammaticus Eccleſiæ Aptenſis, ideſt grammaticam, computum, & alia, quæ numero 16. attuli, docebat in Epiſcopio. Neque igitur mihi videtur, fuiſſe Roſtagno & Guilelmo, dominis ſuis, atque, vt ſtatim videbimus, principibus Aptæ, proximus ſanguine.

Secundam, in qua de Roſtagno eſt ſermo, chartam ſcripſit Alphantus 19
Aptæ Epiſcopus anno 1056. Ceciderat Aptenſis Eccleſia, *& quidam ex clero* polliciti erant *laborem, ſua ſeque dedentes* ad illius inſtaurationem. *Ad hoc exquirendo ſodales*, ait Epiſcopus, *inuenio ſodales, idoneas perſonas duorum fratrum meæ ciuitatis principum, ſcilicet Roſtagnum, & Guilelmum, qui de ſuo daturos fatentur ad erigendam prædictæ matris eccleſiæ conſternationem; & quotquot alioram poſſe fuerit, inuenire perſonas, ſua monitione ac imperatione circumuentos, adjutores, complices adducturos.*

Tertiam de Roſtagno, & Guillermo chartam accipe. *Summopere permo-* 20
tus, ſubaudi, voluntate reædificandi eccleſiam Aptæ, *ego Roſtagnus, & Guilermus frater meus, pro animabus noſtris*, vtpote ad quos, vtì dominos & principes, id operis maximè incumbit, *eccleſiam S. Petri, quæ eſt in Comitatu Aptenſi, in territorio caſtri Caſtellionis, & Eccleſiam S. Pharæ, & Eccleſiam S. Mariæ, & S. Stephani, & S. Michaëlis in Caſtro, S. Mariæ Aptenſis Eccleſiæ, & congregationi in communi viuenti, donamus. Si quis autem ciuitatem, vel illud caſtrum, ſeu alia caſtra* petere, in Comitatu Aptenſi, *inhabitans, prædictæ matri Eccleſiæ feudum ſuum dederit, alodium ejuſdem Eccleſiæ eſſe concedimus.* Quid eſt hoc, *alodium eſſe concedimus?* accipe Gloſſarium Salicum: *Allodium, ſiue Aelod* dicitur, *quod ſine ſeruitute, vectigali, & dominio directo eſt poſſeſſoris.* Hoc paruum eſt. Tu ad illud animum intende. quod Roſtagnus ait, ſi quis Aptam, Caſtellionem, aut alia Comitatus Aptenſis caſtra inhabitans dederit Aptenſi Eccleſiæ feudum, concedimus vt ſit ejuſdem Eccleſiæ allodium. Ergone id juris habebant Roſtagnus & Guilelmus & dominio totius Comitatus directo patiebantur.

Quarta ſit, quâ Roſtagnus & Giſla vxor, *vnâ per voluntatem filiorum qui* 21
vocantur,

vocantur, Vmbertus, Raimbaldus, Raimundus, Laugerius, Guillermus, Bertrannus dant *clericis qui communiter viuunt intra clauſtra* Aptæ, *manſum in quodam caſtello, quod dicitur Barretum in Comitatu Guapincenſi, & dedit Raimbaldus ſocer cum filia ſua Giſla.* In iſta charta vnum addit Roſtagnus, quod placet afferre. *Martyr egregius*, inquit, *Auſpicius primus eccleſia hujus* Aptenſis *Epiſcopus, primam iſtam* Eccleſiam *conſtruxit, & dedicauit intra mœnia mœrorum.* Cùm ita loquatur Roſtagnus, videtur iſtas exaraſſe tabulas, antè ſacra ædes quam anno 1056. caderet Alphanto Epiſcopo, vt vidimus num. 17.

22 Quintâ Pontius omnia ſua prædia & vrbana, & ruſtica dat Aptenſi eccleſiæ. Aduerto in illâ duo. *Hæc*, inquit, *propriâ voluntate dono S. Mariæ ſedis* Aptenſis, *& ſeruis Dei fratribus meis, in commune viuentibus, & Eccleſiæ S. Mariæ, & altaribus S. Auſpicij & S. Caſtoris ſeruientibus.* Hoc primum ſit. Clericos in commune viuentes, vocat *fratres ſuos.* Nihil hujuſmodi hactenus legi in aliis tabulis. An ſe & *Petrum filium vnicum* cum ſuis omnibus prædiis dabat Aptenſi clero? Alterum quod aduerto, continetur verbis ſequentibus: *Hanc donationem ego Pontius facio pro amore Dei, & per voluntatem meorum ſeniorum*, ſeu dominorum, *ideſt Alfanti epiſcopi, & Roſtagni, & Guilelmi fratris ejus.* Alfantum vocat ſeniorem ſeu dominum ſuum, pro communi Chriſtianorum more, qui compellant epiſcopos; Roſtagnum autem & Guilelmum, quoniam erant Principes Aptæ, vt ipſe Alfantus docuit num. 19.

23 Sexta & vltima Latinas voces Prouincialibus miſcet, atque veluti in dialogum conſcripta eſt. *Adelbertus filius Dilectæ dona à feudatá, à ſeruitio la caſtania del Laigno à Roſtan d'Agol.* Iſtæ ſunt voces, quæ à Prouincialibus vſurpabantur anno 1050. & ſequentibus, per vitam Roſtagni. Ita reddo Latinis: Ego Adelbertus Dilectæ filius, do in feudum, & ſeruitium caſtellaniam Saignonis caſtri Roſtagno d'Agoult. Roſtagno loquebatur Adelbertus filiis comitato, ei enim reſpondent, Roſtagnus quidem; *Et ego Roſtagnus, filius Adalaix*, ſeu Adelaidis, *non te decipiam*; & poſt Roſtagnum filij, *nec ego Imbertus, nec ego Raimbaldus, nec ego Raimundus, nec ego Leodegarius. Non te decebrem* (vox Prouincialis; ideſt decipiemus) *de tua vita, nec de tuis membris.* Ita olim loquebantur, qui profitebantur clientelam. Imbertus, Raimbaldus, Raimundus, Leodegarius, filij ſunt Roſtagni. Cum patre capiunt Saignonem in feudum ab Adelberto. Iſte Aldebertus, dicebatur *de Mulgol*, ex charta anni 1120. & Roſtagnus de Agolt, vt dicam poſtea, cùm ad Raimbaldi filios, nepotes Roſtagni peruenero. Ad ipſum Raimbaldum accedamus, à quo gens ex Humberto proauo per Guilelmum auum & Roſtagnum patrem ducta ad nos vſque propagata eſt.

24 Raimbaldus Roſtagni filius, nomen Agoltij, ſiue Agoutij, quod pater ſibi acceperat, ſeruauit; Sanctiam ignotorum mihi parentum filiam duxit; & ex ea ſuſtulit Guirannum, Bertrandum, Roſtagnum, alioſque filios & filias. Hæc tria docet Leodegarius Raimbaldi frater, & Aptenſis epiſcopus, in chartis quas ſcripſit, aliud in alia. Ita loquitur. *Ego Leodegarius Epiſcopus Aptenſis, vobis Guiranno, & Bertranno filiis Raimbaldi de Agolt* &c. *totum meum honorem, quem à parte patris mei Roſtagni habui, ego Leodegarius Epiſcopus tibi Guiranno, & Bertranno, & Roſtagno filiis Sanctæ dono.* Ecce tradit Raimbaldi cognomen, fuiſſe de Agolt; Sanctiam habuiſſe conjugem; & Guirannum, Bertrannum, ac Roſtagnum filios. Alia in charta Guiranno & Bertranno filiis

Digitized by Google

liis Sanctiæ addit alios fratres : *Ego Leodegarius Dei gratiâ Aptenſis Epiſcopus, volens cum cognata mea Sanctia, & cum nepotibus meis ; ſcilicet Guiranno, & Bertranno, & ceteris fratribus.* Demum chartam accipe, in qua filiis Raimbaldi & Sanctiæ adiungit filias. *Ego Leodegarius Aptenſis Epiſcopus, poſt mortem meam, cognatæ meæ, & Guiranno, & Bertrando, & ceteris filiis & filiabus, qui ex fratre meo Raimbaldo* ſeu Rambaldo, *& ex ea nati ſunt, derelinquo.* Quem verò honorem Leodegarius Epiſcopus, & à Roſtagno patre acceperit, & Guiranno, aliiſque Rambaldi fratris & Sanctiæ filiis, ac filiabus conceſſerit, ipſe addit in prima illarum trium, quas modò retuli iſtis verbis. *Honorem verò donatum eſſe Gordam, & Sorquetam, & Iocatum, & Gargatum, & partem meam Aptæ ciuitatis, quam à parte patris mei Roſtagni habui, & Caſam-nouam, & Caſtellionem manifeſto & confirmo.* Hic vide quàm nobilem, & opulentam hereditatis partem, Roſtagnus pater Leodegario conceſſerat. Suo loco dixi filios ei fuiſſe omnino ſex, Vmbertum, Raimbaldum ſiue Rambaldum, Raimundum, Laugerium ſiue Leodegarium, Guilelmum, Bertrannum. Si Laugerium, quem aut ſacerdotio deſtinabat, aut in ſacerdotio conſtitutum videbat, eâ hereditatis parte donauit, putas non Vmberto, & ceteris matrimonium cogitantibus ſingulis tradidiſſe longè illuſtriorem, ac pinguiorem? quantam autem primogenito largitus eſt? ſed ad alia veniamus.

Raimbaldus extremum diem obierat, cùm filij anno 1113. cum Sancia matre laudabant emptionem Sanionis à leodegario Aptæ Epiſcopo & eiuſdem Raimbaldi fratre. Enimvero ſi tum vixiſſet, aut ſolus, aut cum vxore, & filiis ipſe quoque eam laudaſſet; atque cum ipſa donationem Epiſcopis, & Eccleſiæ ſuæ. Accipe tabulas vetuſtate nobiles. *Ego Leodegarius Dei gratiâ Aptenſis Epiſcopus* &c. *caſtrum Sanionis* &c. *emi* &c. *Et ego Leodegarius hoc caſtrum, ſcilicet Sanionem* &c. *dò & concedo Deo, & S. Mariæ, & S. Auſpicio, & S. Caſtori, & omnibus Epiſcopis, in eâdem ſede meis ſubſequentibus. Et hanc donationem laudauerunt milites ipſius caſtri.* ideſt qui prædia in ipſo caſtro poſſident. *Raimundus Aicardus* &c. *Filij Pontij Buzat, & Sanctia vxor Raimbaldi de Agolt, cum omnibus filiis ſuis laudauit, & conceſſit* &c. *Facta eſt hæc conceſſio anno* 1113. Cùm autem is ipſe Raimbaldus conſenſum præbuerit an. 1056 donationi manſi Barretenſis Aptenſibus *clericis, qui communiter viuebant :* in ea tum ætate erat quâ ſuo ipſe nomine ac per ſe agere poſſet in iudicio cúmque ab eo anno ad 1113. ſint 60. & vnus, ſuperaſſet ætatis ſeptuageſimum ſi vixiſſet, 13. Chriſti poſt 1100. Atque hactenus de Raimbaldo dictum ſit. 25

Guirannum Raimbaldi filium, plurimæ chartæ memorant. Eas tantùm afferam, quibus ſui anni ſunt inſcripti. Prima ſit anni 1120. Eâ Leodegarius dat ipſi & *Bertranno* fratri caſtrum Sanionis in fidelitatem & ſeruitium, ſiue in præſtariam. *Ego Leodegarius vobis Guiranno & Bertranno filiis Raimbaldi caſtrum de Sanione dono, ideſt caſtrum de la Crugera* &c. *Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1120. *indictione* 13. 6. *cal. Iulij.* Anno 1129. interfuit Guirannus, cum Bertranno fratre, donationi Adelaidis Comitiſſæ Forcalquerij Bertranno & Guigoni ex Vvilelmo filio nepotibus. *Ego Adelax Auenionenſis & Forcalquerienſis Comitiſſa dono, & concedo, & laudo, filiis filij mei Vvillemi Comitis, Bertranno at Guigoni nepotibus meis omnem meum honorem, totiuſque Prouinciæ poteſtatem atque dominium, vbicunque mei iuris* &c. *Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo nono* 26

indictione 6. Guirannus & Bertrannus frater &c. Vides Adelaidem, & ex ea Bertrannum & Guigonem fratrem dominatos esse pluribus, & aliis aliâ in
27 parte locis Prouinciæ. Anno 1144. Leporianum datur Militibus Templi, testibus Guiranno & Bertrando fratribus. Chartam donationis legi ego in libro (vt loquuntur) viridi Sistaricensis Episcopij folio 30. Hoc affero, vt de illius fideritate nulla sit lectori dubitatio. Ea enim omnium vetustissima est, quas inuenio dedisse nomen *de Simiana* Guiranno; & Raimbaldi, Bertranno. *Ego Comitissa Adalays, Ego Comitissa Garcennis, & Ego Bertrandus, & vxor mea nomine Iauceranna, & Ego Guigo Comites Forcalquerienses, damus, & in perpetuum concedimus Templo Domini quod est in Ierusalem* &c. *Testes sunt Guirannus de Simiana, Bertrandus Raibaudi* &c. *Facta est præsentis scripti pagina anno* 1144. &c. anno 1149. Guigo frater Bertrandi Comitis Forcalquerij dat Hospitalariis quidem Ierosomolitanis vniuersam Manuascæ vallem; cetera verò *bona sua filiis fratris sui*, dummodo illam Hospitalariis donationem *firmam illibatamque conseruent.* Sed addit sequentia: *Quod si violari præsumpserint, eis omnia quæ reliqui aufero, & Guiranno, & Bertrando Raimbalde omnia bona mea relinquo*, &c. *Facta est hæc dispositio* anno ab incarnato Domino 1149. *tertio cal. Iunij luná 21. regnante Imperatore Conrado.* Guigo dat quidem Bertrando nomen Raimbaldi, sed nomen *de Simiana* non dat Guiranno. Hoc illi tribuit scriba Parisiis anno 1152. cùm ita scripsit; *Matrimonium domini Guirandi de S.....na militis & Galburgiæ eius vxoris, præsentibus Adalberto Episcopo Nemausensi, Rostano de Agouto* &c. atque accepit ipse pluribus in chartis. Sed vnum hîc tacere non possum. Guirannus Raimbaldi filius, de quo nunc est disputatio, videtur non longè fuisse, ab anno ætatis sexagesimo, cùm Galburgia ei nupsit, an ergo non ipsi nupsit Galburgia; sed ipsius filio, quem statim videbimus cognominem patri fuisse: verùm libro 2. de Manuasnum. 7. asserui Guirannum de quo hunc sermo est nupsisse Galburgiæ; & huius filij, quam postea videbimus ætas, facit vt negare debeamus iniisse matrimonium anno 1152. denique filio Guiranni huius liberos dedit Huga vt videbimus, non Galburgia, & viuebat Huga anno 1233. anno igitur illo 1152. Guirannus Raimbaldi filius nupsit Galurgiæ. Ex ea tamen non genuit Guirannum secundum. Ex alia ante Galburgiam, Guiranno eum genuit & Rostanum etiam de Agouto cognominem fratri. Ad alia pergamus.

28 Guirannus secundus, sic enim appellare placet, vt à Guiranno patre distinguam, Guirannus ille est, quem Bertrandus Forcalquerij Comes locutus est, in testamento his verbis: *Ego in Dei nomine Bertrandus Comes Forcalquerienſis* &c *irreuocabiliter dono* &c *Hospitalariis* &c. *quidquid ego habeo, vel habere debeo in castro de Manuasca, & in castro de Totis duris, & in eorum territoriis* &c. *De reliquo Comitatu meo, sic vltimum voluntatem meam dispono, vt frater meus Guillelmus Comes, mihi heres existat in reliquo, tali tamen lege, vt liberalitatem, quam in domo Hospitalis contuli, perpetuò ratam & firmam habeat* &c. *si verò voluntatem meam infringerit omnia quæ iure institutionis sibi reliqui aufero; & totum quod habeo à Sistarico atque ad Alpes, relinquo Raimundo Comiti Tolosano; quod autem habeo à Sistarico vsque ad Rhodanum, consanguineis meis Guillelmo de Sabrano & fratribus eius, & Guiranno de Simiana & fratri eius, & liberis Bertrandi Raybaudi.* Vt enim vides, Bertrandus Guigonem patruum, qui ante ipsum anno milleſimo centesimo quardragesimo nono Hospitalariis Manuascam dederat

dederat æmulatus: Cùm tradidiſſet illis *Manuaſcam ſcilicet Burgum, & caſtellum, & Totas auras, cum toto territorio, & omnibus ad Manuaſcam pertinentibus* &c. *& reliqua bona* ſua *vbicunque* eſſent *filiis fratris* Guilelmi &c. adiecit ſequentia: quam donationem *ſi violare præſumpſerint, eis omnia quæ reliqui aufero, & Guiranno, & Bertrando Raimbaldi omnia bona mea relinquo.* Hoc vno nepos à patruo diuerſus eſt, quòd Guigo Guirannum & Bertrannum fratres ſcripſerat heredes, ſi ex fratre nepotes non paruiſſent mandatis, cùm Bertrandus ſuorum ex fratre nepotum filios, in hereditatis partem vocet. *Bertrando Raimbaldo* ſua dedit Guigo, Bertrandus autem ſua dat Bertrandi Raimbaldi filiis; Guirannoque igitur primo ſua conceſſit Guigo & Guiranno ſecundo ſua Bertrannus. Si petas, cur omnia ſua, Bertrannus vnis Guiranni & Bertrandi filiis non tradidit, ſicuti ſua omnia Guigo dederat? Reſpondebo: Bertrannus ſummus erat princeps Comitatus Forcalquerienſis; Guigo, vt Comes diceretur, non tamen ſummi principis habebat iura: hic ergo Simianæis fratribus potuit ſuam hereditatem facilius conſanguineis tradere, Bertrandus totum Comitatum minore, pro amplitudine ſua, difficultate in varios partitus eſt. Petes, quis Guiranni ſecundi frater fuit, qui fuere filij Bertrandi Raimbaldi? Reſpondeo. Bertrandi Raimbaldi filios ad hanc diem non legi; Guiranni ſecundi frater, fuit Roſtagnus de Agouto, cognominis Patruo, qui (vt vidimus numero 22.) frater fuit Guiranni primi patris.

Hîc vnum tacere mihi nefas eſt. *Bertrandus Raimbaldus de Simiana* 29
anno 1188. dat cum Sacriſtanæ vxoris conſenſu Bonnelettam Ciſtercienſibus Vallis ſanctæ. Is abs dubio fuit Simianæus gente. Hoc & *de Simiana* nomen, & Bertrandi, ac Raimbaldi prænomina, genti Simianæ, & tum & poſtea veluti propria, non in euidenter docent. At perobſcurum omnino eſt dicere, quo agnationis gradu Guirandum 2. de quo nunc dicimus, contigerit. Illius patruum quem n. 24. & ſequentibus vidimus, & Guiranni primi fratrem fuiſſe, nunc dicerem, ſi Bertrandus Forcalquerij Comes, non ſignificaret iam fuiſſe mortuum anno 1168. vt docui numero 28. Potuit ex Imberto, potuit ex Raimundo, potuit ex Guilelmo, potuit ex Bertrando, Raimbaldi, quem Guirannus ſecundus auum habebat, fratribus originem ducere; aut etiam ex Guilelmo Raimbaldi patruo. Viri pietas facit, vt, etſi ignotus eſt illius in gentis ſerie locus, pro anno quo ea ſeſe aperuit, de ipſo dicam, differens de Guiranno ſecundo coætaneo; & ab illo non ſeiungam oratione, quem cum ipſo tempora coniunxerunt. *Ego*, inquit, *Bertrandus Raimbaldi, dominus de Simiana, totam terram de Bonnelette, cum voluntate & aſſenſu vxoris meæ Sacriſtæ, do in eleemoſynam Deo, & S. Mariæ Vallis ſanctæ, fratribuſque ibidem Deo ſeruientibus* &c. *Teſtes, abbas Nobertus Syluæ candidæ* &c. ſigillum tabulis vnicum appenſum nunc eſt. Duo præterea Abbatum Vallis ſanctæ, & Syluæ candidæ, ex illis pependiſſe affirmant, quæ ab vtroque ſuperſtitis latere aperta ſum foraucina. In eo viſitur Bertrandus equo ſublimis, pro dynaſtarum illis temporibus more. Siniſtrâ ſcutum vegrande, & longitudine corpori ſuppar præfert, inſcriptum ariete ampliter lanato, cornutoque; & eo reptante, qui ſtragulo equi impoſitus eſt gradientis in morem.

Cùm hæc ita habeant, profectò mihi diſputandum eſt de dnobus: iſto 30

ariete,qui & in equitis ſcuto, & in equi ſtragulo inſcriptus eſt : atque illo Raimbaldi nomine,quo ſe Bertrandus appellat. Nam vt ab iſto incipiam, quod eſſe putabimus id nominis ? Tu fuge gentilitium exiſtimare. Prænomen alterum viri fuit. Neque nouum & inſolens hoc arbitrabitur, qui cogitauerit non duo, ſed tria,vel quatuor prænomina à nonnullis nunc etiam vſurpari.Et quidem non eſſe gentilitium,& alia ſuadent, & quòd cùm ſciamus non paucis de gente viris attributum fuiſſe (ad vndecim,aut non multò plures numerant) cum alio fere prænomine , feminis aliquando in prænomen vnicum fuit; ſcilicet anno 1267. ei puellæ , quam Giraudus pater deſtinauerat conjugio Raimundi Baltij,& anno 1312. vxori Voutenſis dynaſtæ. Sed rem omnino conficit, quòd anno ſexto & quadrageſimo poſt milleſimum ducenteſimum,fuit ex Simianæis vir , fuerat & ſecundo ac vigeſimo,qui poſtpoſito Guiranni prænomine appellaretur Raibaudus Guirannus. Fuit etiam poſt centum ab iſto Raibaudo annos , qui ſe Raimbaldum de Simiana (nomen ſcilicet gentilitium , vt mos eſt, prænomini ſubjungens) vocaret. Quid ? quòd Bertrandus Raimbaldus Guiranni aui frater, omiſsâ *Raimbaldi* voce,prænomini Bertrandi vnico , gentilitium Simianæi nomen aliquando ſubjunxit, ſcilicet anno 1146. *Taraſcone,Sedanæ,& Diniæ,* ſunt verba tabularum illius anni, *fecerunt homanaticum* , ſiue hominium , & clientelæ profeſſionem Raimundo Prouinciæ Marchioni, *Barones* non pauci,& alij, & *Bertran de Simiana, Aicard Saumada, Berenger de Torreues , Iaufre de Torredes,Fulco de Ponteues.* Igitur vt Aquitani Principes ſe plurimi Guilelmos dicebant,Flandri Balduinos,Theobaldos Campani,Viennenſes Gerardos : &,vt ad dynaſtas veniam,Caſtilionæi Gaucherios, Bouchardos Monmorantij : ita Simianæi non pauci ſe appellauerunt Raimbaudos ſeu Raimbaldos. Atque hanc Simianæę gentis conſuetudinem ſignificabat noſtrorum Comitum ille optimus Renatus Rex,cùm nonnullarum Prouinciæ illuſtriſſimarum gentium pangens elogia , *Raimbaldos de Simiana* dixit. Neque enim voces *de Simiana* addidiſſet ad Raimbaldi vocem , ſi Raimbaldi nomen eſſet gentilitium ; atque *voces de Simiana*,oppidum in ditione Raimbaldæę gentis poſitum,non Simianæam gentem ab oppido in ditione poſito appellatam ſignificarent.Raimbaldi nomen attuliſſet,& ſine Simianę oppidi in ditione poſiti nomine,vt Porcelleti, Bonifacij,Forbini nomina , ſine omni pagorum,aut oppidorum voce ditione nobiliſſimarum gentium ſubjectorum. Sed iſtud hactenus dictum ſit.

31 Majus alicui fortaſſe videbitur, quòd Bertrandus in ſigillo, quòd ex Boneletę Valliſanctanis Ciſtercienſibus donatione pendet, arietem , ſeu reptantem, ſeu gradientem ſibi accepit. An igitur illum ferebat in armis ? ferebat omnis Simianæa gens ? Obſcurum eſt hoc , neque enim ad hanc diem occurrit;quod euincat fuiſſe vniuerſis Simianæis gentilitiam teſſeram. Sed cùm nemo neſciat aliis non paucis per Galliam,Germaniam,Italiam,& Hiſpaniam gentibus fuiſſe ſuam per illa tempora , quid afferre poteris , vt id neges Simianæę ? Vnde igitur factum dicemus, inquies,vt Simianæi relicto ariete,gerant nunc in ſcuto lilia ſine omni numero, cũ caſtellis in tres turres faſtigio impoſitas ſurgentibus?non liquet.Vnum mihi videor,ſi non aſſerere, opinari certè potiùs quàm ſuſpicari poſſe, quòd ille arietem libiis ac turribus mutauit,qui Franciſcanis Aptenſibus exædificauit ſacram ædem. Cur enim

enim alioqui ſuperpoſuit ejus foribus ſcuta duo, in quorum altero ſpectatur aries, lilia cum caſtellis in altero? Antiquum ſcilicet quod deponebat, & quod nouum aſſerebat, inſcripſit medio frontis faſtigio : illud quidem, vt quod à majoribus acceperat damnare non putaretur, dedecorique ducere ; hoc autem, vt poſteris, ad honoris gloriæque teſſeram proponeret liliatum. Neque aut inſolens, aut Simianæorum ſingularis eſt hæc ſcutarij typi mutatio. Clariſſimæ gentes non paucæ alia nunc ferunt in ſcuto, quàm olim tulerunt arma. Syluanectenſes, quos dicimus Buticularias, nunc inſcriptas crucigerum buticulas quinque : quondam diuidebant ſcutum in partes quatuor ; aureas duas, duas cyaneas, ipſaſque alternatim poſitas. Taſſij (vt exteras etiam gentes memorem,) è quibus orti ſunt apud Hiſpanos Villamediani Comites, & apud Neapolitanos Paülli Marchiones, ter mutauerunt ſcutaria ſymbola. Quid afferam Bethunios dynaſtas? ſemper quidem adamauerunt facias, ſed hi rectas, obliquas illi ; & vnam alij, alij duas, aut tres, vel quatuor, ſiue etiam quinque, ſex, ac demum ſeptem. Atque hæc ſunt quæ de ſcutariis Bertrandi ac Simianæorum olim armis, & Raimbaldi prænomine mihi videntur. Certiora, fortaſſis afferent alij. Reliquum eſt vt de Sacriſta Bertrandi Raimbaldi hujus vxore aliquid afferam.

Anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, ea dat neſcio quæ 32
Templariis Sanctægidianis. Eodem anno venit in pacta cum illis ipſis, ſeruatâ ſibi actione in R. Comitem Toloſanum, & alios ; atque Guilelmus Porcelletus, Pontius Archimbaudus, & R. de ſtagno ſe pro ipſa vades præbẽt. An per vitam Bertrandi conjugis exiſtimabimus ſibi alios ab illo vades accepiſſe? videtur ergo Bertrandus Raimbaldus non vixiſſe eo anno ; quo autem mortuus fuerit non lego. Ceterùm Sacriſtanam vocant iſtæ tabulæ, vocant neſcio quæ Petri Aragonum Regis in monaſterio de Areis : *Sacriſtana domina erat burgi Arelatenſis anno* 1209. Sacriſtarum verò, vt hoc addam, gens fuit quondam illuſtris in Prouincia. Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, Raimundus Sacriſta ſe dixit clientem Raimundi Prouinciæ Marchionis Taraſcone, cum aliis dynaſtis : Hugo autem Sacriſta decimo pòſt anno interfuit mutationi Maurelliæ villæ à Sanuictorino Abbate cùm neſcio qua alberga & alia aliquibus prædiis villæ S. Antonini, cum Raimundo Berengario Comite Barcinonenſi : Verùm hæc ſatis de Bertrando Raimbaldo. Redeamus ad Guirannum ſecundum.

Is ex Huga conjuge genuit filios tres. Guirannum, Raimbaudum, & Gui- 33
detum, Guiranni vxorem nuſquam legi : Raimbaudus nupſit Pontię & Guidetus Iſoardę de ſigna. Ab hoc vno ad nos vſque propagata gens eſt. Ejus fratres, aut liberis caruerunt, aut ab eis, ſi quę fuit familia, nunc eſſe deſiit. Locus ergo poſtulat vt dicamus de Guideto.

DE SIMIANÆA GENTE

LIBER SECVNDVS.

1 GIRAVDETVM nonnulli vocant,quem in veteribus chartis lego appellatum esse Guidetum. Magnus error. Diminutiua sunt, vt Grammatici loquuntur, ambo nomina: sed illud Giraudeti à Giraudo, seu Guiraudo,vel Guirando descendit, cùm hoc Guideti à Guidone deductum sit. Guirandi secundi fuisse filium docent tabulæ, quibus & ipse, & Raibaudus Agoutus frater conuenere anno 1233. cum G. Aptensi Episcopo de juribus Rocafuræ. In iis enim dicitur habere Hugam matrem, Guirannum fratrem,& Rostagnum de Agouto patruum: certum est verò Hugam Guiranni secundi vxorem fuisse. Duxit Isoardam de Signa, vt intelligitur ex testamento Guirandi fratrum primi.Isoarda (vt hoc addam Simianæę genti perhonorificum) fratres habuit tres, & eorum primus Guilelmus, Delphinam genuit illam, quæ cum S. Elzeario Sabranio virginitatem seruauit in matrimonio,& suasit conjugi,vt legitur in *processu* (sicuti loquuntur) *canonizationis* ab Episcopis judicibus quos Vrbanus Pontifex dederat, instituto, & peracto.Guidetus ex Isoarda vxore sustulit liberos omnino quinque,Guirandum, Bertrandum, Raimbaudum, Rostagnum, Isoardam matri cognominem,& Beatricem. Reliqua omnia quæ de Guideto recitant veteres tabulæ, placet eo referrre temporum ordine, quo gesta sunt.

2 Anno 1233. Raibaudus de Agouto, & Guidetus frater, conuenere de Rocafura cum G. Episcopo Aptensi. Ripertus de Viens Præpositus Aptæ, Raimundus Botella judex, R. de Baucio, & R. Bot Aptensis miles, arbitrarij judices,edixerant in has voces: *singula quæ ad locum Rocafuræ pertinent*,sint G. Episcopi Aptensis; G. autem Episcopus Aptensis *soluat Raibaudo de Agout,& Guideto, quingentos solidos*, quibus anno 1221. damnatus fuit, & *centum solidos Guilelmenses in præsenti.*

3 Guideto grauissima fuit contentio cum Fulcone de Ponteues, Raibaudo de Agouto, Isnardo & Barratio de Entreuenis. Gorda,Moniolium, Simiana, non contemnendum Aptæ in agro prædium,magnæ pro reditu annuo causæ,contentionem pepererant. Guilelmus Forcalquerij Comes (Sabranius hic erat gente,Adelaidis, quam Bertrandus Forcalquerij Comes genuerat,ex filio nepos) Guilelmus Mosteriarum dominus,& Burgundio, arbitratij judices,anno 1242. omnem composuerunt. Guideto istis conditionibus (inquiebant) Gordam attribuimus,vt Raimbaudi de Agouto,aut Fulconis de Ponteues filiam in nurum capiat,omne jus in Moniolium (vulgus dicit Monieux) castrum, & octauam Simianæ oppidi partem, cedat Fulconi de Ponteues, Raibaudo de Agouto, & Entreueniis fratribus Isnardo & Barratio. His denique ipsis fratribus liberum relinquat *affare*,ideſt prædium. cui dominantur.

Cete

Ceterùm quid Agoutiis, Ponteueſiis, Entreueniis fuerit juris in Simia- 4
nam, Gordam, prædium Aptenſe, Moniolium, hereditarias Simianæorum à
vetuſtiſſimis temporibus res, non inuenio. Quodcumque illud fuerit, pro-
fectò ab ipſis Simianæis ad eos deſcendit. Sed an agnatione, an affinitate fa-
ctum ſit, vt ad illos peruenerit, perobſcurum eſt in illa maxima vetęrum pe-
nuria chartarum. Vehementer etiam impedit, turbatque, nobilium viro-
rum non à gente, ſed à pago, oppidoue cui dominabantur, frequentiſſima
nominum acceptio. Hoc addam (& id alij, vtcunq; viſum fuerit, æſtimabũt)
certè non vnum libro ſuperiore vidimus in Simianæa gente Agoutium.
Illuſtriſſimæ gentis, fateor, hoc nomen nunc eſt: verùm Simianæi ab Agou-
to pago cui etiam tum imperitabant, fecerunt aliqui ſibi nomen. An igitur
Raibaudus non à gente nomen, ſed à dominatu cognomen Agoutij fere-
bat? Nam Iſnardus & Barratius Entreuenij, ac Fulco etiam Ponteueſius vi-
dentur Agoutij fuiſſe, non aliter quàm *Iſnardus de Ponteues, filius quondam no-
bilis viri Iſnardi de Entreuenis de Agouto*, qui anno milleſimo ducenteſimo
quinquageſimo, 10. cal. Nouembris fecit homagium tertiæ partis Aptæ,
Carolo Comiti Prouinciæ & Forcalquerij.

Liceat mihi pauca hîc addere de Fulcone iſto, quem vt Agoutium cog- 5
nomine, ita Simianæam nomine ac gente, non aliter quàm Raibaudum,
fortaſſis poſſumus dicere. Is fuit filius Guilelmi de Ceruería, & Lauræ; du-
xitque Guilelmam Bonifacij de Ceſariſta filiam. Ceruerius autem Fulconis
pater, patrem habuit Fulconem Ponteueſium, vt ferunt tabulę venditionis
prædiorum & jurium, quæ ad Ceruerium & Fulconem filium, Manuaſcæ
anno quinto & decimo poſt milleſimum ducenteſimum pertinebant, exà-
ratæ ſeptimo & decimo calendas Ianuarij Romæ, & incerto pòſt die Manua-
ſcę, ac tertio calendas Februarij Aquis Sextiis. Primùm enim *Guilelmus de
Ceruería Romæ 17. cal. Ianuarij*, tam ſuo, quàm Fulconis de Ponteues filij
nomine, vendidit *Amorico de Pace, magno Præceptori citra mare domus Hoſpi-
talis Ieroſolymitani, quæcumque habebant in villa Manuaſcæ, intus, & extrà in toto
illius tenemento, & in caſtro Manuaſcæ, & in toto ejus tenemento, ſiue ius illud
conſiſtat in militibus, hominibus, feudis, domicaturis, ſeruitiis, cenſualibus, vſaticis,
terris, vineis, pratis, agris, aquarum decurſibus, nemoribus, paſcuis..... & in omni-
bus cultis, & incultis, & generaliter omnia iura corporalia & incorporalia quæ-
cumque, & qualitercumque dictus Vilelmus habet, vel præfatus filius ſuus Fulco
de Ponteues, vel mater ſua Laura, & Fulco de Ponteues auus illius, pretio duorum
millium obolorum aureorum, & quinque millium ſolidorum.* Secundùm *Fulco de
Ponteues* venditionem à patre factam Romę, probauit *Manuaſcæ ante portam
ferream palatij* &c. Tertiùm *Fulco de Ponteues Aquis Sextiis ante chorum San-
ctæ Mariæ Magdalenæ* dixit ſacramentum *de venditione, & donatione dicta te-
nenda.* His omnibus ſubjungitur enumeratio prędiorum & jurium, quę
*Fulco de Ponteues, & vxor ſua Guilelma filia Bonifacij de Ceſariſta habebant
Manuaſcæ.* Ea ſigillatim referre non placet: quę de Fulcone, vt ſuſpiror, Si-
mianæo attuli, prętermittere nolui, agens de Simianæa gente. Ad Guidetum
redeamus.

Annus quo mortuus eſt me latet. Viuebat ſecundo & quadrageſimo il- 6
lius ſęculi: ſed chartam legimus in qua Guirannus & Raibaudus filij ferun-
tur defuncto ſupereſſe anno 1250. menſe Octobri; non attigerant ij tum

ętatis

genti vis eſt hæc: ſcilicet ſolidus tum videtur maior aliquantum drachmâ fuiſſe. anno enim 1196. ſolidus regius auctore Guidone de Fos Archiepiſcopo Aquenſi erat ſexageſima pars marchæ, quæ capit vnicas 64. vnica verò capit ſolidos Turonenſes 7. cum denariolis tribus, pro æſtimatione monetæ nunc currentis in Gallia. Igitur arbitrabar Iſoardam, & Beatricẽ fuiſſe moniales. Et verò quis animum inducat ſi viro iungendæ fuiſſent, nullam accepiſſe pecuniam in liberos diuidendam? An tu putabis nobiliſſimas virgines, ſi moniales non fuerunt, paucos, eoſque annuos, ſolidos ab opulentiſſimo patre, neque plures à fratre patris herede accepiſſe? Guirannus illum teſtamento dixit heredem. Ipſe Maceldam de Ponteues duxit vxorem, ſecundum conuentiones anno 1242. Guideti patris cum Fulcone Maceldæ patre recitatas num. 3. vt tradit Petrus de Antipoli tractatu de muneribus §. 4. num. 152.

Bertrandus Raimbaudus 1. fratrum ille eſt, qui per longam nepotum ſeriem deduxit Simianęam gentem ad nos vſque. Macedam de Ponteues duxit vxorem. Secundum pacta conuenta Guideti patris cum Fulcone Macedæ patre, quæ recitaui num. 3. vt tradit Petrus de Antipoli tractatu de muneribus numero 152. 9

Guirannus 3. Bertrandi Raibaudi 2. & Macedæ Ponteueſiæ filius fuit. Patrem illo puero mortuum fuiſſe, hinc intelligis, quod moriens commendauit eum Iſoardæ matri ſuæ, inque ipſius tutricis cura poſuit: nam illa eo nomine agens anno 1282. fecit, vt Petrus Caſanouanus neſcio quis ex filio nepoti profiteretur clientelam. Eodem anno fecit ipſo Guirannus homagium Raimundo Bottio Epiſcopo Aptenſi pro duobus Aptæ breuibus, quorum alterum dicebatur breue Bocariæ, breue de Viens alterum, idque fecit cũ Bertrando Raibaudi, quẽ Guideti aui patruelis genuerat. *Nobiles domicelli Bertrandus de Simiana, & Guirandus de Simiana, domini Aptenſes, conſtituti coram venerabili in Chriſto patre D. R. Dei gratiâ Aptenſi Epiſcopo, confeſſi fuerunt, & publicè in veritate recognouerunt dicto domino præſenti, ac ſtipulanti, ſe tenere, & tenere debere, prædicto D. Epiſcopo & Eccleſiæ prædictæ breue Bocariæ dictæ ciuitatis Aptæ, & breue quod dicitur dominorum de Viens.* Hic vnum tacere non poſſum, ambos feciſſe homagium flexo genu, pro domicellorum, neque dum militum more; *Hoc proteſtato* (addit Falco ſcriba) *& conceſſo tam per prædictum Epiſcopum, quàm per prædictos nobiles, quòd ſi eſſent milites, vel quandocumque fuerint milites prædicti nobiles, vel eorum ſucceſſores, quòd homagium & fidelitas per ipſos & ſucceſſores ſuos, debebit fieri in pedibus tantùm, & non flexis genibus.* Sed vterque poſtea in militem euaſit. Anno incerto Guirannus iunctus eſt matrimonio cum Stephania de Blacas, illuſtriſſimæ gentis puella, & ex ea genuit Guirandetum, ſeu Guirandum 4. (vtroque nomine appellant veteres chartæ) & Tiburgem. De Guirandeto poſtea locus dicendi erit. Tiburgis nupſit Guilelmo Augerio, vallis Ozæ domino, quem Guilelmus Augerius. Gaucherij de Roca domini Ceſariſtæ filius, ex Metellina de Oza ſuſtulerat. Hic ſocer Tiburgis Guilelmus ille eſt Augerius, quem Mabilia de Simiana vt genera nobiliſſima fuerit, tamen pietate magis & vitæ ſanctitate, quàm genere nobilis heredem dixerat anno 1339. die 5. Iunij. *Nobilem Guilelmum Augerij* (ſunt verba teſtamenti) *filium quondam nobilis & potentis viri D. Gaucherij de Roca D. Ceſariſtæ, ac etiam filium nobilis neptis noſtræ Metellinæ de Ozæ* 10

dominæ Ceſariſtæ,ore proprio heredem nominamus. Quia verò ad Mabiliam deuenit oratio,age, de ea dicamus.Bertrando Raibaudo patre nata,ſorores habuit Raibaudam, & Roſcicam, atque fratrem patri cognominem , quem paulò antè dixi homagium Epiſcopo Aptenſi feciſſe cum Guitanno 3. Pater Mabiliæ Bertrandus quoque Raibaudus nomine patrem habuit cognominem , qui Roſtagno Agouto patre natus eſt,fratre Guiranni 2. & Hugæ.Nupſit ea Fulconi de Ponteues : *Anno ætatis ſuæ decimo ſexto,* inquit ſcriptor de vita S. Elzearij.Sabranij *orbata viro ſuo eſt,cum quo nonniſi trimeſtri ſpatio vixerat.Noluit autem ad ſecundas accedere nuptias , tametſi parentes & propinqui vrgerent , multiſque eam vexarent modis , ſed caſtè, honeſtè, & ſanctè permanſit in viduitate vſque in ſenectutem. Poſt multos autem labores & opera pietatis, ad tantam peruenit mentis ſerenitatem, vt rebus diuinis crebro adeò intenta eſſet , vt quæ circa eam fierent minimo ſentiret ? Anno* 1339. die 5. Iunij ſcripſit teſtamentum & magno Chriſtianæ abiectionis exemplo noluit in illuſtri maiorum conditorio ſepeliri: *Cùm anima noſtrâ* (ſunt eius verba) *fuerit diuinâ gratiâ diſponente à nexibus noſtri corporis liberata, eligimus nobis ſepulturam prædicti noſtri corporis in cemeterio Eccleſiæ B. Franciſci Fratrum Minorum de Apta, & ibi corpus noſtrum ſepeliri volumus & iubemus.* Etſi Mabilia hoc iuſſerat , tamen ſic habes in necrologio Franciſcanorum Aptæ Anno 1339. 5. *Iunij. Obiit hodie illuſtris pia domina Mabilia de Simiana , qua ſepulta fuit in nobili & potenti ſepulcro ante maius altere , in cornu Euangelij poſito.* Sorores Mabiliæ nupſerunt, Raibauda domino Voutæ , Roſcia Guilelmo Augerio Vallium Ozæ domino : frater ſine liberis mortuas eſt. Tres iſtæ ſorores adita illius hereditate,ſuam Aptæ,Saignonis ſeu Sanionis , & Auribelli partem:Roberto Prouinciæ Conicti & Siciliæ regi vendiderunt Roſcia quidem & Raimbalda anno 1313.die 5. Iulij ; Mabilia verò die 5. Octobris anno. 1322. Ampliſſima hereditas plures in parte pagos complectebatur, Caſtilionem , fanum Martini, Caſanouam , Buzettum , Vienſium, Ruaſtrellum, Laulanenſis Manſum,Garſum Gardæ, Montalicium , Vnglam , Larderias , Oppedetam , Fanum Chriſtophori, Siuirginalem, Morigaſium, Alpeſtram. Placet omnem de piiſſima muliere ſermonem concludere illorum enumeratione capitum quibus ea concluditur familia,quæ in ipſa deſiit. Roſtagnus Guiranni primi filius Bertranno Raimbaudo quem genuerat Fanum Martini conceſſit. Ex eo cepit Sanmartinenſis appellari familia. Bertrandum Raimbaudum ipſe genuit,quem vt à patre diſtinguatur, dicimus Iuniorem. Amborum vxores innominatæ ſunt. Iunior liberos quatuor procreauit,Bertrandum Raibaudum patri & auo cognominem, qui innuptus obiit ante annum 1310. dicatur ergo vltimus , vt ab illis ſecernatur ; Raimbudetam Voutæ domino vxorem , Roſciam quæ anno 1312. nupſit Guilelmo Augerio domini Vallis Ozæ , Mabiliam anno 1319 datam Fulconi de Ponteues in vxorem. Hæc teſtamentum condidit anno 1339. quo mortua eſt.

11 Guirannus ſeu Guirandetus, vtroque enim nomine appellatum lego,duxit Marcibiliam Arpaioniæ gentis apud Ruthenenſes illuſtriſſimæ puellam ; & ex ea genuit liberos omnino quinque , Bertrandum Raibaudum , Guirandum , Tiburgem , Iſoardam , & Thibos. De hac vltima filia nihil inuenio in veteribus chartis. Iſoarda nupſit Tornelij in Ruthenenſibus domino;

domino; Nogareto Tiburgis, Raimundi, ſiue, vt nonnulli volunt, filio, ſiue (quod magis probabam) nepoti; quem ſub annum ſecundum, & trigeſimum à milleſimo trecenteſimo in militem euaſiſſe, tradit charta archiui apud Lutetiam Pariſiorum regij, in arca (vt loquuntur) Langotthiæ numero 89. Nogaretorum nobiliſſimæ iam olim genti, magnam illis temporibus celebritatem fecerant res, Philippo, quem Pulchrum cognominamus, Rege per Galliam fere omnem à Guilelmo Nogareto geſtæ. Cùm Guirandetus teſtamentum ſcripſiſſet anno ſecundo & trigeſimo ſæculi, è vita exceſſit.

Guirannus 5. & Bertrandus Raimbaudus fratres filij Guiranni 4. & Marcibiliæ, eo ipſo anno rem prorſus difficilem ac impeditam, cum Roberto rege Comite Prouinciæ, & habuerunt, & feliciter egerunt. Agebatur de ipſorum, ac proinde mortuo patre, iuribus in Aptam. Leopardus de Fulgineo archipreſbyter Beneuentanus de regiis in Prouincia iuribus quæſitor, in eam venerat; & frequentiſſimi teſtes dixerunt, Bertrandum *habere Aptæ duas partes dominij, & in ipſis merum & mixtum imperium, & omnimodam iuriſdictionem, Guirandum verò de Simiana militem habere tertiam partem aliam, pro indiuiſo cum regia curia.* Robertus quippe Rex Comes Prouinciæ id iuris (vt vidimus num. 10.) emerat à Roſcia, Raibauda, & Mabilia Simianæis ſororibus, *in qua tertia parte ipſe D. Guirandus habet merum, & mixtum imperium, & omnimodam iuriſdictionem ſub domino Regis, excepto Breui de Bocaria & Meiano*, aut de Viens, vt aliæ tabulæ loquuntur *quæ breuia tenet ipſe D. Guirandus pro D. Epiſcopo Aptenſi*, ſiue ſub dominio Epiſcopi Aptenſis: *& dictus D. Epiſcopus, illud tenet domino noſtro regi tantùm, & non alteri perſonæ.* Cùm hæc ita habeant, fateamur oportet Guirandetum non vixiſſe illa trigeſimi ſecundi anni parte, qua Leopardus quæſiuit de iuribus Philippi Regis in Aptam: & Bertrandum Raimbaudum atque Guirandum patre mortuo rem geſſiſſe domeſticam. Ea poſtulat, vt de Bertrando Raimbaudo agam priùs, quàm de Guirando, qui gentem Simianæam ad nos vſque perduxit. 12

Igitur anno 1337. die 12. Dec. Bertrandus Raimbaudus controuerſiam de Agouto, quæ patri fuerat cum Guilelmo de Saltu, Hugone de Caullione, Bertrando Bermundo, & Imberto de Agouto finiit. Cauſam contentioni fecerat Bertrandi Raimbaudi potentia. Hæc cùm in vno aliquo ſupra ceteros eminet, patem illis ſeu eſſe, ſeu dici non patitur; & de ipſorum iure ſibi aliquid fere tribuit. Scriba ceteros appellat nobiles viros, eum verò magnificum; & quam Guilelmus de Saltu tenebat Agouti partem, illam Raimbaudus *Maiore domino* regebat. Igitur præfidem animis, & de omnium aduenarum criminibus cognoſcebat vnus, ceteris Agouti cum ipſo dominis vehementer de iniuria quemtantibus, & *leſdas leuabat vnus, locabat vnus vendebatque paſqueragia communia*, vnus *tam ſuper dictis paſqueriis, quàm ſuper ipſis leſdis, & ſuper pluribus aliis, iuriſdictionem prædictorum condominorum tangentibus præconizationes fieri faciebat.* Cùm illis demum ita conuenit, vt Agoutum tribueretur in partes omnino quatuor, & quam Guilelmus de Saltu poſſidebat, illi Bertrandus Raimbaudus ſuperiore dominio præeſſet. Iudex, baiulus, notarij, præco, in annos ſingulos, ab vno tantùm ex dominis per ordinem, pro communi vniuerſis re, ſic conſtituerentur, vt Agoutius 13

inciperet, tum ſequeretur Bermundus poſt eum, Caullionenſis, deniq; cum Guilelmo de Saltu Bertrãdus Raimbaldus. *Paſquergia* ab omnibus ſimul conuentibus locarentur, ac venderentur menſuræ, ponderaque ſingulorum dominorum ſignis notarentur, ſingulis perficerentur dominis. Alia non pauca adduntur, quæ cùm minuta ſint, non placet fuſiùs exequi, ſuoſque in articulos magno lectoris tædio, nulloque fructu digerere. Vnde autem factum fuerit, vt Agoutum in tam multos ſpargeretur dominos, quis pro rei antiquitate non aſſerat, ſed ſuſpiretur? Profectò veteros tabulæ docent Raibaudum id iuris à maioribus accepiſſe, quod in illud habebat.

14 Anno 1343. die 18. Aprilis cogitans Hiſpaniam aduerſus Mauros, teſtamentum Auenione condidit & ſcriba hoc ei fecit initium. *In primis Deo omnipotenti Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & B. Mariæ ſemper virginis, & B. Ioanni Euangeliſtæ, & Baptiſtæ, & omnibus aliis ſanctis, & toti curiæ cæleſti, animam ſuam, ac etiam corpus ſuum commendauit, & romipetagium* (vox barbara Prouincialem peperit *romauage*, quâ ſignificatur ſacra peregrinatio, ex Romana quæ præcipua, & omnium princeps erat illis temporibus) *quod ad ſeruitium & honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctæ catholicæ fidei Chriſtianæ, de proximo facturus eſt in Granatam, contra infideles, & perſecutores fidei catholicæ.* An quod aduerſus Mauros cogitauerat in Hiſpaniam iter ſuſceperit, non lego. Certè poſt ſcriptum teſtamentum diu non vixit. Ex Margarita de Vouta vxore habuit liberos 3. Guiraudetum, Sibylletam, & puerum innominatur, quem, cùm ipſe Granatam cogitaret, gerebat vxor in vtero. Giraudetus non ſuperfuit patri multo tempore. Quid Sibylletâ, quid Innominato poſt patris teſtamentum orto factum ſit, tacem meæ omnes chartæ.

15 Guirannus ergo ſeu Guirandus, Berrando Raimbaldo fratre mortuo, ac eius etiam filiis, hereditatem illorum, adiit. Mariam de Euenis filiam Bertrandi Maſſiliæ Vicecomitis in vxorem accepit, & anno 1349. illius nomine fecit homagium Roberto Regi Comiti Prouinciæ, pro Olliolis, Euena, Fano Nazarij, Airouenis, quæ caſtra *eidem obuenta, ſeu in dote conſtituta prætextu matrimonij iam contracti cum ea erant.* Anno 1369. dictus fuit conſeruator pacis, pro more illorum, temporum, inter Ioannam Siciliæ Reginam & Comitiſſam Prouinciæ, & Carolum V. Regem Francorum ac Delphinum. *Poſt diſſenſionem*, vt ſcriba loquitur, *inimicitiam, atque guerram* Prouinciales inter ac Delphinates, *quam multa fuerant ſecuta ſcandala rapinæ, incendia, prædæ, & alia ſat nefanda*, Rodulphus de Luperiis *Delphinatus Gubernator, & Raimundus de Agouto Seneſcallus Comitatuum Prouinciæ & Forcalqueri*, à Carolo Francorum Rege Delphino, & Ioanna Siciliæ Regina Comite Prouinciæ miſſi, conuenerant in aliquot capita. Cúmque dicendi eſſent *conſeruatores dictæ pacis*, poſt ſtatutos à Rege Delphino, *fuerunt ordinati* à Regina Comite, & alij, *& Guirandus de Simiana Aptæ in parte, & Caſanouæ dominus, atque Oſaſicca Flotte dominus Rupis Arnaudorum.* Et hoc quidem ad Guirandi gloriam à Ioanna Regina factum ſit; minùs ſpectabile fuit, ſed illuſtre tamen, neque à me prætermittendum, quod anno 1375. munus geſſit. Franciſcus Baucius Vallis Albaniæ dominus, ſummis principibus & affinis, & gente ſuppar, atque Guilelmus Rogerius de Belloforti, Vicecomes Turenius, magnum Prouinciæ, Forçalquerijque Comitatauum turbamentum, vehementiſſimè inter ſe contendebant, & aliquando denique conuenerunt *in magnificos & potentes*

viros

viros dominos Raimundum de Agouto, militem, Vallis saltus dominum, & Guirandum de Simiana, militem, dominum de Casanoua, vt scripsit tabellio.

Viuebat Guirannus anno 1381. Eo quippe *Regordus de Gargatio habitator* 16
Rossilionis (sunt verba scribæ) vendidit *Guilelmo Tamiseri de Gargatio terram ..... in territorio Gargatij, loco dicto* in Cumba, *saluo jure magnifici & potentis viri, domini Guirandi de Simiana militis, Aptæ, & Casanouanæ, & dicti castri de Gargatio domini.* Viuebat etiam anno pòst secundo, nam eo Ioannes de Sabrano S. Elzearij ex fratre nepos, *vadiatores* testamenti sui dixit die 26. Septembris, *Archiepiscopum Aquensem, dominos Guirandum de Simiana dominum Casanouæ, Elzearium de Auraisono,* &c.

Sed locus omnino postulat, vt de Guirando dicens, referam duo, quæ ju- 17
dices de Dalphinę Signanæ, & virginis, & S. Elzearij Sabranij conjugis sanctitate habent in actis anno 1363. exaratis. Alterum Mariam Guirandi conjugem contingit, de Guirando ipso alterum est. Hic proximè mortem erat, & in cubili recubans, in quo Delphina quieuerat, morbum omnem abjecit. De Maria Nicolaus Loarenchi sic loquitur illis judicibus. *Contigit quòd per septem annos, vel vltrà, ante transitum D. Dalphinæ Comitissæ,* dum *ipsa Domina agens in humanis Capreriis moraretur, quòd egregia domina Maria de Euena vxor D. Guirandi de Simiana Aptæ, & Casanouæ Domini, infirmans, & omnem escam abominans pro deuotione videndi, & morandi aliquibus diebus cum dicta domina Comitissa, ibi venit, cujus meritis sperabat appetitum comedendi quem amiserat recuperare: Et cùm videret, quòd recipere suæ naturæ necessaria non poterat, & appropinquaret vsque ad portas mortis, cupiebat summo desiderio cuidam confessori dictæ dominæ Comitissæ, tunc ibidem præsenti confiteri. Cúmque nec modum, nec formam perfectæ confessionis faciendæ in seipsa inueniret, neque haberet de peccatis memoriam, sicut vellet, tristabatur, quia dubitabat damnari. Et ab hoc sic afflicta, infra cameram, dictæ D. Comitissæ intrauisset, ipsa D. Comitissa cepit, ac si conceptus dictæ D. Mariæ & anxietas sibi nuntiata fuissent, loqui de Deo, specialiter de Sacramento Confessionis, ostendendo ex suis verbis quomodo propter puram, & humilem, & veram confessionem Dei indignatio tollebatur, & anima reconciliabatur Creatori suo. Et sic continuauit, de dicta materia verba deuota, ac si necessitas dictæ D. Mariæ super hoc sibi intimata fuisset. Et nondum ipsis verbis finitis, ipsa D. Maria, ex virtute ipsorum verborum stimulata interiùs, & compuncta, caput suum in gremio dictæ D. Comitissæ tunc sedentis fuit inclinare coacta. Et deinde recedens & nequiens amplius expectare, in quamdam cameram aliam intrauit, & claudens ostium non sine diuina gratia, cum sentimento maximo, & lacrymarum effusione, omnia peccata fere quæ commiserat, dum erat ætatis septem annorum vsque in illam diem, fuerunt sibi præsentia, nuda pariter atque clara, & de eis memoriam habuit, ac si tunc eadem peccata commisisset, & si in vno libro videret eadem peccata descripta. De quo admirata, & gaudio cum mœrore deuotionis repleta, Deo, & meritis sanctitatis dictæ Dominæ gratias agens, confessionem fecit ibidem, sicut optabat, dicto Confessori generalem, absque alio interuallo, & appetitum comedendi, quo frustrata, vt præmittitur, extiterat, etiam recuperauit.* Hæc Nicolaus Loarenchi. Igitur, & dum Delphina viueret, Guirandus, Mariaque 18
Guirandi vxor, illam præcipuis honoribus venerati sunt, & idem ipse Guirandus post Delphinæ mortem interfuit iudicio, quod Vrbanus V. de sanctitate Delphinæ per Aquensem & Vasionensem antistites, instituit, vt lege-

re eſt in ipſis actis judicialibus : vt ſcilicet ſanctis hominibus, debitũ ei accuraret cultum. Cur hîc vnum non addam Guilelmus de Signa Podij Michaëlis Dominus, Delphinæ pater, & Bertrandus de Maſſilia dominus Euenæ pater Mariæ quæ Guiranno nupſit, fratres fuerunt, vt intelligitur ex teſtamento Guiranni Simianæ. Sed ad huius ipſius Guiranni filios accedamus.

Ex Maria Maſſilienſi, Euenæ domina, genuit Bertrandum Raimbaudum, Guinotum, Berengarium, & Iſabelletam. Hæc nupſit Raimundo Montalbanio vallium Benchenetæ, & Ardenæ domino, Bertrandus Raimbaldus duxit Iſabelletam Raimundi Agoutij vallium ſaltus domini, & Prouincialiam atque Forcalquerienſium Seneſcalli filiam; & ex ea ſuſtulit Delphinetam & Macibiletam, quarum hæc ante nubiles annos occidit, illa Cailario in Langotthia toparchę data eſt in coniugem. Bertrandum ſine altero Raimbaudi prænomine appellatum lego in tabulis, quæ docent vendidiſſe Agouti agrum Raimundo Guichardo, quem *Guirannus de Simiana* Bertrandi pater *iure commiſſionis ſibi retinuerat*. Cùm verò ſine prole maſcula ante patrem mortuus fuiſſet, hic Guinotum inter & Berengarium filios ampliſſimam hereditatem diuiſit. Fecit autem Deus, vt cùm ceteri ante ipſos Simianæi, etſi ex numeroſa ſobole gentem latè ſparſerant, occiderint, ambo fratres illam ad nos vſque deducerent, in vndecim omnino familias ſingulari fœcunditate fuſam; id muneris ſcilicet reponens ſummæ veneration, qua Guirannus & Maria parentes Delphinam S. Elzearij Sabranij conjugem virginem, omnique virtute præſtante proſecuti ſunt. Igitur libro ſecundo iſte ſit finis. Sequente dicam de Guinoto, & ejus ad nos vſque liberis in familias quatuor diſtinctis; quarto & vltimo de Berengario, & familiis ſeptem ab illo deductis.

DE SIMIANÆA GENTE

LIBER TERTIVS.

1 GVINOTVS Guiranni V. & Mariæ Maſſilienſis filius, à patre donatus eſt Caſanouâ, Rocafurâ, Gordâ, Coſtâ, Bannono, Saumonâ, Hoſpitaleto, Girone, aliiſque pluribus pagis : majore inſuper, vt loquuntur, dominio Vacheriarum, Agouti inferioris, Valli Mairigarum; & parte Aptæ vrbis, Agouti, aliorumque ſeu caſtrorum, ſeu pagorum. Guinetum nonnulli vocauerunt, nec malè. A Guidoneto (quo etiam dicebant nomine) facta vox, cùm in Guinotum & Guinetum, per leuiculas ſeu matris, ſeu nutricis melleſque, vt fit, blanditias ipſo puero cõminuta fuiſſet, potuit per maturiorem extremãque etiam ætatem perdurare. Magis miror appellatum fuiſſe Guirandũ, & aliis annis, & quinto ac octogeſimo ſæculi in profeſſione clientelæ (quam poſtea memorabo) Mariæ Reginę Comiti Prouinciæ, atque Guirandotum. Vtcumque tamen hęc habeant, neque enim placet diſputare fuſiùs de nomine, Guinotum dicebant ante nuptias,

&

& Ioannes Sabranius ſocer, in teſtamento Guinotum, appellauit: Guinotum igitur ipſe vocabo in conſequentibus.

Is Delphinæ Sabraniæ nupſit, quam Ioannes S. Elzearij ex fratre nepos, 2
& Iſoarda Rocafolia genuerant, pietate Guirandi patris, vt arbitrabar, & in S. Elzearium amore adductus, cogitanſque futurum, vt ex viri celebritate ſanctitatis illuſtiſſimi affinitate, ſibi & futuris in multa ſæcula nepotibus proſpera omnia obuenirent. Profectò ſiue Guinoti opes, ſiue Simianæ gentis amplitudinem, tanti faciebat Ioannes, vt Delphinæ filiæ dotem tertiâ parte majorem, quàm ſororibus dederit. Neque ſuâ ſpes Guinotum fefellit. Tres abeo ductæ familiæ ad noſtra vſque tempora peruenerunt, omni opum ac honorum claritate illuſtres, Gordana, Planitienſis, & Monchana. Quarta quidem ab ipſo ad nos deuenerat, ſed in puellam nuper Manuaſcæ defecit. Quo Chriſti anno Guinotus Delphinæ nupſerit, non lego. Matrimonio junctus ei erat anno 1383. die 26. Sept. quo Ioannes pater teſtamentum condebat, eo enim ſcripſit in has voces: *lego, ſeu relinquo jure inſtitutionis Delphinetæ, filiæ meæ legitimæ & naturali, vxori Guinoti de Simiana* &c. Ex illa ſuſtulit liberos quatuor Guirandum, ſeu Guirandotum, Bertrandum ſeu Bertrandetum Raibaudum, & Margaritam.

Anno 1385. die 17. Iunij *fecit homagium ligium*, vt loquuntur, *Mariæ* Re- 3
ginæ Ludouici Regis Comitis Prouinciæ tutrici, *pro caſtris, & baroniis ſuis de Caſanoua, & Bannono* (ſunt verba ſcribę) *& pro partibus, quas habebat in caſtris de Turre, & Podij pini, quæ olim fuerunt Ludouici de Sabrano; necnon & aliis omnibus terris, juriſdictionibus, ſeu bonis, quæ à regia curia tenebat.* Scriba vocat quidem Guirandum illum qui homagium fecit, ſed ex eo intelligis non dicere Guirandum Guinoti patrem ſed Guinotum ipſum quòd tradit feciſſe homagium *flexis genibus & junctis manibus* domicellorum more, qualis tum erat Guinotus; non militum, qualis erat Guirandus pater, vt vidimus periore libro num. 15.

Eodem anno Guinotus interfuit *conſilio vrbis Arelatenſis*, vt fert ejus 4
vrbis chartularium, *de habendo & recipiendo in dominum, Ludouicum* Ieruſalem *& Siciliæ Regem, & Comitatuum Prouinciæ & Forcalquerij Comitem, natum Ludouici dictorum regnorum Regis, & comitatum Comitis, filij adoptiui Ioannæ Reginæ & Comitiſſæ*, &c. *Acta fuerunt hæc*, pergit tabellio, *Arelate, præſentibus & aliis, & Guinoto de Simiana Domino de Caſanoua, Raimundo de Montealbano vallium Benchaux & Ardennæ domino, Raimundo Flamingi milite.*

Anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto, multi nobiles viri ſe 5
dixerunt clientes Guinoti, Franciſcus Redorterius, qui partem dominabatur Rupi Gironis, die 23. Februarij; Barralis de Saltu, condominus Agouti, 28. Martij; Raimundus de Apulea, Vacheriarum partis dominus 14. Auguſti; Guilelmus de Railana, Mairigeriarum ex parte dominus, 25. Auguſti. Eo ipſo anno Guinotus cogitauit de agendo in exteris regionibus bello, colligendæ (ſi conjectari licet) bellicæ gloriæ, qua in militem pro majorum more euaderet. Igitur 18. Septembris teſtamentum ſcripſit *ſanus mente, & corpore*, inquit ſcriba, *per Dei gratiam, quòd in remotis & longinquis partibus ſequi intenderet facta armorum.* Cùm illud conderet, vnicum habebat filium, nomine Guirandotum, & eum in cunis, neque dum pro infantili ætate aptum loqui.

loqui. Ex eo factum eſt, vt heredem diceret, *ſi habilis eſſet ad regendam, & gubernandam hereditatem, & loqui poſſet.* Quæ verò ad bellum loca cogitauerit non poſſum dicere, meis omnibus chartis tacentibus. Quæcumque illa fuerint, certè ex ipſis redierat tertio pòſt anno, quo Bertrandus Raibaudus Railanæus die 4. Iulij ſe dixit ipſius clientem pro ſua parte vallis Mayrigiarum, & Odolus Redorterius, atque Cæcilia Railanæa Franciſci atque Guilelmi Redorteriorum filiorum tutrice, pro Rupe Gironis.

6 Anno 1392. res geſta eſt, qua à me taceri non debet. Raimundus Turenius Ludouico Andium Duci, cujus patrem Ioanne Regina Comes Prouinciæ in filium adoptiuum acceperat vehementer iratus, ob Valernam à Raimundi patre in filium adoptato acceptam, graſſabatur totâ Prouinciâ. Tum, vt fit, nobiles aliquot viri exſaturandis in aduerſarios odiis, ei adhæſerunt. Et quidem Beſinhani domina, Guinoto neſcio quas ob cauſas aduerſa fecit, vt Guilelmus Gaſſiani, Ioanninus Lafrances, & Hugoninus de Merinano, ſinguli cum ſingulis militum cohortibus, Ademarus Chaudiſſoni, Petus de Cruce, & alij militum ſub Turenio Duces occuparent Bannorum ejus caſtrum. Magna auſa igitur omni circùm regione populorum animos commouit facinus. Guinotus autem, & ex aliis ſuæ ditionis locis, & ex Apta vrbe copias cogere feſtinauit. Cetera quæ cum aliis egit, aut ſepeliuit obliuio, obſcuris latent in tabulis. Aptenſes more majorum ſua vocauit ſub ſigna. Die 24. Ianuarij Guilelmo de Meollano, & Ludouico Manentis Aptenſibus ſyndicis *notificauit*, ſunt verba tabellionis, *quòd cùm homines tam nobiles, quàm plebeij vrbis Aptæ, ſecundum pacta, & conuentiones, & capitula, dudùm facta, & facta inter prædictam vniuerſitatem Aptæ, & dominos Conſules dictæ ciuitatis Aptæ ex vnâ parte, & magnificos viros dominos de Simiana, prædeceſſores ipſius magnifici parte ex altera, teneantur & debeant eundem magnificum, & ſuos, dum propriam guerram habent, juuare modo & formâ, quibus in dictis conuentionibus, & capitulis continetur; ipſeque magnificus nunc guerram propriam habent, cum domina de Beſinhano, quæ caſtrum de Bannono ejuſdem magnifici fecit capi per gentes armigeras, commorantes præſentialiter in eodem, oporteatque ipſum magnificum pro ejus caſtri recuperatione, ad ipſum caſtrum cum magno gentium exercitu perſonaliter ſe conferre, requiſiuit prædictos Syndicos, quatenus juxta formam & tenorem capitulorum, & conuentionum prædictarum, eumdem magnificum in, & pro prædicta guerra ſua propria, juuare debeant,* &c. Sed Turenius Beſinhani dominæ impotentis fœminæ conſilia deteſtatus, miſit Bannonum die 28. Februarij viros, gente nobiles, bellóque claros, qui Gaſſiano & ſo-
7 ciis juberent è Bannoni caſtro exitum. Diune poſtea vixerit Guinotus, non poſſum dicere. Profectò non viuebat anno 1396. die vltima Iunij, eâ enim Guirandotus & Bertrandus filij patre carebant, & Delphina mater *pupillari exiſtentium in ætate*, vt ſcriba loquitur, *fecit homagium* I. ideſt Ioanni Filleto *Aptenſi Epiſcopo, pro parte quam habebant in ciuitate Aptenſi, ſcilicet in breui quod dicitur dominorum de Viens, & in breui Bocariæ.* Vnum addit tabellio, quod afferre placet, Delphinam feciſſe homagium *genibus flexis, junctiſque manibus inter manus Raimundi Riperti Siſtaricenſis Præpoſiti, Officialis & Vicarij generalis Aptenſis Epiſcopi, cujus vicem gerebat, quia ipſi liberi & heredes milites non erant: hoc ſaluo & retento, & etiam pro cauſa ſolemniter proteſtato, quòd ſi dicti ſui liberi & heredes erant milites, quòd ipſum homagium ſtando pedes, &*

fidelita

Digitized by Google

fidelitatis juramentum facere debeant Epiſcopo, prout hactenus antiquè fieri exitit conſuetum. Sed neque poſſum dicere, an teſtamentum aliter condide- 8
rit, atque ſcripſerat anno 1386. Eâ & pietate & prudentiâ illud conſtituerat, vt aliquod operæ futurum ſit pretium, ſi referam præcipuas illius partes. Vnus tum erat illi filius Guidonetus, ſed Delphina vxor ferretne vterum dubitabat. Igitur heredem inſtituit Guidonetum in parte, quam habebat *in ciuitate Aptæ, & in loco de Rocaſura, & in caſtris de Gorda, de Caſanoua, & in parte quam habebat in caſtro de Agouto, & in maiori dominio caſtri inferioris de Agouto, caſtri de Vacheriis, & loci ſeu vallis de Mayrigis* &c. *Et ſi Delphina vxor prægnans fuerit, & pepererit vnum filium maſculum, dictum filium inſtituit heredem vniuerſalem in caſtris de Coſta, de Bannono, de Saumana, de Hoſpitaleto, & in loco de Girono, & in parte, quam habebat in caſtro de Roca-gironis, & in majori dominio, quod habebat in parte dicti caſtri de Roca-gironis,* &c. Piis autem locis & pauperibus donauit florenos auri ad mille & ducentos. Florenum auri dicebant, qui denatius auri eſt, prorſuſque aureo idem nummo, quem Franci ſolarem appellamus. Denique mirati animum ſubit, quàm multa, & quàm variis in locis, ſacra juſſerit pro ſe poſt mortem fieri. Ea imperauit confici à Benedictinis S. Euſebij, Cartuſianis, Cauorum mõtium, & Durbonis, Ciſtercienſibus Sinanguæ, Dominicanis, Franciſcanis, Auguſtinianis, Carmelitis Maſſiliæ, Arelatis, Aquarum, & Auenionis, Franciſcanis Forcalquerij, & Relaniæ. Quid referam eccleſias Aptenſes, & alias? enumerat vniuerſas caſtrorum & pagorum ditioni ſuæ ſubjectorum, iiſque ſingulis aliquam florenorum aureorum vim elargitur. Caſanouæ, Coſtæ, Gordæ, Bannoni, Saumanæ, Hoſpitaleti, Roca-gironis. Vacheriarum, Agouti, Apta. Eorumdem omnium locorum *eleemoſynas caritatis* (Xenodochia dicere putabam) recenſet, ipſiſque aliquid de ſui auri florenis addicit. Suos etiam donat *monialibus S. Franciſci de Manuaſca*, de quibus fusè dixi libro 3. de Manuaſca num. 52. & ſequentibus. Denique ſuos monaſteriis, & *infirmariis* monaſteriorum S. Catharinæ, & S. Crucis Aptæ. Certè ſi votis ac precibus, ſeu ſacrorum, ſeu egenorum hominum vis aliqua eſt, videtur Guinoti anima, cùm exiuit è corpore, iis veluti ciſiis, ipſiſque (ſi ita loqui fas eſt) aureis in cœlum delata fuiſſe.

Anno 1399 die 8. menſis Octobris Delphina *tutrix, & tutorio nomine* (ſunt 9
voces tabellionis) nobilium virorum *Guinoti, & Bertrandi filiorum ſuorum, facit homagium Ludouico Regi Comiti Prouinciæ, pro caſtris & baroniis de Caſanoua & de Bannono, & pro partibus quas habent de Turre, & de Podio pino Aiguesij, quæ olim fuerant nobilis Ludouici de Sabrano.*

Guinotus junior, primogenitus Guinoti ſenioris & Delphinæ Sabraniæ, 10
videtur obiiſſe incerto poſt milleſimum trecenteſimum nonageſimum nonum anno, & ante milleſimum quadringenteſimum ſecundum: poſt illum enim omnes tabulæ de eo tacent, & iſto die 13. Septembris Bertrandus Raimbaudus frater Aptæ in parte, & Gordæ dominus erat, quas & Simianorum primogeniti ad illam diem fuiſſe ſcimus, & Guinoto juniori à patre teſtamento attributas vidimus. Vtcumque tamen hoc habeat, an. 1407. è vitâ deceſſerat. Ipſo Delphina mater teſtamentum ſcripſit, & Bertrandum Guinoto juniore tacito, vtpote mortuo, dixit heredem ex aſſe. Hoc illa condidit non minore ſapientiâ & pietate, quàm Guinotus conjux ſuum concepe-

perat. Placet ex illo ea recitare quæ ſequuntur. *Item lego tumulo Papæ Vrbani, Eccleſiæ S.Victoris de Maſſilia vnam imaginem de cera, ponderis* 10. *librarum cum dimidiâ. Item lego eccleſiæ S.Honorati de Aliſcampis de Arelate, vnum caſtellum de cera, ponderis* 10. *librarum*, &c. *Præterea volo, & lego capiti S.Elzearij, & in ornamentum ejuſdem vnum meum capellum* &c. Vrbanus Papa, Vrbanus ille eſt eo nomine V. qui S.Elzearium vt loquimur, canonizauit & de Delphinæ virginis, & S. Elzearij vxoris ſanctitate quęſitores dixit & judicialia quæſitorum acta comprobauit. Vide quod ſanctitatis habebat illis temporibus nomen. Memini me legere Sanuictorinorum de ejus ſanctitate judicum acta.

11 Ceterùm Guinotus Delphinæ Sabraniæ conjux ſepeliri voluerat in majorum apud S.Caſtoris conditorio, & in eo templo ædificari *vnam capellam ad honorem Dei, & B.Annæ*, mortuique corpus indui *ad morem canonicorum S. Caſtoris, videlicet de ſuperpelliceo*. Ipſa verò Delphina *elegit ſepulturam in eccleſia ff. Minorum de Apta*, videlicet in tumulo Ioannis patris. Liceat mihi hîc addere, quod S.marthani tom.1. Galliæ Chriſtianæ pag.82. ſcripſerũt de Iſoarda Roea-folia Delphinę matre & Ioannis Sabranij vxore. *Auenione nobilium feminarum academia inſtituta fuit, quarum nomina ſunt hæc. Hugueta de Forcalquerio D. de Tritis, Brianta de Agouto D.de Saltu, Iſoarda de Roca-folia D.de Anſoiſio, Anna Vicecomitiſſa Talardi, Antonieta de Cadeneto, & aliæ. Hæc academia eſt inſtituta in domo Stephanetæ Gantelmæ, feminæ doctrinâ & ingenio præſtantis. Erat hæc amita Lauræ de Sado verſibus Petrarchæ celeberrimæ.* Hæc illi. Ad Guinotum juniorem redeamus. Ipſo mortuo Bertrandus Raibaudus frater adiit vniuerſam Guinoti patris hereditatem, & ad noſtra vſque tempora gentem in familias omnino tres diſtinctam deduxit, Gordanam, Planitienſem, Monchanam. Quartam Vacherienſem ad nos vſque deductam vidimus pueri, ſed ea ab aliquot annis deſiit in fœmina.

12 Bertrandus Raibaudus 3.nupſit Margaritæ Ponteueſiæ, quam Fulco Cotignati, Carcerũque dominus ex Metelina Voutenſi genuerat Fuit illa ex Anduſiana Bermundæ gentis familia. Bertrandus ſuſtulit ex Margarita liberos 6. Iacobũ, Guirandũ, Delphinã, Iſabellã, Perpetuam, & Mariã. Pepetua, & Maria moniales fuerunt Artacellæ (vulgò dicimus la Celle) in Aquẽſi diœceſi. Delphina nupſit Victori Glandeueſio Porteriarũ dño & Iſabella Bertrãdo Ponteueſio D.Ponteueſi. Guirandus, & Iacobus ptolẽ dederũt; Priùs de ipſis quàm diſputẽ, affero illa omnia, quæ in tabulis inueni de Bertrãdo Raibaudo patre.

13 Anno 1415. die 15. Septembris accepit homagium Vacheriarum à Petro de Vacheriis, & à Petro Samoëlli condominis; & die 12. homagium S.Pantaleonis à Gualacio Petri, ſeu Petro condomino. Anno 1427. conuẽnit cum Aptenſibus S.Catharinæ monialibus, de vniuerſa pecuniarum vi, à parentibus & auo donatarum monaſterio. Anno 1432. die 19. Sept. res euenit quæ à me taceri non debet. Eà die Raimbaldus accepit Redorterium ab Alphonſo de Tapia donatione quidem gratuitâ, vt legitur in tabulis, ſed emptione potiùs nomine donationis obuelatâ. Nam principio promiſit ſoluere Draconetę Alphonſi vxori, Dominicanis Buxenſibus, Ioanni Albertaſſio, & Leoni Baudeto eam florenorũ vim quę ſingulis ab Alphonſo debebatur Deinde pollicitus eſt Alphõſo annuatim per ejus vitã florenos 60 Deniq; numerauit eidẽ florenos 25. Cùm Raimbaudus iſta ſcribebat, ſe non dixit militem; militẽ verò dixit anno 1433. 12. Iulij videtur ergo euaſiſſe in militẽ incertâ die inter illam

illam 15. Sept. anni 1415. & iſtam & Iulij 1433. Hoc ipſo anno tertio Antonius de Forcalquerio domino de Viens cogitabat litem intendere de Redorterio, ſed *B. Raibaudus* jam *miles* maluit rem permittere arbitrio ſapientum virorum, & Philippo Neyer Aptenſi Præpoſito fecit poteſtatem eligendo ipſius nomine arbitrarium judicem. Anno 1444. die 19. Sept. Raimbaldus dedit auri florenos 300. Victori de Glandeues genero in deductionem dotis, quam Delphinæ filiæ conſtituerat. Anno demum 1448. ſcripſit teſtamentum; & Margarita vxor anno poſt tertio die 11. Octobris. Illius teſtamentum non peruenit ad meas manus: hæc ſibi elegit conditorium apud Franciſcanos Aptenſes, in quo (vt loquitur) jacent *Bertrandus de Vouta, & mei prædeceſſores.*

Hæc habebam, quæ dicerem de Bertrando Raibaudo. Accedendum ergo 14
jam eſt mihi ad Iacobum & Guirannum filios. Ij ductâ vxore ſinguli ſuam condidere familiam. Quoniam ex Guiranno coorta deſiit in puellam, quæ etiam mortua eſt, ipſam priùs exequar neceſſum eſt, quàm ad Iacobum accedam. Guirannus à puero dederat clero nomen, in Archidiaconum Aptenſem electus: verùm ſeu puellæ cujuſpiam veſanus amor, ſeu juuentus præferuida (hoc enim obſcurum eſt) egit præcipitem in conſilia nuptiarum. Videtur duxiſſe vxorem, ante matris mortem, ſic enim ea loquitur in teſtamento. *Iure inſtitutionis relinquo nobili Scutifero Guiranno de Simiana, filio meo legitimo & naturali, duo millia florenos, quemlibet ipſorum pro ſexdecim ſolidorum Prouincialium computando, in quibus ipſum, mihi heredem inſtituo. Et quòd nihil plus petere poſſit in bonis meis jure naturæ, Trebellianicæ, aut quocumque jure. Et quòd ipſe Guirannus nihil petere poſſit, donec, & quouſque ſolutum fuerit legatum magnici D. Bertrandi Raibaudi de Simiana, quondam viri mei,* &c. *Item plùs lego dicto nobili Guiranno centum florenos, quos ſoluere debet Elzearius de Ponteues D. de Cotignaco & Vallis Carceris de dote D. Metellinæ de Vouta, D. dicti loci, & Vallis, relictæ magnifici D. Fulconis de Ponteues* &c Ecce Guirannum non vocat Archidiaconum. Sed apertiora ſunt, quæ ſequuntur. Cùm Iacobum filium, fratrem Guiranni ſcripſiſſet heredem, ita ſubjunxit: *Si Iacobus de Simiana, filius & heres meus decederet quandoque ſine herede, à ſuo corpore legitimè procreato, volo, & ordino, quòd hereditas prædicta veniat pleno jure, ad dictum nobilem Guirannum, & è contrà verſo. Quòd ſi dictus nobilis Guirannus decederet quandoque, liberis à ſuo corpore legitimè procreatis, legata ſibi facta ad dictum nobilem Iacobũ deueniant.* Iſtâ certè mente dicat ſeu de Archidiacono, ſeu de alio clerico, ſacris Ordinibus addicto; neque enim is poteſt *liberos* à ſuo corpore legitimè procreare. Modicâ verò hereditatis parte adſperſus eſt à patre. Igitur Bertrandus ejus filius, & Petrus ex Bertrando filio nepos, Iacobo Simianæo, & ipſius heredibus, litem ex lege Falcidia, patris creatam ab eo, vehementer vrſerunt. Vacheriarum maiore dominio à patre donatus eſt, atque ex eo cognomen Vacherienſis accepit, & ad poſteros deriuauit.

Habitauit Guirannus Manuaſcæ, vt de ipſo qui in tabulis aliquid poſue- 15
runt, vniuerſi teſtantur. Satis erit Peireſchium afferre. Accuratiſſimus vir in Simianæorum arbore (vt loquuntur) gentilitia, cùm enumeraret Bertrandi Raimbaudi ſecundi liberos, ita de Guiranno ſcripſit: *Guirannus principio Archidiaconus Aptenſis, poſtea Vacheriarum dominus, familiam condidit. Hi ſunt Vacherienſes Manuaſcæ.* Ex innominata coniuge progenuit

filios tres, Berttandum, Antonium, Andream. Bertrandus (de Antonio, & Andrea fratribus nihil lego) Iſabellam de Graſſa habuit in matrimonio, & ex ea liberos nouem, Petrum, Ioannem, Franciſcum, Honoratum, Robertum, Antonium, Margaritam, Claudiam, Annam, vt intelligitur ex teſtamento, quod anno 1522. die 22. Septembris condidit. In illo ſcriba tradit elegiſſe ſepulturam *infra eccleſiam noſtræ dominæ de Romigerio, & in capella S. Honorati, & S. Mariæ Magdalenæ, in tumba ſuorum prædeceſſorum, ac ſuorum domiorum patris & matris.* Addit, *caſu quo legitima, & ſupplementum illius, quam petit à domino de Caſanoua, adjudicaretur, filiorum augere ſe legitimam.* Anna virginitatem Deo vouit, monialis in Artacellæ cœnobio. Quid ceteris liberis factum ſit non inuenio, ſi Petrum excipias, cui filius ex ignota mihi vxore fuit Franciſcus, de quo, & ejus poſteris magnum meis in omnibus chartis ſilentium. Iam verò eſt diu quòd hæc Vacherienſis familia deſiit in fœminam cum hæc ſcribo mortuam: igitur ad Iacobum illius fratrem accedamus.

16 Iacobus Bertrandi Raibaudi tertij primogenitus nupſit Honoratæ de Maſſilia, Bertrandi ex Vintemiliæ Comitibus, Olioriatum domini filiæ, & eâ mortuâ Franciſcæ de S. Seuerino, Franciſci Paudini apud Inſubres Comitis filiæ, anno 1492. die 24. Martij. Anno 1448. die 5. Iunij cepit homagium Arnaudi Grailhe pro bonis Gordæ; & conſequente anno fecit ipſe homagium Petro Aptenſi Epiſcopo pro breuibus Bocariæ, & Mediano. Anno 1463. die 1. Auguſti *inueſtiuit* inferiore Agouti parte Marotum Borghonum ſeu Burgundionem nobilem virum, & Inſulæ in Comitatu Venaſcino oppidi ciuem, qui eam ab Aueta & Helena Nicolai Hugolini nobilis viri filiabus emerat, & *laudimium* ab ipſo cepit. Anno 1470. die 31. Iulij tranſegit cum Franſciſcanis Aptenſibus de pecuniæ vi, quæ à Guiranno & à Maria Guiranni matre, & à Delphina ejuſdem vxore quondam legata fuerat. In tabulis de re ſcriptis Martinus Garini tabellio ſic loquitur: *Fratres Minores volentes amicabiliter agere cum magnifico viro Iacobo de Simiana D. de Caſanoua, ex eo quia ſui antecèſſores fuerunt cauſa fundationis dicti conuentus* &c. Anno 1487. Iacobus litem intendit Procuratori regio de domino tertiæ partis Aptæ: poſſidebat ergo eam tum Rex. Sed quam tertiam partem hanc putabimus? hæc res omnino obſcura eſt. Roſcia, Raibauda, & Mabilia ſorores eam vendiderant Roberto Regi Comiti Prouinciæ, quam ditione tenebant: ſub illud tamen venditionis tempus anno 1332. Bertrandus dominus erat duarum partium Aptæ, & Guirandus frater tertiæ, vt ſuperiore libro num. 12. retuli ea tabulis quas Leopaldus Fuliginens de regiis in Aptam juribus tum quæſitæ ſcripſit. Vides latere me chartarum aliquas ex quibus intelligitur Aptam à Simianæis ad Regem deueniſſe.

17 Ceterùm Iacobus ex Honorata vxore ſuſtulit Guirannum, Catharinam, Mariam; & ex Franciſca poſt Honoratæ mortem conjuge Margaritam & Innominatam alteram filiam. Margaritam verò dominus Podij Michaëlis accepit conjugem. Mariam Petrus Forbinus Barbenci toparchæ filius, eóque mortuo Georgius Bolei Tertæ nouæ, vt vulgò loquuntur dominus, quemadmodum memorat etiam Venaſquius in Arbore Grimaldæ gentis pag. 161. his verbis: *Georgius Bolei dominus duxit primò Margaritam filiam Ioannis Coſſæ, Ty.....pie Comitis, magni Prouinciæ Seneſcalli, & Gubernatoris, deinde Mariam de Simiana.* Catharina Artacellæ monialis fuit. Venerítne Innominata

ad

ad annos nubiles, & nuptias inierit, an verò cœnobiticam egerit vitam, non lego. Guirannus denique 6. Iacobi patris heres ex aſſe, habuit in matrimonio Margaritam Forbinam Ioannis filiam, & Palamedis illius Solerij, Prouinciæ Seneſcalli & Proregis ex fratre neptem; eâque mortuâ Sibyllam de Caſtellana Foſſarum domini filiam, Ioannis de Ponteues Cabanarum domini quondam vxorem. Sequitur vt de illo dicam, cùm aliud non habeam quod de Iabobo patre ſcribi poſſit. Ex Maria ſuſtulit Annam, Honoratam, Ioannam, Bertrandum Raimbaudum, & Guirannum. Ex Sibylla nullos genuit liberos. Anna Baltazari de Simiana Coſtæ domino nupſit, & Honorata Marco Franciſci filio, ex Comitibus Vintimiliis, Ramatuellę domino. Ioanna Artacellæ monialem profeſſa eſt; Guirannus ante patrem occubuit. De Bertrando Raimbaudo, quoniam ab eo per tres familias ad nos vſque gens propagata eſt, poſtea dicam. Nunc de Guiranno 6. ipſius patre, illa ſunt referenda, quæ chartę fideles de eo habent.

Guirannus ergo ſextus annos 1506. die 24. Ianuarij cepit homagium 18
Ioannis de Laſone & Gaſparis Signeri condominorum inferioris Agouti. Anno 1510. cùm vrgeret litem à Iacobo patre ceptam ante annos 23. de tertię partis Aptę dominio à Rege recipiendo damnatus eſt ab Aquenſi curia in has voces: *Manutentioni & reintegrationi, pro tertia parte condominij juriſdictionis Regiæ ciuitatis Aptæ per D. de Caſanoua intentatæ, locum non eſſe curia per hoc ſuum arreſtum dicit, & pronuntiat, ſoluo tamen eidem de Caſanoua actori judicio de proprietate, latiùs inſtruendo.* Huic ipſi Guiranno Aptenſes litem de vectigalibus indixerant, & Senatores Aquenſes pergunt. *Interea verò ex cauſis reſultantibus ex proceſſu, jubet curia & pronuntiat eumdem de Caſanoua, reuarum & tailiarum muneribus, de quibus inter eum & vniuerſitatem de Aptæ judicium fuit, per ipſam vniuerſitatem immunem ſeruari; neque ampliùs per eamdem vniuerſitatem, aut ipſorum munerum executores vexari pro bonis ſuis, quæ jure proprio ac directo in diſtrictu dictæ ciuitatis poſſidet, donec aliud per curiam in judicio proprietatis, causâ cognitâ, fuerit ordinatum.* Atque hactenus dictum ſit de Guiranno ſexto.

Bertrannus Raimbaudus 3. Guiranni 6. filius, vxorem duxit Petram de 19.
Ponteues, Ioannis Cabanarum domini filiam; & ex ea progenuit liberos omnino ad octodecim. Eorum nomina, ordinemque ſingulorum ortus, accipere ex charta domeſtica. Bertrandus natus eſt anno 1513. die 18. Nou. Ioannes anno 1515. die 21. Aprilis. Baptiſtina 1516. die 24. Nou. Franciſcus an. 1518. die 23. Sept. Sibilla an. 1519. die 5. Sept. Ioannes Baptiſta anno 1520. die 20. Nou. Anna anno 1522. die 3. Ianuarij. Ludouica anno 1523. die 25. Martij. Carlota anno 1524. die 1. Septembr. Ioannes Antonius anno 1525. die 7. Dec. Claudius anno 1527. die 19. Ianuarij. Sibylla anno 1528. die 24. Februarij. Petrus anno 1529. die 30. Sept. Gaſpar anno 1530. dominica 1. poſt feſtum S. Michaëlis. Baltazar anno 1533. die 28. Auguſti Melchior anno 1535. die 2. Februarij. Aimarus anno 1536. die 16. Aprilis. Margarita anno 1540. die 18. Martij. Ioannes, Claudius, Petrus innupti ceciderunt in bello ante annum 1577. Baltazar, & Melchior Equites Melitenſes fortiter agentes occiſi ſunt; hic an. 1557. ex vulnere accepto in graui pro Ordine ſuo prælio Meſſanę; ille an. 1565. in propugnatione Melitę à Turcis obſeſſę. Ioannes Baptiſta Vencienſem epiſcopatum adiit anno 1555. & eo

abdicato Aptenſem anno 1560. Franciſcus vir apprimè pius, cùm apud Cartuſianos vitam, cum magno ſanctitatis nomine diu egiſſet, quorum etiam Bonipaſſu, & Villanouæ Prior fuerat, Ioanni Baptiſtæ in epiſcopatu Aptenſi ſucceſſit. Cum Epiſcopatu rexit celeberrimum illud apud Toloſates S. Saturnini monaſterium, & vtrobique ſeruauit integerrimæ ſanctitatis nomen, quod apud Cartuſianos habuerat. Illud Sanmarthani meritò laudant, quòd Epiſcopatum pedes cùm per ætatem licebat luſtrauit, & in cœnobio Toloſano conſtituit ſacerdotia (præbendas vocant) 10. iuſque miniſtros ad ea legendi conceſſit ipſius collegio. Baptiſtina, Sibylla, Carlota, Anna, Margarita, innuptæ obierunt: Ludouica monialis fuit Artacellæ, & Sibylla altera, quam vocabant quoque Cæciliam, Auenione Clariſſa. Antè autem quàm vltrà progrediar, iuuat aduertere quòd anno 1541. Petrus Prior Cartuliæ & Generalis Cartuſianorum, ſedente generali Capitulo conceſſit *participationem exteriorum, & bonorum ſpiritualium, quæ auctore Domino fiunt, & fient in futurum in vniuerſo Ordine, in vita pariter & poſt mortem Bertrando Raibaudo de Simiana & eius coniugi nobili Petræ de Pontenes, & eorũ filiis, & filiabus, videlicet Ioanni Antonio, Claudio, Petro, Baptiſtæ, Gaſpardo, Baltazari, Melchiori, & Aimaro, atque Annæ, Ludouicæ, & Margaritæ.* Franciſcus ab annis 23. Cartuſianus, fecerat vt hæc bonorum ſpiritualium participatio concederetur parentibus, fratribus, & ſororibus: vnde intelligis mortuos antè illum annum fratres fuiſſe, mortuas ſorores, quibus ea non conceditur. Ad Franciſci fratres reuertamur. Bertrandus, Gaſpar, & Aimarus vxorem duxerunt. Aimarus Rupi-Gironis, Bannoni, Hoſpitaleti, & Saumanæ dominus, ex Hortenſia vxore Paulum genuit. Gaſpar Euennæ, Oliolarum, & Sannazarij dominus, Paulique ab Aimaro geniti, & in pueritia mortui heres Catharinam de Cheurieres duxit vxorem. Bertrandus Caſanouæ, Gordæ, Gargatij &c. dominus habuit in matrimonio Guigonam Alemannam Caroli filiam Vallis, Terraſſæ, Lombini, & Ciciliænæ domini, atque in Delphinatu proregis. Bertrandus & Gaſpar dederunt prolem, è qua familiæ tres ad nos vſque deductæ ſunt.

24 Vt à Gaſpare ordiar, numeroſam ſobolem is dedit, Bertrandum, Laurentium, Iacobum, Sebaſtianum, Gabrielem, Laurentiam, Carlotam, Catharinam, & innominatam. Iacobus Euennæ dominus, Iaunagæ Sebaſtianus, & Gabriel Sannazarij vixerunt innupti. Laurentius Archidiaconus & Comes Lugdunenſis fuit. Catharina ante nuptias extremam obijt diem. Carlota Antonio Vichio Comiti Chanronionupſit. Laurentia, Ioanna virginitatis in monaſterio cultum nuptiis prætulerunt, hæc in Marciniacenſi, in Sancolumbano illa ad Viennam. Bertrandus omni fratrum ditione, vniuerſiſque opibus collectis heres, ex Ludouica Malinia ..... baronis de Lus, & in Burgundia proregis filia, progenuit (vt altera filiarum Vrſulana ſcribebat non ita pridem) *liberos* 10. *maſculos* 4. *feminas* 6. *primus filiorum Aimo Claudius extremam diem obijt innuptus: Duo Comites fuerunt Lugdunenſes, Laurentius, & Antonius Franciſcus: qui familiam duci Aimo Claudius Annæ de Legniuilla iunctus eſt matrimonio. Filiarum quatuor ſunt moniales, Ioanna & Maria Angelica Benedictinæ, Vrſulanæ Franciſca & Magdalena. Maria nupſit Arpajonio Duci. Aimo Claudius Bertrandi filius progenuit liberos* 12. *quorum quatuor ſunt maſculi.* Atque hactenus dictum ſit de Gaſpare, & ab eo ad nos vſque

ducta

ducta familia, quam placet Monchanam appellare à Comite Monchano, qui clarissimus ac fortissimus vir octauus & decimus ab Humberto illo per longissimam heroum seriem rectâ, neque vsquam interruptâ lineâ descendit, quem *nobilissimum & dominum* suum dicebant Aptenses ante annos circiter septingentos, vt vidimus suo loco.

Bertrandus Raibaudus 5. ante Gasparem Bertrando Raibaudo & Petrâ Ponteuesiâ natus, vxorem habuit Guigonam Allemannam, Caroli Delphinatum Proregis & Annæ Albigniacæ filiam & heredem ex asse. Anna dominabatur Albignio, Carolus Lauallo, Terrassæ, Lombino, & Cicilianæ. Bertrandus ex Guigona procreauit & alios in ætate infantili mortuos, & Gasparem, Baltazarem, Carolum, Laurentium, Laurentiam, & Margaritam. Margaritam duxit Montesoni baro gente Claromontanus, Laurentiam Laurentius Hurreus Orchæ dominus; Gaspar, & Laurentius innupti obierunt, & Gaspar quidem magno Simianæ gentis vniuersæ luctu, in ipso ætatis flore. Vir animis & manu acer, an. 1571. pugnauerat Naupacti, cùm Christianorum exercitus celebertimo illo prælio Turcam deuicit. Tertio pòst anno Henricum Andium ducem in Poloniam capiendo sibi regno, euntem secutus fuerat. Quinto demum ac septuagesimo sæculi mense Februario, aduersus Caluinianos fortissimè agens, in Montis Aimari obsidione cæsus est. Baltazar, & Carolus ductis vxoribus, suam singuli dedere familiam, quam vtramque honoribus, opibusque florentissimam, vt nunc exequar necessum est. 21

Baltazar habuit in matrimonio Annam ex Sanmarcillinorum Auanconiorum (vulgò dicimus *d'Auançon*) gente, de qua Muretur prafatione ad suos in Horatium commentarios ita loquitur ad Ioannem Annæ patrem, Romam à Rege Legatum ad Pontificem. *Natus es ex gente, quâ nulla inter Allobrogas, ne quid amplius dicam vel antiquior vel omni genere ornamentorum cumulatior reperiri potest* Anna moritur anno 1585. die 25. Februarij, cùm peperisset Guilelmum præcedente anno; & Baltazar anno 1586. die 30. Maij ex ictu sclopeti, sub annum ætatis quartum & vigesimum.

Guilelmus Baltazaris filius, sibi nomen paternum & auitum seruauit à Gorda, cuius Marchio primus etiam fuit. Gabrielam Ponteuesiam, Carcerum Comitis, & Senescalli, ac Proregis Prouinciæ filiam duxit in vxorem, & ex ea liberos octo progenuit, Franciscum, Eleonorum, Ludouicum, Ludouicum Armandum, Iosephum, Margaritam, Annam, & Gabrielam. Gabriela, & Anna (dicebantur etiam Gabriela Anna, & Anna Susanna) moniales virginitatem Deo vouerunt. Margarita Mannæ Marchioni Forbinio nupsit, & post eius mortem Tori & Caderossæ Marchioni Ancezunio qui ab Alexandro. Pontifice in Ducem euectus est. Eleonorus in ætate infantili, & in puerili Iosephi occubuere. Ludouicus Melitensem equitem professus est Ludouicus Armandus Cheminioni Cistercienſium monachorum, & Rotæ Augustinianorum canonicorum cœnobiis præest. Franciscus Guilelmi filiorum primus ex Anna d'Escoubleau Petri Marchionis Sordij & Antonettæ Bertagniæ filia plures edidit Liberos. Hic vir Simianæ gentis princeps, primam eius familiam ducit, quam ex Gorda, quæ ipsi, cognomen facit, placet Gordannam appellare. 22

Eam

Eám ſecunda ſequitur. Planitienſem poſſumus dicere, à Planitiis, quarum Marchio illi præeſt. Tertiam in ſuperioribus expoſui: vt de ſecunda loquar, redeundum eſt mihi ad Carolum Baltazaris illius fratrem, à quo Gordana familia prodijt, & Bertrandi ac Guigonæ filium iuniorem.

24 Carolus is ille eſt, qui Simianæam gentem, à patre magnâ ſuâ laude in Delphinatum è Prouincia, in qua ad ipſum hæſerat deductam, maiore inuexit è Delphinatu in Sabaudiam, & Pedemontium. Albignius dicebatur ab Albigno pago, cui à matre accepto dominatus eſt. Tenuit etiam ditione Buglium, Monromanum, Cabanas; & apud Pedemontanos Roattum, atque Marettum cum nomine Marchionis. Sabaudiam pro Carolo Emanuele Duce rexit, & ipſius duxit exercitus. Matildi Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis filiæ, cùm in liberos ingenuos adſcripta fuiſſet, nupſit. Eam poſt Margaritæ vxoris, quam Franciſcus illo nomine primus Francorum Rex genuerat, mortem, ex nobiliſſima femina, *cui ad aliquam ſpeciem nuptias promiſerat*, vt P. Matthæus tomo 2. hiſtoriarum ſui temporis loquitur, progenuerat. Sed hic vir eum totâ vitâ ſe præſtitit, vt præclara ipſius facinora tacere mihi nefas ſit, cuius & alij, & Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, verus ac certus rerum ab illuſtribus viris geſtarum æſtimator, in tabulis quibus Matildem ſororem dabat vxorem meritò prædicauerunt. Et verò in illa incidit tempora, quæ, vt difficilia & impedita erant, magnam, ſi eminere aliquando vellet, poſtulabant mentis vim. Neque ſcilicet fulgentior aliàs videtur ſol, quàm cùm è turpiſſimis nubibus victor emicat, ſeſeque explicat.

25 Carolus ergo è pueritia tum emergebat, cùm Caluiniana hæreſis maximum Galliæ turbamentum, & alias circùm regiones, & Delphinatum tanto miſcebat impetu, vt multi è ſummis gente viris exiſtimarent, illam non aliis ſiſti, infringique viribus poſſe, quàm eorum omnium inter ſe iunctis, qui catholicam fidem Chriſtianiſſimo in regno ſeruatam vellent. Veuerunt ergo clam omnibus in conſilia, fœduſque inierunt inter ſe, quod pro re quæ gerebatur, ſancti nomen accepit. Hoc illud fœdus eſt, quod poſtquam emanaſſet in vulgus, aduertit omnium toto orbe Chriſtiano populorum animos, defixitque. De eo aliter ſenſerunt alij Meum non eſt, neque locus poſtulat, de ipſius initiis, progreſſuque dicere; ſanctumne omnino ſemper fuerit, an verò cùm è fontibus profluxiſſet integris, polluti aliquid poſtea acceperit, quod puriſſimis non rarò euenit amnibus; vbi enim ſincero per aliqua locorum ſpatia fluxerunt agmine, eos aliquando, qui occurrit, corrumpit riuulus. Certè quidquid nonnulli aliud ſpectauerint, pietas, quæ in Carolo totam eminuit per vitam, euidentiſſimè affirmat non aliud cogitaſſe, cùm fœderi illi adſcriptus eſt, quàm vt catholica fides integris religionibus ſtaret, euertereturque hereſis Igitur & genti ſuæ magnam peperit laudem, Deo veluti remunerante virtutem viri, & ſemina dignitatis atque claritudinis iecit, in quam Hyacinthus filius eduxit Simianæum genus; cùm ſcilicet à principio adhæſiſſet Nemoroſio Duci, & ab illo poſtea ad Sabaudiæ Ducem, agnatione proximum, veluti traduce, peruenisſet. Sed ex magna facinorum multitudine, ſeiungamus paucula, & ea breuiter exequamur.

26 Anno poſt milleſimum quingenteſimum nonageſimo, Carolus vi cepit Bellimontem, & munitiſſimam Gieraram arcem, vt Gratianopolis non

in Caluiniſtarum manus. Ducebat ſexcentos equites, & peditam quatuor millia. Neque Ledigueriꝰ, poſt obſidionem menſtruam, recepit Gratianopolim niſi ex gra[illegible]plurium rerum ad dicuturnam propugnationem neceſſariarum defectu, & maximè nonnullorum, neque ignobilium ciuium à catholica fide ad hæreſim receſſu.

Octauo pòſt anno Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, Carbonariam Mau- 27
rienna arcem illis temporibus munitiſſimam, ab hoſtibus captam obſidebat. Obſidionem in tres regiones diuiſit, & tertiam, primâ ſibi ſeruatâ, permiſit Albignio, qui Legatus erat in exercitu; ceteris prouinciarum ſuarum ſummis viris poſthabitis. Nam hoc Hiſpano regi dederat, vt auxiliares ab eo copias in ſecunda conſtitueret. Neque ſui Principis iudicium, expectationemque fefellit vir fortiſſimus. Vnum præterea fecit à me commemorandum. Crequius armis notiſſimus, ac demum Franciæ Mareſcallus, veniebat obſeſſis Præſidio, & Albignius occurrit validum ducenti exercitum, ſtrenuéque pugnantem multo cum milite cepit. Victoriam ſecuta eſt Carbonariæ ab Arceſio, adeóque vniuerſæ Mauriennæ ſuo reſtitutio Principi. Igitur Carolus Emmanuel ſummam, quæ in viro eminebat, bellicæ artis præſtantiam demiratus, præpoſuit ſuis exercitibus, cum ingenti commendatione virtutis. Quis omnia referat, quæ in illo Sabaudorum imperio militum, pro ſeruanda ſui Principis dignitate ſuſcepit? Vnum tacere non poſſum, quod vniuerſo Chriſtiano orbe præcipuam laudem habuit. Anno poſt milleſimum 28
ſexcenteſimum ſecundo, conatus eſt Geneuam, milite per ſcalas muris admotas introducto, capere. Secundâ & vigeſimâ Decembris dies agebatur. Maxima noctis per totum annum longitudo, aptiſſima erat tanto facinori. Per Aruæ fluuij ripas, aquarum inter ſaxa ruentium longo ſonitu reboantis, milites ipſe duxit, ne, quod nolentibus etiam excidere poterat murmur, perciperetur à Geneuenſibus. Cùm ad Plampalatianâ planitiem peruenisſet, coëgit omnem exercitum; & vnicuique cohorti ſua munia aſſignauit. Quibus iuſſum erat muros vrbis inſcendere, ij ipſo duce ad illos peruenerunt, foſsâ altè lutosâ cratibus, quas ſinguli ſingulas ſibi ferebant, ſuperatâ. Inſtructi erant chalybeâ ſecuri clathris ferreis infringendis, tudite ſeris excutiendis, euellendis clauis forcipe, tubo ferreo foribus, quibus eſſet inſitus, perfodiendis ac perrumpendis. Milites omnino trecenti ſpectante Albignio, & fauſta omnia apprecante, muros conſcendunt. Hæc minutatim ſingula afferre placuit, vt accuratam viri diligentiam, ſolertemque prudentiam videas. Certè grauiſſimam facinus non potuit altentiore curâ geri. Verùm ad cetera veniamus. Vrbem intrant generoſi milites, bini per vrbem gradiuntur, ſi fortè quid moueatur perſenſuri. Et omnia bellè quidem proceſſerant hactenus: ſed vnde minùs cogitari potuerat, inde audacibus ceptis labes fuit. Bernollerius animis, conſilio, corporiſque robore præſtant vir circuitorem mentitus, vigilem exactâ teſſerâ peremptum deiecit in foſſam muralem: cúmque ſedem illius occupaſſet, circuitorem verum qui teſſeram erigebat, in eamdem foſſam deturbat. Felicium ceptorum infelix fuit exitus. Scilicet qui facem circuitori præferebat puer, cùm hereu confoderetur, excubitorum cohortem de tota re raptim monuit. Conclamatur ad arma: in loca proxima ſerpit ſtrepitus: ſpeculator monetariæ turri pro more impoſitus, audito tumultu ſignum dat ære campano militare: mouetur totâ vrbe, conſiliaque

illius occupandæ,ingẽtibus cepta animis,& certis digesta cõsiliis, momento diſiciuntur.Hic Albignius illam animi firmitatem reuocãdo ex vrbe,recolligendoque militi præstitit, quam exhibuerat inducendo in vrbem. Receptui canit: scalas, seu restituit sublatas,seu laxatas recomponit: nihil demum non tentat vt omnes sui eripiantur manibus hostium. At Bemollerius catapultariâ cadit glande: Attignatus,Sonnatius,Chaffardonus,alijq;non pauci opibus, gẽte,rebus gestis nobiles viri,exitum arte nullâ,nullâ vi expedire potuerunt: Carolus Emmanuel Sabaudię dux,doluit quidẽ suum felicibus ceptis finem non respõdisse,eorũ verò auctorẽ amare tamen vehementer,laudareque pertexit,cuius virtuti fortunã magnorum facinorũ inuidã interceſſisse videbat.

29 Carolus ad annum vsque septimum à milleſimo ſexcenteſimo vixit: Matildis ad annum vsque nonum ab eodem & trigeſimum peruenit,quo ſecuſiæ mortua est in Christianæ reginæ ducisſæ Sabaudiæ comitatu,cuius præfecturam domus gerebat. Amborum conjugum corpora iacent Taurini in æde ſacra monialium, quæ à B. Virginis visitatione ſibi nomen fecerunt. Eam cum ſuo monaſterio Matildis excitauit.

30 Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus, Caroli Albignij & Matildis Sabaudia filius magnum ſibi nomen toto Chriſtiano orbe peperit ſciẽtiâ,pietate,rebus pace, belloq; geſtis. Mathematicas ille ſcientias,philoſophiam,ſacram & profanam hiſtoriam apprimè callet: & quod pietatem ſeu ſequitur, ſeu alit,omne virtutis genus,adeò verâ certâque colit conſtantiâ, per infinitam & vehementer impeditam negotiorum quæ gerit vim, vt in Deo dicata domo,non in Sabaudorum ducum regia,res agere videatur.Pręclara ſeu bello,ſeu pace viri facinora hiſtorici Sabaudię recitant;& meritò:cum rebus enim geſtis Sabaudię Ducum ita coniunctę ſunt,vt ab ipſi ſeiungi nequeant.Eorum ſcilicet auſpicis arma tractauit:& ipſius conſiliis geſſere illi ſuas fere omnes per bellum,& pacem res. Eæ verò ſunt eiuſmodi,vt omni ſuperiores præconio, admirationem ſapientum virorum & mereantur, & habeant.Bellum ingens Gallis erat cum Auſtriacis,& Germaniam magna cum Italiæ parte,& Hiſpaniam ditione tenentibus; atque funeſtiſſimum & his, & illis putabatur.Non gladio,ſed igne pluribus locis actum eſt. Sabaudus non tam medius inter illos, quàm ab ipſis omni parte concluſus,magno cum ambobus, neque hactenus audito animo ita pugnauit,vt nunc in hos,nunc in illos,vt res ſuæ poſtulabant, arma conuertens,victor demum ex vtriſque dici poſſit,qui & ſua ab ipſis delibata, ſibi demum ſeruauit omnia; & non contemnendâ etiam Montisferrati parte,ab iiſdem magnâ ſuâ donatus eſt gloriâ. Qui, & quàm inſani labores Planitiarum Marchioni per illa tempora,& per ſe dura,& armis conſiliiſque infida ſuperandi fuerunt? Profectò & aſperitatem rerum quando gerebantur, & felicitatem,poſtea geſtæ quàm ſunt,attendenti mihi penſantique, videtur humano aliquid ingenio maius ſuſcepiſſe. Sed locus poſtulat, vt, ſi non omnia (longioris enim eſſet id operæ)nonnulla certè attingam dicendo magis, quam fusè recitem.

31 Anno 1632. Hyacinthus iuit in Germaniam, ad Imperatorem à Sabaudiæ Duce legatus. Queraſquæ conuentum fuerat de huius Dũcis in Montemferratum iuribus, eique ipſius non omnino modica pars attributa cum Trino oppido,quod arx munitiſſima noſtris temporibus celeberrimum fecit. Æquiſſimum quidem erat,vt quæ pacta conuẽta probauerat Germanorum Imperator

Digitized by Google

Imperator, prorſus ſanciret, accepto Sabaudiæ ducis pro data regionis parte homagio. Sed Mantuanum Ducem malè habebat, & Monferrati conceſſa Sabaudo pars, & Trini oppidi atque arcis a ſua ditione diuulſio. Omni ergo arte contendebat, vt ſi non poſſet penitus intercludi, certè differretur homagium. Sic enim fere habet res, vt quod in aliud tempus diſſicitur, aliquando etiam demum penitus euertatur & concidat. Suis ſcilicet omnia eunt momentis, quæ vbi efluxerint, minimè poſſunt reuocari. In pactis etiam erat, vt Pinarolo Galli excederent; & Auſtriacæ, non quæ Hiſpaniam tenet familiæ, ſed gentis vniuerſæ, hoc vehementer intererat, vt extra omnem Italiam, atque prorſus trans Alpes illi amandarentur. Hoc non videbatur futurum; & Gallos Pinarolo nunquàm excedere voluiſſe affirmat euentus; ei enim à Sabaudis empto imperant, apertâ ſibi in Italiam (quod omnium vnum vehementiſſimè expetierant, contenderantque) ampliſſimâ viâ. Igitur Mantuanus per Imperatoris vxorem, gente Gonſagam, & Mantuani quondam Ducis filiam vrget, vt Sabaudus ad clientelæ pro Trino, & ad Trinum regione, profeſſionem non admittatur, ante Gallorum Pinarolo diſceſſum. Poſtulatio non iniqua videbatur, probari tamen Ludouico Frãcorum Regi non poterat. Planitiarum Marchio poſt hanc, & plures alias difficultate, quæ inſuperabiles videbantur exhauſtas, clientelã nomine ſui Ducis pro cõceſſa Monferrati parte profeſſus eſt. Atq; hoc magnę mẽtis opus fuerit, ſummique conſilij quo viget.

Quantùm autem manu valeat, oſtendit & aliàs, & ſeptimo pòſt anno. Benna oppidum eſt, arce firmâ potens. Pedemontani aduerſus Ducem ſuum 32
tenebant, Vargâ Hiſpano rectore. Planiatiarum Marchio ad illam expugnandam venit non expectatus; obſidione cingit; tormentis quatit æneis; euerſis ſulphureo puluere quem ſubiecerat propugnaculis, in oppidum ferox irrumpit. Nulli Hiſpano militi, Pedemontano nũlli parcitum eſt. Vnus Vargas gladio exemptus in captiuitatem abijt. Sed quid vniuerſa fortiter à viro geſta ſequor dicendo? Harcurtius Comes, Tranſalphino, Gallorum exercitui à rege præfectus, anno 1640. fecit duo in Pedemontio, ad omnium poſterorum memoriam perilluſtria: Caſalis ab Hiſpano obſidionem ſoluit, Taurinum obſe- 33
dit, cepitque. Cum eo in vtraque expeditione fuit Planitiarum Marchio, ſuumque locum magnâ laude tenuit. Caſalem obſidebat Leganeſius Hiſpanus, inque munimentis omni ope firmatis habebat pedites ad duodecim millia, equites ad quinque millia: Galli Sabaudique plurimùm inferiores Hiſpanis (erant enim ad ſex millia peditum & tria equitum millia) in eos animosè irrampunt, perfringunt omnia munimenta, ſincerè demum victores. Hiſpani ad tria millia, ſeu gladio confoſſi ſunt, ſeu Pado merſi; plurimi capti: direpta eorũ caſtra; ænea tormenta omnia, omnia impedimenta in Harcurtij poteſtatem venerunt. Sed vt erat infracti princeps animi, corporeque fatigari neſcius, Caſali ab Hiſpanorum obſidione ſoluto Taurinum venit inexpectatus, & obſidet. Taurinenſes omni ope obſtiterunt obſidenti, & Hiſpani agente Leganeſio veuerunt obſeſſis præſidio. Et his, & illis medius latè dabat ſtragem Harcurtius, eò que rem demum deduxit, vt Hiſpani ad ſua redire coacti fuerint, & Taurinenſes intra ſua mœnia victorem admittere, Planitiarum Marchione, qui Sabaudos ducebat pedites, laborum omnium, & gloriæ ſocio.

Anno 1655. hic ipſe Marchio à ſuo Principe juſſus reddidit officio ſuo 34

hæreticos vallium Lucernæ, Sanmartini, Angronæ, & Perusæ, qui aduersus Ducem Sabaudiæ rebellauerant,armis compressos, quoniam & altiùs repetenda res erit,quàm postulet oratio à me susceptasi totam exequi voluerim; & quæ Emmanuël Philibertus primùm, deinde Carolus Emmanuël semel, atque (cùm multa nouarum rerum studio turbarentur) iterum ac tertiùm sapientissimè constituerunt, recitanda,placet omnem prætermittere. Atque igitur dictum sit hactenus, de præclaris viri bello paceque facinoribus.

35 Habuit ille in matrimonio Ioannam Arborienſem à Garineria, Caroli Antonij Mercurini Arborienſis Gastinatæ Marchionis, & Virginiæ Languscanæ, quã Alphonsus Mottæ Comes genuerat, filiã. Ex ea sustulit liberos 5. Ludouicum Franciscum,Carolum, Ieronẽ, Franciscam Mariam,& Matildẽ. Ludouicus Franciscus impubes occidit, de Carolo statim dicã;Maria nupsit Carolo Ludouico Sãmartinensi d'Agliè,Comiti S.Damiani;Frãciscã Maria Ludouico ex Comitibus Valperguiis, Comiti Masini, & Marchioni Perleti primùm,deinde Ludouico Ferrero Fiesco,Marchioni Creuecorio,filio tum Principis, nunc Principi Messerani, Matildis Ludouico Felici de Vilcardet, Marchioni de Triuier.; Carolus denique an. 1642. natus est. Nupsit an. 1659. Ioãnæ Mariæ Grimaldæ,Herculis Monæci Principis ex Aurelia Spinola filię. Hercules tum obierat diem extremum ejus pater, & Honoratus auus,atque Ludouicus frater dederunt Carolo conjugem; Hic ex ea progenuit anno 1667. filium. Apud Focunates prœerat militibus sui Ducis, cùm is natus est. Natum domi baptizauerunt,& Cajetanum Pancratium Raimbaldum dixerunt. Hoc Raibaudi nomen apud Simianæos olim communissimum fuisse vidimus in superioribus: beatorum Pancratij, & Cajetani bonam experta fuerat opem mater,cùm infantem habebat in vtero. In æde sacra verò vocauerunt Herculem Hyacinthum ex auorum materni paternique nominibus,cùm cetera baptismi rituum peregerunt quæ in domo paterna fuerant

36 pro more prætermissa. Sed quæ nuper gesta res est, mihi tacenda non est. Agebatur trigesima dies Maij,cùm Marchio Planitiarum, Taurino ad Sancti Pancratij in agro Planitiarum se confert. Hìc in Augustinianorum discalceatorum quod erexerat monasterio, deponit ensem & in Principis quidem sui manibus torquem Annuntiatæ Virginis reponendum dat muneraque omnia belli,& curiæ, opes autem vniuersas in Carolum filium confert suas militum præfecti partes agentem in Focunatibus.Quæ magni,nostroque sęculo inauditi facinoris causę! Accipe.An. 1658.vouerat se compositâ re domesticâ,& vxore Carolo filio acceptâ, concessurum ei sua omnia, & curię Principis dicturum vale. Igitur an.1660. re vtrâque illâ confectâ voluit votum exequi,neque potuit; omnia enim contendenti obstitit Sabaudię Dux, obstitit Ducis mater & eò denique,cũ cetera irrito nisu cogitassent, deuenerunt,vt Alexander tum Pontifex,pro summa potestate juberet pergere in suorum obsequioprincipũ, neque pauperem ex voto vitã nisi jussũ agere. Marchio quâ decet obseruantiâ audiuit mandata Pontificis, & nihil vltrà mouit, cùm sæpiusculè rogatus Alexander perstaret in sententiâ,præciséque semper juberet,vt in Celsitudinis regię perduraret potestate; atque Dux non semel, anno potissimùm sexto sęculi & sexagesimo nõ audiret multâ prece rogantem. Igitur acceptâ morte Pontificis, quâ mandatum ejus expiraturum acceperat à sapientibus viris,tertiâ post die in Sanpancratianam domum Augustinianorum

guſtinianorum ſeceſſit,paupertatem ex voto ſeruaturus, ad quam à multis jam annis expetitam totis animis anhelabat. Dux inexpectato commotus nuntio,rem in Theologorum omnino quinque arbitrio ponit. Hi dixerunt Marchionem ſuo teneri voto,ſed per illud poſſe Principis,cùm juberet, intereſſe conſiliis. Pro illorum reſponſo, juſſus eſt Marchio Taurinum redire, vt ad conſilium, cùm res ferrent adhiberetur à Duce : & in Miſſionariorum Taurinenſium ædes ipſe conuolauit. Eas ſcilicet maximè omnium opportunas cenſebat,vitæ quam inſtituerat.

Atque hæc ſunt quæ de tribus à Guinoto ductis Simianæorum familiis 37
dicenda exiſtimaui. Vides illuſtriſſimis abundare ſingulas viris, qui bello paceque clariſſimi, magno ſuæ genti fuerunt ornamento. Hoc ſingulare habent,vt ab illis ceperint,qui nominis ſui gloriam cum omni poſteritate coæquarunt. Gordanæ primus fuit Baltaſar,qui annos quinque & viginti natus,fortiſſimè & ſupra hominem agens ad Montem Aimari,pro Deo & Rege aduerſus Caluiniſtas, occidit. Planitienſis autem à Carolo illo Albignio ſumpſit initium,qui principis ſui duxit exercitus,Geneuamque tentauit arte. Monchanam denique orſus eſt Gaſpar,qui cum Duce Nemoroſio, Claſſevaſeo, & Boulierſio Mannæ ad Forcalquerium domino, cum totidem aduerſariis,Marchione ſcilicet Peſcario,& aliis tribus hoſtilis exercitus proceribus,ſingulari certamine pugnauit & Franciſcum Caraffam, Pij IV. Pontificis ex fratre nepotem lanceâ transfigens,magno & Galli,& hoſtilis exercitus præconio peremit.

DE SIMIANÆA GENTE

LIBER QVARTVS.

LIBRO 2. in fine diximus Guiranno 5. & Mariæ Maſſilienſi fuiſſe Guinolum,ſeu Guinotum & Berengarium filios,è quibus ductæ familiæ ad nos vſque peruenerunt; & libro 3. illas attulimus familias,quæ ad nos vſque à Guinoto deſcenderunt. De Berengario,& ab ipſo familiis diſputandi ſit hoc initiam.

Berengarius Guiranni de Simiana,& Mariæ Maſſilienſis Euennarum do- 1
minę filius minor natu, nupſit Beatrici de Villanoua ; eâque ante annum 1396. mortuâ Amabilię de Sabrano. Ex Beatrice progenuit Bertrandum Raibaudum,& Mariam. Hęc conjugem habuit Ioannem de la Merle, aliàs Maſtinum : Innuptus ille obiit extremum diem. Ex Amabilia edidit Reforciatum,Ludouicum,Petrum,Delphinam.Refortiatus juuenis animoſus occidit in bello,ignotis loco & anno,fortiter agens. Petrus in Montis-majoris ad Arelatem monaſterio fuit Prior. De Delphina nihil niſi nomen inuenio. Ludouicus demum patris heres ex teſtamento,quod Berengarius ſecundum anno 1420. ſcripſerat,dedit ex vxore liberos. Secundum dixi teſtamentum,

nam quatuor & viginti antè annis, sexto scilicet ac nonagesimo post millesimum trecentesimum, die quinta mensis Nouembris, alterum condiderat *sanus mente & corpore*, vt ferunt ejus verba, *cùm intenderet ad alienas partes se conferre*, & quidem Beatrice vxore mortuâ, Amabiliáque nondum ductâ; *& elegerat corpori suo sepulturam in ecclesia S. Castoris de Apta, in tumulo, quo sunt sepulti prædecessores sui, si ibidem commodè posset sepeliri. Si verò ibidem commodè sepeliri non posset, eligit sibi sepulturam, in Ecclesia Castronoui, in qua est sepulta Beatrix quondam vxor sua.*

2 Ceterùm à Guiranno patre donatus est Castronouo, Iunqueriis, & parte Cauorum montium, seu Caumontij (vox est in Latinum morem deducta ex vulgari *Caumont*) in Comitatu Venascino, tertio aut quarto lapide ab Auenione. Castronouum Guirannus emisse fertur à Giraudo, cujus auus Rostagnus, Amici nomen in Sabranium mutauerit, cùm Guilelmi Sabranij sine liberis mortui hereditatem adibat. Pagus est in Caullicensi diœcesi. Ab eo Giraudo vulgus appellat Castrum-nouum Domini Giraudi: Ioseph Suares autem Vasionensis Episcopus, in descriptione Comitatus Venascini Castrum-nouum Amici, ab Amico illius auo. Putabam Iunquerias, siue Iuncherias, & Cauorum montium partem, ceteraque sua in Comitatu Venascino prædia siue rustica, siue vrbana, ab eodem Rostagno Amico accepisse. Profectò id de Iuncheriis asserit Aimarus Simianæus Bannonis dominus, ex domesticis abs dubio tabulis, in commentariis de sua gente anno 1580. scriptis manu.

3 Ludouicus Berengarij filius, an. 1424. nupsit Ludouicæ Ponteuesiæ, cujus pater Renardi Castro dominabatur. Ex ea progenuit Stephanũ, Bartolomeũ, & filias 3. quarum secunda ortu conjugem habuit dominum Petraruæ, prima verò aut tertia Guilelmeta *Herculẽ Burgundionẽ* (ita lego in Bartolomei fratris testamento) *Insulæ Venascini* & eo mortuo *Vincentiũ D. de Causans*. Stephanus & Bartolomeus duas latè fusas dedere familias, Castronouanam ille, hic Costanam, ita dictas ab hereditatis paternæ partibus, è quibus sibi cognomen fecerunt, vt & ab inuicẽ, & ab agnati Guinoti posteris secernerentur. Stephano quippe cessit Castrum-nouum, & Bartolomeo Costa. Iam locus postulat, vt alteram familiam seorsim ab altera exequamur, initio ducto à Stephano, qui Bartolomeum ætate superabat.

4 Stephanus Castronoui dominus anno 1468. Delphinam Peregrinam duxit in vxorem, & eâ sine liberis mortuâ, Margaritam Castellaniam anno incerto; ipsáque etiam defunctâ sine omni prole, Colletam Anceduniam anno 1471. Ex Colleta & alios suscepit liberos, & Fridericum, ac Melchiorem. Fridericus armis aptus iuuenis, Carolum eo nomine octauum Regem, in Italiam secutus, occidit nobilissimo illo ad Foronouum prælio cataphractus eques. Melchior ex Ludouica (vt loquitur Peireschius) Barcinonis domini filia conjuge Ianſanum dedit, atque Ludouicum. Hi duo fratres Castronouensem familiam diuiserunt rursum in duas: alteri à Ianſano ducta suum Castronouensis nomen stetit; alteram dixerunt Sedeconiam à Sedecone pago, quem Melchior Ludouico filio concesserat.

5 Ianſanus habuit in matrimonio Genouesam ignotâ mihi gente ortam. Ex ea progenuit Ioachimum, cui Victoria Grimalda, Buelli Comitis filia vxor, dedit filias omnino tres, Annam, Isabellam, Dianam. Anna sororum prima, & patris heres, matrimonio juncta est Francisco Simianæo

Claudij

Digitized by Google

Claudij filio, qui à Bartolomeo Coſtæ domino, & Stephani Caſtronouenſium parentis fratre per Baltaſarem filium deſcendebat: Iſabella ſororum ſecunda Iacobo Roſſeti & Balmæ Valreacenſis domino: Diana ſororum tertia Ioanni Forbino Rognæ domino, & in Aquenſi Parlamento Præſidi. Igitur Caſtronouenſis familia à Ianſano cepta, cùm Ioachimus qui eam ducebat maſculis caruiſſet, in Coſtanam defecit, Annæ neptis cum Franciſco nuptiis, cujus abauus fuerat Bartolomeus Coſtæ dominus, Coſtanæque autor familiæ, & ad Sedeconiam accedendum eſt exponendam, quę à Ludouico Ianſani fratre occepit.

Ludouicus ergo Sedeconis dominus, ex Franciſca de Guillens vxo- 6
re edidit Antonium, & Baptiſtinam libero. Hæc data eſt in conjugium domino Putei Sancti Martini, ille Lucretiæ Claretæ. Cùm autem Lucretia dominaretur Tribus-canutis (Tricanutiam ex vulgari Trichenu dicemus) Antonius conjux ab illis ſibi nomen accepit, abjecto quod ex Sedecone pago à Ludouico patre acceptum ferebat Tricanutiam ergo familiam ab eo appellabimus, quam dicebamus Sedeconiam.

Antonius ex Lucretia conjuge progenuit liberos quinque, Ludoui- 7
cum, Franciſcum, Carolum, Margaritam, & Innominatam puellam alteram. Hæc virginitatem Deo vouit Vrſulana Montilij: Margarita in conjugem data eſt Ioanni de Cambis Orſani & Laignarum domino. Carolus Sparroni dominus ex Martha de Calignon plures liberos dedit, ſuamque igitur, & à Trinanutia diuerſam orſus eſt familiam Franciſcus, cùm omnis exercitus in Fanum Pauli Lamiatanum irrueret fortiter agens occidit.

Ludouicus denique fratrum maximus, quem vt ab auo diſtingua- 8
mus, Ludouicum ſecundum appellabimus, matrimonio junctus eſt Ludouicæ Montainardæ Chalanconis & aliorum dominę pagorum. Iſtis parentibus nati ſunt Carolus Ludouicus, Maria Franciſca, & Iſabella. Maria Franciſca ante ceteros genita liberos eſt data in conjugem Ludouico Coſte Charmorum Comiti, & in Parlamento Gratianopolitano Præſidi. Iſabella amitam innominatam ſecuta prætulit nuptiis Vrſulanarum Montilij cœnobium. Carolus Ludouicus nupſit M. dominatur Tribus-canutis, Chalanconio, ex aliis pluribus pagis Atque hactenus dictum ſit de Stephano Caſtronoui domino, quem Ludouicus primus Berengarij filius genuit, ejuſque poſteris, in duas hoc tempore ſciſſis familias. Tricanutiam à Trium Canutorum Marchione dictam, & Sparroniam à Sparronij domino. Sequitur vt de Bartolomeo dicamus, quem Stephanus natu minorem habuit fratrem.

Bartolomeus Coſtæ dominus familias omnino quatuor dedit, quæ 9
cùm hæc ſcribo vigent, omnique ornamentorum genere majorum dignitati reſpondent. Coſtanas alius fortaſſe dicat, ego ſingulis, ex loco quem incolunt, dabo ſuum nomen, niſi quòd Caſtronouenſem appellabo illam, quę à Franciſco & Anna Ioachimi Caſtronouenſis ſine maſculis mortui filia, ſumpſit exordium. Marcellinam, ſeu Mathelinam Villanouanam Bartholomeus habuit in matrimonio,

&

& eâ mortuâ Mariam de Vincens, ſeu de Aureliano. In illius viri aduerſariis, qui anno 1555. die 20. menſis Iulij perorauit in funere Melchioris Caſtronouenſis, qui Ianſanum & Ludouicum progenuerat, lego ſequẽtia, *Marcellina Villanouana fuit ſoror Bernardi Guillelmi & Taneguini, qui Bellouicino dominabatur.* Obſcuræ voces. Ipſas tamen, ex eo fortaſſis oratore funerario, ceteri de Simianæa gente Scriptores habent, etiam Peireſchius, qui gentilitiam (vt vulgò loquimur) Simianæorum arborem ab anno 1250. ad noſtra vſque tempora omnium accuratiſſimè vnus deduxit, niſi quòd *Ludouici* nomen addidit. *Ludouici* (ſunt ejus verbà) *Guilelmi Bernardi de Taneguin.* Nam vnumne memorant virum, qui tribus, aut duobus illis prænominibus vſus fuerit? ſed cur ceteri præter Peireſchium addidere particulam & conjunctiuam ad vocem *Taneguin*; & Peireſchius pro illa addidit particulam *de* quam Galli prænominibus nunquam adjungunt? Si verò plures referunt, nouo faciunt exemplo. Nam quis puellæ genus ex fratribus, iiſque tribus aut quatuor ſigillatim recenſitis, ac veluti per nomina numeratis, non autem ex parentibus repetit, deſcribitque? Vtcumque hoc habeat, Marcellinæ fratrem ſiue primus, ſiue ſecundus, aut etiam tertius ortu, aut etiam nomine, vel cognomine Taneguinus, *Bellouicino* dominatus videtur, vbicunque locorum fuerit is pagus: *Seigneur de Beauuoiſin*, inquit Peireſchius. Maria poſt Marcellinæ mortem vxor Bartolomei, erat Aurelianenſis. Peireſchius vult fuiſſe gentis *de Vincentia, ſororem D. de Bedonis*, & iſta quidem dicta ſint de vxoribus Bartolomei. Quod autem ad liberos ſpectat, ſic habe. Bartolomeus ex Marcellina genuit Batlaſarem, Margaritam, Ioannam, & Antoniolam, vulgò *Antoinete*: ex Maria Chriſtophorum, Catharinam, & Ioannam. Scio omnes qui de gente Simianæa ſcripſerunt, tradere Chriſtophorum ex Marcellina ortum eſſe, & ipſorum neminem poſuiſſe Antoniolam in ejus liberis. Sed ipſe Bartolomeus in teſtamento iſtam ceteris ex Marcellina liberis adjungit, & illum ſibi ex Maria filium fuiſſe docet. Hoc etiam placet aduertere. Mathelinam, non Marcellinam priorem in eo vocat vxorem. Catharina & Ioanna nupſerunt Franciſco & Ioanni de Freres, autoribus illis Innominato, qui dixit in funere Melchioris Caſtronouenſis, & Peireſchio. Chriſtophorus in ipſa adoleſcentia mortuus eſt Romæ. De Margarita & Ioanna ſic loquitur Peireſchius. *Margarita vxor domini de Buous Ponteueſij: Ioanna vxor de Domergues des Marins Azani.* Quis fuerit *Domergues* (Domergulum, an potiùs Dominicum? fortaſſe dices) non inuenio: neque etiam quid ſit *Azani*. Funerarius ille orator paulò aliter locutus eſt. *A Saxi* dixit, non *Azani*: ſed non apertiùs. De Antoniola meæ omnes chartæ tacent. Baltaſar patris ex aſſe heres dictus eſt, anno 1499. die 16 menſis Februarij.

10

11 Is duxit Annam Simianæam, Guirandi 6. & Margaritæ Forbinæ filiam. Ex ipſa reliquit libero ſuperſtites tredecim, vt ex teſtamento intelligitur, quod anno 1552. die 1. Octobris condiderat. Illos recenſet hoc ordine: Eleonoram Artacellæ monialem, Honoratam Areis monialem, Margaritam Aptę monialem, Ludouicam & Gabrielam Aptæ moniales, Blancam, Marcum Equitem Melitenſem, Petrum Claudium, Carolum, Ioannem monachum S. Andreę ad Auenionem, Baltazarem, Franciſcum heredem. Peireſchius longè pauciores recitat: verùm quis filiorum numerum patre certiùs referat? moniales tantùm quatuor fuiſſe ait, ipſarumque tacet nomina. Ioannem,

nem, Petrum, Carolum, Claudium memorat : Marci, & Baltazaris non meminit. Non nulla tamen addit non tacenda hoc loco. Tradit Ioannem fuiſſe protonotarium Apoſtolicum & priorem Bonilij, vulgò *Bariols*. Tradit Petrum Hoſpitalariorum Vapinci præceptorum occiſum fuiſſe ab Hugonottis ; & Carolum equitem etiam Ieroſolymitanum animam in vinculis exhalaſſe apud Turcas. Tradit denique Claudiam egiſſe Senatorem in Parlamento Aquenſi. Atque hic Claudius ille eſt, qui Simianæam gentem Aquas Sextias inuexit, inuenitque familiam ejus Aquenſem. Blanca denique nupſit Laurentio Marco Caſtronoui, & Molligeræ domino.

Franciſcus autem Baltaſaris heres anno 1542. matrimonio junctus eſt 12
Claræ Garinæ, & liberos ex ea reliquit ſuperſtites, vt legimus in teſtamento, Claudium, Petrum, Ioannem Baptiſtam, Annam, Franciſcam, Honoratam. Anna Clariſſarum inſtituta ſecuta eſt Auenione. Franciſca Gaſpari Autricio Balmetarum domino in vxorem data eſt ; & Honorata Arto de Prunier domino S. Andreæ in Gratianopolis Parlamento Præſidi, Claudius, Petrus, & Ioannes Baptiſta, ſuam ſinguli condidere familiam. Franciſcus eo- 13
rum pater condidit teſtamentum anno 1587. Claudius, vt ab eo incipiam, fratrum maximus natu nupſit ex vxore quam modò memorabam 6. omnino liberos progenuit Franciſcum, Artum, Bertrandum, Petram, Annam. De Arto & Petra nihil lego, niſi nomen. Anna Trigantij domino data eſt in conjugem. Bertrandus in Sanuictorino ad Maſſiliam monaſterio monachum profeſſus eſt. Franciſcus, Annam Ioachimi Caſtrinouenſis, quem numero 5. vidimus ſine maſculis obiiſſe, filiam habuit in matrimonio. E Coſtana quidem erat ipſe familia natus, ſed cùm ab vxore Caſtrum-nouum habuerit, quod antiquiſſimæ familiæ nomen fecerat, profectò dicendus eſt illud excitaſſe, & Caſtrinouenſem rurſus condidiſſe familiam. Is ex Anna vxore progenuit liberos 10. Ioachimum ..... Gaſparem, Hieronymum, Franciſcum, Ioannem Baptiſtam, Octauium, Dianam, Victoriam, Ludouicam, Margaritam. Ioachimus ex ..... Brancatia genuit Annam Iſabellam, quæ nupſit Ioſepho Domino de Berton Marchioni Crillonio. Gaſpar Abbas Cluniacenſi Ordini ſe addixit magnus virtutis cultor, Hieronymus & Franciſcus Equites Melitenſes & Ioannes Baptiſta innuptus extremam obierunt diem. Diana nupſit Maſani domino Victoria, Ludouica, & Margarita ſunt mortuæ.

Petrus autem Claudij frater (quem Coſtamoiranum appellant, à Moira- 14
no pago in quo ſedes poſuit) ex Maria de Baronat vxore procreauit Ennemundum, Henricum, Gaſpatem, Franciſcam. Hæc omni virtutum genere præſtantiſſima, nuptui data eſt Roani apud Sabaudos domino. Henricus eques Melitenſis anno 1618. apud Pedemontanos pro Rege pugnans obiit. De Ennemundo nihil inuenio. Gaſpar denique Coſtamoiranam Simianæorum familiam à Petro patre ceptam deduxit ad poſteros, Ludouicâ du Pellouæ in vxorem acceptâ. Iſtis parentibus orti ſunt Franciſcus, & Innominata domino de Riſſy nupta, qui cùm hæc ſcribo viuit. Ioannes 15
Baptiſta denique Claudij & Petri, quorum familias modò per capita memoraui, frater, fuit Senator in Parlamento Gratianopolitano, & ex Maria Portenſi in eadem curia Senatoris filia vxore dedit liberos quatuor, Claudium, Abelem, Ludouicum, & Ludonicam. Hæc Enne-

mundo Fusterio Gratianopolitani Parlamenti Consiliario nupsit. Ludouicus Sansigiranni Abbas est. Claudius in Gratianopolis Parlamento Præses, ex Ludouica de Faure procreauit Franciscum, Alphonsum, Laurentiam, & Claudiam. Hæc Ennemundo du Vache, Vattilij domino, in Parlamento Gratianopolis Senatori, data est in conjugem; illa Ioanni de la Porte Artauderiæ domino. Alphonsus dedit nomen clero; Franciscus togæ, post patrem Præses à Rege dictus in eo quod non semel dixi Parlamento. Abel demum Claudij & Ludouici frater in computorum apud Delphinates regiorum curia Præses, ex Anna Crucia Pisansonia vxore progenuit Abelem, Ioannem, Ludouicum. Hic patris hæres futurus est, Abele Parisiis mortuo, & Ioanne Ecclesiæ per Gardæ prioratum addicto. Atque hæc omnis est Simianæorum familia, quæ Ioannem Baptistam auctorem habuit, Claudij & Petri fratrem, qui singuli suam quoque ipsi familiam condiderunt. Francisco Costæ domino & Clara Garina nati fuerant illi parentibus, necessum ergo est vt ad Claudium Franciſci fratrem natu minorem redeamus, qui vt numero 11. vidimus Simianæam gentem Aquas sextias primus inuexit.

Claudius ergo Franciſci, qui Claram Garinam habuit in matrimonio frater natu minor, duxit in matrimonium Catharinam de Veteris, Henrici filiam, qui dominus erat Reuesti, & in Aquensi Parlamento Consiliarius Regius. Istis parentibus nati sunt Henricus, Anna, Franciſca, Clara. Franciſca Margaletio, & Anna Ponteuesio Aquensis Parlamenti Senatoribus nupserunt, Clara Pompeio de Bernardoy. Claudius pater Senator fuit in eadem curia: Henricus autem filius in Curia Rationum regiarum & subsidiorum. Hic Henricus Angelicam de la Cepede duxit in vxorem. Ea Ioannis Agalladarum domini in eadem rationum & Subsidiorum curia Præsidis primi & Magdalenæ de Brancas filia fuit. Henricus & Angelica liberos sex ediderunt; Ioannem, Gasparem, Guilelmum, Annam, Ioannam, Claram. Anna & Clara mortuæ sunt in ætate puerili: Ioanna secuta est Vrsulanarum Pertusiensium institutam. Ioannes ex Carlota de Cambis vxore procreauit liberos duodecim. Claudius Carlotæ pater, fuerat Senator Aquis Sextiis in Regis rationum & subsidiorum curia. Accipe Ioannis & Carlotæ liberos. Teresa & Susanna moniales sunt Aquis in Sancti Bartolomei: Angelica nupsit Guilelmo de l'Estang Paradæ Domino & in Parlamento apud Aquenses Consiliario. Henricus, Franciscus, Gaspar, Claudius, sunt Equites Melitenses. Ioannes, Ludouicus, & Dominicus in tenera ætate diem extremum obierunt. Ioseph & Franciscus Ignatius in minori ætate adhuc sunt. Ioannes demum secundus, in Aquensi Parlamento secundus est Præses.

In vltimum hunc locum conjeci Gasparem, Henrici & Angelicæ filium, Ioannisque Præsidis fratrum. Viri sanctitas eo præluxit vniuersis totâ Prouinciâ mortalibus exemplo, vt putem mihi de illa fusiùs dicendum esse. Gaspar Melitensis Eques, natus Aquis Sextiis anno milleſimo sexcenteſimo septimo die septima Iulij, mortuus est Massiliæ, anno milleſimo sexcenteſimo quadrageſimo nono die decima quarta Iulij, non sine magno nomine sanctitatis, quod omni virtutum genere per vitam

adeptus

adeptus fuerat. Locus ergo poſtulat, vt de Simianæa gente dicens, ea fuſiùs exequas, quæ piè ſanctéque geſſit dum viueret, maximè cùm illa libro 2. numero 10. non tacuerim, quæ de Mabiliæ Simianææ pietate & ſanctitate coætaneus ſcriptor mandauit literis. Antonius de Rufi cum Gaſpare familiariter ac diu egerat: duobus igitur libris de eo ſcripſit. Placet ſumma quædam capita ex illo excerpere, nam quem certiorem dicendorum auctorem habeam?

Gaſpar Melitam puer iuit, vt clariſſimum profiteretur ordinem Equitum, 16
qui ex ea poſt Rhodum amiſſam ſede nomen habent. Ipsâ Aquas Sextias redux, vt ætate, opibus, ingenio florebat, & dicendo, agendoque, ac animum eorum, cum quibus verſabatur, ſuauiſſimis exhilarando ſermonibus iociſque, hominum omne genus, atque potiſſimùm puellas detinebat, ita etiam ceteri quidem homines, ſed maximè puellæ placebant illi. Harum vna vniuerſis animi, corporiſque inſtructa dotibus, mentem incauti iuuenis ita ſenſim totum occupauit, vt repentina ipſius febris, & ex febre mors inexpectata, eum dolorem inuſſerit, qui ſuperior omni remedio videbatur. Dies ergo noctesque peruigil cura depaſcebatur pectus innocuum, neque amicorum alloquiis patiebatur locum eſſe. At miſeratus iuuenem Deus, qui vno ætatis inexpertæ peccabat errore, fecit non multo pòſt tempore, vt ſibi præter omnium mortalium ſpem redderetur. Fortè prætergre- 17
diebatur ſacram ædem, in qua corpus puellæ iacebat, & ſubitò ex amoris impatientia inceſſit iuuenilem animum cupido videndi conditorium virginis olim ſibi gratiſſimæ. Vt oculos in illud intendit, vt in vberes lacrymas ſoluti ſunt. Ibant hæ per genas leni quidem, ſed magno agmine, cùm ſubijt animum cogitatio, corpus quod abreptum morte dolebat, non eſſe iam illud, quod ad omnem elegantiam factum, olim aſpicientem illecebroſa ſuauitate detinuerat; abiiſſe omne in putredinem, vermibuſque datum eſſe in eſcam. Indigniſſimè facere, qui inanibus nugis adhæreat. Decere nobilem genere, ingenioque virum, nobiliores ad res adjicere animum. Se eſſe ſui ipſius grauiſſimum hoſtem, quando obduret vitam ita non degere, ſed perdere. Si pergat, timendum ſibi eſſe ab irato Deo. Grauiſſimis abs dubio vexaturum aliquando pœnis merentem, qui ad maiora iuuenem immerentem illis animi, & corporis ornamentis quondam inſtruxerit. Certè momenta temporum aliqua ſunt, quæ, ſi iuuat vocantem Deum ſequi, hominem ad ſumma quæque ducant agantque. Vt ea cogitatio inſedit animo Gaſparis, vt in alium virum omnino mutatus eſt, totumque ſe pietati, ceteriſque virtutibus addixit.

Et cetera quidem in eo ſuſpiciebam; ſed duo ſunt, quæ mirari ſatis 18
non poſſum, certa & inconcuſſa in bene ceptis ad mortem vſque conſtantia; animus ad omne virtutis genus adeò incitatus, vt vno ipſius, quæcumque & cuiuſcumque generis eſſet, nomine totus vehementiſſimè raperetur. Quid ille boni, vt occurrebat, non ſuſcepit, ſuſceptumque aut nou perfecit ipſe, aut affectum non dedit cogitantibus perficere. Vniuerſa tamen res erit illuſtrior, atque oratio etiam clarior, ſi eam in aliqua capita digeram. Principio vt ad res diuinas applicuit animam, propiúſque admouit, vt omnibus quæ Deo aduerſantur bellum indixit. Duo, ſi vniuersè loquamur ea ſunt,

praua de Deo ſententia, peruerſi mores. Illam nouerat duplicem; Turcæ alteram, alteram hæretici. Eques Melitenſis erat, Melitæ fuerat, in odia Turcarum iurauerat: eorum ergo prima occurrit impietas, quam euertere parato ad omne montis genus animo contenderet. Poſtea qnoniam Caluiniſtarum hæreſis proximè, in patria ſcilicet, erat, aduerſus eam totum ſe dare cogitabat. Quo conſilio à Turcis adeundis, ad Caluinianos ab errore abducendos deflexeris incertum eſt: quodcumque fuerit, à Deo profluxiſſe docet multo-
19 rum ab hæreſi ad catholicam fidem per illum acceſſio. In Priouincia, Pariſiis, in Anglia aduerſos eam fortiter egit; eò que demum, rem deduxit, vt & ab Anglis ſua & Inſula pulſus fuerit; & Pariſiis reuocandum ij ſenſerint, qui aduerſus hæreticos decertabant; & fructus non penitendos dederit Aquis ſextiis, magnâque Prouinciæ parte. Viſus etiam eſt Deus aliquando neque ſine prodigio adeſſe ſermo ſuo deprælianti aduerſus hæreticos. Cetera prætermitto. Vnum tacere non poſſum: & Aquis ſextiis, & coram omni populo geſtum eſt: Nobilis Delphinas, Caluinianæ addictiſſimus hæreſi Aquas venerat. Cùm non poſſet vlla rationum vi ab ea illius parte abduci, quæ verum Chriſti corpus negat eſſe in Euchariſtia, & Gaſpar ſuis plurimis ac prælongis ad ipſam Euchariſtiam precibus nihil à Deo ſibi videretur aſſequi, caſu euênit, vt per vrbem obambulans hæreticus occurreret ſacerdoti, illam ad hominem ægrum deportanti. Vix eam viderat, cùm de fuga, ne ad ipſam genua flectere cogeretur, cogitauit: & ecce Gaſpare (Euchariſtiam pro more ſupplex comitabatur) animo & oculis in cœlum elatis Deum venerante, luminibus capitur, inſciuſque ad ſacerdotem, à quo ſe fugere arbitrabatur, accedit. Omnibus ad rei inſolentiam attonitis ſtupet, genuque demum flexo veniam à Deo petit, & Euchariſtiam adorat; eâque adoratâ viſum recipit. Quid alia enumerem, quæ Aquis, Mottæ, Capreriis, Lormarino, Coſtæ,
20 & aliis per Prouinciam oppidis, pagis, locis aduerſus hæreticos ſuſcepit: accedo ad peruerſos hominum moret. Contra eos nullo non opere decertauit, vtque ipſos ex hominum corde radicitus euelleret, ad plurima, illaque generibus varia, & potiſſimum vilia, caritatis opera animum prorſus adiecit. Infinitus ero, ſi velins ſingula, quæ cum ſingulis mortalibus peregit, dicendo ſequi. Præcipua quædam accipe. Domum curauit Aquis, quæ idcirco *Refugij* dicitur, ſeu perfugij, & aſyli, quia mulieres à luxuria profugæ in ea, vt in aſylo, concluſæ tenentur, omni procul caſtitatis diſcrimine. Boëmas, ſiue Ægyptias (vtroque nomine vulgus appellat) mulierculas, feminarum ſine pudore, ſine religione, ſine lege, vaguum per Gallias genus, Maſſiliæ coëgit in vnam domum, pudoremque ac pietatem docuit. Puellas, quæ quia parentibus mortuis omni mortalium carent auxilio, dicuntur Orphanæ, omni ope iuuit Aquis, fecitque vt nullo ad honeſtam eruditionem præſidio carerent. Eadem in vrbe ſic egit, vt pauperibus ac ægris nihil in xenodochio deeſſet: cúmque ſuâ ipſe pecuniâ perficere vnus non poſſet arduum opus, vocauit in partem illius nobiles feminas, quæ ſic anni dies inter ſe ſortetæ ſunt, vt vix aliquis efluat, quo non aliqua de ſuis facultatibus miniſter egentibus.

21 Neque hoc vnum caritatis opus exercuit. Cùm in vrbe erat, carcere clauſos ſingulis diebus inuiſebat Aquis, alioſque vt inuiſerent, hortabatur

hortabatur. Eorum alios ſua crimina, æs alienum alios concluſos tenet Nihil ipſe non fecit, vt vniuerſos bonis verbis, aptis conſiliis, apud patronos, ac judices ſupplice juuarent nonnulli prece; & ſuâ inſuper ipſe pecuniâ creditoribus numerata hos non rarò eduxit è carcere, illos cùm damnati morte erant, omni juuit præſidio, vt in cœlum liberi ac felices euolarent. Sed quo efferam præconio ſodalitatem, ſiue vt loquuntur *confraternitatem agonizantium*, quam Gaſpar inuênit? Reputabat aliquando cum animo ſuo, beatitatem hominis æternam in vltimo vitæ momento verti, quo pro ſingulari & deploratâ infirmitate corporis, anima minimùm per ſe poteſt; atque dæmon nihil non contendit, vt illam euertat. Igitur poſt multam cogitationem eô deuênit, vt duceret mortales in grauiſſimo diſcrimine poſitos, communiſſimo piorum hominum auxilio juuandos eſſe: aliiſque poſt alia diligenter & accuratè perpenſis, ſummo demum ac diuino prorſus ingenio ſodalitatem commentus eſt piorum hominum, qui hoc ſuſpicerent, vt cum daretur ære campano ſignum (& ipſum vt daretur effecit) vniuerſi totâ vrbe pro eo funderent preces, qui eſſet in extremo diſcrimine, cumque morte, vt ita dicam, luctaretur. Fecit vnum ali- 22
quid aliud Gaſpar, quod & pietatis inſolentiâ, & magnitudine facinoris, profectò ſuperat cogitationum noſtrarum vota. Nouerat Melitenſis eques infeliciſſimorum hominum, qui, ad triremes damnati ſunt, grauiſſima eſſe & corporis, & animi, maximè per morbum mala. Miſeratus ergo miſerrima capita, decreuit excitare Maſſiliæ noſocomium, in quo vni infauſti remiges per morbum haberentur, curarenturque; & quod ſapienter decreuerat feliciter aliquando perfecit. Erexit ad illud operis opportunas ædes, neceſſarioſque curauit reditus: ſed quod omnino præcipuum eſt, admirabilitatiſque pleniſſimum, ſedes in illis ædibus ipſe fixit magno exemplo, neque minore fructu. Nolo de catholicis remigibus loqui, neque ceterorum capita cenſere: lego, & in prodigiis pono, neminem infeliciſſimorum hominum Turcam, hæreticum neminem, viuente Gaſpare obiiſſe in hoc Noſocomio (& plurimi obierunt) qui ante mortem, non fuerit profeſſus fidem catholicam.

Atque hactenus dictum ſit, quæ vir verè pius, caſtæque virtutis 23
cultor, ſapienter & ſanctè per vitam egit, ad dicendam ejus mortem veniendum eſt. Annus agebatur milleſimus ſexcenteſimus quadrageſimus nonus, cùm peſtis Maſſiliam inuaſit. Ipſis ejus initiis Gaſpar dicitur illam hauſiſſe à Bruneto Sacerdote, & quintô pòſt die (erat vigeſima quarta Iulij) placidiſſimè, & ſine omni motu corporis, atque, vt loquuntur, agonia, expirauit humi, vt imperauerat, culcitræ laneæ inſidens, manibus decuſſatis, & oculis in cœlum elatis, vir immortalitate digniſſimus. Hic non poſſum non referre verba, quæ Antonius de Ruffi libro ſecundo, grauis auctor ſcripſit. *Etſi poſt mortem Gaſparis nihil in eius corpore quod naturæ vires excedat viſum eſt, nemo tamen negauerit prodigij genus eſſe, quòd nemo vnus eorum, qui permulti peſte & laborantem, & mortuum, ſeu proximè acceſſerant, ſeu*

contigerant, peſtem contraxerit, ne chirurgi quidem, qui & ægro perpetui aſſederant, & manu bubonem, ex dextero inguine protuberantem tractauerant, curauerantque. Majorem quoque admirabilitatem habet, quod pollinctorum nullus (& quatuor erant) neque tum, neque ſeu reliquo, ſeu inſequente anno per peſtem, quæ grauis omnino erat, ea laborauit, etſi toto illo tempore ſuum pollinctoris nomen omnes peregerint.

Atque hactenus ex Antonio de Ruffi dictum ſit de Gaſpare. Aquenſem atque adeò vniuerſam Simianæorum gentem nemo feliciùs claudat. Sed in extremo opere placet gentem vniuerſam per ſua capita è ſuperioribus eruta dare paucis expanſam.

Gens Simianæa ab anno 993. vſque ad annum 1668. per lineam rectam à patribus ad filios gradatim deducta, & in familias quæ eo anno ſtant & vigent digeſta.

Gentis Gradus,		*Anni chartarum ex quibus eruti ſunt.*
1	Humbertus & Mauris	anno 993. 1006. 1009.
2	Guilelmus & Adelais	anno 1019.
3	Roſtagnus & Giſla	anno 1056.
4	Raimundus & Sancia	anno 1090.
5	Guirannus I. &.....	annis 1112. 1120. 1152.
6	Guirannus II. & Huga	annis 1163. 1210.
7	Guidetus & Iſoarda de Signa	annis 1221. 1231. 1242.
8	Bertr. Raimb. I. & Maceda de Ponteues	anno 1270.
9	Guirannus III. & Stephana de Blacas	anno 1282.
10	Guirannus IV. & Mabilia de Arpaione	anno 1323.
11	Guirannus V. & Maria de Euenis	annis 1337. & 1351.

Guinotus & Berengarius fratres, filij Guiranni V. & Mariæ de Euenis, diuiſerunt gentem in 2. familias, quarum Guinotia deinde ſciſſa eſt in tres; & Berengariana in ſex. Recentiores earum ſunt anni, quàm vt placeat ipſos afferre, ſingula tantùm per capita domuum ſuis reponam in gradibus. A Guinoto & eius familiis ordior.

12 Guinotus & Delphina de Sabran.
13 Bertrandus Raimbaldus II. & Maceda de Ponteues.
14 Iacobus & Honorata de Maſſilia.
15 Guirannus VI. & Maria de Forbin.
16 Bertrandus Raimbaudus III. & Petra de Ponteues.

17 Bertrandus Raimb. IV. & Guigona Allemanna.
18 Balthaſar & Margarita d'Auançon.
19 Guilelmus & Gabriela de Ponteues.
20 Franciſcus & Anna d'Eſcoubleau de Sourdis.
21 Petrus Gabriel & alij.
Hæc eſt Gordana familia Princeps gentis.

17 Gaſpar & Cathatina de Chevrieres.
18 Carolus & Matildis à Sabaudia.
19 Hyacinthus & Ioanna Arboria de Gaſtinario.
20 Carolus & Grimalda Monœci.
21 Hector & Hyacinthus.
Hæc eſt familia Planitienſis.

18 Bertrandus Laurentius & Ludouica Malinia.
19 Aimo Claudius & Anna de Ligniville.
20 Liberi plures.
Hæc eſt familia Monchana.

Hactenus familia quæ cum à Guinoto ducta fuiſſet ſparſa eſt in tres. Accedamus ad illam quæ cùm à Berengario profluxiſſet ſciſſa eſt in ſex.

12 Berengarius, & Amabilia de Sabran.
13 Ludouicus, & Ludouica de Ponteues.
14 Stephanus & Colleta de Anceduno.
14 Bartolomeus & Matellina de Villanoua.

15 Mel

15 Melchior & Lucretia Edoarda.

15 Baltazar, & Anna de Simiana.

16 Ludouicus & Frãciſca.....

16 Franciſcus & Clara Garina.

16 Claudius & Catharina de Veteris.

17 Antonius & Lucretia Clareta.

17 Claudius & Autrica.

17 Petrus & Maria de Baronat.

17 Ioannes Baptiſt. & Maria de Portes.

17 Henricus & Angelica de la Cepede.

18 Ludouicus & Ludouica.....

18.....d'Eſparron, & .....

18 Franciſcus & Anna.

18 Gaſpar & Ludouica du Pelloux.

18 Claudius & Ludouica de Faure.

18 Abel & Anna Crucia Piſançonia.

18 Ioannes & Carola de Cambis.

19 Carolus Ludouicus, & Magdalena.....

19 Liberi plures. *Hæc eſt familia Eſparronia.*

19 Ioachim & Brancatia.

19 ..... *Hæc eſt familia Coſtamiranorum.*

19 Alphonſus & alij.

19 Abel &c. *Hæ ſunt familiæ Grátianopolis.*

19 Ioannes & ..... *Hæc eſt familia Aquenſis.*

20 Plures liberi. *Hæc familia eſt Tricanutiorum vulgò de Truchena.*

20 Anna Iſabella & Ioſephi de Berton cõjux. *Hæc eſt familia Caſtrinouenſis.*

Vides familias, quæ à Berengario ad hunc vſque annum deductæ, vigent, florentque, eſſe omnino ſeptem; & quæ à Guideto progenitæ ſunt, eſſe tantùm tres; igitur vniuerſas, quæ ab Humberto, ante annum 993. domino Aptæ Iuliæ, ducunt originem, eſſe decem. Vndecim eſſe dixi num. 9: quia Vacherienſem, quoniam etſi iam omnino deſiit, ad nos tamen peruênit. Pauciores dici etiam poſſunt, quoniam Caſtronouenſis nuper deſiit, mortuo Ioachimo Brancatiæ viro, qui eam ducebat. Sunt qui pauciores numerent, & duas illarum quas attuli compingant in vnam. Res modica eſt. Suum aliis eſto judicium. Ego decem eſſe familias ſemper exiſtimaui.

APPENDIX

APPENDIX AD NOCTES

BLANCALANDANAS.

Illustrissimo Amplissimóque viro,

D. HVMBERTO DE CHAPONAY EQVITI,

D. DE L'ISLE DE MEAN, BEAVREGARD,

la Chartoniene, Sachennay, & Liuieres, Comiti Sacri Palatij, Libellorum supplicum Magistro.

IOANNES COLVMBI è Societate IESV.

QVOD scribo ad Noctes Blancalandanas appendicem, (Vir Illustrissime) *facit necessitas: quòd eam ad te scribo, facit æquitas supra necessitatem. In illis Noctibus scripseram ex tuo chartulario de tua ab anno nongentesimo ad nostram vsque ætatem gente: & eruditissimus atque amicissimus vir, pro fiducia quã mutuus amor faciebat, monuit quas ex duodecimo sæculo tabulas in eo libello referebam, non sapere illius antiquitatem, viderique longè post ipsum confictas. Igitur mihi quidem prorsus necessarium est, vt omnibus connitar viribus asserere duodecimo sæculo illa omnia, quæ eo non fuisse, & recentiorum mores temporum redolere, dicuntur. Tua verò plurimùm interest suadétque adeò æquitas, vt ad te referam, quæ super tota re scripsero, eaque tibi repræsentem: vt scilicet videas, an domesticæ traditioni, & tuæ ipsius sinceritati aptè respondeant. Certè si quæ ex tuis tabulis retuli, sunt sæculi duodecimo posteriores, ne incautus ego dicar oportet, cui ea imposuerunt; & pro senectute passus aliquid de Isaaci caligantibus oculis, qui tertium ac septuagesimum annum agens, acceperim noua pro antiquis, & iuniorem (vt ita loquar) filium scriptoris ignoti pro seniore. Sed an tu committes, vt domesticarum rerum ignarus (grauiora non afferam) censearis falsas pro veris, & nouitias pro priscis, tabulas obtulisse mihi? nequidquam ergo vniuersam ab adolescentia ætatem posueris in dicendo populis ex sinceris tabulis iure?*

RESPON

RESPONSIO AD ILLA quæ vir eruditus notauit in Libello de Chaponæa Odonis Epiſcopi Valentini gente.

DVo ſunt in libello de Chaponæa Odonis Epiſcopi Valentini gente, quæ amiciſſimum mihi virum grauiſſimè commouerunt, quorumdam in Catharinæ ſororis teſtamento verborum vſus anno milleſimo ſeptuageſimo nono, & ipſius Odonis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, donatio florenorum Hectori fratri. Numero 2. ita legitur: *Catharina de Chaponay, Amblardi de Candiaco militis quondam vxor, teſtamentum condidit anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono. Philippus de Nicurio ſcriba ſic in eo loquitur de illa: Hujus vltimæ voluntatis ſuæ teſtamentariæ, aut teſtamenti ſui nuncupatiui, executores facit, nominat, & inſtituit ipſa domina Catharina teſtatrix, reuerendum in Chriſto Patrem Odonem de Chaponay Epiſcopum Valentinenſem,* &c. Hîc ſtomachatus eſt eruditus vir: negauit Gallos vndecimo ſæculo ita locutos in teſtamentis; & tantùm non injurioſas voces in hoc veluti nuper confictum conjecit. Numero 3. adjunguntur hæ voces: *Odo Valentinus decanus, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo ſcripſit ſequentia verba: Sciant præſentes & poſteri, quòd Odo Valentinus decanus, filius naturalis & legitimus militis Guidonis de Chaponay, Domini des Auenieres & de Brango, fratri noſtro cariſſimo mille octo centum florenos,* &c. Hîc rurſum ſtomachus eſt, hîc excanduit vir cetetà facilis & humanus; atque negauit, cùm quis anno ſecundo & quinquageſimo ſupra milleſimum centeſimum diceret alterius filium, adjeciſſe vt vocaret *naturalem & legitimum*; additque inſuper iſtas voces, *nullus tunc florenorum vſus, ſed tantùm ſolidorum.* 1 2

Ego autem vehementiſſimè miror, iſta commouiſſe virum, in dicendi, agendique apud Gallos, per ea quæ referuntur tempora, moribus accuratè verſatum. Expoſtularet alius quis, de injuria quereretur, ac diceret grauiſſimam rem agi; tabulas quæ ab illuſtriſſimo viro ad me delatæ ſunt, mihique non improbatę, confictas dici, & à neſcio quo homine per ſummam antiquorum morum ignorationem conſcriptas: debuiſſe igitur qui eas arguit, illorum temporum mores veris argumentis aſſerere; & certis auctoribus docere, quis florenos poſt ipſa inuenerit, & ſolidis ſuperinduxerit; quis recentiores (vt putat) dicendi formulas excogitauerit, & poſthabitis antiquioribus adhibuerit ad teſtamenta. Verùm quoniam audio amiciſſimi viri conſilium in hac tota re fuiſſe, vt, ſi quâ liceret, docerem tabulas Odonis, & Catharinę ſororis, ſcribi potuiſſe tempore, quo feruntur ſcriptę, placet id antiquę benevolentię concedere, ſingulaque ab eo notata eruere è veteribus chartis. 3

Sed antè ad id quàm accedo, afferam vnum oportet. Legimus Odonem
4 Chaponæum ſediſſe Valentiæ ab anno ſeptimo & quinquageſimo, vſque ad annum tertium & octogeſimum poſt milleſimum centeſimum. Illione ſedere ceperit, & iſto deſierit, non legimus. Falco cepit ſedere anno octogeſimo nono, neque hactenus occurrit qui inter ipſum & Odonem medius fuerit antiſtes: itaque fortaſſis Odo mortuus eſt anno octogeſimo nono, vt non multùm fallatur qui dixerit peruenisſe ad tertium decimum ferè ſæculum. Igitur eruditus vir id vnum negat, florenos, quos Odo Hectori fratri conceſſiſſe fertur, & voces, quas Catharina Odonis ac Hectoris ſoror traditur ad teſtamentum adhibuiſſe, fuiſſe in vſu ſæculo illo duodecimo exeunte. Iam ſi de illo ſæculo ita ſentit, id ipſum ſentiat neceſſe eſt de tertio decimo ineunte, atque adeò ſuis omnibus annis præterfluente. Nam ſi quis autumet, tertio decimo quidem ſæculo & florenos, & de quibus ſermo eſt, voces in publico fuiſſe vſu, inauditas autem duodecimo exeunte, rem profectò is afferet non facilè admittendam; & in eo allaborare debebit, vt doceat & his, & illis, ſua initia fuiſſe tertio decimo ſæculo, eaque ab illo viro data, qui pro ſumma claritate nominis potuerit tantum nouitatis inducere vniuersâ Galliâ in rem monetariam, & tabulas publicas, magno populorum aſſenſu. Scilicet prioris ſæculi finis ita ſe habet ad conſequentis initium, & omnes ab initio annos, vt iis omnino annexus ac veluti inſitus, videatur vnum quid cum ipſis eſſe. Igitur vt amiciſſimo viro faciam ſatis, contendo ego ſæculis decimo
5 tertio, & quod poſt decimum tertium fluebat decimoquarto, (nam quid poſt decimum quartum ſequentia quoque relegam?) florenos, & teſtamenti voces, quæ in nouitatis ſuſpicionem veniunt, fuiſſe in communi vſu: neque mirum aut inſolens videri debere, quòd Odo dicitur donaſſe Hictori fratri aliquam illorum vim, & Catharina iſtas ad teſtamentum adhibuiſſe duodecimo à quo ſcilicet ad decimum tertium & ſequentia, veluti per gradus, ad nos vſque deſcenderint.

6 Dicendi autem hoc ſit initium, Eruditus vir abiecit illa teſtamenti Cathanæ Chaponææ anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono verba: *Huius vltimæ ſuæ voluntatis teſtamentariæ, aut teſtamenti ſui nuncupatiui, executores facit, nominat, & inſtituit ipſa domina Catharina teſtatrix, reuerendum in Chriſto patrem, dominum Odonem de Chaponay Epiſcopum Valentinenſem*, &c. Cur abiecit illa? non videntur ſcribi potuiſſe anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, quo feruntur ſcripta: tabellionum noſtri, aut ſuperioris, ſæculi formam ſapiunt. Certè non inuenies antiquioribus illis ſæculis vſurpata. Qui iſta ſentit, is profectò vt noſtri & præcedentis ſæculi, ita etiam decimiquarti, vel decimitertij aut eo ſuperiorum, teſtamenta ex ſolis ſeu verbis, ſeu verborum formulis diſcerni ab aliorum teſtamentis poſſe putat, & fallitur. Fateor fuiſſe quaſdam olim verborum formula, quarum toto Romano imperio neceſſarius erat in teſtamentis vſus. Sed Conſtantinus magnus omnes illas ſuſtulit, vt Euſebius tradit libro 4. de eius vita capite 26. *Cùm*, inquit, *veteribus legibus cautum eſſet, vt qui ex vita excederent, ipſo extremo ferè ſpiritu certis & conceptis verbis teſtamenta componerent, atque adeò leges ipſæ, quibus ſententiarum formulis, quibuſque verbis ſcriberentur, definirent; eaque res non minimæ eſſet fraudi teſtatorum iam morientium voluntati, prudenter hæc animo complectens imperator legem ipſam abrogauit, ſtatuitque vt moriens nudis verbis & fortuita oratione voluntatem ſuam teſtaretur, & quouis ſcripto ſententiam ſuam ederet.*

ederet. A Conſtantini temporibus ad annum vſque milleſimum, nullas lego formulas vocum, neceſſarias fuiſſe in conficiendis per Gallias teſtamentis. Quod anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, & vniuersè duodecimo ſæculo, nullæ etiam fuerint, ex eo intelligis, quòd illo ſæculo, quiſque pro ſuo nutu verbis, quæ occurrebant, teſtamentum conficiebat. Accipe 8
duo, quorum alterum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono, anno centeſimo quinquageſimo alterum conſcripſere. Illa toto orationis genere ſunt diuerſa inter ſe, tantùm abeſt vt ex vna quadam verborum formula ambo conſtent. Guido Bertrandi Comitis Forcalquerij frater, & (vt tum loquebantur) Forcalquerij Comes, anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono condidit teſtamentum in hæc verba. *Cùm præcipua philoſophia Chriſtianorum ſi cognitio mortis, prudentium eſt diem mortis præuenire, & ſic ſuper bonis diſponere. Idcirco ego in Dei nomine Guigo Forcalquerij Comes, temporalibus æterna, tranſitorijs permanentia, cupiens comparare, pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, dono Deo & Hoſpitali Ieroſolymitano, & pauperibus in perpetuum, Manuaſcam; & meipſum eidem Hoſpitali & pauperibus in perpetuum ad ſeruiendum contrado. Reliqua bona mea, vbicumque ſint filiis fratris mei relinquo*, &c. *Facta eſt hæc diſpoſitio anno ab incarnato Domino milleſimo centeſimo quadrageſimo, nono, tertio Calendas Iunij, luna vigeſima prima, regnante imperatore Conrado, in præſentia domini Petri Siſtaricenſis Epiſcopi, auctoritate cuius & teſtimonio confirmatur. Præterea iſti homines teſtes exiſtunt*, &c. Hactenus Guigo Comitis 9
Forcalquerij frater ſcripſit in teſtamento. Tiburgis autem Arauſicæ Comes condidit teſtamentum anno milleſimo centeſimo quinquageſimo in has voces. *In nomine Domini ego Tiburgis ſic diuido honorem meum inter filios meos*, &c. Ea diuiſione facta, Vvilelmus & Rambaudus filij iurant, alterum alterius partem bonorum à matre conceſſam non occupaturum, neque alteri perniciem allaturum. Demum ſine anno, ſine menſe, ſine die, innominatus quis (abs dubio ſcriba) inducitur ita concludere teſtamentum: *Huius rei teſtes ſunt*, &c. Iam quis, ex ſolis horum teſtamentorum vocibus, colligat ipſa vno & eodem fermè anno, in vna & eadem regione fuiſſe ſcripta? Forcalquerium & Arauſica, in quibus illa confecere, duorum fere dierum itinere diſtant ab inuicem, & ambo tum in Prouincia cenſebantur. In poſteriore loquitur Tiburgis, deinde pergunt duo Tiburgis filij, denique ſcriba concludit: in priore vnus Guigo loquitur. In ſuo Tiburgis de ſola diuiſione bonorum ieiunè agit: Guigo ſuum ſapienter & piè condit, non ſine grauiſſima præfatione. Demum in Tiburgis teſtamento tacetur ſcriptionis tempus: in teſtamento Guigonis habentur ſcriptionis annus, menſis, & dies. Qui ex vnis vtriuſque teſtamenti vocibus collegerit tempora, quibus Guigo & Tiburgis ea condidere, profectò veniet in illam ſententiam, vt alterum centenis pluribus annis poſt alterum, ſui conditores conſcripſerint.

Igitur cùm quiſque, vt animo verba occurrebant, faceret illis temporibus 10
teſtamentum; neque voces eſſent, aut vocum formulæ, quibus id vulgò conficerent, cur negabimus Catharinam Chaponxam potuiſſe condere & verò condidiſſe ſuum illis, quibus ſcriptum legimus, verbis? ex eoque aſſeremus, quod ipſi tribuitur, nuper confictum eſſe, quia & voces, & vocum formulas habet recentioribus vſurpatas temporibus? Nonne potiùs eſt viri prudentis & moderati, cogitare verba concepta, quibus nunc vtimur in teſta-

Digitized by Google

mentis, vſurpata fuiſſe à nonnullis ſæculo duodecimo, quandoquidem illo ſcripta leguntur; & cùm placuiſſent aliis decimotertio, poſt illud inualuiſſe apud plures, ac demum communiſſimè à tabellionibus ſuſcepta, abiiſſe in veram conſuetudinem, quæ nunc etiam ſtet? Quid de ſæculis quinto & ſexto poſt decimum dicam? placet de quarto & tertio tãtùm agere, quæ cùm à ſecundo conſequenter fuerint, videntur accepiſſe ab illo voces, & loquendi formulas, quibus non infrequenter vtebatur. Accedamus ad ſingula, quæ nouitatis damnantur, verba, & oſtendamus ea decimotertio & decimoquarto ſæculis vſitata fuiſſe.

11 Principio Catharina appellauit vltimam voluntatem, quod teſtamentum vulgò appellamus: *executores*, inquit Scriba, *huius vltimæ voluntatis facit*. Quid autem alij tertio & quarto ſæculis ſupra decimum? Bertrandus de Turre anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto dixit vltimam voluntatem pro teſtamento. *Bertrandus de Turre Miles* aiebat, *nolens decedere inteſtatus, per vltimam meam voluntatem in primis Bernardum filium meum heredem facio ac inſtituo*. Robertus de Monte Gaſconi anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto appellauit quoque vltimam voluntatem. *Ego Robertus* (ſunt eius verba, *de Monte Gaſconis*, &c. *huius teſtamenti mei ac vltimæ voluntatis*, &c. Plures afferre non placet. Hos decimi tertij ſæculi duos è plurimis ſelegi, ob gentis celebritatem. Iuſtellus recitat verbatim illorum teſtamenta, in probationibus hiſtoriæ gentis Aruernæ. Duos ex eodem accipe, qui ſæculo quarto & decimo vltimam voluntatem ſcripſerunt etiam pro teſtamento. Robertus gente Aruernus poſuit ſequentia in teſtamento. *Anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo decimoquarto, menſe Aprili, duodecimo Calendas Maij, Ego Robertus Comes Aruerniæ & Bolonię*, &c. *teſtamentum meum, ſeu vltimam voluntatem, ſiue ordinationem bonorum meorum, & iurium, facio, condo, & ordino in hunc modum*, &c. Hoc Roberti teſtamentum recitat Iuſtellus in probationibus gentis Aruernæ pagina 82. Idem habet in probationibus gentis Tureniæ pag. 97. teſtamentum quod ſequitur: *Ego Guilelmus Comes Bellofortis* (ſcribebat anno ſeptimo & nonageſimo ſupra milleſimum trecenteſimum (*teſtamementum meum, & meam vltimam voluntatem*, &c.

12 Deinde quam Catharina dixerat vltimam voluntatem, appellauit teſtamentum nuncupatiuum: nuncupatiuum taſtamentum appellauit etiam Aimarus de Pictauia anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo. Scriba ſic loquitur. *Inſtrumentum anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi, ſcilicet 12. calendas Maij, factum apud Rupemmauram Viuarienſis Diœceſis, quo illuſtris vir D. Aimarus de Pictauia Comes Valentinenſis, filius quondam D. Guilelmi de Pictauia Comitis Valentinenſis, ſanus mente licèt æger corpore, teſtamentum ſuum nuncupatiuum ſeu vltimam voluntatem ſuam & fecit & ordinauit*. Appellauit quoque Hugo quartus Burgundiæ, dux, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, verbis ſequentibus. *Ego Hugo dux Burguadiæ per Dei gratiam compos mentis, licèt æger corpore, meum teſtamentum nuncupatiuum, ſeu voluntatem meam vltimam, ordino in hunc modum*. Ducheſneus habet hæc duo teſtamenta, iſtud in probationibus hiſtoriæ ducum Burgundiæ, illud in probationibus hiſtoriæ Comitum Valentinorum. Et iſti quidem duo, Aimarus & Hugo, condiderunt teſtamentum ſæculo decimo tertio. Placet

vnum

vnum addere ex decimo quarto. Aimari filius, nomine etiam Aimarus, ſcripſit *codicillos poſt teſtamentum ſuum nuncupatiuum*, ex quibuſdam tabulis anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto ſcriptis, apud Ducheſneum, in probationibus hiſtoriæ Comitum Valentinorum pag. 33.

Tertiò Catharina fecit executores teſtamenti ſui: fecerunt etiam plurimi 13
poſt illam decimo tertio & decimo quarto ſæculis. *Anno incarnationis Dominicæ* (loquitur Robertus Aruerniæ Comes) *milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, Ego Robertus Aruernenſis & Bononienſis Comes, Miles*, &c. *Teſtamentum meum & vltimam voluntatem meam & diſpoſitionem inter liberos meos facio, condo, & ordino in hunc modum*, &c. *Iſtius autem teſtamenti mei ſeu vltimæ voluntatis facio, conſtituo, & ordino executores meos*, &c. Fecit quoque Bertrandus de Turre anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto. *Ego* (inquit) *Bertrandus dominus de Turre, Miles, nolens decedere inteſtatus, per vltimam voluntatem meam in primis Bertrandum filium meum heredem facio ac conſtituo vniuerſalem*, &c. *Ordino executores teſtamenti mei nobiles & venerabiles viros*, &c. Iuſtellus recitat hæc duo teſtamenta in probationibus gentis Aruernæ, quæ decimo tertio ſæculo ſcripta ſunt. Recitat etiam duo ſequentia quarto & decimo condita. *Executores hujus teſtamenti, ſeu vtimæ voluntatis meæ, facio venerabiles*, inquiebat Robertus Comes Aruerniæ & Bolonię anno milleſimo trecenteſimo decimo quarto. *Bertrandus* verò *de Turre Epiſcopus Lingonenſis anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, die duodecima menſis Ianuarij, præter Guidonem* nepotem ſuum, *facit executores ſuos etiam, dominum Cancellarium Franciæ*, &c.

Denique Catharina Odonem Epiſcopum Valentinum vocauit reueren- 14
dum in Chriſto patrem. Epiſcopos vocauerunt quoque reuerendos in Chriſto patres ſæculo decimo tertio Robertus Aruerniæ Comes, & Margarita Turenia, apud Iuſtellum in probationibus hiſtoriæ gentis Aruernæ; & ſæculo decimo quarto Aimarus de Pictauia, Comes Valentinus, ex Ducheſneo pag. 29. probationum genealogię Comitum Valentinorum, & alij non pauci. Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto Robertus Aruernię & Bononiæ Comes ſic locutus eſt; *Iſtius autem teſtamenti mei, ſeu vltimæ voluntatis facio, conſtituo, & ordino executores meos reuerendum in Chriſto patrem, dominum Epiſcopum Claromontenſem*: Margarita verò Turenia anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono; *nos Margarita de Turena*, &c. *Teſtamentum noſtrum ſeu vltimam voluntatem condimus, ordinamus, & facimus in hunc modum*, &c. *Protectores autem huiuſmodi noſtri teſtamenti eſſe volumus excellentiſſimum dominum noſtrum regem Franciæ illuſtriſſimum*, &c. *& reuerendos patres in Chriſto dominos, Henricum Dei gratia Epiſcopum Burdigalenſem*, &c. Demum *Aimarus de Pictauia anno milleſimo trecenteſimo decimoquarto, habito diligenti colloquio & tractatu cum filiis ſuis, ſcilicet cum reuerendo in Chriſto patre Ludouico Dei gratia Epiſcopo Lingonenſi*, &c.

Cùm hæc ita habeant, & qui ſæculis tertio & quarto ſuprà decimum te- 15
ſtamenta confecerunt, vſurpauerint ſequentes voces, *vltima voluntas, teſtamentum nuncupatiuum, reuerendus in Chriſto pater*; & ſuorum teſtamentorum executores fecerint; cur negabimus illa verba, quæ legimus in teſtamento Catharinæ Chaponęæ, *Huius vltimæ voluntatis ſuæ, aut teſtamenti nuncupatiui, executores facit, nominat, & inſtituit ipſa domina Catharina teſtatrix reuerendum*

dum in Christo patrem dominum Odonem de Chaponay Episcopum Valentinensem, scripta fuisse duodecimo sæculo,& asseremus sapere nouitatem ? Quàm parum ab ipsis differunt ista Yseu dominæ d'Anio apud Iustellum,ad caput 1. libri 6. historiæ gentis Aruernæ. pag.206. *Executores hujus meæ vltimæ voluntatis facio, & constituo reuerendum in Christo patrem Archiepiscopum Vienneusem ?* &c. Yseu scripsit testamentum anno millesimo ducentesimo tertio. Quàm parum etiam distant ab iisdem hæc Roberti Aruerniæ & Bononiæ Comitis apud eum ipsum Iustellum ad caput 15.libri 2. pag. 56. *Istius autem testamenti mei seu vltimæ voluntatis meæ facio, constituo, & ordino executores meos reuerendum in Christo patrem, dominum Episcopum Claromontensem ?* Robertus scripsit testamentum anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

16 Atque hactenus dictum sit super illis, quę amicus & eruditus vir videbatur damnare nouitatis, in testamento quod Catharina Chaponęa, scripsit millesimo centesimo septuagesimo nono : Accedamus ad illa, quæ ab eo sunt annotata in donatione Odonis Catharinæ fratris Hectori etiam fratri, anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Sic habent. *Nos Odo filius naturalis & legitimus militis Guidonis de Chaponay*,&c. *Damus fratri nostro carissimo florenos*. Cùm ipsa legisset excanduit, & in tabulas etiam quibus inscripta sunt iratus,exclamauit, *Nugæ!* Cúmque sustinuisset impetum, addidit ; *Nullus tunc florenorum vsus, sed tantùm solidorum*. Debebat adjungere tantarum causas irarum, debebat afferre tempus, quo floreni primùm cusi sunt : Sed hoc nunquam docebit factum post annum millesimum ducentesimum ; & cùm ad solitam humanitatem redirit, cogitabit vnum, quod Blondellus in pleniore assertione genealogiæ Francicæ scitè dixit. *Quàm multa licentiùs scripta quotidie versamus,de quorum veritate & germanitate(vt multa in iisdem desiderare cogamur) dubitare nefas putamus*. Interea docebo ego voces ab erudito viro nouitatis damnatas, fuisse in communi vsu sæculis tertio & quarto post decimum.

17 Super vocibus *legitimus & naturalis* sic habe. Aimarus de Pictauia Comes Valentinus anno septimo & septuagesimo post millesimum ducentesimum scripsit testamentum Rupemauræ Viuariensis diœcesis,quod refertur verbatim à Ducheſneo ad caput 3. libri de historia Comitum Valentinorum. In illo sunt voces quæ sequuntur. *In omnibus aliis bonis suis mobilibus & immobilibus, instituit sibi heredem vniuersalem, Aimarum filium suum,filium ejusdem Aimari,& omnes masculini sexus, descendentes ab ipso Aimareto per masculinum sexum,legitimos & naturales*. Anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, Matta de Insula scripsit tabulas, à Iustello recitatas in probationibus historię gentis Tureniæ pag.76.in has voces. *Matta de Insula Comitissa Conuenarum, Vicecomitissa Turenæ, gubernatrix & administratrix eiusdem Vicecomitatus Turenæ pro egregia & illustri domina Cecilia filia sua naturali & legitima*. Anno millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, Bertrandus de Baucio scripsit sequentia in testamento,quod Iustellus recitat ad caput 6. libri 2. de gente Turenia pag.116. *Ego Bertrandus de Baucio*, &c. *heredem vniuersalem mihi instituo nobilem Helisiam de Baucio neptem meam,filiam legitimam & naturalem magnifici viri Raimundi domini quondam Baucij*, &c. Istę voces *legitimus & naturalis* ab eo tempore inductę sunt in aliqua per Galliam testamenta,

ſtamenta, à quo Franci cœperunt ſpurios hereditate dejicere, ad quam fere ſub Merouingis,& non rarò ſub Carlouingis regibus illos admittebant. Neque res hæc difficilis eſt : ad florenorum & ſolidorum vſum veniamus.

Facillima eſt de illo diſputatio. Itaque ipſo principio mirari venit in men- 18
tem, eruditum virum voluiſſe negare florenorum aliquem vſum fuiſſe in Galliis ſæculo duodecimo, cùm ſolidorum eſſet frequentiſſimus, atque ſcribere hæc verba : *Nullus tunc florenorum vſus, ſed tantùm ſolidorum.* Solidorum erat tunc vſus, iſque celeberrimus, fateor : ſed Romani eos inuenerant, non Galli. Quis ergo,& quas ob cauſas, ipſos Româ deportauit in Gallias? certè cùm Romanus miles illas victoriis peragraſſet, detulit quoque ſuam in eas monetam. Quis hoc mirabitur, qui cogitauerit vxorem etiam, atque liberos, in ipſas colonum deportaſſe? Igitur ſuos in Gallias ſolidos Romanus detulerit; quid autem Gotthus, quid Burgundio, quid Francus, qui Gotthum & Burgundionem regionum, quas inſederant, dominatione dejecit? Cur negabimus ſuam in Gallias induxiſſe monetam, qui videbant ſolidos, à Romanis olim victoribus inuentos, perdurare in illis annos jam ſupra quadringentos & quod excurrit? Verùm ego quidem putabam non ſolam Gothorum, Burgundionum,& Francorum monetam, cum ſolidis, aliaque omni Romanorum moneta, viguiſſe quondam in Galliis, ſed Germanorum etiã, Anglorum, & Hiſpanorum, qui & Gallias finibus ſuis contingunt,& è Galliis omnia fere genera mercium in ſuas deuehunt domos. Putas Galliarum accolas Romanis ſolidis tantùm vſos per ſæcula decimum, vndecimum, duodecimum, decimum tertium? putas ſuâ quoque monetâ non comparaſſe ſibi Gallicanas merces illis temporibus, qui noſtris ipſas eâ comparant? Iam Galli profectò vtebantur illa, quam pro mercibus ſuis acceperant. Sed 19
quid hoc exequar accuratiùs? Sola regionum vicinitas faciebat tum, vt Galli vterentur monetâ, quam Germani, Angli, Hiſpani procudebant. Vide quid Alfonſus I. Rex Luſitaniæ peregerit anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio? ſe fecit feudatarium B. Mariæ Clarcuallis, cum cenſu quadraginta marabotinorum. Vt autem non dubites Clarcuallenſes monachos illis marabotinis vſos, juſſit Rex vt ipſos adhiberent ad inſtaurationem *altaris B. Mariæ*, quemadmodum intelligitur ex charta regia quam recitat Manriques tomo 1. annalium Ciſtercienſium pag. 426. Vt alia porro non afferam, anno milleſimo centeſimo vigeſimo quinto, ſcriptę ſunt ſequentes tabulæ, ex Guichenono in Bibliotheca Sebuſiana centuriâ 1 cap. 10. *Euſtachius olim Comes Bononienſis, nunc autem diſponente Deo Monachus Cluniacenſis, quod in vltimis, Eccleſiæ Cluniaci dedi, præſente chartulâ ſigillo meo munitâ corroboro & confirmo, videlicet vt de villa mea quæ eſt in Anglia, & vocatur Fobinges, annuatim ſine vllius contradictione, vel diminutione, tradantur prædictæ Eccleſiæ decem libræ Anglicæ monetæ, & aliæ decem eiuſdem monetæ Eccleſiæ de Rumilliaco, quam & ego cum alia vxore mea dedi monachis Cluniaci.* Iam quò euadebat annuatim Anglica illa moneta? Omnino ſi cogitatione aſſequor, Monachi Cluniacenſes illam ad ſuos vſus adhibuerunt, quam ad vtendum acceperant. Et verò quis putauerit Euſtachium Comitem, quis Alphonſum regem ſolos, quis alios Anglos, Hiſpanos, Luſitanos, Germanos, ſuam in Gallias pecuniam pauculos deportari curaſſe? Communis abs dubio tunc erat apud Gallos, vt nunc eſt, ipſius vſus. Cùm hoc de multi- 20

plici

plici illorum populorum moneta fateri debeas, cur negabis de florenis? abs dubio Galli tum passim ipsis vtebantur, non aliter quàm solidis: Odo Chaponæus potuit duodecimo sæculo dare, atque, vt tabulæ illius ejusdem sæculi ferunt, dedit eos ad octingentos supra mille Hectori fratri; & ab eo tempore floreni ad nos vsque pervenerunt, & per tertium decimum, & alia consequentia sæcula. Vt de postremis sæculis taceam, accipe tres chartas quæ decimotertio, tres quæ decimoquarto scriptę, tradunt florenorum vsum per illa fuisse communissimum in Gallia.

21 In anniuersariis Alemannorum habes chartam Volfri Boëler. Sine anno quidem scripta illa est, verùm ex ceterarum chartarum serie videtur scripta, anno septimo & octogesimo supra millesimum ducentesimum. In ea sic legitur: *Debet soluere annuatim nouem florenos.* Secundam Guichenonus reposuit in Bibliotheca Sebusiana centuriâ 1. cap. 38. Est donatio Simonis de Ioinuilla, & Lyonnettæ de Gex, Monasterio Nantuaci, exarata anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto sequentibus verbis. *Notum facimus quòd nobilis vir Amedeus quondam dominus de Iays, pater dictæ Leonettæ bonæ memoriæ, dedit & assignari iussit prioratui de Nantua in eleemosynam perpetuam, quinque florenos annuatim persoluendos pro remedio animæ suæ, & antecessorum suorum: & dicti floreni nunquam fuerunt soluti dicto prioratui.* Tertiam lego apud Iustellum in probationibus historiæ gentis Aruernæ pag. 332. sunt pacta conuenta Alberti de Turre & Monasterij Ambroniaci, anno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, in hæc verba. *Abbas & conuentus Ambroniaci* (loquitur Albertus de Turre dominus Coloniaci) *soluerunt Alasiæ vxori nostræ, triginta florenos Viennenses; D. Guidoni de Fonte decem florenos;*
22 *Odoni Leobardi decem florenos; D. Gerardo Liobardi decem florenos.* Hactenus chartæ tres sæculi decimitertij: sequuntur tres decimi quarti. Prima habet testamentum Ioannis de Sobrano, quem frater S. Elzearij de Sabrano genuit, conditum anno 1383. die 26. Septembris. Illam mihi ex scribendam dedit Hyacinthus à Simiana Marchio Planitiarum. *Lego,* inquit Ioannes, *pro missis celebrandis* 100. *florenos auri.* In secunda est quæstio de sanctitate B. Delphinæ vxoris S. Elzearij de Sabrano, instituta ex mandato Vrbani V. Pontificis anno tertio & sexagesimo supra millesimum trecentesimum. In illa Nicolaus Laurenchi ita loquitur articulo 20. *Domina Delphina vendidit castra magni valoris, & inter cetera vendidit castrum Podij Michaëlis bonum, de quo percipiebantur reditus & prouentus mille & ducenti floreni auri annis singulis, & castrum de Hospitaleto, & castrum de Caprerijs: & prædictorum omnium pretium, Christi pauperibus amore Dei erogauit.* Ista B. Delphinæ quæstio seruatur in Monasterio Franciscanorum Aptensium. Tertia edita est à Ducheſneo ad caput 21. historiæ Ducum Burgundiæ pag. 156. ex registro 96. Cancellariæ Franciæ. *Literæ Philippi Regis Franciæ,* (sunt ejus verba) *quibus considerans dilectionis affectum, quem dilectus & specialis amicus suus Neapoleo, S. Adriani diaconus Cardinalis ad eum gerebat, eidem concedit mille florenos auri de Florentia annui reditus anno* 1303.

Neque soli floreni illis sæculis, erant in communi Gallorum vsu cum solidis; erant quoque scuta, erant marabotini, erant nummi, erant bisantij.

De scutis accipe chartas duas, alteram tertij sæculi post decimum, alteram quarti:

Digitized by Google

quarti : quid enim plures afferam ? Primam recitat Roüerius in Reomao pagina 321. & 322. ex tabulario Reomaënſi. Illâ Stephanus Abbas, anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, Berterium & Ioannetam vxorem ac ipſorum heredem, *homines manus mortuæ*, liberat *omni pondere ſeruituti⁹per vitam*; & addit, *hanc autem gratiam facimus, & concedimus prædictis conjugibus & hæredi eorum, non ſolùm ex gratia, ſed etiam pro decem nouem florenis, ad ſcutum boni auri & ponderis, de quibus perſoluit electo quondam Monaſterij noſtri vndecim, & nobis ſimiliter octo florenos ad ſcutum.* Secundam refert Ducheſneus in probationibus gentis Bethuniæ pagina 136. *Conceſſi* (loquitur Robertus de Bethunia anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo) *ad remedium animæ meæ, & anteceſſorum meorum capitulo Atrebatenſi, quidquid iuris habebam ratione vnius ſcuti valentis dimidiam marcham.*

De Marabotinis lego chartam apud Guichenonum in Bibliotheca Sebuſiana centuriâ 2. cap. 51. Ea continet conuentiones Raimundi Narbonæ Ducis & Toloſæ Comitis cum Hugone Abbate Cluniacenſi, factas anno 1202. & habet ſequentia. *Ego frater Hugo humilis Cluniacenſium Abbas dono, & in perpetuum fundum trado tibi Raimundo Dei gratiâ Duci Narbonæ, Comiti Toloſano, & Marchioni Prouinciæ, ac omnibus ſucceſſoribus tuis, locum idoneum ad conſtruendum & perficiendum tibi palatium, in villa Sancti Saturnini* (nunc appellatur oppidum Sancti Spiritus) *in eo videlicet loco, in quo turrim ædificare inceperas, tali conditione vt ſingulis annis pro illo, & aliis quæ tibi concedimus vnum, marabotinum dones, nomine cenſus Abbati Cluniacenſi quinta die poſt Paſcha.* Cur marabotinum Hugo, in media Gallia Abbas, exigit à Raimundo & Gallo, & in Gallia Duce ac Comite, ſi marabotinum non cudebant tum Galli, & in communiſſimo vſu non habebant? 24

Nummos memorauit anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio Roſſelinus, Vicecomes Cenomanorum, auctore Guichenono in Bibliotheca Sebuſiana centuriâ 1. cap. 14. *Si quid de conſuetudinibus Vicecomitis*, inquit, *retinuerint homines Bellimontis, vel aliud aliquod delictum fecerint, nihil ampliùs quàm 12. nummos pro forisfacto Vicecomiti, aut miniſtro reddant.* Neque dicas nomine nummorum ſignificatos illo ſæculo duodecimo ſolidos: apud Miræum enim in notitia Eccleſiarum Belgicarum cap 139. ſic habet charta anno ſexto & vigeſimo ſupra milleſimum centeſimum conſcripta. *Quadraginta ſolidos de teloneo*, &c. *familia Beſſelæ in paſſione Apoſtolorum Petri & Pauli duos nummos canonicis perſoluent; & quando nuptias contrahent, 12. nummos; & in morte 12.* Vides nummos diſtinctos fuiſſe à ſolidis ſæculo 12. 25

Biſantios inuenio fuiſſe in vſu apud Gallos poſt annum milleſimum centeſimum: nam *Ludouicus* junior Rex qui regnare cepit trigeſimo ſeptimo poſt illum *Abbatem Floriacenſem aduocat* (vt legitur in membrana illius temporis apud Ducheſneum tomo 4. Franciæ Scriptorum paginâ 424.) *præcipitque ſine vlla dubitatione trecentas marcas argenti, & quingentos biſantios auri ſibi quotannis præparandos fore.* Erant etiam in ſexageſimo primo illius ſæculi, quo Gauterus, ſeu, ex Alberico in chronico, Galterus, factus eſt Epiſcopus Lingonenſis. Liber obituum Eccleſiæ Lingonenſis apud Ducheſneum in probationibus hiſtoriæ Ducum Burgundiæ pag. 42. habet ſequentia. *Quinto Calendas Octobris. Commemoratio obitus Hugonis Ducis, & vxoris* 26

ſuæ, Henrici Eduenſis Epiſcopi, Odonis Ducis & fratrum eius Raimundi & Hugonis. Pro quorum anniuerſario Gauterus Epiſcopus dedit ad menſam canonicorum Eccleſiam de Noirot, & medietatem molendini de Faanay, & quatuor biſantios. Eoſdem etiam inuenio fuiſſe in vſu anno milleſimo centeſimo nonageſimo. Eo enim Rodulphus Comes Sueſſionenſis *in ipſo procinctu itineris Ieroſolymitani dedit in eleemoſynam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Sueſſionenſis, & monialibus Deo in ea ſeruientibus, in perpetuum habendos ſex biſantios, in feſto Sancti Remigij, ſingulis annis percipiendos, dum Iudæi Sueſſione habitabunt*, &c. *Actum anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo nonageſimo*, vt habet Melchior Regnault in probationibus hiſtoriæ Sueſſionenſis folio 18. qui folio 20. recitat verbatim confirmationem huius donationis à Ioanne Rodulphi filio factam.

27 Erit fortaſſe, qui ad florenos, ſcuta, marabotinos, nummos, biſantios, addat ex veteribus chartis ſterlingos & francos; aſſeratque eos etiam priſcis illis temporibus fuiſſe in vſu tota Galliâ communiſſimo. Ego non auſim addere, cui non adhuc occurrit charta, quæ illos memoret ante annum milleſimum trecenteſimum. Celeberrima de Francis ſunt verba Caroli Regis eo nomine quinti, quibus anno ſecundo, & ſeptuageſimo poſt milleſimum trecenteſimum concedit *burgenſibus habitatoribus Rupellæ, ac eorum, cuilibet, qui habebunt in omnibus valorem quingentorum francorum, quòd feuda nobilia in toto regno acquirere & tenere poſſint*, vt refert ſcriptor hiſtoriæ Pontiui pag. 394. Eduardus autem anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, ſterlingos Guiennenſes ponit in charta, autore Iuſtello ad caput 6. libri 2. de familia Turenia. *Notum facimus*, inquit, *vniuerſis quòd licet bis donum focagij quadraginta & viginti ſterlingorum Guiennenſium, tam præteriti, quàm præſentis anni, nobis per dilectum & fidelem noſtrum Vicecomitem Turenæ ab hominibus & ſubditis ſuis conceſſum fuerit leuandum*, &c. Vnum tamen addam de ſterlingis. Anglorum illi ſunt, non Francorum, & ab Anglis dominatoribus peruenerunt ad Francos. Qui Guiennenſes ſiue Aquitanos video dictos ab Eduardo, puto cuſos in Aquitania. Hinc adducor igitur vt credam Normannos etiam fuiſſe ſterlingos, & Pictauienſes, atque Andegauenſes, cum Angli imperabant Andibus, Notmannis, & Pictauienſibus. Neque omnino erraſſe videbitur, qui opinatus fuerit Guilelmum Normanniæ Ducem illum eſſe, qui ſterlingos ex Anglia, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto ſuperatâ, primus deportauit in Normanniam, à qua eodem duodecimo ſæculo, & ſequentibus, per omnes Gallias ſparſi fuerint: ſic enim Marabotini, à Mauris Hiſpaniam diminutione tenentibus inuenti, peruenerunt in Gothiam ſeu Langotthiam, & Prouinciam, per Aragones dominatores, & per ipſos in vniuerſam Galliam. Vtcumque hoc de ſterlingis habeat, certè vides eſſe quod miremur excidiſſe viro erudito verba ſequentia, *Nullus erat florenorum vſus, ſed tantùm ſolidorum*, Odone Chaponæo viuente, qui occidit ſub annum milleſimum centeſimum nonageſimum. Erat tum vſus florenorum, ſcutorum, nummorum, biſantiorum, marabotinorum, & fortaſſis etiam ſterlingorum, vt ex fidelibus chartis oſtendi.

29 Locus monet, vt de groſſis dicam, vnde intelligetur cur de illorum in Gallia antiquo vſu non dixerim, ſcilicet, vſurpabantur vniuersâ Galliâ ante trecentos aut quadringentos annos. Fueruntne ſolidi, an à ſolidis diuerſi?

Vno

Vno verbo rem conficiam. Solidi erant argentei. Quod enim ſcuto factumeſt, vt principio fuerit monetæ genus, deinde ad varia monetæ genera adhibitum fuerit; ex ſolidis enim, denariis, florenis, francis,& id genus aliis, certo numero comprehenſis, conſtabat, & nunc etiam conficitur; id ſolido euenit argenteo, vt non omnis fuerit vnius generis, aliuſque alio & pondere & pretio maior eſſet. Quidam ſolidi ab authoribus acceperunt nomen, Raimundenſes puta, Stephanenſes, Marchionenſes; alij à locis vbi cudebantur, vt Pariſienſes, Viennenſes, Valentini; alij demum ex varia commiſtione æris & argenti, ſcilicet fortes, refortiati, maſculi. In his groſſi cenſentur. Autor ad ita ſentiendum mihi Sanutus eſt libro 2. fidelium crucis parte 4. cap. 10. quæſt. 20. *Soldos* ideſt ſolidos *groſſorum* ſæpiſſimè appellat. Atque vt, cum hoc legis, non cogites ſolidos ex groſſis veluti conſtantes, cùm dixiſſet capite 20. *Soldos duos groſſorum*, poſt non pauca, pergens de ipſis loqui, addit *duos ſoldos*, omiſsâ groſſorum voce; vt *duos ſoldos groſſorum* vocans,idem faciat atque ſi dicetet, ſoldos, è groſſis ſeu ex iis qui groſſi vulgò appellantur duos. Atque ita docuit curia Pariſienſis in ſententia anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio lata apud Roüerium in Reomao pag. 327. *Notum facimus*, ſunt eius verba, *quòd cum à quadam ſententia*, &c. *contra Maiorem, Scabinos, & communitatem de Sinemuro in Auſſeto ac procuratorem ducis Burgundiæ appellantes lata, ratione octoginta librarum fortis monetæ, groſſo Turonenſe pro duodecim denariis computato*, &c. Nam ſolidus eſt is, qui capit denarios duodecim, ſed vide groſſum, qui memoratur, dici Turonenſem. Abs dubio ſic appellatur, vt diſtiguatur à non Turonenſi. Itaque puto groſſos illis omnibus in officinis factos tum eſſe, in quibus ſolidi cudebantur. Eoſdem verò fuiſſe cum fortibus hinc intelligis,quòd octingentæ hæ libræ fortis monetæ conſtabant groſſis. Iam nihil eſt, cur refortiatos diſtinguamus à fortibus, vt principio dicti ſint refortiare ſolidos, qui cudebant fortes; vnde & fortium nomen & refortiatorum ad eos hæſit. Neque maſculi videntur fuiſſe diuerſi à fortibus: ſcilicet fortitudo maximè conuenit maſculis. Solidorum autem fortitudo ſita erat in commiſtione argenti & æris, vt fortis diceretur ſolidus qui plus aliis ſolidis habebat argenti. Hîc difficultatem facit Sanutus. Sic loquitur libro 2. cap. 20. *Soldos duos groſſorum ſingulum* ſiue quemlibet, vt antea dixerat, *florenorum computando*. Tradit groſſum apud Veneros (de illorum enim groſſis agit) valuiſſe medium florenum. Nam quis & cuius ponderis ſeu valoris erat hic Venetorum florenus? certè florenus Lugdunenſis longè alius ab eo fuit anno milleſimo ſexageſimo tertio. In conuentionibus Archiepiſcopi Lugdunenſis cum ſuis canonicis ita legitur apud ſcriptorem probationum hiſtoriæ gentis Coloniacenſis pag. 120. *Sexaginta floreni auri valebunt vnam marcham auri ad marcham Lugdunenſem*. Scilicet marcha capit vncias octo: cùm ergo vncia conſtet drachmis etiam octo, marcha habet drachmas quatuor ſupra ſexaginta: & florenus Lugdunenſis tum capiebat non nihil ſicilico minùs ſupra drachmam, cùm Venetus Sanuti complecteretur duos ſolidos groſſorum, ſeu duos ſolidos è groſſis, ſeu fortibus, aut refortiatis, vel maſculis, quorum ſinguli capiunt denarios ſeu drachmas (denarius enim eſt par aut ſuppar drachmæ) omnino duodecim. Sed de groſſo

groſſo accuratiùs aliàs fortaſſe diſputabo. Nunc placet vnum addere, Roüerius in Reomao pag. 237. recitat chartam Gauterij Eduenſis Epiſcopi, in qua ſolidi Prunimenſes 50. æſtimantur argenti marchâ. *Si Prunimenſes, ſub-* ſolidi, *pondere vel libra viluerint; vna marcha argenti ad pondus Trecarum, pro* 50. *ſolidis Reomaënſi Eccleſiæ perſoluentur.* Hæc marcha fuit drachmarum 50. non autem quatuor & ſexaginta. An erat etiam tum quæ pauciores caperet; an quoque arbitraria? Certè tanta pernicies in ſolidos ſenſim incubuit, vt mirari non debeamus marcham, quâ ſolidi appenduntur, peſſimè olim habitam, vt aliud non eſſet, ab ipſis temporum vicibus. Mariana diſputatione de monetæ mutatione cap. 8. ſcitè ſcripſit in hæc verba: *Duodecim denarij ſingulorum ſolidorum aureorum valor*, &c. *Conſequenti tempore ſolidi quamuis ex argento percuſſi; ac tandem maiori ex parte facti ærei, ſemper retinuerunt tamen, vt æſtimarentur denariis; & ipſis non iam argenteis, ſed æreis.* Illa ex argenteis in æreos peruerſa ſenſim mutatio ex eo tempore capit in Gallia, quo poteſtas cudendi monetam dynaſtis, vrbibus, monaſteriis facta eſt à Rege. Scilicet ſolidi argentei atterebantur & aliter, & ſolo vſu: cùm ergo his non eſſet ſatis argenti rudis, è quo vis aliqua ſolidorum conflaretur, viſum eſt ipſis argento miſcere æris ſiue cupri aliquando
33 nonnihil ſupra conſuetudinem, poſtea plurimùm, pro rem numnariam gerentium ſeu maiore, ſeu minore opum copia. Igitur alij ſolidi alio erant pretio pro argento, ex quo æri mixto conſtabant; neque ſolo nomine differebant, inter ſe. Accipe Cadurcinos, Bellouacenſes, Pariſinos, Cluniacenſes; & ex iis intellige quid de ceteris cenſendum ſit. Anno milleſimo ducenteſimo duodecimo, Cadurcini quartam ex argento partem habebant, & Cluniacenſes argentum ære minus, parte ſexta. Anno milleſimo centeſiſimo decimo nono Belluacenſes ad duas pene partes conſtabant ex argen-
34 to, & Pariſienſes à duabus partibus multùm aberant. Scilicet Vvilelmus Cadurcenſis Epiſcopus, illo anno milleſimo ducenteſimo duodecimo ita locutus eſt, teſte Guilelmo la Croix in Epiſcopis Cadurcenſibus pag. 88. *Voluimus facere monetam in Caturcino ad quatuor denarios, & Barones Caturcēſes, & Burgenſes Caturci rogauerunt nos, quòd faceremus eam ad tres denarios. Et per preces eorum, & pro decem mille ſolidis, quos dederunt nobis Burgenſes, nos fecimus fieri. Hæc moneta debet fieri ad tres denarios de argento.* Monetam pro ſolido Guilelmus ſcripſit. In illo ſunt denarij duodecim. Tres denarios, ſeu quartam partem argenti poſuit in ſolido. Robertus Burgundionum dux, anno pòſt ſecundo & ſeptuageſimo, fecit idem Epiſcopo Catutcenſi. *Ipſa marcha* (inquiebat apud Ducheſneum ad caput 12. Hiſtoriæ Ducum Burgundiæ) *erunt duæ vnciæ argenti puri de Montepeſſalano, & ſex vnciæ metalli*, ideſt æris, *quando exibunt de fabrica.* In marcha reponit vncias octo, quarum duæ quartam partem conficiunt. Quod autem de marcha dixit Robertus, id de ſingulis marchæ partibus, ac de ſolidis proinde intelligendum eſt, vt ſingularum qua-
35 drans fuerit argenteus. Sed hoc dictum ſit hactenus ad confirmandum Epiſcopi Cadurcenſis edictum de ſolidis. Beatrix Comes Cluniacenſis ita loquitur apud Guichenonum in bibliotheca Subuſiana centuria 2. cap. 56. de ſolidis Cluniacenſibus. *Erat anno milleſimo ducenteſimo duodecimo moneta Cluniacenſis, videlicet 12. denarij, ſecundum legalem probationem in pondere*

argenti

argenti quinque denariorum,& oboli,& cupri ſex denariorum,& oboli. Denarius eſt [illegible], aut, vt alij volunt, ſuppar drachmæ; drachma verò conſtat obolis ſex: igitur Cluniacenſis monetæ, ſeu ſolidi, argentum erat parte quaſi ſexta minus ære. Philippus Belluacenſis Epiſcopus anno milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, apud Oiſellium in commentariis Belluacenſibus pagina 276.& 277.habet ſequentia de ſolidis Pariſienſibus. *Sex ſolidi Pariſienſes valent tantum quinque Belluacenſes. Materia monetæ Belluacenſis talis eſt. Duæ partes ſunt de argento examinato, & tertia de cupro ſeu ære, vel circà. Materia Pariſienſis monetæ: in duodecim denariis,* ex quibus conſtat ſolidus, *ſunt quinque partes de argento examinato, & ſeptem de cupro ſeu ære, vel circà.*

Ad complementum illorum, quæ in ſuperioribus diſputaui de multiplici pecuniæ genere, ad ſolidos à Romanis acceptos, adjuncto à Francis, aut aliis, in Gallia, iuuat vnum addere non omnino alienum. Cùm Galli ex Romanis vterentur libra ad ponderationem ſeu auri ſeu argenti, è quibus fiebant ſolidi, marcha ad illam apud ipſos additta eſt antiquiſſimis temporibus. Chartæ ſæculis decimo tertio & duodecimo eam memorant, apud Iuſtellum in hiſtoria de gente Aruerna. Anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, Albertus Bituricenſis Archiepiſcopus in literis de conuentionibus A. [illegible]comontenſis Epiſcopi, & Roberti Comitis Aruerniæ, inter alia *ſtabiliuit vt Comes in certo & competenti loco pro arbitrio præpoſiti & decani annuam marcham argenti laſæ perſonæ perſoluat, quam poſt mortem Eccleſia perpetuò poſſideat.* Illas literas recitat verbatim Iuſtellus pag. 28. *Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Eraclius Vicecomes Podemoniaci villam Briuatenſem, & villam S. Germani, cum extraneis gentibus incendio & aliis modis damnificauit, vltra pretium duarum millium marcharum argenti*, vt legitur in tabulis anno milleſimo ducenteſimo primo ſcriptis, quas refert Iuſtellus pagina centeſima quadrageſima ſecunda. Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio vt habet idem pag. 139. *Delphinus Comes Claromontis, obligauit pro capitulo Eccleſiæ Briuatenſis, pro centum marchis argenti quidquid habebat in villa & territorio Briuatenſi.*

Hîc tamen aduerto nomen *librata* Factum eſſe à *libra*. & cum libra tribui terræ in antiquioribus chartis: à nomine *marcha* nullum hujuſmodi nomen factum eſſe. Quid librata ſignificet inuenio dubitatum. Sirmundus in notis ad Coffridum Vindocinenſem libro 2. epiſtolâ 10. ſic loquitur, *libratam terræ dixerunt integrum iugerum terræ, aut ar. pennem, aut aliud ſimile. Dicta, etiam ab eodem principio ſolidata terræ.* Quod principium memorat? accipe. *Nonnulli* (dixerat) *integris agri menſuris à libra vel ſolido aſſe nomen dabant.* Scilicet *antiqui menſores integras agri menſuras ad ſimilitudinem aſſis aut libræ, in vncias & vncię partes diuidebant, vt videre eſt apud Columellam libro 5. cap.1.* & Varronem libro 1. de re ruſtica cap.10. Hæc Sirmundus, magis placet Roüerius in Reomao illuſtratione 207. *Certò demonſtrari poſſe cenſeo*, inquit, *libratam terræ à iugero diuerſiſſimam fuiſſe, nec aliud apud Gallos ſignificaſſe, niſi eam agri terræuè quantitatem, cuius annui fructus, nummorum, vel Turonenſium, vel aliorum, librâ eſtimarentur.* Ad tabulas, quibus id confirmat, adde ſequentes matrimoniſſà Bertrando domino de Turre, initi cum Maria de Bononia anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo octauo, die

vigeſima quinta Februarij. Bertrandus dat Mariæ *in dotalitium ad vitam ſuam, duntaxat in caſu, quo ipſum D. de Turre decedere contigerit, dictâ Mariâ ſuperuiuente, locum & fortalitium ipſius D. de Turre, vocatum la Beſſa, ac etiam trecentas libras terræ, ſeu annui reditus, cum omni directo dominio, & cum iuriſdictione & iuſtitia altâ, mediâ, & baſsâ.* Iſtæ tabulæ habentur apud Iuſtellum ad caput 1. libri 2. de hiſtoria domus Aruernæ pagina 104. Apud eumdem ad caput 13. libri 5. ſic legitur in tabulis matrimonij, quod Ademarus rus de Pictauia contraxit cum Heli filia Guilelmi Rogerij Vicecomitis Bellifortis. Ludouicus pater Ademari Comes Valentinus & Dienſis *dat & conſtituit in proprietatem ei dominum, ex cauſa donationis propter nuptias: & in dotalitium, ipſi domicellæ Heli mille libratas terræ paruorum Turonenſium annui & perpetui reditus, ad vitam dumtaxat eiuſdem domicellæ, aſſerendas & aſſignandas in caſtro, caſtellania, territorio, & mandamento de Priuatio.* Apud ſcriptorem hiſtoriæ Pontiui pag. 385. Carolus V. Rex anno 1396. ſcripſit 50. *libratas terræ, ſeu annui reditus.*

39 Quod de librata terræ dixi, id de ſolidata terræ dicendum puta, eſſe annuum reditum vnius ſolidi qui recipitur ex prædio ſeu toparchia, vt intelligitur ex teſtamento Stephani de Coloniaco quod verbatim habetur in probationibus hiſtoriæ Coloniacenſium pag. 105. & ſcriptum eſt anno milleſimo trecenteſimo decimo octauo. In eo legimus *ſexaginta ſolidatas terræ Turonenſes redituales.*

40 Cætera quæ de ſolidata & libra atque ſolidis afferri poſſunt, placet tacere. Alius erit fortaſſe locus diſputandi de illis. Hæc amico viro ſufficient, qui vnos ſolidos aſſeruit fuiſſe in vſu apud Gallos duodecimo ſæculo, & quia florenos legebat in tabulis eo ſæculo ſcriptis, non dubitauit ipſas damnare falſitatis.

41 Addidit ille quidem vt nonnulla notaret ſuper illuſtriſſimis gentibus, quas eædem tabulæ ferunt affinitatem cum Chaponæa olim contraxiſſe. Negauit Girardum & Catharinam filiam fuiſſe in Berengariana, quod habetur num. 4. & 5. negauit Grolianam fuiſſe notam ſub annum nongenteſimum, quo Guilelmus Chaponæus fertur de ea Luciam vxorem duxiſſe; negauit Poiſſiacenſi nomen aliquod fuiſſe anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo, ſed ego nunquam duxerim eruditum virum, vt ſapientiſſimus eſt, iſta ſeriò denegaſſe. Profectò voluit vt de antiquitate nobiliſſimarum gentium diſputarem. Et non illubenter facerem, ſi locus poſtularet. Vnum de ſingulis affero, vt ipſius accuſationi reſpondeam, quocumque animo facta fuerit. Vvilelmus de Poiſſiaco Dominus Caſtronoui anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono, interfuit donationi plurium ſolidorum Viennenſi Cœnobio S. Andreæ *nuncupato Baſſo* à Conrado imperatore. Cominus Groleæ Dominus, anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſexto floruit, autore Alano Charreterio qui ſcripſit ſub Carolo VII. & per filios ac nepotes genuit Ioſſelinum, qui ab eo de gente decimus Guichenono notus fuit. Iam quis arbitretur accuratum virum id ſibi tribuere, vt omnia Berengarianæ capita habeat in numerato, qui non ignorat neminem eorum qui ſcripſerunt de gentibus Gallicanis, non Ducheſneum, non Sanmartanos id ſibi conceſſiſſe, vt ne quidem vnum ipſarum caput eos lateret.

Quid

Quid plura de amico viro referam? Cùm legeret num. 4. Catharinam Roſſilionæam anno nongenteſimo octogeſimo quarto nupſiſſe Leonardo Chaponæo, erupit in has voces: *Nulla tunc familia Roſſilionæa præterquam Gerardi Roſſilionei.* Ego autem aio nullam Gerardi gentem fuiſſe, quæ poſt ipſum Roſſilionææ nomen habuerit. Gerardus ſine liberis mortuus eſt. Hugo Luitardi patris frater liberos quidem habuit ſuperſtites, ſed nunquam Roſſilionæi ſunt dicti, & longè à Delphinatu ſedes habuerunt, vt intelligitur ex illis quæ Ducheſneus fusè diſputat de Gerardo & eius gente libro 2. de Regibus, Ducibus, & Comitibus Burgundiæ cap. 53.

FINIS.

Paginâ.	*Lineâ.*	*Errata.*	*Corrige.*
83.	5. ante f.	Patre viuo genteque.	Patre viuo vigenteque.
195.	7.	recens.	horreſcens.
196.	6.	Iucæ.	Lucæ.
230.	8. ante f.	Clementis 1.	Pſeudoclementis 7.
234.	8.	Fanno, & tranſitu.	banno, & tranſitu.
247.	15.	noluit.	voluit.
250.	8.	quod de ſanctis.	quod aſſeruit de ſanctis.
257.	18.	ſuperioribus.	ex ſuperioribus.
266.	vlt.	2. ſolidorum millia & 30.	2. & 30. millia ſolidorum.
278.	poſt 356.	Neſtario.	Nectario.
280.	4. ante f.	conteri.	contineri.
295.	5.	impius &	& impius.
296.	2.	deſtructæ	deſtructæ.
297.	31.	infido calce.	infido calle,
317.	27.	ante annum 54. viuebat an. 52.	Ante annum 52. viuebat anno 54.
323.	5. ante f.	Obiit 5. 158.	Obiit 1468.
333.	32.	Ionio.	Ionino.
337.	17.	& amore.	amore, &.
392.	9.	Mandatorum.	Mamandatorum.
411.	9.	Dele ſequentia: veramque vidimus, ac ſuſpeximus pueri, vt velut innatam.	
412.	11.	ſequentia ſcribe poſt Ioſeph; vſque ad, cùm. Non iniquis paſſibus fratrem ſequebatur. Præpoſitus, cùm hæc primùm ſcribebam.	
415.	vlt.	Abautiam.	Arbautiam.
418.	9.	Martio.	Martino.
429.	1.	Solis.	Soli.
458.	25.	ſui.	ſuis.
464.	vlt.	conſtituto adjungebatur ad ſententiam de reis ferendam. Hoc interpretabantur.	
479.	1.	Dele hæc omnia.	
543.	3.	audendi annos.	audendi animos.
571.	21. ante f.	priora.	priora.
574.	10.	ſeruat.	ſeruabat.
575.	27.	niſi.	mihi.
578.	39.	ſe circumſpectat.	ſe circumſpiciat.
579.	18.	Dele ſequentia: ipſo cujuſque libri principio ſermonem inſtituam.	
583.	16.	Arnadlus.	Arnaldus.
584.	23.	vulgò loquimur.	vt vulgò loquimur.
592.	34.	Laigneu.	Saignon.
593.	7.	Raimbaudo.	Raimundo.
605.	7.	vnica.	vncia.
	31.	Maria.	Margarita.
609.	7. ante f.	Raimbaldus 3.	Raimbaudus 4.
	4. ante f.	teſſeram erigebat	teſſeram exigebat.
612.	11.	heren.	herus.
617.	3.	Ierenem.	Irenem.
	18.	Bariols.	Bonioux.
620.	10.	6. omnino liberos.	quinque omnino liberos.
627.	12.	ſua & inſula.	ſua ex inſula.
630.	24.	ſi cognitio mortis.	ſit cognitio mortis.
636.	14.	rediriit.	redierit.
		capit in Galliat	cepit in Gallia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google